

Ex dono Hugonis Moncreiffe
de Tibbermalloch

David Dewar

8

Sic ego cantabricam cum *Spinis tempero rusci.*

CASP.

HOFMANNI
INSTITVTIONVM
MEDICARVM
Libri VI.

LVGDVNI.

Sumptib. Ioan. Ant. Huguetan.

M.DC.XLV.

Cum Priuilegio Regis.

LABOR *omnia vincit improbus.*



Εἷς ΘΕΟΣ ἐςὶ θεοῦ δ' ἐν σύμφυτον
ΑΛΗΘΕΙΑ

Spirinx sculp.


CASPARI HOFMANNI,

PHILOSOPHI AC MEDICI PRÆSTANTISSIMI,

Necnon apud Altorfinos Medicinæ Profess. publ. primarij,

INSTITVTIONVM MEDICARVM LIBRI SEX.

CVM DVPLICI INDICE COPIOSISSIMO.



LVGDVNI,
Sumptib. IOAN. ANTONII HVGVETAN,
viâ Mercatoriâ ad insigne Sphæræ.

M. DC. XLV.

CVM PRIVILEGIO REGIS.



Nobilissimo, ac Perillustri Viro,

D. IACOBO COVSINOT,

DOCT. MEDIC. PARISIENSI,

Profess. Regio, Christianissimi Regis Ludouici XIV. in vtroque consistorio Consiliario, & Archiatrôn Comiti dignissimo.

CAROLVS SPONIVS D. Med. Lugdun.

S. P. D.



VANTO difficilior est inuentu Veritas, tantò eius inuestigatio dignior est censenda laude, AMPLISSIME ARCHIATRORVM COMES, D. COVSINOTE. *Quo fit vt ad Veritatem, veluti cynosuram, præstantissima quæque ingenia, tetro saltem ambitionis & inuidentiæ malo immunia, nec certi cuiuspiam magistri seruiliter consecranea, collineare soleant. Iam verò plurimos inter, qui nostro æuo rariorem*

istam ferinam (vt quis dixerit) ex Apollinari saltu reportare satagunt, vix vlli primas libentiùs detulerim, quàm CASPARO HOFMANNO, *Germaniæ Galeno, ipsiúsque Pergameni Clinico, siue celebritatis nominis, quâ magno eruditorum assensu perfruitur, siue prouectioris, quam attigit, ætatis, rationem habeam. Nimirum Eximius hic Scriptor, sinceræ Veritatis amore, q. thyrso perculsus, se pro hac asserendâ nihilnon & facere & pati paratissimum profitetur. Quâ mente neotericorum* ἰατροπαιδευτῶν (Institutionistas *vocat*) *præcipua dogmata, labore plusquàm Herculano, sub incudem hoc opere reuocare instituit: Quibus ausis (vastis ædepol, ne dicam gigantæis) an parem se præbuerit, an potiùs exciderit, meritò lis moueri potest: de qua vt ex æquo bonóque pronuncietur, ad Te* (COMES ARCHIATRORVM ILLVSTR.) *prouocare, adeoque Tibi Hofmannica hæc lucubramenta, (quorum publicationem, boni literarij caussa, vrgere non destiti) vouere ac nuncupare constitui, vtpote quæ tot nominibus Tibi deberi intelligam. Enimuerò vt omittam incredibilem tuam virtutem, doctrinam exquisitam, iudicium defæcatum, ac cætera merita omnijuga, quæ Tibi cunctorum animos, ac summam domûs Augustæ gratiam conciliant, Domini que valetudini (quâ publica nititur) moderandæ Te obli-*

gant,

gant, longè αὐτοτελεστέραν αἰτίαν *habeo, Pietatem ſcil. erga Te, Præceptorem in Iatrica gymnade quondam meum opt. max. quæ ſolemnem hanc Nomini tuo nuncupationem imperet, vt palàm teſtificer, quàm abſim ab ingratitudine, quando* διδασκάλια *digna rependere meæ neutiquam opis eſſe ſentio. Sed faciet hoc (vt ſpero) cum fœnore, imò jam facit Numen æternum, de quo Tibi gratulor medullitùs. Cùm enim ſuper tuis rebus, quibus incredibiliter faueo, non ſemel DD.* RENATVM MORÆVM, & GVIDONEM PATINVM, *Virorum amicorum par incomparabile, percontatus eſſem, non ſine mirabili animi voluptate docuerunt, Te tantâ alacritate ac felicitate grauiſsimum illud tuæ profeſsionis in Aula munus ſuſtinere, vt nemo ſit qui dubitet, quin ad ſummum hunc dignitatis gradum* ἀμύμονι θεοῦ πομπῇ *fueris euectus, arcanóque vigore cælitùs affleris, præ quo non magis fatiſcas quàm Palmæ arboris brachia ſub impoſito ſibi pondere. Perge agedum* (VIR INCLYTE) *glorioſum hoc curriculum fauſto pede, vt facis, decurrere, quà viam ſignârunt tum alij heroës, tum qui lampadem Tibi tradidit Socer tuus,* ὁ πάνυ CAR. BVVARDVS, *qui immortalem ſibi famam parauit, ob fideliſsimè cuſtoditam* LVDOVICI IVSTI *auguſtæ memoriæ per annos xvj. valetudinem, quam ex malè-firma, ſaluberrimis ſuis con-*

ſiliis

ſiliis vegetam ac incolumem reddidit, operoſiſſimæque Regni adminiſtrandi moli habilem conſeruauit. Quinetiam ſtupendo ſuæ induſtriæ beneficio id procurauit atque aſſecutus eſt, vti Rex optatiſſimo tandem, licèt inſperato duûm pignorum maſculorum partu Parens fuerit ſalutatus, cum tot ac tantis Gallicanæ totius οἰκουμένης *pæanibus, quot & quanti aliàs nunquam fuerant exauditi. Supereſt modò* (VIR AMPLISSIME) *vt Te modis omnibus orem atque obſecrem, vt pro inſita comitate,* δῶρον *oblatum, præ ſua exiguitate penè* ἄδωρον, *nec quale vellem, ſed quale valeo, benignè ſuſcipere digneris, tuáque auctoritate defendere, ac* SPONIVM, *qui Te ceu parentem alterum, quamdiu Cor eì micabit, præcipua veneratione proſequuturus eſt, tuam in clientelam recipere, tuóque fauore complecti non pigeat.* Vale.



PRÆFATIO VNIVERSALIS.



AVREA est, LECTOR, Dionis Chrysostomi sententia, quam ego è Græcâ feci Latinam talem: *Compertum est mihi certò, difficile quidem esse erudire homines in veris: contrà autem facile erroribus imbuere. Ratio est, eorum, qui vera sciunt, pauci sunt; quamobrem etiam raræ felicitatis est in tales præceptores incidere: eorum verò, qui rudes, magnus est numerus, adeoque procliue est incidere in tales. Sed & à se ipsis facilè decipiuntur, quòd VERITAS quidem stultis amara sit, & ingrata: MENDACIVM autem dulce & amicabile.* Et mox: *Difficile cum sit docere, difficilius multò est dedocere, tum præcipuè, cum errores quasi per manus dantur à prædecessoribus. Qui enim ita instituti sunt, tam difficulter præconceptas opiniones deponunt, quamuis solidè refutatas: quàm difficulter filios supposititios illi, quos diu aluerunt, quosque, si ab initio sciuissent esse tales, ne acceptassent quidem. Nimirùm tam valida est hæc persuasio, vt plerisque falsa, si priùs illis instillentur, potiora sint, & persuasiora veris, sed posteriùs oblatis.* Hæc ille. Quæ cum sæpiculè meditatus sim ipse mecum, non tam miseratus sum conditionem VERITATIS, Hespero & Lucifero pulcrioris, quàm calamitosissimum generis nostri statum, *cum quo*, vt Stoïcorum doctissimus queritur, *tam benè non agitur, vt verè bona multis placeant.* Non ego nego verum esse, quod

In oratione, Quod Ilium.

ẽ Cic-

Cic. alicubi ait, *Opiniones fictas & vanas diuturnitate temporis extabescere, adeoque commenta illa delere diem, Naturæ contrà iudicia confirmare:* sed & hoc verum esse, experientia quotidiana testatur, *Homines tales* (verba sunt Berneggeri nostri) *qui persuasionis pertinacia occalluerunt, vt, implacabili diuersa sentientibus indicto odio, etiamsi commonstrato errore ceciderint causâ, non tantùm non cedant, sed de genu etiam pugnent aduersùs manifestam VERITATEM. Adhæc* (addit ille) *hominum vulgus, h.e. imperitiss. iudicem eorum etiam, quæ antè pedes sunt, in partes vocant. Ad extremum, calumniis etiam certant, aduersùm quos cùm omnia feceris, arma silentio potiora nulla inuenias.* Sed cur hoc fit? Dicat Gal. noster, *Quia & Logicæ ignari sunt, & naturâ contentiosi: quin malo sibi fore existimant, si in melius proficiant.* Quod enim idem ait, *Falsæ opiniones, vbi animas hominum occupârunt, non surdos solùm faciunt, sed & cæcos.* Hac de re quæ idem multis locis dicit contra sophistas & sectarios si afferre velim, meritò ambitiosus dicar. De me vt pro re pauca dicam, cum hactenus fecerim omnia, quæ pro VERITATE fieri posse iudicabam, quid lucratus sum? *Vt inimicorum meorum impotentia, furor & væcordia quotidiè fiat maior, efferatiorque.* Quos quo modo alio vlciscar quàm generoso contemtu? quo contumeliæ ipsi contumeliã me facere posse confidam. Interim sufficit mihi paucorum saniorum iudicium, & spes est apud posteros cum obtrectationis inuidia decesserit, luculentissimum me industriæ testimonium (quid enim aliud sperem?) consecuturum. Dixi *paucorum.* Vt enim Italicum prouerbium habet. *Vnus homo valet millenos alios, cum milleni alij vix vnum valeant.* Hoc tu ne facilè contemnas, affirmo tibi, eiusdem esse sensus cum illo Heracliti apud Gal. εἷς ἐμοὶ μύριοι, *vnus mihi est instar decies millium.* Quod explicans ait, *Libentiùs se cum hoc vno collocuturum, quàm cum decies millenis, qui vel vnius tantùm, vel nullius digni sint. Non enim*, inquit, *VERITAS multitudinem quærit, sed prudentiam.* In hunc sensum alibi ait: *Libros suos de Pulsibus vtiles fore tantum, vni & alteri, qui singulari sit ingenio, doctrinaque, & meditetur lecta.* Reliqui pendent ab inueteratâ & à multis sæculis

1. Elem. 2. F. 8. κ. τόμ. 1.

1. De Dign. pulſ. 1. H.

3. De Dif. pulſ. 3. extr.

lis confirmatâ conſuetudine; quæ eſt, *Nolle recedere à vulgo receptis opinionibus, quãuis ipſa rerũ Natura repugnet.* Ita fit in cibis quoque, quibus vnicè delectamur, quos pertinaciter appetimus, & cum gaudio fruimur, quãuis nocituros eſſe non obſcurè intelligamus, non aliam ob cauſam, quàm quia vſus fecit nobis familiares, etiam præſentibus longè melioribus & præſtantioribus. Nimirùm, & opiniones & res metimur, non ex eſſentiâ illarum, quæ cognita nobis non eſt: ſed ex cæco affectu erga eos vnde manarunt. Hic affectus valet in vtramque partem, quandoquidem & amore proſequimur, quæ amore indigna ſunt: & odio habemus, quæ chariſſima nobis eſſe debebãt. Vtrobique tã valida eſt imaginatio, vt negligamus, & non raró cum pipulo reiiciamus, quæ veriſſima ſunt, & optima, ob hoc tantùm, quia non amamus: rurſus, vt amplectamur, & prædicemus, quæ vaniſſima ſunt, & vituperio digna, quia amamus. Hæc, nî fallor, ſunt dûum generum. Aut enim vetera ſunt, & bona: ſed quibus, poſtquam ſcabiem ſuam affricuit acriculus aliquis, non amplius capimur. Aut noua quidem ſunt, & bona: ſed quæ ſordent nobis præ amore antiquitatis. In vtriſque quis non agnoſcit ἀῤῥωστίαν τῆς ἀγνοίας, quæ Nubem pro Iunone amat? Vt rem exemplo declarem. Ariſt. in Philoſophiâ eſt talis, cui meritò aſſurgimus: at poſtquam Gal. ex merâ φιλοτιμίᾳ, caput illi obuertit, pleríque omnes ſequimur, ignari prorsùs quid, & quò ſequamur. Gal. in Anatomicis multa egregiè ſcripſit: quibus meliora & certiora cùm oſtenderit nobis Veſalius & alij, pleríque tam obſtinati ſumus, vt malimus cum Gal. errare, quàm cum aliis benè ſentire. Heîc quis non videt, ibi quidem odium: heîc autem amorem? Accedunt duæ aliæ cauſæ, οἴησις καὶ ῥᾳθυμία. Pleríque enim ingenti perſuaſione turgidi, poſſumus, quia poſſe videmur, vt illi in prælio nauali apud Virgilium. Alij tam pigri ſunt & luxurioſi, vt animum ad altiora erigere nequeant. Hi omnes quid faciunt? VERITATEM produnt. At ſcire debebant ex Athanaſio & Polybio, *Affligi quidem illam poſſe aliquantulum: in æternum fieri non poſſe, vt lateat, quin tandem caput attollat, & agnoſcatur ab ipſis etiam aduerſariis.* Quamob-

Athan. Ep. ad ſolitarios. Polybius l. 14. Hiſt.

rem fas est bonos omnes sequi consilium Cypriani, *Non in-*
Ad Iulianam. quit, *quia aliquando erratum est, propterea semper errandum est,*
cùm sapientibus, & DEVM timentibus magis conueniat, patefa-
cta & perspecta veritate, libenter & incunctanter obsequi potiùs,
quàm pertinaciter & præfractè reluctari. Verumenimverò
cùm nemo bonorum id sperare possit à tumidis istis sophi-
3. Loc. aff. 4. ext. stis, (patriam enim potiùs proderent) quid consilij est? Mihi
hoc subuenit, postquàm non sine lacrymis vidi, quàm malè
consulatur adolescentibus nostris, *scribendas esse Institutio-*
nes nouas in quibus duo præstentur. Alterum, Res ipsæ nudè
proponantur, & sine demonstrationibus, firmitérque per-
suadeant sibi discentes, hæc vera esse; demonstrationes au-
tem quærant alio tempore alibi. Alterum, errores aliorum
ponantur seorsim, vt, si velint legere, possint: si nolint, tran-
siliant. Hoc laboris cum diuinitus mihi imponi crederem,
7. Meth. 3. ext. hinc quidem caui καδδυώαμιν, ne iuuenes mei cogantur de-
discere, cum maximo temporis dispendio: Illinc autem, ne
irretiantur nō minùs stultè receptis opinionibus, quàm im-
pudenter fictis, vt loquitur vir quidam magnus. Illud sumo
mihi, non tanquam vaporarius aliquis compilator, qui (Sca-
ligeri patris sunt verba) sine alis in cœlum euolant, qui ir-
rident studia Philosophorum, quæ tamē videri volunt pro-
fiteri, ignaui, superbi literiones, sed tanquam arbiter hono-
In Poët. rarius, qui (vt leuiter immutem Poëtæ verba) iam diu sederit,

Inter honoratos incano vertice ciues.

Ita tamen, vt à sententiâ dictâ appellare liceat. Hoc facio,
non adolescens semidoctus, non ante nouendium factus
Doctor, quasi scarabæus è stercore: sed postquam per 30. an-
nos docui & scripsi, postquam 30. aliis didici. Hoc loquor
ad bonos, qui sciunt ab arrogantiâ inaníque gloriâ tantùm
abesse me, quantùm ara Alexandri ab Herculis colūnis. Sed
Hoc sit loco nouorum, veterum, χρ. χρηστὸν. κ. κίβδηλον. & refutarent conuicium hoc septem Institutionistæ, quos
produxi, si ad nos redirent. Non nisi comiter enim cum illis
ago, & sub nomine *Aberrationum.* Has volo esse quasi alterā,
& seorsim positam totius operis partem, quam etiam scribi
volo aliâ literâ, vt ij, quibus sola placet Veritas, saltu su-
perare possint scopulos istos. Nec ingratus (spero) erit non

prorsus

prorſus humi abiectis mentibus diſtinctus hic labor. Imitari enim nos iubent prudentes, paucorum & ad veritatis libellam exactorum ſtudia: fugere contrà, ac deteſtari multorum concordem impudentiam. Vtvt enim chorus horum longior eſt, concinnior eſt illorum. Hoc dico: quia ſi quis Collegia hodiè dicta intrare velit, & cum æqualibus pugnare Andabatarum more, quo de more morum peſſimo alibi conqueſtus ſum: ille heic rixandi materiam inueniet vberrimam. Hos inprimis iubeo cautos eſſe, vt ſciant, quid Philoſophum deceat, quid Medicum. Non enim ignoro (imò ſæpè doceo) quid ὁ τρόπος ἐπιστήμης permittat: hoc vrgeo, *Neutiquam Veritati præferendum eſſe Mendacium, luci tenebras, Deo Satanam.* Porrò, quia ſeptem illi in Phyſiologicis omiſerunt prorsùs Anatomica, facto planè inexcuſabili: additis illis, vt debui, apprehendi tres alios, qui eodem Inſtitutionum titulo vſi ſunt, & oſtendi in illis, ἀποτυχίας quaſdã. Secũdus labor mihi fuit in vocabulis, quæ τεχνικὰ dicuntur, tantò magis neceſſarius, quò cõtemtior eſt apud noſtros. *Quid,* inquit Rufus in libello Appellationũ, *in Cithariſtriâ primùm didiciſti? Quid in Grammatica? Quid in Geometria? Quid in aliis diſciplinis? Imò, quid in ſutrina? in officina ferraria? in artibus manuariis omnibus? Appellare vnumquodque vel inſtrumentum, vel ſubiectum ſuo nomine.* Quod vt fieret heic quam commodiſſimè, adeóque iuuenes ritè introducerẽtur in Oeconomiam Hipp. & Gal. vti Foëſio vocare libuit hanc Medicinæ docentis partem: non ego aliunde conquiſiui verba, ſed ea ſolummodo, quæ duces hi duo habẽt. Hoc tãtò feci ſolicitius, quò corruptiores & negligentiores ſunt ſcholæ noſtræ particulares, quas dicimus: imò, quò magis feſtinant matres, vt intra paucos annos videant filios ſuos Doctores. Hinc ſæpè dolui vicem auditorum meorum, cum intuerer, ad talia illos tantùm non inhorreſcere, quaſi in Bohemiam (vt vulgus noſtrum loquitur) tranſlati. Iunxi autem Græca Latinis, perſuaſum volens eſſe omnibus, non poſſe in arte noſtrâ exſtrui quid ſolidi, niſi ad natale illius ſolum proficiſcamur. Tertia ſolicitudo mihi fuit, vt in toto opere perſpicuitatem quidem perpetuò ſectarer: obſcuritatem autem cane peius & angue odiſſem. Contra illam peccant, qui

 delician

delicientur in verbis, inter quos primus est Heurnius. Ego verò videor mihi vsurpâsse, non sordidum, neque contrà ampullosum: sed didacticum scribendi genus. Ita enim censeam, tum ornata fore scripta mea, si ornatum negligam. Nempè, si quid iudico, candor & simplicitas plus addit VERITATI gratiæ, quàm fucus & cerussa. Quamobrem si probent illa sapientes (ita voco, quibus præiudicium non abstulit iudicium) satis est. Qui enim voluntate κεχέκται sunt, vt Pisonem vocat Cic. eos ego negligo. Cum obscuritate luctantur, partim illi, qui longè, latéque sermocinantes, nuspiam & nunquam se explicant: partim illi, qui demonstrationes crepant. Huc refero illos, qui aliquid dicunt quod nec illi, nec alij intelligũt. His si aspergo alicubi amœni quid, quo studij genere delectabatur etiã ὁ θαυμάσιος Lipsius: salis id volo esse loco. Si corrigo vnũ, alterúmve locũ Hipp. & aliorũ bonorum autorum: volo commonefacere nostros officij, quod vetustati debemus, *Accurare videlicet, vt sit quàm immaculatissima.* Absque enim illâ si esset, barbarorũ barbarissimis similes essemus. Et hæc quidẽ instituti mei ratio est, quam probaturùm me posse puto iis, qui iustum esse sciunt, & sensûs humani plenum, posteritati prodesse. In hoc confirmat me sæculi huius infelicitas, cui temperandæ remedium qualecunque inuenisse, non minimæ felicitatis est. Obrepit enim hoc modo obliuio malorum, quæ & passi sumus, & patimur, fortassis etiam illorum, quæ verisimiliter metuimus. Quare, dum in hâc sedeculâ, in conspectu Hipp. Arist. Gal. aliorum, tam primæ, quàm secundæ & tertiæ notæ autorum subsisto, & VERITATIS vestigia sequor, æquo & alacri sum animo, nec cupio fortunam hanc meam permutatam cum magni & præpotentis alicuius Centurionis, qui sellâ curuli, tribus equorum iugis tractâ vehit. Heic vnus è familiaribus. *Somniis quidem tu felix es,* inquit: *at quanti tibi constat VERITAS ista tumultuosa? Malim cuiuis bello interesse, quàm frui imaginaria ista quiete tua.* Scio, quid velis, ô vir amice, nec muto propterea quicquam. Quin iubeo hostes meos porrò quoque cũ C. Fimbria irasci mihi, quod parciùs corpore telum recipiam; quod porrecto iugulo gladios illorum

Apud Val. Max. 9. c. 10.

rum haurire nolim; quod insolentiæ illorum comiter assurgere detrectẽ; quod pro illatis iniuriis & calumniis gratias agerę cuncter. Ita semper fuit, ita semper erit, *Aduersæ fortunæ sarcina vltima est, vt, qui miseri sunt, persuadeant sibi meruisse.*

Hæc mea crux, aliis etiam sua portio restat.
Et sic FACTORI seruio ritè meo!

Quò maiori cum fiduciâ concludo discursum hunc ita:

Omnia cùm fluitent incerto lubrica casu,
Nî tu consilium désque iuuésque, DEVS,
Huc ades, & magnis momen conatibus affer,
Ne secus eueniat, quem modò verso, labor.
Tu scis, summe DEVS, quod nulla pecunia auarum,
Nec quod me tristis mouerit ambitio!
Discentûm miseret, quos error plurimus vrget
In breuia & Syrtes, è quibus haud facile est
Exire, & sacri contingere limina VERI:
Consequar hæc, summo vertice tango polum.

Perscriptum Altorfij, VI. Iunij, anni M. DC. XXXVIII.

Ad mentem Gal. 2. Cris. 8.

Omnibus hoc vitij est nobis, scire omnia velle:
Sed didicisse parum.

INDEX



INDEX

Accuratus Capitum quæ his ſex Inſtitutionum Medicarum Libris continentur.

LIBER PRIMVS.

LIBER SECVNDVS.

XI. De

LIBER TERTIVS.

XXXVII. De

C. De

LIBER QVARTVS.

V. Signa

LIBER QVINTVS.

LIBER SEXTVS.

Priuilege



Priuilege du Roy.

LOVYS par la grace de Dieu Roy de France & de Nauarre, à nos amez & feaux Conſeillers, les gens tenans nos Cours de Parlement, Maiſtres des Requeſtes ordinaires de noſtre Hoſtel, Baillifs, Seneſchaux, Preuoſts, leurs Lieutenans, & à tous autres de nos Iuſticiers & Officiers qu'il appartiendra, ſalut; Noſtre cher & bien amé, Iean-Antoine Huguetan, Marchand Libraire de noſtre ville de Lyon, Nous a fait remonſtrer qu'il a recouuré vn liure intitulé *Caſpari Hofmanni Inſtitutionum Medicarum*, &c. lequel il deſireroit faire imprimer pour l'vtilité que le public en peut receuoir, s'il nous plaiſoit de luy accorder nos lettres ſur ce neceſſaires; afin qu'il ſe puiſſe rembourſer des frais qu'il luy conuient faire pour l'impreſſion d'iceluy: A ces cauſes, & deſirant le traitter fauorablement, Nous luy auons permis & permettons par ces preſentes, d'imprimer, faire imprimer, vendre & debiter en tous les lieux de noſtre obeyſſance ledit liure en telles marques, & en tels caracteres, & autant de fois que bon luy ſemblera, durant l'eſpace de huict ans entiers & accomplis, à compter du iour qu'il ſera acheué d'imprimer pour la premiere fois. Et faiſons tres-expreſſes deffences à toutes perſonnes de quelque qualité & condition qu'elles ſoient, d'imprimer, faire imprimer, vendre ny diſtribuer en aucun lieu de noſtre obeyſſance ledit liure, ou partie d'iceluy, ny d'en extraire aucune choſe, pour le publier ſous d'autres noms, d'en imprimer les frontiſpices, ou d'en deguiſer ledit tiltre, ſous pretexte d'augmentation, correction, fauſſes marques, ou autrement, en quelque ſorte & maniere que ce ſoit; ſans le conſentement de l'expoſant, ou de ceux qui auront ſon droit, à peine de trois mil liures d'amande, payables par chacun des contreuenans, & applicables vn tiers à Nous, vn tiers aux pauures enfermez de noſtre ville de Lyon,

&

& l'autre tiers à l'exposant, de confiscation des exemplaires contrefaits, & de tous despens, dommages & interests: à condition qu'il en sera mis deux exemplaires en blanc en nostre Bibliotheque publique, & vn en celle de nostre tres-cher, & feal le Sieur Seguier Cheualier, Chancellier de France, auant que les exposer en vente, à peine de nullité des presentes; du contenu desquelles, Nous voulōs que vous fassiez iouyr pleinement & paisiblemēt l'exposant, & ceux ausquels il transportera son droict, sans qu'il leur soit faict, ny donné aucun empeschement; Voulons aussi qu'en mettant au commencement, ou à la fin de chascun desdits Liures vn extraict des presentes, elles soient tenuës pour deuëment signifiées. Et que foy y soit adioustée, & aux Coppies collationnées par l'vn de nos amez & feaux Conseillers & Secretaires comme à l'Original: Mandons au premier nostre Huissier ou Sergent sur ce requis, de faire pour l'execution d'icelles, tous exploits necessaires sans demander permission, Nonobstant clameur de Haro, Chartre Normande, & autres lettres à ce contraires; Car tel est nostre plaisir. Donné à Paris, le quatorziéme iour de Septembre 1643. Et de nostre Regne le premier, Par le Roy en son Conseil, CONRART, & seellé du grand Sceau de Cire jaune.

Acheué d'imprimer pour la premiere fois le 18. Mars 1645.

Les exemplaires ont esté fournis.

CASPARI



CASPARI HOFMANNI, INSTITVTIONVM MEDICARVM

LIBER PRIMVS,

In quo vniuersalia.

CAPVT PRIMVM.

Quid sit Medicina?

§. I. VEMADMODVM ἀπὸ τοῦ ἰάομαι, ἰῶμαι est ἰατρὸς, aut Ionicè & Poëticè ἰητρὸς, καὶ ἰατρικὴ, ἢ ἰητρικὴ, subintellige τέχνη: ita ἀπὸ τοῦ *Medeor* est *Medicus* & *Medica ars*, siue vno verbo *Medicina*. Atque vt lubens fateor, apud Græcos (apud quos tamen nata & alta est) non semper habuisse hoc nomen: ita apud Romanos habuisse, quamprimùm ad eos translata fuit, puto extra controuersiam esse. Cæterùm qui à *Modo*, seu *Medio* deducunt, ridendi non sunt, siquidem concedunt, originationem talem esse, qualis apud I C. est, *Testamentum* est *Testatio mentis*. Respicit enim definitionem, (si ita fas est nominare,) quæ est apud Hippoc. lib. de Flat. ἡ ἰητρική ἐστι πρόσθεσις τῶν ἐλλιπόντων, καὶ ἀφαίρεσις τῶν ὑπερβαλλόντων, *Medicina est appositio eorum, quæ desunt, & ablatio eorum, quæ superfluunt.* Vt enim in omnibus aliis rebus *modus* vitiatur dupliciter, excessu & defectu: ita heic quoque.

§. II. Hoc sermone quia delabor in sententiam eorum, qui ex quinque habitibus 5. Ethic. Nicom. 3. propositis, illum seligunt, qui *τέχνη, ars* dicitur, quæ est, vt cap. seq. definitur, *ἕξις μετὰ λόγου ποιητική, habitus qui efficit aliquid cum ratione*; artium autem multæ diuisiones sunt: iam, posthabitis aliis, dico, Medicinam esse in censu earum, quas Alexander, Com. in 1. Top. vocat *μὴ ὡρισμένας, non definitas*. Propterea immortalis Scherbius dicere solebat, *Medicina aut est prudentia, aut certè non sine prudentiâ.* Hæ tales peculiariter ab Arist. vocantur *δυνάμεις, facultates, potestates*, quod in vtrumque sint paratæ, vt cum Poëta loquar; possint, inquam, (vt in exemplo proponam) & defendere Milonem & accusare. De his insignis est locus 1. Top. 2. extr. vbi docet (si sensum attulisse satis est.) *Tum demum Dialectici erimus, si ita instructi fuerimus, vt Orator est, vt Medicus, vt huius generis alij artifices.* Τοῦτο δ᾽ ἐστὶν, inquit, *τὸ ἐκ τῶν ἐνδεχομένων ποιεῖν, ἃ προαιρούμεθα, hoc fit, cùm id, quod propositum nobis est facere, facimus quàm fieri potest optimè.* Quod vt rectiùs intelligas, addit, *Neque enim Orator is est, qui persuadet, sed qui omnia pro re nata affert, quæ ad persuadendum apta sunt: sicut Medicus est, non qui sanat, sed qui conquirit omnia, quæ ad sanitatem recuperandam idonea esse videntur.* Hoc sensu Plato quoque (in Phædro) comparat Medicinam cum Rhetorica. Et in specie de re nostrâ, Auerroës 1. Coll. 1. *Medicina est ars, in qua quæritur conseruatio sanitatis corporis humani, & remotio ægritudinis, secundùm quod possibile fuerit in quolibet corpore*, ait Interp. *quod est, Quia finis artis istius non est ad sanandum omninò, sed ad faciendum illud, quod potest fieri*, &c. Ita Seneca l. 7. de benef. *Si omnia fecit vt sanaret, peregit Medicus partes suas.*

§. III. Fortassis desideras scire, quæ sint *αἱ τοιαῦται δυνάμεις*, ab Aristot. dictæ? artes, inquam, *Rhetoricæ & Medicinæ similes*? Politica inprimis: neque enim Politicus ille est, qui Rempublicam seruat: sed qui omnia præstat, quæ ad conseruationem ipsius faciunt. Deinde Gubernatoria nauis. Neque enim Nauclerus is est, qui nauem feliciter ad portum perducit: sed qui facit, quæ ex arte facere potest, vt, si per ipsum stet, omninò nauis salua appellat. Mox, scientia bellica: neque enim dux belli is est, qui omninò & semper vincit: sed qui omnia prudenter & fortiter ad victoriam dirigit. Ita Mercatoria, Agricultura, Venatoria, omninò omne aucupium, omne lucrum. Atque vt accommodem hæc rebus nostris, quia Medicina est huius generis ars, adeóque norat id etiam Gal. valdè placebat eidem Scherbio definitio Medici tradita ab illo 5. in 6. Epid. 1. E. *Est occasionum inuentor.* Quarum? inquis. Profectò, non victoriæ in bello, non diuitiarum in nauigationibus, non aliûs lucri: sed *Medendi.* Ea verò particula cum inclusa sit definito, neutiquam in definitione repeti debuit, vt crepabat olim quidam: quin Logicæ leges ne tolerant quidem.

§. IV. Quidquid sit: amplector etiamnum definitionem, quam ante

ante annos hos viginti quinque publicè defendi (licet φιλόσοφος minimè sim.) ex 1.Rhet.ad Theod. 2. *Medicina est δύναμις videndi omnia, quæ ad sanitatem hominis conseruandam restituendámque apta & accommodata sunt.* Huic definitioni iam lucem fœneror ex versione Mureti, *Est facultas perspiciendi quidquid in quaque ægritudine, comprehensa latitudine sanitatis, excogitari potest idoneum ad sanandum.* Nimirùm, vt ibi τὸ ἐνδεχόμενον πιθανὸν eidem Mureto est, *Aptum ad persuadendum:* ita heic τὸ ἐνδεχόμενον ὑγιεινὸν sit mihi *Aptum ad sanandum.* Hoc fini, biennio pòst ex Theophrasto caus. pl. 1. ita proposui rem, ἔστιν ἐπίνοια καὶ παρασκευὴ, ἥ τις συνεργεῖ τῇ φύσει πρὸς τὸ τέλος, *Medicina est solertia & apparatus* (remediorum. Hoc verbi iterum inclusiuè est in definito) *opem ferens Naturæ ad obtinendum finem*, sanitatem puta. Quò respiciens Plotinus, ait alicubi, *Medicinam vel solam, vel certè præcipuam esse inter Magiæ naturalis artes.* Quod nomen ne exhorrescas, scito, *Magiam hanc* nihil aliud esse quàm *Sapientiam, in abstrusioribus Naturæ operibus occupatam*, cuius æmuli quoque erant Magi, ad Seruatoris nostri incunabula venientes. Hoc sensu *Magia naturalis* Ars fuerit. Ann. 1613. M. Ian.

§. 5. Quò minùs molesti debent nobis esse ij, qui odiosè iactant, *coniecturalem*, στοχαστικὴν esse artem nostram, nescientes quid dicant. Non enim locum heic habet στοχασμὸς quiuis, cuiusuis è plebe: sed fundatus non solùm super certissimis artis principiis, sed & experientiâ stabilitus, quali & Politicus vtitur, & Dux belli, & Nauarcha, & Orator, & omnes ij, quos nuper produxi. Sed qua in re consistit? Sententia Gal. est 2. κ.τόπ. 1. E E E. ἐν τῷ διαγνωστικῷ τῶν διαθέσεων μάλιστα, *potissimùm consistere in cognitione morborum, causarum, & symptomatum. Hâc enim adeptâ*, inquit, *curatio succedit ex indicationibus*, οὐ στοχαστικῶς, ἀλλ' ἐπιστημονικῶς, *non ex coniecturâ, sed ex certâ scientiâ.*

§. 6. Hoc μάλιστα iubet nos addere duo alia; *Alterum* peto ex 3.Meth. 3. L. vbi docetur, coniecturam in curando cubare, non supra dosi, vt vulgò loquimur, medicamentorum: sed supra applicatione recta agentis ad patiens, videl. ne morbo leuiori opponas medicamentum validum, & contrà. *Alterum* accipio ex 3.Meth.7.1.ad Glauc.1.A, Coniectandi artem stare in certa τῆς ἰδιοσυγκρασίας, (ita enim scribo) discretione, quæ ἰδιοσυγκρασία nec scribi, nec dici à quoquam potest, sed pendet à solertia curantis. Cùm enim tractemus non hominem, sed indiuiduum hominis, Socratem v. g. satis non est, si indefinitè sciamus calefaciendum esse, refrigerandum, adstringendum, laxandum, &c. Sed scire oportet, quatenus & quousque vnumquodque horum sit faciendum. Qua in re si contingat nos falli, non proderimus ægris, sed obfuerimus, contra Hipp. præceptum 1. Epid. 2. t. 50. quo de vide-sis Galen. 1. κ.γέν. 16.H. Et alioqui verum est, quod scribit idem Galen. 11. Meth. 11. extr. Vix inueniri posse remedium, quod magnificè (μεγάλως.) prosit citra noxam. Imò auctor nobis est vir summus Vallesius Methodi suæ lib. 4. cap. 2. verum esse hoc Gal. effatum, etiam detracta

voce *Insigniter*. Ita enim vertam ego; Intelligo autem *Noxam*, non de casu illo, in quo scopum non attingimus: sed de illo, in quo leuiter aberramus. Si hoc displicet, dic, fieri illud ratione virium, quibus medicamenta, quà medicamenta, vim faciunt.

§. 7. Hanc in rem in medium producã locum Arist. pulcherrimum, quem corrigam quoque. Est ille 5. Eth. Nic. 13. vbi agens de difficultate operandi iusta, hoc vult dicere, nî fallor. *Vulgus quidem facile esse putat, scire iusta & iniusta, quod leges illa determinent: sed non ita se habet res. Scientia enim illa per accidens est; at iusta & iniusta actio per se est, & consistit in puncto quodam, nec potest dici talis vel talis, nisi obseruentur circumstantia; quomodo, recténe, an secus, huic, illîve factum sit hoc, vel datum.* Τοῦτο δ', addit, πλέον ἔργον ἢ τὰ ὑγιεινὰ εἰδέναι, *hoc verò maius est opus, quàm Medicinam exercere.* Cur? *In Medicinâ facile est nosse, quid sit mel, quid vinum, quid vstio, quid sectio: sed in applicatione, vt sanitati conferant, tanta est difficultas, quanta est Medicum esse.* Hæc ego verba iam à multis annis aspicio limis. Quo enim modo cõparatio potest institui inter rem eandem? inter, inquam, opera Medica, & Medicum? Nunc descendo in eam sententiam, legendum esse ὅσον δίκαιον εἶ). Ita sensus confiet. *Scire materiam Medicam facile est: sed ita applicare indiuiduo, vt sanitati ipsius vtilis sit, tam est difficile, quàm esse iustum.* Sed vnde est difficultas tanta? Audi Galenum, in superioribus dicentem, Tria sunt in Medicina, quæ requirunt artificiosam coniecturam, quæ coniectura à prudentia est. *Primum*, Non oportet falli in cognitione. Inquit enim Trall. l. 9. quà de hydrope, ὀρθῆς θεραπείας πηδάλιόν ἐστιν ἡ διάγνωσις. Q. d. *Quod in naui clauus est, id in arte nostra cognitio est.* Et alioqui notum est illud, ὁ ἄριστα γνοὺς ἄριστα θεραπεύει, *Quò quis meliùs cognoscit, eò feliciùs curat.* Tantum enim erramus in curatione, quantum errauimus in cognitione, 1. ad Glauc. 2. C. *Alterum*, Oportet etiam nôsse ἰδιοσυγκρασίαν subiecti sui. Hac enim incognita, de vi medicamenti applicandi nihil statui potest. Sufficit autem qualiscunque. Exacta enim Æsculapio digna est, 3. Meth. 7. C. *Tertium*, Oportet pariter medicamenti ipsius vires benè cognitas habere. Hoc enim non præhabito, Andabatæ modo pugnabis. Et huc facit Herophili dictum 6. κ. τόπ. 3. H.

§. 8. Hæc ego loco hoc fusiùs, partim, vt Institutionistæ nostri intelligant, nondum se Medicinæ naturam satis peruestigasse: partim, vt adolescentes sint cautiores, nec temerè se credant talibus. Alioqui de illis olim dici non poterit, ταύτῃ διαφέρουσιν οἱ ἰατροὶ τῶν ἰδιωτῶν, ὅτι ἐπὶ τοῖς φαινομένοις κεκρυμμένόν τι καταλαμβάνειν δύνανται, *In hoc à vulgo differunt Medici, quòd præter illa, qua omnes vident, videre & colligere possint obscurum quid.* Hoc verò à prudentia Medica est. Quæ ipsa tantò erit maior, quò maiorem quis δεινότητα à Natura attulerit. Ita sæpè Gal. de seipso scribit, in prognosticis præstitisse se alios Medicos, non ex arte nostrâ, sed ex naturali ad diuinandum aptitudine.

ABERRATIONES.

§. 9. χρηστομαθείας paro tibi, ô adolescens initiande, de quibus hoc tibi promittas velim. *Primo* quidem loco dicturum me simpliciter, & quàm possum breuissimè, *Quid tibi sequendum sit*. *Secundo* autem, *Quid fugiendum*. Atque hæc sunt τὰ κίβδηλα priscis dicta. Hanc in rem producam septem Institutionistas, seruato annorum ordine, quibus illi scripserunt. In prima acie Leonartus Fuchsius mihi erit, cuius editionem Lugdunensem anni 1555. inspiciam, securus quid ille, vel anteà scripserit, vel posteà mutarit. In secunda Daniel Sennertus stabit, qui ter nobis dedit Institutiones suas, Vvittebergæ omnes, annis 1611. 1620. & 1628. His Compendium subiecit, anno 1634. In tertia collocabo Duncanum Liddelium, Hamburgi, anno 1617. quæ altera est editio. In quarta Guilbertum Iacchæum, Lugd. Batauor. 1624. In quinta Iohan. Heurnium, ibid. 27. è correctione Otthonis filij. In sexta Gregorium Horstium, Vvittebergæ, 1630. In septima tandem Ioh. Riolanum patrem, Francof. ad Mœnum in fol. 1611. Cum his omnibus agam sine bile, acerbitatéve vlla, sed & sine pompa: vtrumque enim odi à pueritia. Non attingam, licet eundem titulum fecerint, Alfonsum Moreschottum, Francof. 1583. & Sebastianum Meironem, Friburgi Brisgojæ 1603.

§. 10. Ad Fuchsium diuerti si placet, moneo, saltu superes duo capita priora: Ad oratorem enim spectant. Cap. 3. frustrà occupatur in explicanda, primùm quidem definitione illa, quam ex Hipp. lib. de Flat. attuli: deinde autem in Herophilæa, quæ est in Arte parua falsò Galeno attributa. Quam verò ille tandem affert de suo, illa multis modis manca est. Multò magis frustra est cap. 4. in firmando genere suo. Quod enim omnes boni vltrò concedunt, non opus habet, vel his, vel aliis machinis. Quod verò subiungit de coniecturis, inane est. *Est Medicina*

coniecturalis, quatenus prudentia opus illi est. Quæ cap. 5. cumulat de artium varietate, ἄσκοπα sunt. Illud benè habet, quod negat, rectè diuidi artem nostram in Theoricam & Practicam. Verumtamen subtilior est heic distinctio inter πρᾶξιν καὶ ποίησιν.

§. 11. Sennertus in ipso vestibulo separat se ab iis, qui Medicinam contendunt *Scientiam* esse, qua in re laudare illum oportet. Veruntamen peccat in duobus, quorum alterum est, quod concedit, Scientiam esse, latè accepto vocabulo. Quorsum enim diuerticula ista; quibus temerè moramur adolescentes? Est *ars*, & *talis*. Hoc satis est. Alterum, quod cognitionem seu scientiam, quam in Medico requirimus, similem facit scientiis. Reuerà differunt τρόπῳ ἐπιστήμης, quod est, ὅλῳ τῷ παντὶ, *toto cælo* differre. Sed quis est ille *Modus sciendi*? Scientiæ solum scibile (vt sic dicam) quærunt, & pendent totæ à subiecto suo: Artes vsum seu finem spectant, quem etiam solum volunt. Quamobrem dextrè accipiendum est, quod ait ex Auicenna, *Medicum quædam à physico demonstrata accipere, adeóque habitum Philosophicum aliquando induere.* Quæ enim accipit, quia fini suo accommodat, desinunt esse Philosophica. Imò, quod sæpè dicebat Scherbius, *Medicus aliquando latè fusas demonstrationes constringit: aliquando breues dilatat.* Summa, Medicus non est contentus scientia: sed, quod scit, refert ad finem suum. Quò fit, vt vera quædam negligat, quia inutilia ipsi: falsa quædam admittat, vel quia fini suo amiciora sunt, vel certè, quia non obstant illi. Ad hanc classem pertinent *Logicæ quæstiones* dictæ Gal. in quibus perinde est, affirmatiuam, an negatiuam tuearis. Sed hæc alibi. In definitione à Sennerto tradita, præcipuè illa laudo, *Quantum possibile.* Respicit enim id, quod in anterioribus dictum fuerat, *Nihil referre, si Medicus non semper sanet: satis esse, si rectè fungatur officio suo.* Moneo in prima Edit. hæc non esse.

Vide Paciũ Com in 2. Met. 5. fol. 365.

An quod dicitur, *Vbi desinit Physicus, ibi incipit Medicus*, hũc habet sẽsum: *vbi finis est considerationis Physicæ; ibi initiũ est considerationis Medicæ.* An illud Arist. μέχρι τῆς αἰτίας, eandẽ vult explicationẽ?

§. 12. Liddelius nimis altè graditur, & probum apud me est illud tantùm, *Officium Medici esse appositè curare.* Quæ sequuntur, lima indigent, vt dicam in fine. Cæterùm definitio

definitio ipsius multis exposita est difficultatibus, & possit illi vna litura sufficere.

§. 13. Iacchæus in eo errat cum Sennerto, quod non rectè proponit considerationem hominis duplicem, *Medicam* & *Physicam:* veruntamen in viam redit, cum ait, *Cognitionem Medici aliò referri*, ad finem scil. Definitio ipsius manca est, & inutilis.

§. 14. Heurnij παρλεγόμενα historica sunt. Cap. 2. grauissimè errat, partim, quia definitionem nominalem (ita enim iudico) pro essentiali habet: partim, quia ex arte & scientia mistum quendam habitum instituit.

§. 15. Horstius disp. 1. θ. 9. rectè quidem *Artem* appellat *Medicinam*: sed minùs cautè θ. 12. admittit scientiam latè dictam. Et quid est opus velo? Quin dicamus clara voce, *Errare eos grauißimè, qui quouis modo scientiam inculcant!* Quam definitionem struit θ. 20. ea partim est imperfecta, quia non satis explicat, *Qualis sit ars?* partim falsa, quia distinctione opus est: qua de re in fine me acturum iam promisi.

§. 16. Riolanus Fuchsij vitulâ arat, in exornandâ vtraque definitione, Hipp. inquam, illâ de Flat. & Herophili in Arte. Cum addit tres alias, περίεργος fit.



CAPVT II.

Quod sit subiectum Medicinæ?

§. 1. ITA quidem est, subiectum heic est duplex 2. crit. 9. F. *Quod* & *Quo*: nos verò de priore tantùm heic agimus. Id verò est *Corpus humanum*. Quo verbo excludo *subiectum vniuersale*, vt quidam loquuntur, h. e. omne sanum & ægrum, 1. Rhet. ad Theod. quo nomine excidit Medicina dignitate scientiæ, quo modo Auerroem loqui intelligo: & astringo me *subiecto particulari*, *Homini*, cuius necessitati famulantur omnes artes. *Homo* igitur heic est *res considerata:* sed non quouis modo, verùm quatenus à morbis & morte præseruari aliquatenus potest. Et hic est τρόπος ἐπισήμης, de quo modò, *Modus*,

inquam,

inquam, *considerandi*, qui ipse constituit *formam Artis* huius. Ad præseruationem hanc *Natura hominis* concurrit effectiuè, & quidem primariò, adeóque nihil integrè heic fit, nisi *Natura* cooperetur. Nimirum, subiectum hoc non habet se purè passiuè, vt aliarum artium subiecta, lignum v. g. corium, pannus, ferrum, 1.Aph.1.I. sed, vt dixi, cooperatur, hoc est, habet eundem scopum cum artifice.

§. 2. Et hoc est *Naturæ officium* illud *in sanitatis negotio*, de quo ante hos 24. annos disputaui publicè cum Resp. doctiss. D. Georgio Seidelio, Gryphisvv. Pom. quod fundamentum habet in celebratiss. illo 6.Epid.5. t.1. Νούσων φύσιες ἰητροὶ, *Vniuscuiusque Natura obuiam it morbis*. Et mox t.2. Ἀνευρίσκει ἡ φύσις ἑωυτῇ τὰς ἐφόδους, οὐκ ἐκ διανοίας. Et in vestigio: Ἀπαίδευτος ἡ φύσις ἐοῦσα, καὶ οὐ μαθοῦσα, τὰ δέοντα ποιέει, *Natura sibi ipsi vias inuenit, non ex intellectu. Cùm enim à nemine docta sit, nec quidquam didicerit, tamen facit quod debet.* Huc tendit illud quoque, licèt Hipp. non sit, l. de Alim. t. 15. apud Valles. in Com. φύσις ἐξαρκέει πάντα πᾶσι, *Natura sufficit vsquequaque. Frustrà enim*, inquit Vir summus, *adhibentur medicamenta*, (addo ego *alimenta* quoque) *quæ naturam non sint habitura adminiculantem.* Hinc auctor lib. de Const. art. 12. ait, *Natura & Medicus eorum, quæ corpori humano boni causa sunt, auctores sunt.* Tu verò, quisquis hæc legis, animaduerte mihi, quomodo se explicet. *Quædam*, inquit, *facit Natura sola: quædam Medicus solus: quædam Natura à Medico adiuta. Et in his*, addit in sua lingua, ὑπηρετεῖ, καὶ συμπράττει τῇ φύσει ὁ ἰατρὸς, *Medicus Naturæ minister est, & cooperator.* Et hoc est, quod Gal. sæpiculè repetit, *Medicum bonum esse Naturæ ministrum, imitatorem, adiutorem: quemadmodum contrà, malum esse hostem Naturæ.* Vis loca ipsa? Epid. l.c. E.2. in 1. Epid. 25. 51.4. Vs. p. 17. E.4. Meth. 6. H. 1. Dieb. Crit. 11. & fortè alibi.

§. 3. Hæc indigent maiori luce. Ab initio dicendum est, Quid veniat heic *Naturæ* nomine? Est enim πολυώνυμον. Smetius, Miscell. l.7. Ep. 1. omnia vellet relata ad ἰδιοσυγκρισίαν, *temperamentum proprium*: Brucæus contrà, Ep. seq. ad *temperamentum commune*, Calidum natiuum è corde influens. Ego mox sententiam dicam: iam quæro, Quomodo, quod dicitur, fiat? *Cùm animal valet & temperatum est*, inquit vetustiss. Aretæus, 2. caus. Acut. 3. *omnibus est superior, & omnibus præsentiam suam ostendit, humoribus, spiritibus, & partibus solidis, horúmque mediante optimo inter se ordine, & symmetriâ, omnia in animali disponit ad vitam.* Huic non dissimile quid legeris 2. San. tu. 7. extr. Tu verò dictum tibi esse putato, Partes omnes, siue priuatum officium habeant tantùm, siue publicum etiam, in secunda valetudine faciunt, quod debent. Propterea ὁ ὑγιεινὸς præscribit rectum ordinem in sex rebus non naturalibus dictis, & si quod leuius peccatum subintret, corrigit. Ergo, inquam ego, in afflicta valetudine Natura facit tantum, quantum potest. *Nunquam enim natura cessat*, inquit Gal. 3. Meth. 3. C. 4. Acut. 24. B. & 1. Diffic. resp. 12. C. *Naturales facultates semper necessariis operibus vacant, nunquam torpent aut negligentes sunt.* Intelligit autem quatuor *Ministras* vulgò

vulgò dictas. Nam 1. Fac. nat. 13. I. & 14. seq. C. quò se refert 5. in 6. Epid. 1. G. & iterum t. 4. extr. scribit, *Vt animal sanum hæ facultates nutriunt: ita morbos finiunt.* Ex hoc fonte fluxit oratio illa Gal. aureis litteris inscribenda cordibus, non adolescentum modò, sed & senum Medicorum, lib. de tot. morbi temp. cap. 5. vnde habet Rabbi Moyses 6. Aphor. 21. *Neminem seruari, nisi Natura morbum superârit: neminem mori, nisi Natura victa sit.*

§. 4. Verum enimverò opus heic est distinctione. *Morbi quidam à sola Natura vincuntur, non adhibente manum Medico: quidam à Natura & Medico simul: quidam nec à Natura, nec à Medico.* Triplex hoc membrum triplici opus habet explicatione. I. Qui adeò parui sunt, vt à sola Natura superari possint, non indigent Medico. Hæc lex est à Platone olim fixa, fine Timæi, *Morbos, qui sine magno periculo sunt, non esse irritandos purgantibus.* Loquitur autem exemplariter. An ex Ægypto manauit? Scribit enim Aristot. 3. Politic. 16. Non licere ibi Medicis *κινεῖν, hoc est, medicamento purgante vti,* ante diem quartum. Ante enim hunc si faciant, suo periculo facere. Etsi autem Philosophus ibi disputet contra hunc morem, & in genere concludat, *ἠλίθιον, Stultum* esse, *κατὰ γράμματα πράττειν, ex præscripto agere:* tamen, si intelligatur, vt Giphanius olim noster in Com. super eum Arist. locum exponit, *Quod voluerint videre Naturæ conatum, & tum demum illam iuuare, si morbo profligando satis non esset,* probabilis est. *Experientia enim docuit, si secus fiat, sæpe morbos irritari.* Interim rectissimè Montecatinus in eundem locum, *Quantò melius Ægyptius,* inquit, *Hippocrates, non tempus, sed rem definiens, concocta medicare,* 1. Aph. 22. Hoc conuenit cum præcepto Politico, *Ne intempestiuis remediis delicta accendantur.* Et est alioqui sententia Philosophorum Practicorum, quam Scherbij verbis proponam: *Est sua quædam, vt corporis, sic animi quoque ægritudinum maturitas, quæ expectanda sit, remedia adhibere volentibus.* Sic Seneca, in epist. ad Heluiam matrem, *In morbis quoque nihil periculosum magis, & perniciosum, quàm immatura medicina.* Huc tendit Gal. 1. loc. aff. 1. K. cùm inquit, *μόνα ἐκεῖνα (πάθη) δεῖται τῆς ἔξωθεν βοηθείας, ὧν διὰ τὸ μέγεθος ἀδυνατεῖ κρατεῖν ἡ φύσις, Illi tantùm morbi indigent Medico, quos vincere natura, ob magnitudinem ipsorum, non potest.* In quæ verba vbi in Com. incidit ὁ θαυμάσιος Vallesius, optat, *Inscripta sint illa omnium Medicorum pectoribus, vt iam hinc discant manum abstinere ab iis morbis, quos verisimile sit Naturam ipsam superare posse.* Loquor de experientia 30. annorum: Quot homines apud nos fiunt lectularij ob intempestiuas, vel venæ sectiones (præsertim, si plures vnà vno temporis articulo aperiantur, quod penè solemne est τοῖς πονηροπολίταις nostris) vel purgationes ex esula cruda, quam cochlearibus admetiuntur, ex cort. & cymis sambuci, ex cortice interiore frangulæ, aliorum.

Habet & Diodorus Siculus l. 5.

§. 5. II. Qui morbi indigent manu Medici, in iis opus est magna cautione. Valet enim heic quoque illud, *Fatales esse morborum terminos,*

quibus non expectatis qui abrumpere velit, ex paruis faciet magnos, ex paucis multos. Hoc aliis verbis Vallesius dixit 2.Meth.suæ 6. *Celerior quàm pro morbi longitudine curatio, detrahens plus virium quàm pro ratione morbi, facit in tempore curandos ante tempus mori.* Causa est: Natura, tam in sanitate quàm in morbo, seruat ordinem constantissimum, 8.Phys.t.15.2.Gen. 10. In morbis, inquit Gal.3.cris.10.A. & repetit 2.Die.Crit.2.B. confirmátque Hipp.autoritate l.de Alim. *Determinati sunt, ordinatique Naturæ motus, siquidem valida est, & propriis rationibus operatur: indeterminati verò, & inordinati, ideóque incogniti, cum succumbit.* Iam cum Medicus sit *imitator Naturæ*, in iis, in quibus illa superior est, vtique tum imitabitur illam Medicus. Contrà, non imitabitur, adeóque quiescet, cum nescit, neque per rerum Naturam scire potest, quorsum euasura sit. Quiescet, inquam, nisi imitationum exempla habeat, 2. Aph.29.l.de cur.rat. per V.S.adu.Erasistr.4. 4.in 6.Epid.17. C. Iam igitur his morbis incumbit tota *Methodus medendi*, quæ est *secretum secretorum secretissimum*, vt Scherbium loqui commemini.

§. 6. III. Qui tandem morbi nec à Natura, nec à Medico vinci possunt, ij ne tentandi quidem sunt à Medico. *In quo enim* (inquit Gal. 11.Meth.9.F.) *desperata omninò salus est, imprudentis consilij fuerit calumniis vulgi exponere remedia, quæ multis fuere vsui. Nos*, ait, *scribimus præsidia & tempora iis, quos seruari posse spes est: at qui insanabiles sunt, iis nec tempus vllum opportunum est, nec vllum præsidium.* Idem, cùm Hipp.1.Aph.8.dixisset, *in statu vtendum esse victu tenuissimo*, ait ipse in fine Com. *Fieri hoc in iis tantùm, in quibus statum excipit declinatio*, (*hoc est, in quibus spes superest:*) *in iis autem, in quibus statum excipit mors, nec victum, nec quidquam aliud præscribendum esse, sed prognosticis relinquendos.* Idem legeris 2. Aph. 29. Ratio huius consilij est, *quod nec ipsa Natura aggrediatur* τ' ἀδύνατον 6.Phys. 29. Et Medicus aggrediatur! Cæterùm verum hoc est in iis, in quibus extremus virium lapsus est, cum appetentia prostrata, aliísque signis lethiferis. In talibus *qui humanitatis, & pietatis Christianæ memores esse volunt*, meritò audiunt ab Ill. Scaligero, in Poët. *negligentes, auari, præcipites.* Secùs si sit, acceptato Thucydidis consilio, quod Gal.nobis suggerit 10.Meth.10.P. Δράσαντές τι κινδυνεύειν, *tentantes aliquid cum periculo.*

§. 7. Fortassis ego hæc fusiùs? Quia ἰδιῶται nostri scire volunt, quatenus sint Medici, & quovsque se extendat cura illorum? volui illos docere, Quæ sit conditio subiecti, quòd tractant? quòd, inquam, subiectum nostrum non habeat se purè passiuè, sed coagat. Imò verò, si veritatem amamus, Naturæ heic debentur partes primæ: Medico nonnisi secundæ, vt pulchrè explicat Gal.in 5.illo 6.Epid. In cuius loci explanatione quàm frigidus sit Smetius, quo loco dixi non ita pridem, videre tibi licet, si libet.


ABERRATIONES.

§. 8. Inconſulti ſunt, tam ij, qui abſolutè dicunt, *Corpus humanum eſſe Medicinæ ſubiectum:* quàm ij, qui addunt, *Quatenus ſanabile.* Sed neque illi ſatis cauti ſunt, qui putant idem dictu eſſe, *Quatenus ſanitati & morbo obnoxium eſt.* Multò minus illi, qui corpus ſanum opponunt ægro, & illud quidem in hoc ſtatu conſeruandum eſſe aiunt: hoc verò in eundem reſtituendum. Tacitè enim labuntur in errorem illum, *Medicinæ duplicem eſſe finem.* Quem licet excuſare velint, modo differre ſolùm, quòd altera quidem vitet aduerſa, altera autem ſubmoueat: non vident tamen in verbis ſe occupari. Et ſunt falſiſſimi illi, qui hoc quidem alimentis fieri volunt: illud autem medicamentis. Cæterùm res breuiter ita habet, poſteà latiùs explicanda.

§. 9. Ἡ ὑγιεινὴ conſiderat corpus ſanum, ſed in magna latitudine. Sanum enim dicitur, non id tantùm, quod athleticè valet: ſed & quod qualitercunque, modò non prorſus ferietur ab operibus ſuis. Hinc ſub ὑγιεινῇ ſunt, & qui ex morbis conualeſcunt, quibus ἡ ἀναληπτικὴ præeſt: & qui *Cauſarij* Latinis dicuntur, & ſunt ſub προφυλακτικῇ. Niſi enim vel exactiſſima victus ratione vtantur, vel certis anni temporibus adhibeant aut venæ ſectionem, aut purgationem, certò ægrotabunt. Ἡ θεραπευτικὴ conſiderat quidem corpus ægrum: verùm non eo modo, quo vulgus medicaſtrorum putat, quaſi omnis ſanitas abeſſet. Niſi enim aliquid ſupereſſet, hoc eſt, niſi Natura adhuc pugnaret, fruſtrà Medicus ſumeret operam: imò iam mors eſſet. Verba ſunt immortalis Scherbij, diſp. Med. 2. θ. 2. *Oportet ſemper ſubſit aliquid ſanitatis.* Et hoc eſt illud θ. 2. *Secundùm rationem.* Ratio autem eſt, *Niſi calidum natiuum adhuc ſit actiuum, nihil fit:* Ergo vulgi iudicium, quod à ſenſu pendet, eſt, *Nihil ſupereſſe ſani:* at Philoſophi, qui rationem ſectatur, eſt, *Aliquid ſupereſſe.* Si enim, inquit ille,

lumen hoc ex toto extinctum est, quis reaccendit? Hæc ad animum reuocet, qui decipi nolet.

§. 10. Et quid obstare potest, quò minùs ampliùs hoc explicem, quia publicè ignoratur? Η θεραπευτικὴ quidem tractat illud corpus, quod insigniter lapsum est, nec potest vllo modo præesse rebus suis, propterea etiam κλινικὴ dicitur: ἡ ὑγιεινὴ autem tam illud, quod rectissimè valet, quàm id, quod vtcunque. Quod rectissimè valet, non tantùm alimentis opus habet, vt illi volunt, sed & reliquarum non naturalium rerum dictarum recto vsu. Quo igitur modo dici potest, tale corpus valere absque Medicina? Immò verò cùm alimentorum quotidianus vsus, non sine illis, quæ huc faciunt, opponatur perpetuo corporis nostri fluori, 1. San. tu. 2. ausus sum aliquando dicere, τὴν ἀειπάθειαν rectè quidem exulare à θεραπευτικῇ, eique, coniuncta παθολογίᾳ nostrate, non rectè autem ab ὑγιεινῇ. Iamque adeò vlteriùs prouehor, & dico, τὴν ὑγιεινὴν non posse carere τῇ παθολογίᾳ, quatenus illa curat lapsus paruos. Ex quibus verbis intelligit(spero)quiuis, cur addiderim τὸ *Nostrate*. Miraris! Annon ὑγιεινὴ quoque vtitur venæ sectione, purgatione, aliis, quæ fiunt præseruationis gratia, vt vulgò loquimur? Si vtitur, vtique per indicationes inuenit? Indicationes autem sine cognitione affectus quei consistunt? Vt enim dixi suprà ὁ ἄριστα γνοὺς, ἄριστα θεραπεύει. Et in victu instituendo quei non locum habent indicationes?



CAPVT III.

Quis finis ipsius?

§. 1. IDEBOR fortè Soli facem accendere velle? Ita est apud Empiricos nostros, qui tamen Galeni nomen præferunt:non ita apud Medicos χαρίεντας dictos olim. Hi primùm omniũ explicant se dupliciter. Loquimur de fine, vt est bonum adeptum:non autem de scopo,qui est bonum illud,quod & æger & Medicus quærit.Differunt enim hæc duo λόγῳ. Loquimur de fine,nõ vt Medicina

Medicina redacta est in methodũ, & docetur:sed vt est habitus practicus. De hoc verũ est, quod Philosophus ait 7. Metaph. t. 23. *ex sanitate fieri sanitatem*, hoc est, *ex sanitate, in animo Medici concepta, fit sanitas in ægro.* Ideò dici potest eundem finem vtrique esse cognitum, adeóque quæri pari studio ab vtroque. Hic est finis ille, à quo Medicina pendet, quo sublato, ne ars quidem est. De hoc Gal. 1. Meth. 7. I. ait, *In iis artibus, quæ methodo traduntur, cognitio finis principium est.* Et lib. qui Thrasybulus inscribitur, cap. 29. A. *Ratio semper inuenit finem, regulam & indicem omnium, quæ in artibus continentur.* Et paulò ante, fine cap. 28. *Propria cuiusque artis præcepta finis constituit, diiudicátque*, &c. Vide Platonem in Protrept.

§. 2. Posthæc quærunt, Quo nomine appellandus sit hic finis? *Sanitas: actionum integritas: robur & vis actionum: dispositio secundùm naturam: bonus habitus*, qui εὐεξία est Græcis: *pulchritudo*, fortè aliter? An de vocibus solicitos nos esse iniquum est? Galen. enim in modò cit. Thrasybul. cap. 12. extr. libertatem dat nobis vocandi quomodolibet: Rectè quidem: sed in quo non acquiescit animus humanus, nisi sciat, quo respectu singula ista vocabula locum inueniant? Is erit talis: *Sanitas & integritas actionum* differunt, vt finis internus & externus: vt finis οὗ καὶ ᾧ: vt finis propriè dictus à fine impropriè dicto: vt finis principalis & minùs principalis: vt finis perfectus & imperfectus: vt finis formalis & materialis: vt finis intermedius & vltimus. His enim locutionibus omnibus res eadem indicatur. Definio ergo ita.

§. 3. *Sanitas* est bonum inferius, in quo non acquiescimus: *Integritas actionum* est bonum illud summum, quod volumus. Sani enim esse cupimus, vt secundùm naturam agere possimus. Hoc confirmo ex Thrasyb. iam dicto, quà de sanitate quidem ait, esse ἀγαθὸν οὐχ ἁπλῶς, οὐδὲ καθ' ἑαυτὸ, *bonum, non simpliciter, neque per se*: de actionum autem integritate, esse ἀγαθὸν οὗ μάλιστα δεόμεθα, πρῶτόν τε καὶ καθ' ἑαυτὸ, πρώτως τε καὶ κυρίως λεγόμενον, *bonum, quo maximè indigemus, primúmque & per se, primò & principaliter ita dictum.* Cum actionum integritate coincidit *Robur & vis actionum*: cum sanitate, *Dispositio secundùm naturam.* Est enim genus sanitatis. Huius pars quædam est, seu potiùs summus gradus, ἡ εὐεξία Græcis dicta. At *Pulchritudo* non nisi impropriissimè est finis, quatenus est effectus, seu potiùs efflorescentia quædam sanitatis. Scio quid obiici possit ex Bonamico 4. de Motu 26. sed non affero. Pro me Simplicius est, Com. in 2. de Anima t. 35. & Montecatinus in Polit. Arist. siquidem per *materiam*, seu *hominem* sinet me intelligere triplicem corporis nostri constitutionem, de qua in Patholog. Cap. 14. & 15.

ABERRATIONES.

§. 4. Non possum concoquere, quod tamen omnes

dicunt, *Medicinæ finem esse vnum quidem, Sanitatem: sed Medicum occupari in duobus, in conseruanda, & restituenda sanitate.* Si enim ita est, quomodo non præcepta alia habebit conseruatrix pars Medicinæ, alia restitutrix? Nam quod de modo Fuchsius affert, inane est, ceu dixi. Quamobrem sto in vestigio; Reuerà finis est vnus: sed lapsus est modò maior, modò minor. Atque huc inprimis pertinet *latitudo sanitatis*, quam *Neutro statui* Herophili opponimus. In hoc enim quia mirificæ sunt tricæ, quásque nemo omnium, qui *in Artem* commentati sunt, expediuit: in illa oratio est simplex, *Tamdiu sani dicimur, quamdiu non decumbimus: ægri, quamprimùm feriamur ab actionibus solitis.* Hinc tres illæ partes, ex quibus materiam medicam sumi mox dicetur, ex æquo seruiunt vtrique parti, & ὑγιεινῇ & θεραπευτικῇ. Nam & ὑγιεινὴ victum instituit, medicamentis vtitur, Chirurgum adhibet: & θεραπευτική. Quin vtrobique est idem modus, excepto eo; quòd ibi quidem securiora sunt remedia ob virium præsentiam: heic autem suspecta omnia, ob earundem defectum.

§. 5. Et quis, quæso, acceptet Fuchsij illud? *Sanitas conseruatur, dum vitamus noxia: amissa restituitur, dum eadem submouemus.* Quod enim iterum dicendum est, *Sanitas non consistit in eo tantum, vt caueamus ab iis, quæ sanitati inimica sunt: sed & in recto vsu tam esculentorum, quàm potulentorum, quin & magnorum remediorum, vt dixi.* Ita morbus depellitur, non vsu tantùm remediorum, sed & alimentorum medicamentosorum. Vt exemplo vtar non longè petito. Valeo ego quidem vt senex: sed non sufficit, si vitem panem συγκομιστὸν Græcis dictum, carnes bubulas duras, brassicam, olera omnia, fructus omnes. Imò oportet me strictè teneam intra mediocritatem, oportet aromatis, aliquando vino succurrere ventriculo meo, benè tegere eundem, tam de die, quàm de nocte, &c. Quod verò tu mireris, Non audeo vti vinis generosis, multò minùs Græcis, Hispanicísve, multò minimè destillatis chymicis, etiam ex vegetabilibus. Acriora enim sunt & calidiora, quàm ventriculus meus velit.

§. 6. Vt

§. 6. Vt concludam, Hoc est, quod rectè Iacchæus ait, *Curare, non est tantùm submouere ea, quæ actiones lædunt: sed & mala imminentia præcauere.* Hoc spectâsse ait idem Hippocratem, aut quisquis est author definitionis suprà traditæ, *Medicina est additio & subtractio.*

§. 7. Mihi libet heic tribus tantùm verbis meminisse finis Medicinæ, quem duplicem Sennertus affert ex Scaligero, Com. 1. de Plantis, *Alter*, ait, *est* τῷ, *cui, qui medius sit, & consistat in medicationibus: alter* δι' ὃ, *propter quid, & vltimus sit, Sanitas.* Quis enim non primo statim intuitu videt, priorem illum pertinere ad officium Medici, quo ille fungitur propter finem? Confundit igitur vir Illustris finem cum scopo, quod committendum heic planè non est, vt suprà dixi.

§. 8. Atqui tu ipse facis in Θ. tuis duplicem finem? Respondeo breuiter, mox explicaturus, *Vnus est finis, Non vnus est finis.* Illud, quatenus cum Philosophis statuimus, semper superesse aliquid sanitatis. Hoc, quatenus cum vulgo, in ægris nihil superesse. Et hic est τρόπος ἐπιστήμης, ob quem licet Medico, vel dilatare Physica quædam, vel restringere.



CAPVT IV.

Quot partes habeat?

§. 1.  NECESSITATEM humanam peperisse Medicinam, dictum mihi suprà est. Ea pendet ex eo, quod Gal. ait 1. San. tu. 1. extr. & mox cap. 4. A. *Corpus humanum non esse impatibile, vt adamas: sed subinde alterari à causis tã internis, quàm externis.* His causis opponi ait idem μίαν τέχνην, *vnam artem*, sed cuius partes primæ & maximæ duæ sint, ὑγιεινὴ καὶ θεραπευτική, quas ego appellabo μέθοδον ὑγιεινὴν καὶ θεραπευτικὴν, *Methodum seu viam rationalem sanitatem quà conseruandi, quà restituendi.* Vbi siquis sibilare volet, fieri hoc modo duos fines: eum ducam in rem ipsam, & monstrabo illi Gal. verba, quæ sunt, Duas has partes ἐμπαλιν ἔχειν πρὸς ἄλληλα τῆς ἐνεργείας. Si ad Græca obstupuerit, monstrabo

monstrabo illi Linacri interpretis verba, *Contraria inter se officia habere.* Heic iam quæram, annon Gal.quoque affinis sit huic culpæ, siquidem culpa est? Si enim inter se sunt *contraria* hæ partes, *contrarios vtique fines* habebunt. Ne longè abeam: ego, Not. in eum locum, lenire conatus sum asperitatem tam locutionis Græcæ, quàm interpretationis Latinæ, hoc sensu, *Quæ diuersa habent inter se officia.* Consistit autem diuersitas in eo, quod ὁ ὑγιεινὸς conseruat hominem ὀρθοστάδιον: ὁ θεραπευτὴς facit illum iterum ὀρθοστάδιον. Nempe enim hæc est *latitudo sanitatis*, de qua suprà, vt *sani* quidem dicamur, quamdiu *recti incedimus: à morbo autem liberi, cùm lecto dimisso, iterum recti incedimus, & facimus res nostras.* Hoc si displicet, dic, Galenum loqui cum vulgo, quod in lecto affixis nullam agnoscit sanitatem, sensum solum sequens: at Philosophus agnoscit ratione, quam non ita pridem dedi.

§. 2. Hinc tu disce mihi, quod apud plerósque omnes in obscuro est, *Quis sit limes inter primas has & maximas partes positus?* Ita quidem, vt ne obstet ille, quò minùs vnius huius artis vnus sit finis, vnúmque artificis officium? Τὸ ὀρθοστάδιον, inquam. Ne dubites, hem tibi diserta Gal. verba, 7.Meth.11.extr. ὅρος, inquit, ἑκατέρας (ὑγιεινῆς καὶ θεραπευτικῆς) τὸ, τῶν συνήθων πράξεων, ἤτοιγε ἀφίστασθαι διὰ τὸ μέγεθος τῆς βλάβης, ἢ μή. *Terminus vtriusque Methodi est, aut prorsus abstinere solitis actionibus, idque ob læsionis magnitudinem: vel non prorsus.* Hoc iisdem penè verbis legeris lib. ad Thrasybul.30 C. Vides tu mihi heic, in priori quidem membro τὸ κλινῆρες ἢ τὸ κλινοπετὲς, *lecto affixum* esse, vnde *Clinice*, seu *Lectularia*, seu *Cubicularia* Plinij, initio lib.29.cap.1. quam ab Hipp.institutam fuisse ait: in priori autem τὸ ὀρθοστάδιον? Vide Foes. in Oecon. Quæ causa mihi fuit, cur τῇ ὑγιεινῇ quidem tribuerim *paruum lapsum*, in latitudine sanitatis putà, in quo non penitùs arcemur à muniis vocationis nostræ: τῇ θεραπευτικῇ autem *magnum lapsum*, cùm nihil agere possumus, ne recti quidem incedere. In partium affectibus est analogum quid.

§. 3. Quæris, Annon vtriusque methodi sint subdiuisiones quædam? Equidem τῆς θεραπευτικῆς vidi nullas: τῆς ὑγιεινῆς aliquot, in quibus tamen authores non consentiunt. Ego, cum pace bonorum, cogam in
Paulo aliter Gal. ad Thrasyb. l.c. hunc ordinem. *Prima* sit εὐεκτικὴ, cum qua eadem est sanitas καθ' ἕξιν, sub qua sunt illi, qui in grauissimis erroribus tam in ordine, quàm in copia ciborum, potuúmve, nunquam ægrotant, nunquam, aut certè raró venam secant, purgant, &c. Talis penè fuit Platerus Præceptor olim noster, vt de seipso in Obs. scribit. Talem noui præfectum oppidi huius, Roggenbachium, qui tandem, cùm ego in Italia essem, Scorbuto
1604. mortuus est, hospite tum primùm in his regionibus viso, nunc verò perquàm familiari. *Altera* sit ἡ προφυλακτικὴ, quæ singulis annis semel, bísve venam secat, purgat, &c. Tales sunt, de quibus Gal. scribit præuenisse morbos quosdam duorum horum remediorum alterutro. Horum sanitas κατὰ σχέσιν dicitur: ipsi *Causarij*, quia facilè patent externis iniuriis.

Tertia

Tertia ſit ἡ ἀναληπτικὴ, quæ præſidet iis, qui ex morbis conualeſcunt. Huius pars eſt ἡ γηροκομικὴ, quæ ſenibus præeſt. Nam ſenectus eſt morbus quidam. Falluntur, qui comminiſcuntur τὴν παιδοκομικὴν, τὴν γυναικοκομικὴν, τὴν λεχωκομικὴν. Sed quò pertinet ἡ κοσμητικὴ, *ornatrix*, quatenus reſpicit pulchritudinem naturalem? Ad ὑγιεινὴν. Vtplurimum enim ab internis viſcerum morbis pendent cutis fœditates, pilorum defectus, &c. obambulantibus interim hominibus. Hoc ſenſu κοσμητικὰ ſcripsêre Crito & Cleopatra apud Galen. 1. κ. τόπ. 2. ſcriſiptque Doctor olim meus Io. Th. Minadæus de *Turpitudinibus*: Ab hac longè differt ἡ κομμωτικὴ, ἢ κομμωτικὴ. Vtrumque enim accepto, & eſt illud ἀπὸ τοῦ κομέω ἢ κομόω, quod eſt ἀπὸ τοῦ κόμη: hoc ἀπὸ τοῦ κόμμι, vnde eſt κομμίωσις, *gummitio*, apud Colum. 12. de Ruſt. 50. Eſt illa, quam Plato quoque damnat in Gorgia. Interim Gal. l.c. in gratiam regum, aliorúmque potentium, admittit. Tum verò non Medici, ſed κομμωταὶ dicimur, quemadmodum, ſi fœminæ id agant, κομμώτριαι. Quò verò refertur ἡ γυμναστικὴ? laudabilis, non vitioſa illa? Vno verbo ad ὑγιεινὴν, quatenus illa præſcribit corporis exercitia.

§. 4. Et hæc quidem de Methodis duabus ſummis: in quibus ſi feliciter verſari debet Medicus, oportet ex altera parte ſint Methodi aliæ, quæ dirigant actiones ipſius. Hoc aliis verbis ita extuleris, *Si in his eſt finis Medici: oportet iungantur aliæ Methodi, quæ ad finem ducant ipſum.* Sunt autem tres. I. Verſatur circa corpus humanum, vt ſe habet ſecundùm naturam, & dicitur φυσιολογία, quam Latinè dicam, *Naturæ ſpeculatricem*. Hæc conſiſtit in ſeptem capitibus, quæ *Res naturales* vocantur, & ſunt *Elementa*, *Temperamenta*, *Partes ſolidæ, tam ſimilares, quàm diſſimilares*, quarum (diſſimilarium) expoſitio dicitur *Anatomia*, *Humores*, *Spiritus*, ſeu *Calidum innatum*, *Actiones*, & tandem *Facultates*. II. Occupatur in conſideratione corporis humani, quatenus ſe habet præter naturam, & vocatur παθολογία ἡ αἰτιολογία, quibus nomina Latina ponam, *Morborum narratrix*, aut *Cauſatrix*. Heic exponuntur *Res præter naturam* vocatæ, quæ tres numero ſunt, *Morbus, cauſæ morbi, & ſymptoma*, quod *Accidens* vertunt Interp. III. Tradit ſigna tàm ſani, quàm ægri corporis, & σημειωτικὴ nominatur, quam cum venia *ſignificatiuam* vocabo.

§. 5. Hac ratione inuenimus quinque Medicinæ partes, eſſentiali nexu inter ſe iunctas: iam, quia nullus artifex ſine certis inſtrumentis finem ſuum aſſequi poteſt, ſuperſunt tres aliæ, quæ tractant *Materiam medicam* dictam, quæ conſtituit alterum Medicinæ ſubiectum, ſuprà cap. 2. reiectum, *Quo*. Pugnat enim Medicus, vel *Victu*, vel *Medicamentis*, vel *Manibus*. *Victus*, δίαιτα eſt Græcis, vnde ἡ διαιτητικὴ. Continet autem non *Alimenta* tantùm, ſeu *Cibum & Potum*: ſed præter hæc quinque alia, ſine quibus nutritio recta non fit, & ſunt *Aër*, *Somnus*, eique oppoſitæ *Vigiliæ*, *Motus & quies*, *Excreta & retenta*, *Affectus animi* vulgò dicti. Hæc medio modo ſe habent inter *Res ſecundùm & præter naturam*,

adeóque dexter illorum vſus conſeruat naturam, ſequior deſtruit. Quamobrem ne nomine vacent, dici cœpêre *Res non naturales*. *Medicamenta*, φάρμακα Gr. ſunt vel ſimplicia, vel compoſita, eáque vel ex vegetabilibus, vel ex mineralibus, & dant nobis τὴν φαρμακευτικὴν, *Medicatricem*. *Manuum opera* Græcè eſt χειρουργία, quæ χειρουργικὴν conſtituit, quâ voce Græca vtimur omnes.

ABERRATIONES.

§. 6. Audeo dicere, pro Milone me habiturum, qui vel catenam hanc partium Medicinæ ruperit, vel plures addiderit, vel pauciores eſſe docuerit. Fuchſius lib. 1. c. 6. & 7. quàm infelix eſt, non in numero tantùm, ſed & in ordine! Quei enim contentus eſſe poteſt quinque? Cur ὑγιεινὴν tantò interuallo ſeiungit à θεραπευτικῇ? Cur item φυσιολογίαν & παθολογίαν? Certè, illæ quidem copulandæ fuerant, cùm ob alias cauſas, tum quod dici poſſit, niſi artis commoditas obſtaret, differre ſecundùm magis & minùs tantùm: hæ autem iuxta ſe ponendæ, quia ſunt contrariæ. Et quid cauſæ eſſe poſſit, quod tres poſtremo loco poſitas partes ſoli Therapeuticæ, & quidem ſeorſim tribuit? Profectò ἡ ὑγιεινὴ æquè vtitur operâ illarum. Et quorſum velitationes iſtæ Comicæ in oſcitantiam, & temeritatem Medicorum? quorſum horum, illorúmve commendationes?

§. 7. Sennertus lib. 1. cap. 2. paulò felicior eſt, partim quia iungit iungenda, partim quia ordinis aliquam rationem dat. Viciſſim infelix eſt, quia poſthabito fine, primo loco ponit, quæ ad finem. Infelicior, quòd cum Fuchſio tantum non abiicit poſteriores tres partes, non ob aliam cauſam, quàm quòd minùs principales ſunt. Infeliciſſimus, cùm lib. 5. cap. 3. Diætam & Diæteticam tranſcribit commentitiæ facultati *vitali*, nec iam ampliùs, vt in ſuperioribus, in cenſu materiæ auxiliorum habet. Quid dicam? Pharmaceuticam ſect. ſeq. cum duce ſuo inuenuſto adſcribit ſoli Therapeuticæ: Chirurgiam in prima edit. nullo loco habet. Interim hoc dilaudo, quòd non patitur Medicinam diſcerpi in *theoriam* & *praxin*. Omnia enim ſunt

practica: quia omnia respiciunt finem. Friuola verò excusatio est, Theorica dici illa, quæ ab operatione, vt loquitur, remotiora sunt. Dico enim iterum, sunt practica: quia non quærimus propter se, propter scientiam (inquam) sed propter aliud. Nec hilũ valet tintinnabulum Ramæum, quod alij heic pulsant, *Nihil quæri propter se.*

§. 8. Liddelius lib. 1. cap. 3. penè totus meus est, nisi quòd tres postremò mihi dictas partes tam altè extollit, vt pro peculiaribus Medicinæ practicæ partibus habeat. *Primùm*, insolentia insignis est, cogitare heic de vlla theoria, cùm omnia ad vsum referantur. *Deinde*, maior insolentia est, τὴν διαιτητικὴν quidem adscribere τῇ θεραπευτικῇ. Quin, vt dixi, omnes tres ex æquo seruiunt vtrique. Cæterùm, hoc rectè factum est, quod *Neutrum statum* Herophili abscondit sub *latitudine sanitatis* Gal.

§. 9. Iacchæus lib. 1. cap. 1. immane quàm errat, 1. cùm Gal. tribuit, constituisse duas solas Medicinæ partes, à fine sumptas. Imò expressè primas & maximas vocauit, quæ appellationes relationem ad alias includunt. 2. cùm Gal. adimit, & *Aliis* tribuit tres consequentes partes, φυσιολογίαν, &c. 3. cùm has quidem speculatiuæ tribuit: tres autem postremas practicæ. Vt enim iam toties dixi, inanis est distinctio artis nostræ, cùm tota sit practica, aut, si argutaris, Poëtica. Repeto & illud, *Vtrique parti seruiunt ex æquo.*

§. 10. Heurnius lib. 1. cap. 2. dum breuis esse laborat, obscurus fit, & intricatus. 1. enim, cur non præponit finem, & à fine deductas partes? 2. cur tres subsequentes, φυσιολογίαν, &c. à materia petit? cùm, si propriè loqui voluisset, à subiecto, in quod sanitas introducitur, petendæ fuerint? 3. cur τὴν προφυλακτικὴν ab ὑγιεινῇ tam latè separat? 4. cur eandem subdiuidit in γηροκομικὴν καὶ ἀναληπτικὴν? Pertinet enim hoc totum ad ὑγιεινὴν, vt dixi. 5. cur τὴν φαρμακευτικὴν καὶ διαιτητικὴν nonnisi obscurè indicat, τῆς χειρουργίας ne facta quidem mentione? Profectò λεπτολογήματα hæc plurimùm deradunt de æstimatione hominis.

§. 11. Horstius θ. 30. rectè orditur telam à fine,

& pergit ad ea, quæ ad finem: non rectè, cùm partes à fine sumptas non collocat priore loco. Neque enim turbare illum debebat doctrinæ ordo hodie obseruatus. Rectè quoque cùm tres posteriores subordinat vtrique illi, quæ à fine. Reuerà sunt ministræ.

§. 12. Riolanus cap. 1. mirus est, vt lenissimè dicam. Vt enim iustificet (patere me ita loqui) definitionem Herophilæam, primò quidem τὴν ὑγιεινὴν facit *scientiam salubrium: insalubrium* autem, partim τὴν παθολογίαν, ratione theorias, partim τὴν θεραπευτικὴν ratione praxeos. Quid enim est miscere cœlum terræ, si hoc non est? Certè hoc modo ἡ ὑγιεινὴ fit φυσιολογία! Et hoc conceptis verbis dicit inferiùs, cùm totam illam versari dicit in explicatione signorum salubrium! Sed parco operæ vlteriori.



CAPVT V.

De constitutione Medicinæ.



GO verò hanc inscriptionem molior, non quòd putem aliud quid de hoc negotio proponi posse, quàm propositum est: sed vt ostendam iis, qui libellum mutilum nescio cuius autoris, inter Galenicos hactenus delitescentem, περὶ συστάσεως ἰατρικῆς, nobis obuertunt, quàm parùm prudentes sint! Voluit quidem ille, quisquis fuit, simiam Gal. agere: sed quàm infeliciter personam suam gesserit, iudicet vel ipsemet, facta cum his nostris comparatione. Varia enim sunt illa, obscura, contorta, &, quod iam innui, mutila: at nostra hæc simplicia sunt, lucida, plana, ad rei naturam conformata. Quæ alia argumenta contra scriptorem illum afferri possint, videri possunt in Isagog. nostris cap. 16. Ex hoc dependet alterum valdè heic quàm necessarium. Cognita doctrina hac pragmatica, non est opus, vel libb. Gal. de Sectis τοῖς εἰσαγομένοις, de Opt. secta ad Thrasybul. vel de Hypotyposi Empirica, vel odiosa illa repetitione dogmatum, iam ipsa ætate exoletorum. Quare sapienter Sennertus noster, & quicunque ex Institutionistis non meminêre maleferiatarum istarum nugarum: insipienter Fuchsius & Liddelius, qui onerant discentes his talibus. Sed nec mentionem fieri velim vel Paracelsicæ, vel Hermeticæ Medicinæ,

cùm

cùm & principia ſint falſa, & ſuperſtructa omnia erronea. De Methodis Liddelij ita cenſeo, *Nimis ambagioſas eſſe.* Satis eſt hoc, *Vtimur methodo Analytica in toto quidem ſyntagmate: in Phyſiologicis autem ſolis Synthetica, per accidens, quia conſuetudo ita iubet.*





INSTITVTIONVM MEDICARVM LIBER II.

In quo Physiologica.

CAPVT PRIMVM.

Ratio ordinis.

§. I. Ox est Hipp. lib. de locis seu part. hom. φύσις τοῦ σώματος ἀρχὴ τοῦ ἐν ἰητρικῇ λόγου, *A natura corporis (humani) initium capere oportet doctrina in Medicina.* Hæc doctrina dicitur φυσιολογία, παρὰ τὸ διδόναι λόγον περὶ τῆς φύσεως, *quòd rationem reddat eorum, quæ in natura (hum.) sunt.*

§. 2. Est autem, vel de *toto corpore*, vel de *partibus corporis*. Quod ad *totum*, vel est de principiis ipsius, quæ sunt *Elementa*: vel de ortis ex illis, quæ sunt *Temperamenta*, tam *totius*, quàm singularum *partium*.

§. 3. Quod ad *partes*, locum heic habet vetustissima Hipp. 6. Epid. 8. t. 7. diuisio, εἰς μέρεα ἴσχοντα, ἰσχόμενα καὶ ἐνορμῶντα, *in partes Continentes, Contentas* & *Impetum facientes*, quas Gal. lib. de Palp. & trem. 5. vsitatioribus vocabulis explicat de *Partibus solidis, Humoribus & Spiritibus.*

§. 4. Harum *temperamenta* vbi sedulò explorauit Medicus, conuertit se ad eorundem explicationem specialem, & tres peculiares tractatus de illis conficit. Imò, cùm *partes* (nam ferè simpliciter ita loquitur) vel *Similares* sint, vel *Dissimilares*, de illis quidem seorsim agit sub hoc ipso nomine: de his autem sub proprio, Anatomias, vt nuper innui.

§. 5. Omnes

§. 5. Omnes hæ partes quia destinatæ sunt certis *Officiis*, seu *Actionibus*, seu *Vsibus*, quæ ipsa fluunt à certis *Facultatibus*, hæc duo superaddita quinque dictis, complent numerum septenarium *Rerum naturalium*, vt comprehensum est in superioribus.

ABERRATIONES.

Quot modis in hoc ordine delirent DD. nostri, non facilè dixerim: sed & nihil proficiam narrando. Dicetur autem in singulis materiis, quod res tulerit.



SECTIO I.

De Elementis.

CAPVT II.

§. 1. QVOD στοιχεῖον, *Elementum*, hodie dicitur, veteribus appellabatur, vel φύσις, *Natura*, simpliciter apud Physicos: vel φύσις ἀνθρωπίνη, *Natura humana*, cum hac additione apud Medicos. Nominabatur etiam οὐσία, *Essentia*, seu *Substantia*, eâdem adhibita distinctione. Aristot. libros suos de *Elementis* inscribit dupliciter, primùm quidem περὶ οὐρανοῦ, *de Cœlo*: deinde autem περὶ φθορᾶς καὶ γενέσεως, *de generatione & corruptione*, siue de *Ortu & Interitu*.

§. 2. Heîc statim tenendum est illud, *Physicos* quidem, duce Aristot. habere tantùm *Elementa simpliciter dicta*, quæ cum additione *Communia* vocant Medici: Medicos autem, Hipp. authoritate 2. Elem. 1. duo alia sub hoc nomine habere. Modò enim ita vocant *Partes similares* ab Arist. dictas, quod, quemadmodum *Elementa simpliciter dicta* in rei veritate (non ad sensum) sunt partes minimæ earum rerum, quarum sunt elementa, 1. Elem. 1. ita *Elementa cum additione* vocata *sensibilia*, ad sensum (non reuerà) sint partes minimæ compositi. Modò ita appellant *Humores*, sed cum additione aliâ, *Elementa propria sanguineorum*. De vtrisque his quia agitur infrà sub propriis rubricis, vt ita loquar, relinquuntur nobis heic *Elementa* tantùm *simpliciter dicta*.

§. 3. De his ne qua suboriatur difficultas, tenendum est primò id, quod Galen. monet 1. Elem. 8. Hippocratis consuetudinem esse vocandi

illa

illa nonnunquam nominibus ſubſtantiuis, *Ignem*, *aërem*, *aquam*, *terram:* aliquando adiectiuis, & ita qualitatum ſuarum appellationibus, *Calidum, frigidum, humidum, ſiccum.* Huius conſectarium eſt, *Calidum*, & ſic de cæteris, aliter accipi in hac doctrina, quæ de *Elementis* eſt: aliter in doctrina ſeq. de *Temperamentis. Heic* accipitur pro corpore ſimplici, quod in ſummo gradu calidum eſt, & ſic de cæteris: *Ibi* accipietur pro corpore compoſito, quod in inferiori gradu tale eſt, & dicitur non ſimpliciter *Calidum*, &c. ſed κατ' ἐπικράτειαν, *per prædominium.* Ignis v.g. eſt corpus ſummè calidum, ídque ſimplex: piper eſt corpus calidum quidem, ſed κατ' ἐπικράτειαν, *per exſuperantiam.* In miſtione enim, ſeu, cùm piper fiebat ex Elementis mutuò ſibi inuicem vnitis & refractis, elementa calida, præcipuè ignis, ſuperiora fuerunt.

§. 4. Deinde, ex §. 2. ducatur fortè adoleſcens in biuium Herculis. Quem enim ſequatur? Hippocratem, an Ariſtotelem, pluſquam mille paraſangis à ſe inuicem euntes? Galen. quidem tribus in locis laudat nobis Hipp. Com. in 1. de Nat. hum. Libris duobus de Elementis ſecundùm Hipp. 8. de ſent. Hipp. & Plat. ego verò cum omnibus bonis, ſapientibúſque Ariſtotelem illi commendo, cum hoc tamen additamento, *Fuſam illam & demonſtrationibus munitam Ariſt. doctrinam Medico futuro inutilem fore:* quare ſatis eſſe illi, ſi pro hypotheſi tantùm habeat, *Quatuor eſſe, non plura pauciorave elementa.*

§. 5. Sed quid pro Hipp. & Galeno? De hoc quidem ſolicitus valde non ſum, cui Ariſtoteles vtplurimùm ſordet præ Hippocrate: pro hoc autem duo affero. 1. Non eſt labor ille Hipp. ceu probaſſe me confido in frontiſpicio Phyſiolog. meorum. 2. Si omninò hic eſt liber ille, in quo Hipp. probauit numerum quaternarium Elementorum, ceu Galen. perſuadere nobis vult: illa tantùm ſunt proba. At quæ de quatuor humoribus, ceu quatuor elementis propriis ſanguineorum, ibi iactantur, indigniſſima ſunt tali viro, & tenebris damnanda.

§. 6. Hæc ſi amplecti voluerimus, non tantùm paucis nos expediemus ab his Elementis: ſed & vitabimus ſcopulos quoſdam. Expeditio conſiſtit in quatuor problematis, à D. Ioh. Nic. Stupano, Doctore & Promotore meo propoſitis. I. eſt, ſitne doctrina *de Elementis* Medico futuro vtilis? Eſt, ſed eo, quo dixi modo, & quidem ideò, vt firmior ſit doctrina de *Temperamento*, quod Temperamentum eſt *Anima medica.* II. *Quid ſit Elementum?* Contentus ego ſum definitione §. 2. tradita, ex 1. Elem. 1. III. *Quot ſint?* Quatuor. Hoc demonſtrare Philoſophi eſt: at Medicus iam demonſtratum accipit. IIII. *Quomodo admiſti generationem concurrant?* Docuit hoc fusè magnus Cæſalp. 4. Quæſt. Perip. 3. vnde petat, qui vult. Qui verò φαινομένοις, *ſenſualib.* id confirmarit: is demùm vicerit. Scopulus eſt periculoſiſſimus, in quo pſeudo-Hippocr. ille naufragium facit, t. 18. & ſeq. dum, quod probare debebat de *Elementis ſimpliciter dictis*, probat de *Elementis animalium propriis*, quatuor humoribus vulgò dictis. Primùm enim labitur in eo, quod humorum illorum

illorum æqualem in omnibus hominibus agnoſcit neceſſitatem. Id verò quei admitti poteſt, cùm ſanguinis generatio ſit primarius Naturæ ſcopus,& per ſe: reliquorum nonniſi ſecundarius,& per accidens? Deinde, quòd in omnibus æquè eſſe vult, cùm contrariis ſint qualitatibus prædititi. Agnoſcit quidem varietatem pro varietate temporum anni: Sed hoc nondum ſatis eſt. Hoc exemplo moniti, cauere diſcamus ſcopulos Paracelſiſtarum, qui ſe Hermeticos dicunt. Perſuaſus enim ſum nullum inter nos,& illos ſperari poſſe conſenſum,quantumuis meditentur illum amici.

ABERRATIONES.

§. VII. Fuchſius lib.1.cap.2.nimis fuſus eſt, quatuor cap. ſarciens de re aliena. Liddelius lib.2. cap.1. etiam fuſior eſt, licèt vno cap. omnia complectatur. Satis etiam latè patet Heurnij diſcurſus lib.1.cap.3. & 4. Latiſſimè Riolani qui ſect.2. nouem cap.dat nobis. Iacchæi breuitas placebit, ſi patiatur ab his ipſis recidi quædam. Placebit & Horſtij, ſi pauca ſinat induci. At Sennerti negligentiam (non meminit enim) probare nullo modo poſſum. Mihi coronidis loco addere libet, Vecordiam noſtrorum hominum de quatuor humoribus alimentariis, & quatuor aliis excrementitiis, pendere ex fune iſto malè texto. Hinc nata eſt alia, Nutrire, non ſolum ſanguinem, ſed tres alios etiam humores, quos excrementa eſſe verbis negant, re ipſa comprobant. Vtramque caſtigaui tract. de Humoribus, c.5.& ſeq. è quibus pauca ſuo loco afferam.



SECTIO II.

De Temperamentis.

CAPVT III.

§. 1. APVD Græcos duo ſunt vocabula, quæ, cum ingenti diſciplinæ damno ſæpè confunduntur, μῖξις καὶ κρᾶσις. Hæc ideò

distinguenda sunt, quia in corpore misto duplex est vnitas, *altera* corporum ipsorum simplicium, quæ μῖξις est, *Mistio*, apud accuratè loquentes: *altera* qualitatum, quibus corpora ista simplicia prædicta sunt, & κρᾶσις dici debet, *Temperamentum, temperies, temperatio.* Confusionis harum vocum inprimis rei sunt Intt. Gal. Huius consectarium est.

§. 2. Cùm qualitates magis incurrant in oculos, aliósque sensus; Medicus autem sit artifex sensatus: agere illum de κράσει potius quàm de μίξει. Contrà, cùm μῖξις ad intellectum pertineat: agere de illa Physicum potius, quàm Medicum. Nimirum, κράσεως consectarium est *Qualitas*, quæ dicitur à Philosophis *Agens quo: μίξεως Corpus*, quod *Agens quod.*

§. 3. *Corpus*, siue calidum sit id, siue frigidum, siue humidum, siue siccum, aut *per se* est tale καθ᾽ αὐτὸ, aut *per accidens* κατὰ συμβεβηκός. *Hoc* ab instituto nostro alienum est, & semper remoueri debet, antequam de qualitate corporis iudicium feratur: prius *illud* est, quod quærimus.

§. 4. *Quod per se* est, aut ἐνεργείᾳ, *Actu* est tale, aut δυνάμει, *Potentia*, seu *potestate*. *Hoc* pertinet ad τὴν φαρμακευτικὴν, & dicatus ei est lib. 3. de Temp. *illud* in duobus libris anterioribus pertractatur, & nostri instituti est.

§. 5. *Hoc* ipsum, aut *simpliciter* est tale, & pertinet ad *Elementa*, ceu dixi: aut cum additione, κατ᾽ ἐπικράτειαν ἢ ἐπικράτησιν, ἐκ πλεονεξίας τοῦ ἐναντίου, *per exsuperantiam, ex victoria contrarij*, & est doctrinæ de Temperamentis proprium. Et hæ quidem sunt distinctiones *verbales*, sed tantò grauiores, quò aspernabiliores vulgo nostro; *reales* autem sunt quæ sequuntur.

§. 6. *Corpus* consideratum *Per se*, *Actu*, *Per exsuperantiam*, vel σύμμετρον est, quod & εὔκρατον dicitur, & ἴσον, *moderatum, temperatum, æquale*, vt ἀσύμμετρον, ἢ δύσκρατον, ἢ ἄνισον, *immoderatum, distemperatum, inæquale*. *Illius* generis *vnum* tantum est, id scil. cum quo collata *reliqua omnia* immoderata, intemperata, inæqualia sunt. *Hoc ipsum* quia medium est, omnísque excessus expers; medium autem, vel *Arithmeticum* est (quod *iustitiæ commutatiuæ* ex aduerso respondet) in quo partes omnes eiusdem sunt quantitatis seu molis; vel *Geometricum* (quod *iustitiæ distributiuæ*) in quo tantum est vniuscuiusque elementi, quantum natura ipsius vult: ex *illo* quidem exsistit *Temperamentum*, quod *æquale* dicitur σταθμῷ ἢ πρὸς σταθμόν, *pondere*, seu *ad pondus*, *mensura*, seu *ad mensuram*; ex *hoc* autem, quod δικαιοσύνῃ, ἢ πρὸς δικαιοσύνην, *iustitia*, seu ad *iustitiam*. Atque heic meritò exclamo cum nescio quo, *Ligate digitos, adolescentes mei*! Est enim hoc loco offendiculum ingens, quod ita vitabitis. *Prior* illa æqualitas, quæ ad pondus dicitur, reuerà in natura rerum non est; affertur autem doctrinæ gratia tantùm, vt rectè intelligi possit *altera*. Nimirùm, in natura nihil reperias, quod æquas elementorum portiones

habeat:

habeat: omnia autem ita sunt facta & perfecta, vt tantùm possideant huius, illiúsve elementi, quantum habere fas est, & perfectas in suo genere, in sua specie actiones edere possit. Hoc exemplis declaretur. In plantarum genere planta illa est, & dicitur σύμμετρος, quæ fructus edit præstantissimos. Iam enim consideramus hominem, vt Deum quendam terrestrem. In plantarum speciebus, *Vitis* v. g. σύμμετρος est, quæ vuas generosissimas, è quibus vinum fit optimum: pyrus, quæ pyra fert sapidissima & saluberrima: pomum, cerasus, prunus, mespilus, omnes tales eodem modo. Sic in animalium genere, illud animal est σύμμετρον, quod præstantissimam edit actionem animalem. Actio hæc quia dubio procul est ratiocinari; ratio autem in solo homine est: vtique homo animalium erit perfectissimus. In hominum specie homo ille erit σύμμετρος, qui optimè ratiocinabitur: in canum, qui optimè venabitur, optimè domum custodierit, optimè inseruiuerit hero suo in eo officio, cui illum destinauerit. Ita catus domesticus, qui diligentissimè obseruauerit mures: vacca, quæ vitulos tulerit benè habitos, lac præbuerit butyrosum, & sic de cæteris omnibus. Hoc σύμμετρον corpus est κανὼν ille Polycleti, de quo non vno loco Gal. loquitur, quò relata eiusdem speciei corpora ἀσύμμετρα sunt. Et hic respectus solus vtilis est in Medicina. At, qui alij dici solent, inutiles sunt. v. g. Homo est temperatus, respectu totius generis, siue omnium animalium: adolescens, respectu senis: Socrates, respectu Platonis, τοῦ ἐπιτυχόντος, inquit Gal.

§. 7. Cùm calor hominis, omniúmque non sexu tantùm distinctorum, sed & plantarum, sit duplex, σύμφυτος καὶ ἔμφυτος, *connatus* & *innatus*: vter intelligitur hîc? ἔμφυτος, *Innatus*, seu *Insitus*, tu subintellige, *Cordis*, aut *analogo cordis*, è quo in totum corpus diditur. Hic enim facit nos, & animalia pleraque calere ad tactum: hoc extincto, frigemus. Interim & in nobis, & in aliis est calor alius, qualis in pipere arido, in Rhabarbaro, in aliis. Hoc vel propterea difficile fit intellectu, quia alij aliter loquuntur. *Calor* σύμφυτος est *materialis* ille, quem corpus habet ab elementis calidis. Hunc alij vocant *Temperamentum proprium*, & dicunt conuenire mistis, quà mista sunt. Mortuo enim animali, plantáve, tam diu durat, quamdiu mistum ipsum. *Calor* ἔμφυτος est *formalis* ille, quem dixi, è corde esse, & originem habet à substantia seminis masculi, per corpus cordis sparsa, quod alibi deduxi. Hunc vocant *Temperamentum commune*, & aiunt competere viuentibus, seu animatis, qua viuentia seu animata sunt. Et huius exstinctio mors est, vt dixi. Cùm enim è corde non ampliùs influit calor ille solaris, vt sic appellem, nihil fit. Vocatur *Commune*, quia in omnes partes influit pariter, prohibitóque, cessantéve influxu illo, corpus refrigescit. Reuerà autem actio nulla fit, nisi concurrente calore vtroque, temperamento vtroque. Vide Physiolog. nostra cap. 3 14.

§. 8. *Temperamentum proprium* iterum quasi duplex est, vt alibi me locutum esse memini. Hoc quia in re medicamentaria apertius est, petam inde rei explicationem. Quædam medicamenta agunt solis qualitatibus manifestis, caliditate, frigiditate, humiditate, siccitate: quædam non solis his, sed & secundis, tertiisque, siue, vt Valles. loqui solet, *Modo substantiæ*, qui nihil aliud est, quàm *Tota substantia*, siue *Proprietas substantiæ. Gal. Piper* v. g. & *Arsenicum* vtraque sunt calida & sicca in quarto gradu: sed hac differentia. *Piper* habet *Modum substantiæ* talem, qui à calore nostro vinci potest: ideò condimentum est ciborum. *Arsenicum* contra talem habet, qui vinci non potest: ideò venenum est, & quidem corrosiuum. Et hic *Modus substantiæ* constituit *Proprietates occultas* hominum quorundam nouorum, de quibus legeris aliquam multa in Pathologicis nostris cap.42.& seq. Hic modus habet locum in corpore quoque nostro. Hepar. v. g. est calidum, sed cum crassa substantia: ideò sanguinem facit taurinum, & hominem moribus taurinis. Idem est calidum cum tenui substantia: ideò sanguinem procreat ceruinum & hominem timidum. Nam ne ignores, Arist.2. part. 4. petit differentias morum ex sanguine. Ita habitus corporum quorundam est calidus: sed cum densitate, vt in rusticis, & aliis, sub cæli iniuriis educatis. Quorundam cum subtilitate, raritate, mollitie, qualis fœminarum: ideò facilè læduntur à frigore, pluuiis, &c. Hæc ego commendo iis, qui occultas qualitates Gal. incognitas esse clamitant, atque ideò è cælo arcessunt.

ABERRATIONES.

§. 9. Si scire voluisset Fuchsius (discere autem ex Gal. poterat, quanti momenti res sit homonymias distinguere, non subitò, quasi illotis manibus irrupsisset, *Quid est temperamentum? quot sunt eius differentiæ?* Atqui, inquis, postea se explicat, cap. 3. Hoc est laternam post tergum gerere. Sed & infelix est in schemate, quod struit. I. De absolutè calido dicere debebat, non pertinere huc, sed ad doctrinam de Elementis. II. Mirabar, quomodo inducere velit, quoddam *per exsuperantiam* (quippe cum additione iam dictum) posse simul *absolutè* esse tale! Video quid sit: *Temperamentum ad pondus latet hîc*, quod nec in rerum natura est, nec si esset, huc facit aliter quàm doctrinæ gratia, vt dicam mox pluribus. III. Bene quidem habet *τὸ σύμμετρον ad iustitiam* (hoc enim intelligere oportet) *generis*

&

& speciei: Sed τὸ ἐπιτυχὸν facessere hinc debet. Sed transeant hæc. IV. *Temperamenti definitionem* nunquam constituet, nisi distinxerit μίξιν ἀ κράσει. Dicetur autem de definitione posteriùs. Auicennam defendit Sennertus f. 15. edit. secundæ, & dicetur pariter ea de re in seq. V. *Temperamenti differentias* nunquam rectè venabitur, nisi ambiguitatem τοῦ συμμέτρου agnouerit. Qua in re cùm Tiresias alter sit, adeòque præficiat τῷ συμμέτρῳ *ad iustitiam* σύμμετρον *ad pondus*, Idem facit Sebitz noster. Exer. Med. 7. §. 4.

Humano capiti ceruicem pingit equinam.

Omninò, toto genere differunt hæc duo, nec σύμμετρον alium locum hîc habet, præter eum, quem assignaui illi.

§. 10. Sennertus in eodem cum Fuchsio discrimine est, quòd non distinguit homonymias antequam definitionem quærat. Præcipua autem causa est in differentia μίξεως καὶ κράσεως, quam vidit, & non vidit. Quod probarem, si opus esset. Contrà, strenuè se gerit idem, cum contra Fuchsium διαῤῥήδην ait, *Temperamentum ad pondus non dari in homine*. Vellem liberior fuisset, & dixisset, *Non esse in rerum naturâ, nisi fictione*. Nam quod ait, *Nihil fortè absurdi dari in mistis animatis*, timidi est. Quinimò ita se explicat, vt facilè videas, nesciuisse, quod sit hoc temperamentum. Nimirum τῇ κράσει tribuit, quod τῆς μίξεως est. Vt intelligant rudiores, *Elementa iudicat, non vt Vett.* πρὸς τοὺς ὄγκους, *mole*, *sed* πρὸς τὰς δυνάμεις, *viribus*, qua in re etiam alij labuntur, vti videbimus. Sed non sit: Si datur reuerà, quid opus est imaginatione? Iterum, si in homine non datur, quid opus est imaginatione? Si (quod rei caput est) cum *temperamento ad iustitiam* conferri non potest? Vt enim dicetur Socrates temperatus *ad iustitiam*, est canon ille Polycleti, iuxta quem positi homines alij sunt *intemperati ad iustitiam*, hoc est, multis modis absunt ab illa Socratis perfectione. Hoc quia nescit, non potest etiam exire difficultate illa, si Socrates, vt homo, est *calidus & humidus*, quomodo non *intemperatus* est? Est, siquidem conferas *ad pondus*; non est, *Si ad iustitiam*. Deficit Sennertus etiam *in duplici calore*, seu *duplici temperamento*, partim, quia non explicat originē vtriusque caloris: partim, quia ex duplici mox Vtrumque copulat Tādl. §. 10.

facit triplicem, iterumque duplicem. Et his fol. 19. & 20. explicatis, quorsum adduntur illa. f. 25. a? Vt paucis me expediam, *Calor ἔμφυτος quatenus opponitur τῷ συμφύτῳ, non est duplex. Insitus enim singulis partibus, quem etiam Spiritum insitum vocant, nullus est.* Interim σύμφυτον non nego partibus. Plura dicerem, nisi parcerem amico mortuo. Hæc Veritas voluit.

§. 11. Liddelius mirabile chaos habet! Rectè quidem distinguit μῖξιν καὶ κρᾶσιν: sed nimis subitò conuertit se ad quæstionem illam, *Quomodo concurrant in temperamento primæ qualitates?* Debebat enim distinctioni illi subiecisse, non illam tantùm, quæ est f.48. de actu & potentia: sed alteram quoque, quæ est in *per se*, & *accidens*. Fortassis locum harum occupauit inanis illa fol. 43. inter temperamentum *similarium* & *dissimilarium*? Agimus de *temperamento humano*: & hoc satis est. Et quei capiam illud, f. 46. Temperamentum σύμμετρον ἢ εὔκρατον capi multis modis, cùm simpliciter dicere potuerit duobus capi? Et hoc, cur demum post expositionem duplicis συμμέτρου, fol. 44. In ipsa ἐκθέσει quàm claudicat? Sequitur quidem communem errorem, cùm temperamentum *ad pondus* præficit temperamento *ad iustitiam*, ignarus res diuersissimas esse? sed in temperamenti *ad pondus* explicatione confundit μῖξιν καὶ κρᾶσιν. Hoc ab initio fol. 44. obscurè fecisse illi satis non fuit: facit expresse ibi, *vbi qualitates viribus impares sunt, &c.* Et quid rei est, postquam hac oratione admisit temperatum *ad pondus*, cur f.45. demum quærit, *An detur?* Reprehendendus verò etiam meritò est in eo, quod primùm quidem acceptat fictiones Gal. artificiales, 1. Temp. 9. mox autem negat, *posse Naturæ accommodari.* Rursus, ex lib. San. tu. 5. negat, dari reuerà temperatum *ad pondus*, & fictione opus esse. Omnia ista frustranea sunt, cùm non indigeamus temperato illo, nisi quatenus contradistinguitur à temperato *ad iustitiam.* Reprehendendus est multò magis in eo, quòd fol. 47. propositis quatuor considerationibus τοῦ συμμέτρου, non dicit postea quæ, aut quot illarũ vel vtiles sint, vel inutiles? Nullatenus

verò

verò tolerandus est, cùm duplicem calorem, σύμφυτον καὶ ἔμφυτον, vt ego voco, f.43. contra distinguit à *temperamento proprio & communi.* Sed & quædam declinat, quæ non possunt declinari, v.g. commune illud vbi habet sedem suam? In corde? quomodo ex corde in reliquas partes influit? quam cognationem cum spiritibus habet? Ita, proprium cum Gal. deduxisse satis habet ex *semine & sanguine*, *cùm ex sanguine materno* solo, seu ex elementis calidis petere debuisset. Idem dicendum est de communi, esse ex solo semine masculo. Et quis omnia commemoret?

§. 12. Iacchæus paulò minùs quàm in omnibus labascit. Ideò parco operæ.

§. 13. Heurnius lib. 2. c. 2. & 3. partim nouitatibus quibusdam studet, quibus parum amicus sum: partim temperamento ad *iustitiam* fulcrum parat parum firmum. Hoc verò etiam monstrum est, ex temperamento *ad iustitiam* consistere temperamentum *ad pondus*.

§. 14. Horstius, disp. 2. θ. 16. nimis quidem strictus est in explicatione vtriusque temperamenti: in eo verò etiam mancus, quòd non dicit, *Vtrum heic habeat locum?* Fallitur θ. 16. cùm temperamentum tribuit similaribus tantùm. Omninò dissimilaribus quoque suum est temperamentum, & quidem propriè dictum. περίεργος est θ. 19. immiscendo temperamenta inanimatorum. θ. 21. opponit temperamentum *adscititium natiuo*, minus scitè. Licèt enim, ita loquantur Hippocr. & Galen. opus tamen est commodo sensu, cum non sint ἀντιδιῃρημένα. Quin fatetur ipsus, non esse diuersa temperamenta, sed natiuum mutari aliquo modo.

§. 14. Riolanus iustò fusior est. Notabo quædam tantùm. Argumentum cap. 2. contra temperamentum *ad pondus* verè militat. Si enim in vno corpore æqualis esset ignis & terræ portio, ignis terram absumeret, nec vlla fieret mistio. Huic rei dum mederi vult, facit se reum confusionis κράσεως καὶ μίξεως. Rationes pro temperamento *ad pondus* sunt inanes. Coniunctio eiusdem cum temperamento *ad iustitiam*, impossibilis. Et

Et quid opus est aliis? Fatetur temperamentum *ad pondus* doctrinæ gratia tantùm dari. Cùm cap.4.homonymias explicat, equos iungit post currum.



CAPVT IV.

Quid sit Temperamentum?

§. I. ON ego nunc hoc ago, vt definitionem (de qua Gal. nunquam cogitauit) extundam: sed vt solum *genus Logicum* eruam. Fuit hoc Galeno cognitum, & tam certum, vt Fernelio licuerit muto esse. Nam, dicit ille quidem in libb. de Temp. aliquoties *Qualitatem:* Cæterùm, eadem per bonam consequentiam tam facilis est captu, vt nihil sit facilius. Vt enim iam non ampliùs vrgeam libb.dictos: quid in Patholog. sunt *morbi similares?* *Intemperies.* Hic si status præter naturam est partium similarium, vtique status earundem secundum naturam erit *Temperies*, seu *Temperamentum.* Interim difficultas in eo est, quod Galen. Temperamentum non raró vocet substantiam. Sed responsio in promptu est, Loquitur *Medicè*, vt alibi me explicui. Huius rei argumentum est infallibile, quod numquam simpliciter loquitur, vtvt pars aduersaria proponit: sed semper dicit, *Temperamentum est substantia facultatum.* Et est idem ac si diceret, *Temperamentum est anima*, tu verò subintellige, *Medica.* Hoc confirmat altera ipsius locutio, qua Temperamentum vocat *Formam substantialem.* Et quid opus est aliis? Inscripsit Galen. librum, *Quod animi mores sequantur corporis temperamentum,* in quo vnicè probare intendit illud, *Temperamentum esse animam,* puta, *Medicam,* vt iam dixi. Quid verò? inquis, cap.§.d.l.c. quærit à Platone, *Siquidem ratio in homine est immortalis, cur in intemperiebus cerebri separatur à corpore?* Respondeo pro Platone, Quia est forma ἔνυλος, *immersa in materiam*, quæ quamdiu vita durat, tamdiu vtitur corpore pro instrumento. Quo vitiato durare non potest. Quamobrem *Temperamentum* κατεχρηστικῶς à Medico dicitur *Anima*, non quòd reuerà sit: sed quòd seruato *Temperamento* seruetur *Anima.* Hæc enim, quia inalterabilis, Medici manum fugit. Et hoc est, quod sæpè dicebat Scherbius, ὁ πάνυ, *In mistis, quà mista sunt, non est alia forma quàm Temperamentum.* Mistum autem quia Medicus non transcendit, sed seruata mistione seruat animam: quod scelus est, si temperamentum vocet *Animam?* vocet, inquam, *habitu Medico*, non *Philosophico.* vide Com. nostra in vs.p.9.& iterum in 7.n.466.Scherbium in 9.de Temp.

Consentit Heurnius 2. Instit. 1. Cui subuenio, Forma est, quod respondetur ei, qui quærit, Quid sit?

§. 2. Hîc,

§. 2. Hîc, in fauorem Gal. faciam geminam excursionem. I. Si ita est, Si, inquam, omnes morbi similares consistunt in intemperie partis, quei fit, quòd morbi quidam fiant ne læsa quidem parte? Sumamus ἀμαύρωσιν in oculo. Hæc est totalis amissio visus, sine tamen vlla apparente extrinsecùs noxa. Insignis deceptio! quin pruritus vexandi Galenum! Quæ enim necessitas est, ἀμαύρωσιν esse Intemperiem? Imò verò compererunt Practici, esse obstructionem (quæ est morbus Organicus) nerui Optici, vel in cerebro, quà coniungitur dexter cum sinistro, vel in ipsa oculi orbita. Ita in Pausania Sophista, 1.Loc.aff.6. I.3.Loc.aff.10.G. perierat trium digitorum manus sensus, illæso motu, sed nihil passa manu, ex casu in dorsum, cui etiam Gal. medicamenta applicabat, non manui. Hîc iterum dico, Casus ille ex curru non fecerat vllam intemperiem: sed compresserat initium neruorum manus. Sed & accesserit inflammatio circa collum aut humerum: est alius morbus, quàm tibi imaginaris. Hîc aliquis, Manet tamen hoc, Ibi visio est læsa, illæso oculo: Hîc actio manus, illæsa manu ipsa. Dico, Galenum opus habere παραμυθία. Vtplurimùm fit hoc, quod læso instrumento proximo, lædatur actio: aliquando fit, quòd illæso instrumento proprio, lædatur commune, atque ita demùm lædatur actio. Quo loco cautiores esse volo illos, qui læso neruo optico, illæsum esse dicunt oculum. Est enim opticus pars oculi. II. Obiiciunt quidam Galen. quòd *Facultatem* appellet *Temperamentum* modò *proprium:* modò *commune*. V. g. cùm ait lædi actionem, non influente facultate desuper, veluti, cùm, sano oculo, spiritus visorius ex cerebro non subministratur: cùm, sana manu, spiritus sensificus, motoriúsve è spina non influit. Et alibi, Lædi actionem, læso instrumento proprio. Παραμυθία est eadem. Illud non nisi rarissimè fit: hoc ferè semper. Addo & tertiam, Ridiculos fieri quosdam, cùm aiunt, Si temperamentum sanum est substantia, morbus etiam erit substantia.

§. 3. Sed redeo in viam. *Qualitatem* Galeni, definitione explicuisse creditur Auicenna 1.1.doct.3.c.1. de qua (definitione) lites sunt inter nostros. Fuchsius, & alij dicunt, Voluisse illum, in mistione, siue dum fit mistio, perire quatuor primas qualitates, earúmque loco exsistere quintam quandam. Sed defendunt illum alij, & inter hos Sennertus noster, qui ait, hoc illum velle, Cùm qualitates elementorum recipiant magis & minus, in pugna quidem illa refringi omnes: sed tamen superare vnam, duásve, à quibus totum habeat nomen, vt cui adscribitur actio, quam præstat. Oppositam Fuchsio sententiam Fernelius fouet, 3.Physiol.1. Qualitates dicens elementorum in mistione manere integras. Hoc delirium cùm sit vetus, à Fernelio ex Orco reuocatum, rectè opponit idem Sennertus Galeni illud 1. Elem. 3.Fore, vt nulla detur mistio. Ratio est, excluditur alteratio Aristot. quam in mistione requirit ille. Hinc intelligitur, Quæ sit *Qualitas* illa? Vnáne an plures? Vulgò dicunt, Est vna: sed composita. Quod non capio.

Est vna, siquidem vna tantùm superet, v. g. caliditas: *sunt duæ*, si caliditati iungatur vel siccitas, vel humiditas, & sic de cæteris combinationibus: sunt omnes simul, cùm actio prodit à *tota substantia* Galen. Huius qualitatis tanta est in corpore varietas, quanta est in plantis, omníque materia medica. In plantis est talis & tanta, qualis & quanta requiritur ad maturandum semen. v.g. Piperis planta eovsque est calida, quovsque semen est. Et hoc Natura spectat: quòd autem calefacit hominem, per accidens est. In animalibus quælibet pars eovsque ascendit, vel descendit, quovsque fas est, vt præesse possit rebus suis. Et hoc tam in similaribus, quàm in dissimilaribus, & quidem vtrobique in ea latitudine, in qua sanitas consistit.

§. 4. Sed quid ingens Fernelius? Conuitio enim dignus sim, si non producam. Ego verò produco cum hoc elogio, *Vt in plerisque omnibus nihil se egisse ratus est, si nihil nouasset: ita hîc quoque.* Temperamentum, inquit, est ratio mistionis, proportio, harmonia, comparatio primarum qualitatum ex omnium elementorum permistione. Hic. I. miror, quenquam posse hanc struem pro bona definitione habere! Si dicent fauitores, Nonnisi vnum genus esse, explicatum diuersis nominibus: scire volam, quæ Logica hoc permittat? II. Cupio audire, quomodo λόγος μίξεως possit esse idem cum ἁρμονίᾳ? Illud enim est vocabulum proprium: hoc cum reliquis improprium. III. Quis concessit illi, Metaphoricis & impropriis vti? IV. Conueniunt impropria hæc τῇ μίξει potiùs, quam τῇ κράσει. V. Si omninò κρᾶσις non est sine μίξει, non propterea est μῖξις. VI. Confundit has duas voces cum maximo doctrinæ damno. VII. Quidam ex consecraneis dicit, Quemadmodum in Musica est concentus vocum: ita hîc concentus est elementorum. Dico ego, non rectè instituitur comparatio. Opponi enim debebant sibi qualitates potiùs elementorum, quàm elementa ipsa. VIII. Cùm κρᾶσις, μῖξις, & omnia ferè verbalia significent duo, *Et itionem ad terminum, & terminum ipsum*: vtrum definit homo Gallus? Si illud, malè definit. Definit enim id, quod nondum est, 2. Phys. 1. t. 12. Si hoc, est nuda & merè Mathematica imaginatio. At tam Physicus, quàm Medicus considerant res suas *cum materia*. IX. Cùm Medici omnem temperamenti actionem tribuant vt causæ, habétne harmonia hæc rationem causæ? Imò, est relatio tantùm, quæ nihil agit. X. Habet etiam hoc absurdi, si temperamentum est concentus mistionis; mistio autem est alteratorum vnio: temperamentum erit vnio vnionis. XI. Habet hoc quoque, si omninò harmonia habet locum in temperatis, quomodo habebit in intemperatis? Summa, quocumque te vertas, offendicula sunt. Liceat autem mihi rem friuolam obsignare ioco Scherbij, Fernelius *hatt ihm imaginiert, daß die* quatuor qualitates *da aufm baencklein sitzen, vnd zusammen stimmen.* Vide, sis, Montanum 2. Morbor. 3. & 4. Scio ista non pertinere ad τοὺς εἰσαγομένους: ego verò hoc ago vt nauseam illis creem ad mentionem hominis, immeritissimò tanti.

ABERRA-

ABERRATIONES.

§. 5 Fuchsius lib.1.cap.3. statim alligat se crassæ ignorantiæ, cùm *temperamentum* definit per *Misturam*, κρᾶσιν per μῖξιν, nescius distinctionis suprà traditæ. Hanc ignorantiam operit alia crassiore, cùm in tenebris captat definitionem Fernelianam. De Auicenna iam dixi.

§. 6. Cùm Sennerto alioqui rectè mihi conuenit, nisi quòd non vult admittere excusationem pro Gal. allatam, *Non licet*, inquit, *absurdas opiniones inducere, & cum principiis Philosophiæ pugnantes*. Posset Galeno hæc dica impingi, si loqueretur ex habitu Philosophico: at Sennerto potest regeri hoc, quòd nesciat, quid rei sit πρόσωπον ἐπιστήμης.

§. 7. Liddelius fol.42. reus est vtriusque ignorantiæ, cuius Fuchsius est. Accedit duplex alia. 1. quòd imperitè conglutinat calorem σύμφυτον καὶ ἔμφυτον. 2. quòd distinguit eosdem à duplici *temperamento*.

§. 8. Iacchæus pariter in duobus malè sibi consulit, partim, quòd *Temperamentum* definit per *vnionem*, partim quòd subitò acceptat *harmoniam*. Alioqui non imperitè disputat contra *integras* Fernelij *qualitates*.

§. 9. Si quod obiter indicaui, Heurnius rectè dixit, *Temperamentum* esse *formam misti*: quî Horstius ϑ. 15. collocare potest temperamentum post formam misti? Interim agnoscit 15. *Qualitatem* nostram.

§. 10. Riolanus sect.2. cap.1. laudat quidem ab initio sententiam Auerrhois, qui *Temperamentum* definierit *formam misti*. & rectè negat (habitu Physico) *animam* esse *temperamentum*: sed posteà ad amasium Fernelium conuersus, *harmoniam* illam Platonis esse affirmat. Idem c.2. temperamentum *ad pondus*, ferè cum Heurnio definit, aliter vid. quàm veteres volebant: verùm labitur & ille, cùm κρᾶσιν à μῖξει non distinguit.



CAPVT V.

Quot sint temperamenta?

§. 1. GA L. sententia hæc est, Quandoquidem ex Elementis simpliciter dictis generantur *Corpora calida, frigida, humida, sicca, per exsuperantiam* dicta talia: operæ pretium fuerit videre, Quot modis Elementa illa ad constitutionem corporum horum concurrant? Tribus, *Vel* æqualiter facta mistione: *vel* inæqualiter. Hoc iterum, *vel* in vna qualitate tantùm, *vel* in duabus. *Primus* modus accidit, cùm Elementa ita miscentur, vt *Corpus* inde factum, nec calidum dicere possis, nec frigidum, nec humidum, nec siccum; sed *Temperatum, Moderatum, Medium, Aequale*, aut quomodocumque appellare velis. *Secundus* modus est, cùm corpus inde factum alterutrius quidem contrarij ratione manet *Aequale*: (hoc enim verbo solo posteà quoque vtar.) Sed alterius dicitur vel *calidum*, vel *frigidum*, vel *humidum*, vel *siccum*. *Tertius*, cùm corpus inde exstructum in vtroque contrariorum ordine ab *Aequali* tantoperè recedit, vt iam vel *Calidum & siccum*, vel *Calidum, & humidum*, vel *Frigidum, & siccum*, vel *Frigidum & humidum* appelletur.

§. 2. Ex hac triplici Elementorum coniunctione fit duplex *Temperamentorum* diuisio, quarum *prima* est, Temperamentum aliud est *æquale*. aliud *inæquale*. *Altera*, Temperamentum *inæquale*, vel *simplex*, vel *compositum* est. *Æquale* est primum illud & vnum, quod prisci quidem omittebant: sed reuerà præstat reliqua omnia, adeóque est Canon ille Polycleti, 1. Temp. 9. H. & alibi, cuius respectu cætera sunt & dicuntur *inæqualia*. Est autem *Aequale*, non *pondere* aut *mensura*, vt ex superioribus patet: sed *iustitiâ*, per quam vnumquodque est, quod est, *perfectum in suo genere*. *Inæqualia* sunt reliqua octo, quatuor quidem in *alterutrà* tantùm qualitate declinantia: quatuor autem in *vtraque*. Ex hac oratione facilis est factu syllabus nouem temperamentorum.

§. 3. Hîc duo consideranda sunt Medico futuro, *Temperamentorum* ipsa per se *multitudo*, & singulorum *latitudo*. *Multitudo* persuadere nobis debet, sanitatem non consistere in puncto aliquo, multò minùs omnes habere temperamentum illud laudabile, quod *Aequale* dictum fuit: sed alios homines meliùs, alios peiùs valere. *Latitudo*, quæ in singulis temperamentis est, eodem nos ducit. Qui enim v. g. calidi sunt, differunt iterum inter se ratione maioris & minoris, aut potiùs intensiore, aut remissiore calore. Ideò dici potest, hunc calidum esse in primo gradu, hunc in secundo, hunc in tertio, hunc in quarto. Ita de reliquis. Atque vt ad φαινόμενα veniamus, ad quæ Gal. nos ablegat. 1. San. tu. 5. Annon,


non (vult dicere) insignis est differentia ratione ætatum & sexuum? Annon, & quidem multò magis, ratione actionum? Hinc quidam semper sunt in motu, semper agunt aliquid, nec facilè defatigantur, pugnant, litigant. Contrà alij frigent in omnibus. In horum medio quot millia sunt.

§. 4. Hîc quæstio est, An *Neuter status* Herophili sit idem cum hac latitudine sanitatis? Dixi ego suprà, nec muto quidquam. At qui seorsim ponunt *Latitudinem* Gal. seorsim *Neutrum statum* Herophili, sub quo collocant eos, qui vel προφυλάξει indigent, vel ἀναλήψει: ij præter rationem solliciti sunt, artémque onerant sophismatis. Manet id, quod suprà dixi, τὸ ὀρθοστάδην est limes inter duas summas Medicinæ partes.

ABERRATIONES.

§. 5. Fuchsius hîc breuis est concisúsque: vix melior est Sennertus. Præstat tamen eo, quòd nihil illi rei est cum temperamento *ad pondus*. Cum Fuchsio in eadem naui est & Liddelius & Horstius. Hic etiam inconsultus est in tribus, In eo, quod ϑ. 18. similaribus tantùm tribuit temperamentum: quod ϑ. 19. intrudit imperfectè mista: quòd ϑ. 21. opponit temperamento natiuo adscititium, quasi ἀντιδιῃρημένα forent. Heurnius placeret, nisi (quòd suprà dixi) summæ rei præficeret temperamentum *ad pondus*. Riolanus non satis firmus est in vestigio, cùm negat quidem dari temperamentum *ad pondus*: sed doctrinæ gratiâ poni à Medicis. Non ponitur, nisi quatenus contra distinguitur à temperamento *ad iustitiam*. Idem facinus audet Dauo Terentiano dignum, cùm temperamentum *ad pondus* æstimat, non mole elementorum, sed paritate qualitatum. Idipsum temperamentum prodit, cùm non plùs momento durare ait. Quid enim momentum illud prosit Medico? Et regula Physica, *Ab extremo ad extremum non esse iter, nisi per medium*, quàm leuis est! in arte, inquam!

CAPVT



CAPVT VI.

Quod sit temperamentum illud æquale.

§. 1. VIA principium est; principia autem molę parua sunt, virtute insignia: operæ pretium fecero, ni fallor, si latiusculè explicaro. Hæc necessitas tantò fortior est, quò animosior fui hactenus in reprobando temperamento *ad pondus*, quòd nostri non minùs fortiter defendunt, quàm gryphes aurum suum defendere fabula ait. Ita autem est, vt Philosophus ait, δεῖ προτιμᾶν τὴν ἀλήθειαν. Ergo quod attinet confragosam disputationem illam, *An detur temperamentum æquale?* respondeo clara & distincta voce, *Ad iustitiam datur: ad pondus non datur.* Interim in doctrina de Temperamentis locum habet hoc quoque: sed non ob aliam causam, quàm eam quam dixi, *Vt temperamentum ad iustitiam rectè agnoscatur.*

§. 2. Hoc vt fiat, distinguendum est h. m. Quia temperamentum hoc tam in toto est, quàm in partibus, ab vtro initium facere oportet? Videtur à *toto*, propter nobilem locum 2. Temp. 1. extr. vbi Gal. docet, *Hunc temperatum esse, qui corpore quidem medius sit inter extrema gracilitatis & crassitudinis, duritiei & mollitiei, caloris & frigoris: animo autem pariter medius inter audacem & timidum, cunctatorem & præcipitem, misericordem & inuidum. Idem* (addit) *alacer erit, amicorum amans, humanus & prudens.* Et mox. *Ex his quidem primò & maximè* (πρώτως καὶ μάλιστα) *agnoscitur temperatus: agnoscitur verò etiam ex quibusdam, quæ ex necessitate sequuntur hæc. Talia sunt, edere & bibere intra modum, alimentáque non in ventriculo tantùm, sed & in visceribus sanguineis* (ita enim intelligo) *totóque corporis habitu bellè concoqui, omnésque (vt semel dicam) tam naturales, quàm animales actiones inculpatas* (ἀμέμπτους) *esse, sensus quoque externos cum motibus artuum rectè se habere, colore semper viuido esse.* (si modò rectè vertit Interp. τὸ εὐχρουν) *& cui in insensibili transpiratione nihil desit. Idem* (addit ex superabundanti) *medius erit inter somnolentum & vigilem, inter glabrum & hirtum, inter nigrum & album, cuius pili in pueritia rufi potiùs sint quàm nigri, in constanti ætate nigri potiùs quàm rufi.*

§. 3. Hic gallinæ filius albæ cum fremitu, *Tu vis illudere diis, hominibúsque!* Annon τὸ εὐκρατώτατος ter est in hac oratione? Audésne vbique per *Positiuum* exponere? Est etiam τὸ ἄριστα, de quo statuésne idem?

§. 4. Cui ego sedato vultu, *Tu illudis tibi ipsi!* Annon vides τὸ μέσος quoque? An ignoras hoc ipsum temperamentum dici, μέσον, ἴσον, εὔκρατον, σύμμετρον? Quod autem in medio est, quomodo simul in superiori loco est?

est? Quod intra mediocritatis terminos, quomodo vltra illos extendi potest? Quod benè temperatum est, quomodo simul optimè? Si hoc satis non est, accipe hoc quoque τὸ ἄριστα est etiam 1. Temp. 9. I. Quin homo, qui inter animalia temperatus creditur esse, vocatur ibi φρονιμώτατος, καὶ σοφώτατος, *prudentiss. & sapientiss.* Sed satis turbarum: Hîc τῷ ἄριστα quidem oppono τὸ ἄμεμπτον, superlatiuum positiuo: duabus autem vocibus istis τὸ συνετὸς, quod hîc est, & quæro, *Quid velis eligere*? Non credam, te aliud velle aut posse, quàm quod ego dico, Quòd ἄριστα διακεῖσθαι, *in summo perfectionis gradu est*, coniungi fas est cum τῷ ἄμεμπτον, *inculpabile.* Qui *prudentissimus & sapientissimus* est, dici item debet, *sapiens, callidus, non planè fatuus*, Vno verbo, vt Gal. sibiipsi consentiat, superlatiui sunt restringendi ad τὸ εὖ simpliciter, ad id, quod benè se habet, in quo ipso est τὸ μέσον, τὸ εὔκρατον, τὸ σύμμετρον, τὸ ἄμεμπτον. Huius consectarium est, τὸ φρόνιμον hîc neque distingui ἀπὸ τοῦ σοφοῦ, ἢ συνετὸν: neque capi de habitu illo, quem φρόνησιν vocat Arist. in Ethic. Et quis credat, Galenum cùm de naturali hominis requisito loquitur, intelligi velle de habitu, seu virtute illa Politica, quæ nonnisi longo rerum vsu acquiritur? Immò, vt paucis me expediam, loquitur de homine, quà homo est, quà λόγον, *rationem* habet, *quæ est ipse homo*, 4. Vs. p. 14 K. *quæ est instrumentum instrumentorũ*, 1. Vs. p. 4. Quare hoc vult denique, *Temperatus est ille, qui inter omnes homines* (sine tamen institutione, rerúmque vsu) *quàm maximè rationalis est.* Taliter temperatus sit Socrates: hic Socrates est canon ille, quem quærimus, secundùm quem intemperati sunt reliqui omnes, non autem secundùm vllum temperamentum *ad pondus*, ex Vtopia fortè arcessendum.

§. 5. Et hæc quidem de toto: partium eadem est ratio. Cerebrum v. g. temperatum est illud, quod sensus tam internos, quàm externos habet tales, quales genus humanum habere fas est. Tale habeat Plato. Hoc Platonis cerebrum est canon ille; ad quem tanquam ad regulam Architectonicam ponuntur cerebra, vt ita dicam, intemperata: non autem ad vllum temperamentum *ad pondus*. Eadem ratio est partium reliquarum omnium.

ABERRATIONES.

§. 6. Fallitur Fuchsius, cùm temperamentum suum *Aequale*, simpliciter ita dici putat. Nam hoc ipsum verbum, *Aequale*, tollit simplicitatem: Fallitur etiam, cùm temperamentum *ad pondus* dici putat, vt dudum dixi, & ad vniuersam substantiam refert. Est enim in inferiore specie, humana, inquam.

§. 7. Sennertus fol. 453. nimis aberrat à ianua, cùm ait, *Temperatum in omnibus actionibus expeditiss. esse & feliciss.* Item, *Actiones ipsius perfectiss. esse & optimas.* Cùm sufficit ἀμέμπτας esse, vt Galenum se explicare audiuimus, & quidem quamlibet illarum in suo genere. Et quid occupamur in omnibus, cùm idem Galen. 1. Temp. 9. G. vnicam tantùm temperato tribuat? Hoc habito, commodè respondebimus ad nugas illorum qui temperatum nostrum, fortius quàm vlli intemperati resistere aiunt morbis. Imò similis est medicamentis temperatis, quæ, vt notum est, nihil magni faciunt. Profectò, mera hæc est imaginatio, ex ignoratione rerum naturæ nata! Ita autem habet: Temperatus minoribus excessib. meliùs resistit, quàm vllus intemperatus, maioribus non item. Hoc tu ita accipe. Temperatus calidis morbis mediocribus non facilè tentatur. quia calidus ipse non est. Eadem ratio frigiditatis. At verò si incidat, vel intensus calor, vel intensum frigus, faciliùs vincitur temperatus quàm vel calidus, vel frigidus. Ergo iam non rectè statuitur, *Corpora temperata omnibus causis*, &c. Est autem hoc Valles. 1. contr. 11.

§. 8. Liddelius grauissimè errat, tam quia temperatum hunc *ad pondus* refert: quàm quia perfectissimas ab eo exspectat actiones. Iacchæus etiam grauiùs, cùm temperamentum *ad pondus* præficit temperamento *ad iustitiam*, &c.

§. 9. Heurnius gignit nobis monstrum; de quo dixi, ex temperamento *ad pondus* consistere temperamentum *ad pondus*. Horstius ait, Temperamentum *ad pondus* dici ita ἁπλῶς, *ad iustitiam* κατά τι. Qua nouitate quid ineptius!

§. 10. Riolanus in eadem Scholâ eruditus, docet, Temperamentum *ad pondus* fingi à Medicis, vt intelligatur optimum in genere temperamentorum. Hei mihi, quid est sapere! Mihi liceat superaddere hoc reliquis, Stupanum, Præceptorem meum, disp. 2. ϑ. 59. ablegare etiam temperamentum *ad pondus*. An ad idē redit disp. 2. ϑ. 5. & 22. &c. Nam & cutim volæ manus acceptat ϑ. 9. An labascit idem, cum ϑ. 14. agnoscit temperati actiones præstantiss. quas tamen ϑ. 17. nonnisi mediocres esse vult!

CAPVT



CAPVT VII.

De Temperamentis inæqualibus.


E his in vniuersum hoc moneo tantùm, pertinere ad τ̀ σημειωτικὴν, & quidem primam eius partem, quæ signorum salubrium est, vt ego distinguo. Pertinent illò quoque, quæ de æquali dicta sunt: ego verò hanc Cynosuram quasi in antecessum dare volui.

ABERRATIONES.

Cùm Fuchsius totam hanc Semiotices partem sicco pede præteriisset, secuti sunt illum gregarij, Liddelius, Heurnius, Horstius, Riolanus. In horum censu fuerat quoque Sennertus in prima editione: sed correxit errorem in posterioribus. Si quibus fortè molesta fuerit mora, ij vel d. Sennerto se satiare possunt, vel Com. Vall. & Thom. à Veiga in Artem.



CAPVT VIII.

Temperamentorum varietates ratione ætatum & sexuum.

§. 1. 
ECTE Gal. lib. de Maras. 1. extr. nonnisi probabilem ait esse hanc propositionem, si rationem consulas, *Quidquid genitum est, corruptibile* est: at si experientiam, necessariam & scientificam esse, docet exemplo sophistæ cuiusdam Ægyptij, qui immortalitatẽ hominibus promittebat. Quinimò talis etiam est, si rationẽ adeas. Hanc eleganter exponit idem Gal. 1. San. tu. 2. *Omne generatum*, vult dicere, *duos habet hostes, internum & externum.* Quod ad *internum, Principia ortus nostri* sunt quidem calida & humida: veruntamen non æquali dignitate. *Caliditas* enim perpetuò durare debebat: *humiditas*, in progressu ætatis à siccitate vinci, siquidem animal ingredi, & rebus suis præesse debebat. Ergo cùm elementa

ſicca procedere quidem deberent ad ἀκμὴν vſque, de qua dicetur. Procedant autem, agentia quippe naturalia, ſemper: quiuis neceſſitatem mortis videt. Hoc verò fit, non, vt plerique ſibi perſuadent, quòd *Calor* agat in ſubiectum ſuum, *Humorem*: ſed quod calor σύμφυτος, *materialis* ſuprà vocatus, agat in ἔμφυτον, qui *formalis* eſt. Vin' cauſam ſcire, cur calor ſeipſum conſulere non poſſit? *Eſt vnum* τόδε τι, in quo calor quidem rationem *formæ* habet, humor autem *materiæ*. Vnum autem, quà vnum, non agit in ſe, quod alibi latè deduxi. Quod ad *externum*, Cùm animal ſine alimento (ſanguine) durare non poſſit; in confectione autem illius variè peccetur in vſu ſex rerum nonnaturalium: fieri non poteſt, quin aliquando finis ſit.

§. 2. Quando igitur Vita eſt Via ad mortem, quibus id fit gradibus? In iſta Ducum noſtrorum diſcrepantia, videor mihi commodiſſimè tres conſtituere poſſe, in quibus inſignis calidi natiui mutatio ſit.

§. 3. *Primum* gradum voco *Adoleſcentiam*, propriè accepto vocabulo pro toto illo tempore, quo adoleſcimus. Hoc facio Hipp. autoritate, qui 1. Aph. 14. αὐξανομένους vocat. Initium igitur huius gradus fuerit à primo natiuitatis die vſque ad ἀκμὴν dictam, *vigorem* ſeu *ſtatum*, cum ad ſummum corpus peruenit incrementum, quod de plerorumque ſententia fit circa annum 35. Huius iterum partes quatuor facio, *Infantiam*, *Pueritiam*, *Adoleſcentiam* vulgò dictam, & *Virilitatem*. Infantes Hippocr. 3. Aphor. 24. dicuntur παιδία σμικρὰ καὶ νεογνὰ (ita enim reſcribo, inuitis omnibus) *pueruli parui & recens editi*. Hos vſque ad annum 7. ita voco. *Pueri* vocabuntur mihi νεανίσκοι, quod pro diminutiuo habent ἀπὸ τοῦ νέος, *iuuenis*. Hos deduco ad *alterum* vſque *ſeptennium*, & ſunt οἱ πρωθῆβαι Homeri. Hoc enim tempore cùm incipiat ἥβη, *pubertas*, cuius ſignum lanugo circa labia & pudenda adeóque τὸ τραγᾶν, *hircire*, apud Hippoc. *Hirquitallire*, vnde *Hirquitalli*: hìc quidem cum Donato finem pueritiæ, initium autem adoleſcentiæ ſtatuo. Hos ad *tertium ſeptennium* extendo. Hoc tempore iam ἔφηβοι, vt & Latinis *ephebi* dicuntur, quos facio eoſdem cum τοῖς νεανίαις, aut Ionicè νεηνίαις (non νεανίσκοις) ſubintelligo ἀνδράσι (eſt enim Adiect.) cùm virile robur adepti ſunt. Iam hìc incipit ἡ ἀνδρία, *virilitas*, quæ durat per *duo ſeptennia*, ſeu ad annum 35. in quem τὴν ἀκμὴν iam conieci. Quo tempore toto dicuntur ἀκμάζοντες, *ætate florentes*. Tum verò vt ſubitò eſt ἡ παρακμὴ, *decreſcentia*, ſeu *deſcenſus quidam*: ita vocantur ipſi παρακμάζοντες. Cæterùm, quia ſenſilis non admodum eſt decreſcentia, coniungit Galen. Aph. cit. bis τοὺς ἀκμάζοντας, καὶ παρακμάζοντας. Hos eoſdem, ob eandem cauſam, Aphor. præced. dici καθεστηκότας, *conſiſtentes*, manifeſtè probant Galen. verba, quæ ſunt; καθεστηκότας λέγει τοὺς τὴν μέσην ἔχοντας ἡλικίαν ἀκμῆς τε καὶ γήρως, ὡς παύεσθαι μὲν ἤδη τῆς ἀκμῆς· μηδέπω δὲ μηδεμίαν αἴσθησιν σαφῆ γήρως ἔχειν, *Q. d. infirma & ſtabili ætate collocat Hipp. illos qui ſuperarunt quidem* τὴν ἀκμὴν: *nondum autem ſentiunt ſenectutis*

incommoda.

incommoda. Quibus ex verbis planissimè constat, μεσήλικας posse vocari hos, licèt vox ipsa non adsit.

§. 4. Iam,ergo hic est *secundus* meus *gradus* τῶν παρακμαζόντων ἢ καθεστηκότων. De his duo sunt dubia. *Alterum* quousque se extendant horum anni? Per alteros tantos. Tu puta, Quemadmodùm ad ἀκμὴν *quatuor* requiruntur *septennia*: ita ἡ παρακμὴ constat aliis *quatuor septenniis*. Hoc tempus apud vulgus,quod per denarios procedit,paulò breuius est. Annum enim 60.facit limen senectutis non incommodè. *Alterum*, cuius temperamenti sint? Fuchsius ex 3. Aphor. 30. sed maximè ex 1. de Diæta t.30. apud Marinel. frigidos, & siccos facit. Verba senis sunt, ἀνὴρ ὅταν στῇ τὸ σῶμα, ξηρὸς καὶ ψυχρός, *Vir vbi constiterit corpus ipsius, frigidus & siccus est*. Quo loco vt τὸ στῆ manifestè ducit nos ad τὸ καθεστηκός: ita opus habet Hipp. παραμυθία Fuchsij, sed minùs quàm senes. Quòd enim sequitur, senes esse frigidos & humidos, refutatur à Gal.2. Temp.1.C.

§. 5. *Tertius gradus* τῶν γερόντων, *senum* est. Horum qui crudi, & vegeti sunt, ὠμογέροντες peculiariter vocantur, & sunt illi, qui grauissimos in victu errores benè tolerant, qui anno 70. 80. fœcundi sunt, quibus venam, vrgente necessitate, impunè secueris, licèt contrarium ψήφισμα fecerit Practicorum nostrorum turba. Qui his opponuntur, οἱ ἐσχατόγηροι sunt, & πέμπελοι, *senes capulares*, *Silicernia*, 1. Aphor.13.B.5.Sanitu.12.H. In horum medio videntur esse οἱ μεσοπόλιοι. (μεσαιπόλιοι, Poëticum est) 1.Progn.vlt. qui ipsi sunt, οἱ πολιοκρόταφοι Poëtarum. A temporibus enim ferè canescere incipimus, nescio qua de causa.

§. 6. Hæc si ita habent, cupit scire animus humanus, quæ sint mutationes illæ Calidi natiui, vnde ætatum differentiæ? De his imprimis disertè loquitur autor lib.2.Nat.hum.12. ἄνθρωπος, τῇ πρώτῃ τῶν ἡμερέων θερμότατός ἐστιν αὐτὸς ἑωυτοῦ· τῇ δ᾽ ὑστάτῃ ψυχρότατος. *Homo primo natiuitatis die seipso calidiss.est: postremò frigidiss.*Disertiùs Hipp.ipse 1. de Diæt.iam cit.ὑγρότατα,καὶ θερμότατα ὁκόσα ἔγγιστα τῆς γενέσιος. *Quò vnumquodque generationi vicinius est,eò humidius & calidius est*. Tu verò intellige hîc non intemperiem compositam: sed temperiem illam iustam, quæ homini debetur. Iuxta hanc debebat homo primis annis esse robustiss. & prudentiss. quatenus homini datum est: sed obstat vtrique humiditas materiæ, robori quidem illa, quæ in ossibus & musculis est, prudentiæ autem illa, quæ in cerebro. Hac sensim absumpta, idque beneficio calidorum elementorum, ex necessitate absumitur etiam aliquid, & quidem ab iisdem elementis, humoris illius, quem *Calor natiuus* pro subiecto habet, & fit ille ex miti & vaporoso acris & fumosus, qui iam ξηρός, *siccus* dicitur Hipp. in illo de Diæt. Hinc petitur differentia illa caloris in pueris & adolescentibus. In pueris, vt fusè explicat Gal. in illo 1.Aph.14. benignus est & vaporosus,qualis aquæ calidæ dulcis: in adolescentibus acris, & fuliginosus, qualis in igne. Et hic posterior quia cum tempore accedit,ἐπίκτητος,*acquisititius* vocatur.Oportet autem

hîc benè cautos esse nos, ne, cùm dicat Gal. διττὰς εἶναι οὐσίας, *duas esse substantias caloris*, ita accipiamus, quasi in eodem indiuiduo, eodem tempore, sint duæ illæ substantiæ. Sunt duæ, sed in distinctis ætatibus, in puero quidem natiuus: in adolescente autem acquisititius. Ideò non est calor ἄλλος, sed ἀλλοῖος. Idem error erratur etiam in febribus, qua de re ibi. Anne igitur ἀκυρολογία est apud Gal.

§. 7. Vt finem faciam, *pueri* sunt calidi & humidi in supremo illo gradu, quem quidem natura hîc admittit. *Adolescentes*, calidi quidem illi magis, sed humidi minùs. *Viri* in vtroque ampliùs. *Consistentes* calorem præ se ferunt vegetum, qui tamen declinat, quamuis sine sensibili actionum læsione. *Senes*, manifestè debilem, si excipias τοὺς ὠμογέροντας, qui rari sunt, & regulam non infringunt.

§. 8. De *fœminis* tamen hoc oportet addere, in primis propter Arist. qui piaculi loco habetur, quòd dixerit 1.Gen.20.& alibi, Fœminas esse πήρωμα, quia sunt frigidiores. Ab his, me iam absoluo illo solo, criminis huius reus est Gal. quoque 14.Vs.p.6.

ABERRATIONES.

§. 9. Fuchs. errat, cùm tempora anni hîc inculcat. Pertinent enim ad *Aërem*, de quo inter *sex res non naturales*. Rectè quidem ille, cùm ætatum differentias venatur ex perspicua immutatione corporis: sed deficit in eo, quod immutationis illius causam non quærit in *Calido natiuo*. Idem curiosiùs, cum Hippocr. 3.Aphor.24. & sequent. *pueritiam* dispescit in 4. partes. Dixi *Curiosiùs*, vt exprimam illud ἐπιμελέστερον Galen. quod explicat, *Senem in nimis exiguas partes secuisse hanc ætatem.* Ni fallor eidem culpæ affinis est Galen. ipse, in dispescenda *pubertate*, & *adolescentia*, eodem 3.Aphor.27. & 5.Aph.7. & 9. Rectè enim idem Fuchsius, Hippocr.& Gal. aliis locis coniungere *adolescentes* & *puberes*, quòd eiusdem sint temperamenti, 1.Aphor.18.3.Nat.hum.7.

§. 10. Sennertus placeret, si non in dissolutione quæstionis, *pueri, an adolescentes calidiores sint*? aliorsum ire vellet, quamuis reuerà non eat. Interim castigandus est error, quem admittit, dum ait, per *Calidum natiuum* intelligi aliquando nudam qualitatem. Neque enim quòd gradus caloris in *adolescentibus* est superior, ideò *Calidum natiuum* sola qualitas est.


§. 11. Non

§. 11. Non displicet Liddelius, nisi quod f.52. *Senij* & *mortis* causam refert in *Calorem natiuum*, qui seipsum comedat. Hoc enim refutare Gal. non ita pridem dixi.

§. 12. Rectè monet Heurnius extr.lib.2. In comparatione ætatum videndum esse, cum qua ætate instituatur? Cum *puerili*, inquit. Hæc enim omnium validiss. est. Minus rectè idem, cùm limites annorum à veteribus positos, temerè mouet. Minimè omnium, cùm *constantem ætatem* (intellige enim τὴν ἡλικίαν καθεστηκυῖαν) *temperatam* esse vult. Et quis vnquam ante illum dixit, *secundam ætatem*, seu *iuuentutem* euagari vsque ad 40. annum? Cæterum, & hîc & alibi detestor affectatam illam obscuritatem! Delirium verò illud recens de *humoribus congenitis* & *postgenitis*, nec aspectu dignor.

§. 13. Horstius ϑ.21.& breuis & obscurus est. *Breuis:* quia non facit mentionem ætatum, præcipuè, quî differat hæc ab illa? *Obscurus:* quia non satis explicat *adscititium temperamentum*, & vnde sit?

§. 14. Riolan.c.7.deliciatur in oppositione quatuor ætatum cum 4.anni temporibus, & 4.humorib. Hæc Rhetoricatio adigit illum ad geminum absurdum; *Alterum*, quod τ̀ καθεστηκυῖαν nouè vertit *Decrescentem*. *Alterum*, quod senectutem cogitur facere *frigidam* & *humidam*. Vt enim dixi, Gal. ipse refutat.



SECTIO III.

De Partibus solidis.

CAPVT IX.

§. 1. DE *Elementis* simpliciter dictis, indéque ortis *Temperamentis* quia actum est: consequens est vt agamus nunc de tribus partibus, quæ *Temperamentum* apud Hippocr.integrant, vt in vestibulo h.l. dictum fuit. Inter has iure merito locum primum occupant τὰ μέρεα ἴσχοντα, *partes continentes*, seu *solidæ*, quia Hippocrat. ita collocat. Sed & alia causa subest. Cùm sint duûm generum, Similares & Dissimilares; Similares autem vocentur à Medicis *Elementa*

cum additione *sensibilia*: vtique Elementis simpliciter ita dictis viciniores esse debent. Inter has ipsas duas partes quia *Similares* sunt simplices, *Dissimilares* compositæ: omnis ratio colligit, *Similares* debere explicari ante *Dissimilares*. Post has de *Humoribus* & *Spiritibus* agitur.

§. 2. Quo loco opus est duplici admonitione, *altera* Arist. & Gal. *altera* propter Recc. Quòd ad *illam*, Rectè quidem Gal. ait Arist. appellasse partes similares, ὁμοιομερεῖς: sed non rectè, cùm *Solidas* tantùm ita vocasse putat? Manifestè enim ille 3. Hist. 2. & alibi, Humores annumerat. Sed quid fit de *spiritibus*? Ausi enim sunt quidam asserere, non habuisse illos pro parte. At quî potuit, cùm in Hip. schola eruditus esset? Tu verò, ô sapientule, dîc mihi, quid est τὸ καλεύμενον θερμόν, quod mox πνεῦμα vocat 2. Gen. 3. Vide tract. de Cal. & spir. c. 1. Quæ causa est, cur audacter dicam, Aristotelem amplexum fuisse diuisionem partium Hip.

§. 3. Quòd ad *alteram*, rideo aliquando arrogantiam nostrorum, qui nouas sine causa distinctiones moliuntur, & odiosè iactant! *Partes*, dicunt, *aliæ* sunt *propriè* & *specificè* tales: *aliæ impropriè* & *genericè*? Quid audio? Sed satis esto. Si Philosophi essent (vt nomen hoc libenter sibi præscribunt) scirent, τὸ *Pars* esse *vocabulum ab vno*, & principaliter dici de eo corpore, cuius actio est peculiaris: minus principaliter de eo, cuius vsus tantùm est. Hac consideratione Gal. 1. Meth. 6. B. definiens id, quod præstantissimum est in hoc genere, μόριον ait esse τὸ τῆς τελείας ἐνεργείας ἀπεργαστικόν, *Partem esse, qua actionem perfectam operatur.* Sed cur addidit τὸ τελείας? quia, quæ vsum habent, conferunt aliquid ad actionis perfectionem, & hac ratione agunt: sed ipsa actionem illam non edunt. Et hoc verum est, non tantùm de iis Dissimilaribus, quæ ipsæ actionem præstant, v. g. oculus, auris: sed & de illis, quarum plures ad vnius actionis completionem concurrunt, & dicuntur agere κατ' ἐνδελέχειαν, *Secundùm posse*, v. g. ventriculus ad sanguinis confectionem hoc confert, hepar hoc, lien hoc, & sic de cæteris. Idem tamen Gal. cap. præced. 5. I. definierat in vniuersum partem omnem, μόριον ἐστὶν, ὅ, τι ἂν ᾖ τοῦ παντὸς σώματος συμπληρωτικόν, *partem esse omne id, quod facit ad corporis integritatem.* Huius generis definitio videri possit & illa, 1. Vs. p. 1. quamuis exempla afferat dissimilarium. Re enim vera & iis, quæ vsum præbent conuenit, quod dicit, *Neque vndiquaque propriam circumscriptionem habere: neque vndiquaque cum aliis cohærere.* Et hac ratione pili, vngues, & siquas alias expungunt illi, partes omninò sunt.

§. 4. Hac occasione cùm fortè reuocauerim quibusdam in memoriam definitionem Fernelianam, oportet de illâ quoque pauca dicere. Inquit ille 2. Elem. 2. *Pars est corpus, toti cohærens communique vitâ coniunctum, ad functionem, vsúmue comparatum.* Hæc quamuis iure contemni poterat, quòd non nisi verborum sono differat à generali illâ 1. Meth. 5. dicam tamen nonnihil, propter patronos magni nominis. Repeto autem I. quod iam dixi: Est eadem cum Gal. illâ. Admittit enim illas quoque,

quoque, quæ *vsum* præbent II. Examino particulatim, quæ illi speciatim obiiciunt de *Spiritibus*, & *Humoribus*, de *pilis* & *vnguibus*. Nam *Medullam ossium Adipemque* ne ipse quidem huc colloco. *Spiritus* quare non sunt partes? *Quia non sunt corpora.* Atqui Hipp. Arist. Gal. omnes sani habent pro corporibus. *Quia vagi per corpus feruntur*? Do instantiam, venti feruntur vagi, & tamen sunt corpora. Experti enim sumus his diebus, quam vim habeant! *Humores* cur non sunt partes? *Quia non cohærent cum corpore!* Iudicium cocci. Certè sunt in vasis, & nimia illorum profusio vitam adimit: quin faciunt ad mores, ceu dixi. *Quia errabundi feruntur per corpus*? Interim partes sunt, non minùs quam *Spiritus*. Et in doctrina de Temp. habentur pro partibus ab omnibus, quia temperamentum illorum docent. *Non viuunt! non nutriuntur.* Non debent: quia vitæ, nutritioníve seruiunt tanquam materia, siquidem de sanguine sit sermo. Nam de excrementis non puto illos cogitare. *Pili* cur non sunt partes? *Quia non nutriuntur nutritione vera!* Imò verò nutriuntur sanguine, non secùs ac aliæ partes. *Non habent id, quod aliæ partes.* Recisi enim crescunt! Quia hoc peculiare habent, quod ex cute extent. *Tabidis omnibus maximè increscunt!* Quid inde? Fit propter causam dictam. *In suspensis etiam augentur!* Dubium ingens! De *Vnguibus* eadem argumenta afferunt. Vide Bauh. 1. Simil. 2.

§. 5. Sed satis ambagum, Μέρος καὶ μόριον apud Græcos, vt *Pars* & *particula* apud Latt. non differunt. Apud Hippocr. & Gal. etiam τόπος καὶ τόποι est, quod nihil aliud est, quàm *Pars* & *Partes*. Ita lib. Hippocr. περὶ τόπων ἐν ἀνθρώπῳ nihil aliud vult, quàm de *Partib. corporis humani.* Idem iudicium esto de altero περὶ ἀέρων, ὑδάτων καὶ τόπων. Ita apud Gal. aurei illi libri (qui Vall. sensus est) περὶ τόπων πεπονθότων, nihil aliud sunt quàm de *Partibus affectis*. *Partes*, de quibus hîc agimus, vel simpliciter dicuntur ita, quatenus scil. ab *Humoribus* & *Spiritibus* contrà distinguuntur: vel cum additione, *solidæ*. Sunt autem, vt iam dictum est, vel *Similares* vel *Dissimilares*. De illis iam agemus: de his postea.

ABERRATIONES.

§. 6. Magno cum errore Fuchsius miscet doctrinam partium similarium cum dissimilaribus! Nam & Gal. seorsim de illis scripserat, 8. sent. Hip. 5. In contraria culpa sunt Anatomici, cùm magnis suis operibus intrudunt plerique *De venis in genere*, *de neruis*, *de musculis*.

§. 7. Grauissima Sennerti culpa est, qui negotium tam latè patens tam angusto includit limite! Tantò verò grauior erit, quò alieniori fit, titulo, inquam, *de Sanitate*, quæ

ad

ad Pathologiam spectat. Et cùm de *Spiritibus* seorsim scribat: cur *Humoribus* non eundem habet honorem? Video quid ex cap.9. possit obiici: sed reverà non satisfacit. Eccur hæc tria, quæ cohærere debebant, ceu Hippolyti membra distrahuntur?

§. 8. Liddelius lib.2. cap.4. benè quidem currere incipit, cùm communem *Partis* significationem (hanc enim h.l.quærimus) ex Hipp. acceptat: sed deficit in duobus. Cuius enim autoritate *Continentibus* solis tribuit proprietatem? Cuius item, *Pilos* & *vngues* nonnisi impropriissimè esse *partes*? Et quî stabit cum Ferneliana? Maximè, quia illud, *Vsumve* ad animum non reuocat? & tot facit exceptiones? Quæ etiam nouitas est, distinguere in *membra* & *particulas*? Aliud est, distinguere totum corpus in suas partes, quod Hipp.facit: aliud est subdistinguere partes solidas in maiores,& minores, quod Anatomiæ est. Noua etiam & inutilis est altera distinctio, vel ratione substantiæ, vel ratione actionum. Et quomodo posterius hoc membrum non est in primo? Qui enim organum dicit, partem dissimilarem dicit. Quod verò inspergit de instrumentis primis & secundis, aliûs est loci.

§. 9. Heurnius quàm non est in hoc negotio! Nam l.3. c.2.extr.vix meminit distinctionis huius partiũ (& quidem loco alieno)in similares & dissimilares. Mox subdiuidit has posteriores in principes & ministras, quod Anatomiæ est.

§. 10. Horstius cum Liddelio penè facit paria. Nam disp.3. ϑ.2. nudè accipit definitionem Fernelij. Mox ϑ.3. & seq. ἀλλότρια quædam iactat. Tandem ϑ.9. & 10. acceptat vltimo loco traditam distinctionem.

§. 11. Riolanus glacie frigidior est. Nam quæ, cap.6. habet de dissensu autorum in temperamento cerebri, cordis,& pulmonũ, quorsum? Quam ad extremum distinctionem partium ex colore sumit, ex duritie & mollitie, quis non rideat? præsertim si simpliciter proponatur? Neque dimouent me à sententia, quæ posteà l.5. cap.1. de partibus peculiariter scribuntur. Variè enim ludit, & nihil concludit, Fernelij quippe simia.

CAPVT



De partibus similaribus.

CAPVT X.

Quid sit similare, & quot sint partes similares?

§. 1. TO' ὁμοιομερὲς, *similare*, duplex est apud Arist. 2. Part. 2. Quod huc facit, est, cùm τὸ μέρος ὁμώνυμον est τῷ ὅλῳ, *pars idem habet nomen cum toto.* Quibus addere oportet, quod scribitur c. 9. & seq. ὁμοιομερῆ esse illa, ὧν τὰ μέρη συνώνυμά ἐστι τοῖς ὅλοις. Vt ex duobus his locis iunctis fiat hæc oratio, *Similaria sunt illa, quorum partes non tantùm idem habent nomen, sed & eandem definitionem.* Aquæ v. g. amphora, & vnus cyathus dicitur aqua, eodémque modo definitur. Ad hunc sensum redigi possunt, quæ Galen. dicit, 1. Elem. 8. D. 8. sentent. Hippocr. 4. C. 1. Meth. 6. 1. Loc. aff. 2. G. De his (similaribus) dici solet, *Idem esse in illis minimum & maximum.* Simul enim atque tantam habent magnitudinem, vt consistere possint, dicuntur *maxima.* Itaque gutta aquæ tam est aqua, quàm amphora tota. Contrà, dissimilaria suos habent terminos, quos vltrà, citráque non sunt, quod sunt. Videatur Arist. 1. Top. cap. de significationibus τοῦ *Idem.*

§. 2. Quod ad *similares* nostras, habent illæ varia nomina apud Gal. Is autor est, præf. in 1. de Nat. hum. Platonem quidem appellasse σώματα πρωτόγονα, ἢ πρωτογενῆ, *corpora omnium prima genita:* Aristot. autem (1. Histor. 1. 2. Part. 1.) ὁμοιομερῆ, ἁπλᾶ ἢ ἁπλούστατα σώματα, *similaria, simplicia, aut simplicissima corpora.* Ipse 1. Simpl. 8. C. 1. Fac. natur. 7. A. vocat μόρια συμπεφυκότα, *partes per primam dictam* σύμφυσιν *genitas.* Ita enim leg. esse, doceo Not. in eum locum. Idem 10. Method. 11. 6. Ex. Anat. 4. 7. eiusd. op. 8. & alibi, appellat πρῶτα σώματα ἢ μόρια, *prima corpora, prima partes,* Tu intellige, ratione συμφύσεως illius, de qua dixi. Idem, præf. iam laudata, 1. Elem. 6. & 8. Fac. nat. l. c. nominat στοιχεῖα αἰσθητὰ, *elementa sensibilia,* vt suprà innui. Hoc sensu μόρια στοιχειώδη, *partes elementares* nominantur, 1. Fac. nat. 6. & 7.

§. 3. Sed quæ sunt illa? Ambages longæ! Mihi fundamentum hoc esto. Quæcumque partes concurrunt ad constitutionem perfecti alicuius organi, (quale est oculus) illæ omnes sunt *similares.* Non sunt autem vnius generis, sed duûm. Aliæ enim *reuerà* sunt tales, & quibus conuenit descriptio superior: aliæ *ad sensum* tantùm, ideò (inquam) quia ad constitutionem dissimilarium concurrunt. Et hæc est vetus sententia, à Fuchsio primùm propalata, à Comite Montano deinde, Costæo, aliis sustentata, quam sine tergiuersatione tueri nos in Medicina par est.

§. 4. Hâc distinctione habitâ, inibimus hunc numerum. *Prioris* ordinis sunt. I. Caro, II. Fibra, & III. Si multùm largior, Membranæ quædam: *Posterioris*, IV. Venæ, V. Arteriæ, VI. Nerui, VII. Ligamenta, VIII. Tendines, seu Musculi, IX. Cartilagines, X. Vngues, XI. Pili, & XII. Glandulæ. His propter substantiam similarem, iungo Cuticulam, Cutim, & Membranam carnosam dictam. Pinguedinem & Medullam humoribus accenseo. Ortum habent omnes ex sanguine, nullæ ex semine masculo, id quod alibi probatum à me est.

ABERRATIONES.

§. 5. Cùm rectè se habeat distinctio partium similarium, cur priores tantùm definit Fuchsius? Eadem distinctio cùm exhauriat difficultatem, cui bono parat aliam? scil. aliud esse, dicere *Instrumentum*, & *Partem instrumentariam*? Secunda ipsius diuisio est subdiuisio dissimilarium. Eadem est ratio tertiæ, & quartæ. Sed & vtraque nugatoria est, nitens quippe falsis hypothesibus. Desidero etiam syllabum actionum similarium. Mancus enim & malus est ille, ex 1.Elem.6.K.

§. 6. Non minùs grauis hîc culpa est Sennerti, quàm fuit sup.cap. Cur enim lib.1.cap.3. non nisi obiter meminit *similarium*? cur vnam tantùm speciem definit, perinde vt Fuchsius? cur facit illas simúl dissimilares, seu organicas, vt loquitur? quid frustrà occupatur in distinctione Fuchsiana, inter instrumentum, & partem instrumentariam? Sed transeant: siquidem *Occultæ* ipsi dictæ *proprietates* etiam à temperamento pendent, quòd non obscurè docet: cur alibi tam deserit seipsum? Sed hæc est conditio Scriptorum eiusmodi follicantium! Miror etiam, cur non hîc quoque, vt alibi, ostentet κειμήλιον illud, *Quasdam esse ex semine, & Spermaticas dici, &c.* Mihi oculi & aures dolent ad talia opinionum portenta! Sed & vbi numerus est, & ordo similarium?

§. 7. Liddell. fol. 96. quantoperè sudat in exædificanda & ostentanda definitione sua! Ego cicum non interduim. Qualis enim solertia est, accipere primùm definitionem

tionem Gal. quæ est *similarium prioris ordinis*: deinde struere aliam: & fusè diducere: tandem dicere, Non eadem significatione pars similaris semper dicitur! In numero similarium velut nubes pendet in sublimi.

§. 8. Heurnius & Horstius deserunt hîc stationem suam. Riolanus distinguit partes dissimilares, quæ vocat *Instrumenta primi & secundi ordinis*. Vocat autem similares, *Instrumenta quarti generis*, non malè quidem, sed præter vsum, prætérque omnium Medicorum consuetudinem, quâ re pessimè consulit discentibus. Numerus ipsius octonarius multas habet instãtias, quas aliunde petere oportet.



CAPVT XI.

De Carne, & Fibris.

§. I. CONIVNGO, quia alterum sine altero non est. Sed & hæ duæ solæ partes reapsæ sunt similares.

§. 2. Σάρξ Græcis, *Caro* Latinis est. Caro *alia* simpliciter ita dicitur: *alia* cum adiectione *Caro viscerum vel sanguineorum, vel exanguium.* Atque ita triplex fit I. *Caro simpliciter*, & à vulgo quoque in macello dicta, est illa, quæ circumnascitur fibris musculorum, & est nihil aliud, quàm recens coagulatus sanguis. II. *Caro viscerum exanguium* est itidẽ sanguis, sed iam in substantiam albã, conuersus. III. *Caro viscerum sanguineorum* ab Erasistrato peculiariter παρέγχυμα dicitur, quod exponit Gal. quasi περιέγχυμα, *Circumaffusionem*, intellige, circa vasa viscerum, fibrásve. Illud est in hepate & liene: hoc in corde, pulmone & renibus. Tot enim viscera sanguinea sunt. Loca Gal. si vis, en tibi duo, 6. ex Anat. 11. 11. Simpl. initio. Cæterùm, carnis hanc *Materiam*, vt & *Efficientem* ipsius causam, quæ *Calor* est, vocant quidam in dubium. Vtriusque controuersiæ explicatio aliùs est loci. De vsu ipsius latissimæ sunt ambages. Ego huc non nisi vnum illum accerso, qui Arist. est, *Esse medium sensus tactus*, qui tactus animal constituit.

§. 3. Ἴς ἰνὸς, *Fibra est, Villus*, & ἶνες, *filamenta, stamina.* Obseruandum est, *Alias* fibras sanguinis esse, de quibus hîc non agitur: *alias* carnis, de quibus agitur. Has duplices facit Gal. 2. Temp. 2. 1. Sem. 11. extr. vnde Intt. confingunt fibras suas *Carnosas* & *Seminales*, qua de re hîc agi non debet. Cæterùm triplices sunt, ratione positûs sui, quem

Gal.explicat 5.Vs.p.11.14.eiusd.14.3.Fac.nat.8.& 13. *Aliæ* enim *ἰθεῖαι, ἢ μακραὶ*, *rectæ*, seu *longæ* dictæ: *aliæ ἐγκάρσιοι κυκλοτερεῖς*, *transuersæ, orbiculares, rotundæ*: *aliæ λοξαὶ*, *obliquæ*. Has modò omnes collocat in vna aliqua parte: modò duas illarum: modò vnam tantùm. Harum *vsus* diuersus est, pro diuersitate motûs. Est autem vel *vniuocus*, seu *localis*, qui in musculis est, quatenus voluntariò mouentur, & res satis aperta est: vel *æquiuocus*, qui *insensilis*, & tam in musculis est, quàm in reliquis partibus omnibus, quatenus nutriuntur, & res obscurissima est. Quia enim nutritio fit ope quatuor facultatum ministrantium, alimentum attrahentium, retinentium, concoquentium, & excrementa expellentium: valde difficile est ostendere singulas fibras pro singulis officiis. Accedit, quòd officia hæc, partim *publica* sunt, partim *priuata*; at quia sensus noster eoúsque non pertinet, augetur difficultas. Sufficere autem debet bonis vox Naturæ. Fieri vtrumque videmus, licèt distincta instrumenta ostendere non possimus.

§. 4. ABERRATIONVM.

Abundè est, quod plerique ex cohorte hac nostra, vel leuiter meminerint tantùm harum duarum partium: vel prorsùs silentio presserint. Quibus rationibus quî consultum esse potest discentibus? Solus Riolanus cum Fuchsio, & describit fibras triplices, & vsum illarum ostendit, quod *Rectæ* trahant: *transuersæ* pellant: *obliquæ* retineant.



CAPVT XII.

De Membranis, & Tunicis.

§. 1. APVD Græcos duo sunt vocabula, ὑμὴν καὶ χιτὼν, quæ modò distinguuntur, modò confunduntur. Mihi si arbitrandi potestas detur, ὑμένας quidē, *Membranas*, dicerē corpora illa tenuia, qualis est aranearum tela, 5.Vs.p.11.mollia, 1.sent.Hip.9.densa tamen, 6.Aph. 33.exanguia & frigida, 2.Loc.aff.7. quæ ferè exteriùs partes ambiunt & inuoluunt, 5.Vs.p.11. At vérò χιτῶνας, *Tunicas*, corpora & ipsa, sed prioribus multò crassiora, & præterea carne manifestâ farta, quæque non ambiunt partes alias, sed ipsa partes constituunt.

§. 2. De *Membranis* moneo hoc, Galenum 6.Ex.Anat.7.& alibi, adnumerare

numerare partibus ſimilaribus, quæ *reuerà ſimilares* ſunt. Vſus harum tam latè patet, vt dici poſſit, Naturam nullam in corpore partem reliquiſſe nudam: ſed omnes membranis texiſſe. Ad hoc præſtandum, opúſne habent ſenſu? Habent. Et hoc ſatis eſt huic loco. Addendum eſt verò, *Quaſdam* illarum habere peculiaria nomina, & non minùs quàm tunicas conſtituere partes, vt Peritonæum, Omentum, Pleura, Meninx, de quibus in Diſſimilaribus.

§. 3. *Tunicæ* quædam quia faciunt partes diſſimilares, Ventriculum, Inteſtina, Veſicã vtramque: iure quoque eò ablegantur. Tunicæ *quædam* quia in cenſu ſimilarium ſenſualium (vt ſic loquar) ſunt, Venæ & Arteriæ: rectè de illis agitur hoc loco. Addendum eſt hîc quoque vtrumque tunicarum ordinem obuolui extrinſecùs membranis, vt dicetur ſuo quodque loco.

---

§. 4. ABERRATIONVM.

Hîc quoque plus ſatis eſt, cùm plerique cohortalium, nec partium ipſarum meminerint, nec vllius diſtinctionis. Hoc verò ſítne Inſtitutiones ſcribere?



CAPVT XIII.

De Venis & Arteriis.

§. 1. PLACET coniungere, partim, quia olim ſub vno *Venæ* nomine erant: partim, quia vnà cum *Neruis*, *ἀγγεῖα, vaſa, & κοινὰ τοῦ σώματος ὄργανα, communia corporis inſtrumenta vocantur.* Sed *Tunicæne* ſunt an *Viſcera exanguia*? Vtrumque eſſe poſſunt quidem: ſed *Partes ſimilares* dici debent, quia ad conſtitutionem diſſimilarium concurrunt. Interim ſunt ex ordine ſecundo, ex libris quippe & carne compactæ.

§. 2. φλέψ, *vena*, vt iam innui, dicebatur olim non id tantùm vas, quod hodie, quod vna & ſimplici conſtat tunica, non pulſat, ex hepate à Galen. deducitur: ſed & alterum, quod ſextuplo craſſius eſt, pulſat & tam apud Ariſtot. quàm Galen. ex corde dependet. Hoc *ἀρτηρία, καὶ ἀερορτηρία* dicitur, tracto nomine à viſcere illo, quod hodie *Aſperam arteriam* appellamus omnes, qua de re infrà! Loca de ſignificatione illa lata, habeto tibi hæc, 6. ſentent. Hippocr. 8. & 9.

4.Acut.26.2.Off. Med.28. κ.πατ.1.6. in 6. Epid.7. Cauf. morb.3. Quod animi mores, 8. Manfit hæc confuetudo quodammodo apud Arabas. Auerrhoës enim 5. Coll. 5. & 6. diftinguit *Venas* in *pulfatiles*, & *non pulfatiles*. Auicenna 1.1.doctr.5.fum.4. & 5. pariter agit de *venis pulfantibus*, & non *pulfantibus*. Albertus quoque Magnus, in libb.de Animal. paffim. Apud Gal. Medicófque recc. omnes diftinctus eft modus loquendi.

§. 3. Ad effentiam quod attinet, Corpus quidem vtriufque vafis huius tunicaceum eft, vt fic dicam: obhærefcit autem forinfecus membrana, quæ vulgò *Communis tunica* dicitur, cùm altera illa *Propria* vocetur. Et hæc in rerum natura ita funt diftincta: nos verò fæpè indiftinctè loquimur, cùm neglecta communi, de propria tantùm fermonem habemus. *Vena* conftat ex vna & fimplici tunica: *arteria* ex multiplici. Quod ad *conformationem*, Corpus vtrobique eft cauum, canalis ad inftar. Venis proprium eft *Valuulas* habere, quarum confideratio fuperat indolem Noftri.

§. 4. Iam quot funt in vniuerfum? Et *venæ* funt quatuor, & *arteriæ*.

§. 5. Venarum *prima* & *maxima* eft illa, quam κοίλην, *Cauam* cum Praxagora vocamus, vt Ruffus eft nobis autor, 1.Appell.33.Hip.2.Ep.4. vocaffe, creditur ἡπατῖτιδα, *iecorariam*. Gal. vtplurimùm vtitur voce Praxagorea, aliquando μεγίστην, *maximam* nominans, quòd in totum corpus ramos dimittat. Arift.1.Hift.16. 3.Hift.4. μεγάλην, *magnam* vocat, opponens fcil. Arteriæ, quam ἐλάττονα, *paruam*. *Altera*, quam *venam-portæ* appellitamus inde vfque ab antiquo, vt Gal. fcribit 4.Vf. p.2. Is, vel fimpliciter μεγάλην vocat, vel cum additione, πρὸς πύλας, ἐπὶ τὰς πύλας, 4.Vf.p.vlt. 4.Vf.p.2.Anat. ven.1. πύλαι autem funt *monticuli illi* in fimis hepatis, quos ὑποκορυφώσιας Hipp. dicit. Idem Gal.6. ex. Anat.8. & 10. 6.Loc.aff.4.extr. στελεχιαίαν, *Caudeam*, feu *Caudicalem* appellat. Differt ab illa, quòd *Abdomen* non egreditur. *Tertia* eft *Vmbilicalis*, infantibus propria, quæ ex hepate infantis elapfa, & per vmbilicum eiufdem egreffa in vterum, conftituit ibi *Hepar vterinum* dictum. *Quarta* eft *Arteria venalis* ab omnibus dicta; vas finiftri cordis ventriculi, quod fubftantiâ eft *vena* Et hæc thoracem non egreditur, in pulmonem abfumpta.

§. 6. Arteriarum *prima* & *maxima* eft illa, quam vel μεγάλην, *magnam* vocamus, vel ἀορτήν, *aortam*, ex Arift.l.c. Hæc, quatenus in totum corpus diftribuitur, proportione refpondet vena *Cauæ*, cuius etiam *coniux* rectè dicitur: verùm non promit de fe aliam, quæ *venæ portæ* opponatur. Interim tres ramos, *Cœliacam* & *Mefentericam duplicem*, porrigit de fe in *Abdomine*, qui *Portæ ramis* vndiquaque attenduntur, & poffunt dici *Coniuges Portæ*. *Secunda* & *tertia* eft duplex *vmbilicalis*, quæ ex *Aorta*, qua dorfo incubat, furfùm ad vmbilicum perlatæ, cum *vena vmbilicali* ad *hepar vterinum* proficifcuntur. *Quarta* eft *vena arterialis* ab omnibus dicta, vas dextri cordis ventriculi, quæ fubftantiâ eft *Arteria*. Hæc, vt coniunx ipfius, *Arteria venalis*, thoracem non egreditur, & pariter in pulmones abfumitur.

§. 7. In

§. 7. In *usu* distinguere oportet vasa illa, quæ in totum corpus eunt, ab iis quæ in certas partes. In corpus expandi dicta fuit, & *Vena caua*, & *Arteria magna*. Vtraque enim (ita loquor, ex veterum autoritate, reique natura) è corde egressa, & in ramum superiorem & inferiorem diuisa, consequenter per vniuersas corporis partes distribuitur. Has distributiones vetus sapientia, cuius vestigia apud Hipp. Plat. & Arist. reliqua sunt, comparabat *Aquæductibus*. Vti enim in his ex *Castello* (sic vocant *Aquileges*) canales eunt in vniuersam ciuitatem, è quibus omnibus inquilinis aqua suppeditatur indiscriminatim: ita in corpore animato è corde, tanquam è scaturigine, eunt vasa in omnes partes. Quæ autem, & quot in singulas ferantur, id in Anatomicis docetur.

§. 8. In *Abdomen* diuidi *Venam portæ*, cum *Arteria Cœliaca*, & *Mesenterica vtraque* pariter dictum fuit. Harum propaginum *illæ* quidem, quæ ad intestina eunt, faciúntque vasa *Mesaraica* dicta, chylum inde hauriunt, & ad *Hepar, lienémque* deferunt: *Illa* autem, quæ aliò tendunt, ad ventriculum, ad omentum, ad Coli gibbas partes, sanguinem eò traducunt, pro alimonia. Et quemadmodum *hepar, liénque* aluntur sanguine illo, quem conficiunt: ita eundem ad vasa *Mesaraïca*, ipsáque intestina remittunt, eiusdem alimoniæ gratia.

§. 9. In *pulmones* ire *venam arterialem* ex dextro cordis ventriculo, *Arteriam venalem* ex sinistro, dictum non minus est. Horum duorum vasorum officium, *primarium* quidem est, translatum sanguinem, ex hepate in dextrum ventriculum, ex hoc sursum ferre in pulmones, & ex pulmonibus in sinistrum ventriculum, è quo posteà in totum corpus rapitur? *Secundarium* autem, nutrire pulmones. Interim in hoc ipso itinere ventilatur quidem sanguis, depositis fuliginibus in bronchia asperæ arteriæ, quæ interiacent vtriusque diuisiones: refrigescit etiam non modicum, contactu bronchiorum refrigeratorum.

§. 10. Tandem dixi, *Venas & arterias vmbilicales* seruire nutritioni fœtus, quamdiu in vtero est. Sanguinem enim, *venæ* quidem ex ipso hepate deuehunt: *arteriæ* autem ex *Aorta*, dorso incumbente. Et hoc fit in αὐξήσει fœtus tantùm: in συστάσει, semen masculum trahit ex vteri vasis.

§. 11. De origine (non φύσεως, ἢ ῥιζώσεως, sed διοικήσεως, vide 6. var. lect. 18.) horum vasorum, erat olim pulcherrimus consensus, quem (ne de Arist. dicam) stabilire licet ex tribus vetustis libris, Timæi dialogo de Anima mundi, Timæo Platonis, & Hipp. lib. de Corde, de quo loco mox dicam: quem consensum fregit Gal. *Arteriam* quidem magnam solam cordi transcribens, *Venam* autem cauam, cum appendice *venæ portæ*, Hepati. Sed quid fit de *vena arteriosa*, & *Arteria venosa*? Cæterùm, ortus *Venæ cauæ* ex hepate tam est falsus, quàm falsum est, *venam cauam & portæ* duo esse distincta, & per ἀναστομώσεις iuncta vasa.

ABERRA

ABERRATIONES.

§. 12. Hæc quia Institutionistis nostris tam benè cognita sunt, quàm mihi pagi Bohemici; contineant autem fundamenta magnarum rerum, de quibus in posterum agendum est: præmuniam hîc quædam tantùm. Cùm Galen. indicibili audaciáne dicam, an arrogantia, Hippocr. & Plat. de anima sententiam separasset ab Arist. & egregiis istis duobus luminibus affinxisset mentem non minùs absurdam quàm falsam, *Tres esse in nobis animas, substantia & locis distinctas:* quid porrò perpetrauit? Cùm ex neutriûs scriptis quidquam tale probare se posse videret, in ruborem datus, *Ego*, inquit, *probabo.* Hoc verò nemo omnium exspectabat: Sed neque promisso respondebat.

§. 13. Sed rectè fecerit: quo modo probauit? Videamus nunc obiter tantùm in θρεπτικῇ, *nutritiua, seu vegetatiua Arist.* quippe cui *venæ* & *arteriæ* ex æquo famulantur. Hanc ille ait sedem habere in solo hepate, eíque ministrare solas venas: sed ne otiosum esset cor, finxit nouam animam, aut, si mauis, facultatem, quam ζωτικὴν, *vitalem* appellauit, & cui seruiant *arteriæ.* Hîc subitò percellit mentem non prorsùs hospitem in scriptis Aristot. nouitas inaudita, τὸ θρέφειν differre ἀπὸ τῆς ζωῆς. *nutritionem à vita!* Certè ἡ ζωὴ est μονὴ τῆς θρεπτικῆς ζωῆς, *quamdiu viuimus, tamdiu nutrimur!* Et, *quamdiu nutrimur, tamdiu viuimus!* de vita & morte, 18. An ex parte idem concedit Gal. cùm 4. Loc. aff. 7. K. & iterum 5. eiusd. 1. C. & iterum 6. eiusd. 5. C. disertè docet. *Respirationem & vitam pari passu ambulare*, vt sic loquar? *Respiratio* enim est causa sine qua non fit coctio. An propiùs accedit, cùm 8. sent. Hippocr. 7. ex Platone scribit, quin 4. in 6. Epid. 14. docet, *In confesso esse, & antè demonstratum, Calidum natiuum esse*, αἰτιώτατον (hoc verbo vtitur vtrobique) *causam inter omnes, quæ coctionem præstant principalissimam?* Vide tract. de Humor. cap. 15.

§. 14. Sed agamus cominùs. Cùm sanguinem vehant non *venæ* tantùm, sed & *arteriæ*, te ipso autore, ô Galene, lib.


lib. singulari contra Erasistratum, cur *venosus* alit, *arteriosus* non alit? De mutua per ἀναστομώσεις sanguinis transfusione iam solicitus non sum: hoc quæro, *Cur natura, in omnibus solertißima, instituit hanc in corde vlteriorem sanguinis coctionem? hanc per arterias cocti sanguinis distributionem?* τῆς διαπνοῆς ἕνεκα, *Insensilis transpirationis gratia.* Vix me contineo: sed contineo me tamen, & quæro rursùs, Sanguis arteriosus, tanto studio, tantis adhibitis machinis ex venoso factus, tam calidus, tam copiosis (dicam potiùs) spiritibus diues, vt perpetuò pulsent arteriæ: potéstne refrigerare? Nam huc tandem res deuoluitur, & vtitur Galen. non rarò hac voce. *Annon*, inquiunt, *pulsûs vsus hic est, Moliri insensilem transpirationem, & consequenter refrigerare habitum?* iam hoc est mutare quadrata rotundis! Non ego de pulsu, actione hac, loquebar: sed de sanguinis arteriosi substantia. De hac enim cupio erudiri quid fiat? Quid pluribus? Res eò deuenit vt duæ Thoracis actiones, quas ex lib. de Resp. 11. docui, arg. Com. in 6. Vs. p. sed fusiùs, 2. Thor. 1. aut confundantur, aut obliterata altera (ἐργασία τῆς τροφῆς, vt Philosophus loquitur) supersit altera tantùm, quæ est ἡ κατάψυξις τοῦ θερμοῦ, *Calidi natiui refrigeratio.* Quocirca iam hæc duo pulcherrima effata erumpunt, *Sanguis calidiss. potest refrigerare: Sanguinis substantia fibrosa nihil aliud facit, quàm refrigerat*, Quorum vtroque quid obtusius? vt lenissimè dicam. Imò (vno verbo) actio illa in sanguinem, quæ pulsus dicitur, refrigerat: substantia sanguinis alit. Et hoc posterius cum Galeno pluribus locis, huc non afferendis, expresserit Adrastêa: quid opus est aliis?

§. 15. Hîc cùm circumspicio DD. nostros, & exspecto quid ausint: solus Sennertus l. 3. p. 1. s. 4. cap. 1. mutit, *Cùm cor sit fons caloris*, inquit, *quo corpus vniuersum viuificandum erat, opus fuit canalibus, per quos calor ille eat. Hi sunt Arteriæ. Hoc docuit Hipp. l. de Corde*, addit, *Hæ sunt naturæ hum. fontes, & hinc flumina excurrunt, quibus corporis alueus irrigatur. Atque hæc vitam homini conferunt, &, si resiccata fuerint, homo perit.* Tam inconsideratum fuisse magnum virum, equidem vehementer miror! Qua enim ratione

accommodabit ſermonem, qui eſt de omnibus cordis vaſis, vnis arteriis? qua ratione verba de ſanguine habita, ſolis ſpiritibus tranſcribit? Dicat mihi, Cui bono hic ſit ſanguis? & tam pretioſus? in rei veritate, Peripateticus fuit hic vir, ſiue Hipp. fuit, ſiue alius.

§. 16. Autoritas igitur hîc pro Gal. nihil poteſt: potéſtne ſenſus? Ita enim audaculi quidam: Quid pugnas? dicunt. *Annon vides chylum omnem ad hepar ire, ibique faceſſere in ſanguinem? quin per venas didi?* Video: ſed heus tu, Annon vides ſanguinis alteram partem ad cor proficiſci? quin per arterias didi? Dic ergo, quo fine, & coctio in corde noua inſtituitur? & diſtributio per vas tantoperè à vena differens? Et quid? Pro infante me habes, cùm de ſanguinis ſubſtantia interrogatus, reſpondes de pulſu, quo mediante ſanguis propellitur?

§. 17. Hæc ego fortaſſis acriùs: ſed ita res fert, ita fieri fas eſt, Ago de induſtria cordatè cum peruicacibus, ne fingere videar, quod de Gal.6.ſent.Hipp.6.dixi alibi, & dico denuò. Sed & æquum eſt tantò nos contentiùs pro Veritate pugnare, quo maiores vires quotidie acquirit eundo Mendacium. Huius ſcortuli retibus impediti adoleſcentes, tam vecordes fiunt, vt dediſcendi nulla ſpes ſit. Verùm de iuſtiſſima hac querela alibi.



CAPVT XIV.

De Neruis.

§. 1.  Ic primo ſtatim intuitu inſignis occurrit homonymia. Quòd Græcis νεῦρον (ἢ νεῦρα inſolentius eſt) eſt, & per tranſpoſitionem literarum apud Latinos *Neruus*, tria ſignificat apud Hipp. Ariſt. & Herophilum, vt inter alios Ruffus habet 1.appell.17. *Neruum, Tendinem* & *Ligamentum* hodie dicta. Huic rei vt mederetur Gal. procem. lib.de Oſſib.15.Vſ.p.1.1. in 6.Epid.2. *Neruum* quidem ſimpliciter dici voluit corpora illa longa & teretia, quæ ex cerebro, & medulla ſpinali orta, inque corpus totum diuiſa, ſenſum & motum ferunt: τένοντα autem *Tendonem,*

Tendonem, vsitatiùs *Tendinem*, fines musculorum plerorúmque omnium: συνδέσμους tandem, *Ligamenta*, seu *copulas*, quarum beneficio partes inuicem ligantur. Hac in re quia nulla diligentia superuacanea est, sciendum, *Neruos* quidem simpliciter dictos, olim cum additione νεῦρα προαιρετικὰ, ἢ αἰσθητικὰ appellata fuisse, item τόνους καὶ τένοντας. 1.Art.47.48. 3.Art.31.35. *Tendines* autem ἀπονευρώσεις, quasi *deneruationes*, ineptè vt mox iterum monebitur: *Ligamenta* tandem, νεῦρα συνδετικά.

§. 2. De *Neruis* nobis propositis cùm loquitur Gal.1. Mot. musc.1. 8.Vs.p.6.7.sent Hipp.3.& alibi, dicere solet, *Nihil aliud esse quàm cerebrum in se coactum & exporrectum.* Intelligit autem per *cerebrum*, non solam illam substantiam albam, quam vulgus vocat: sed *substantiam hanc cum gemina sua meninge.* Eadem ratio est *Medullæ spinalis*, Hanc triplicem substantiam ostendit in *Tunicis oculorum*, quas nihil aliud esse vult quàm cerebrum, in triplicem suam substantiam iterum resolutum. Hac in re vt non difficulter assensum illi tribuo: ita cùm toties scribit, duplices esse, (hic est vsus illorum) *Molles* & *duros*, quorum hi quidem motum ferant, illi autem sensum, consentire illi neutiquam possum. Est enim eadem omnium ad tactum consistentia, multi illorum vtrique actioni seruiunt, adeóque omnes sunt eiusdem *dignationis*, *substantiæ, naturæ, speciei*, 2.Ex.Anat.11.A.1. Mot.musc.1.D.8. Vs.p.6.C. 7.sent.Hipp.5.D.

§. 3. De horum origine (διοικήσεως, *dispensationis* intelligo) cùm loquitur Gal. nec conuiciis abstinet in secùs sentientes. Ego verò facilè illi ostendam, siquidem mens hæc fuit Aristot. quam hactenus publicè tuitus sum, Galenum ipsum ne latum quidem vnguem abfuisse ab eadem, *Nerui*, dico, *non simpliciter sunt ex cerebro: sed partim ex cerebro, partim ex corde.* Ex cerebro sunt, ratione conformationis, quæ in oculos incurrit: ex corde, quatenus vasa, è corde in cerebrum sublata, excidunt è caluaria cum vtraque meninge, non sine substantia cerebri alba. Hoc disertissimè docet Galen. 10. Vs. p. 2. vt nec contradicere quisquam hactenus potuerit, nec alium Galeno sensum affingere voluerit.

§. 4. Addo hoc corollarium, *Neruos nutriri sanguine illo, quem ex cerebro secum vehunt vasa.* Hoc qui nouum dicere volet, ei ostendam clarè, fuisse Galen.ipsius loco iam cit. Et hic est sanguis neruorum inconspicuus, quem Peramatus nobis dat, lib.1.de Temp siquidem admittere volet ἐπείσαγμα meum, *Esse illum è cerebro.* Admittet autem, quia aliam viam in nerui cauitatem ostendere non potest, præter illam, quam ego ostendo. Sed non sunt caui? Sunt: quia venas & arterias secum vehunt, quæ non possunt non esse cauæ, si nomen suum tueri volunt. Nec quidquam obest, quòd oculus humanus non agnoscit foramen.

ABERRATIONES.

§. 5. Hæc talia & tanta qui ignorare volunt instituendos suos, parùm prudentes sunt. Si quidem Empiricos gignere festinant, absurdi nihil est: at quia ipsimet iactant Methodum Gal. quid pro se comminiscentur. Hinc adeò Anatomici quidam faciunt excursiones, *De neruis in genere, de arteriis, &c.* Reuerà confusio hæc est inexcusabilis.



CAPVT XV.

De Tendinibus & Musculis.

§. I. TENDINES quid hodie vocemus, dixi. Hi quia partes *Musculorum* sunt, nec possunt sine musculis cogitari: omnis ratio postulat, vt de toto potius quàm de parte agatur. Sed nemo vnquam *Musculos* habuit inter similares? *Compositi sunt ex carne, fibris, venis, arteriis, includuntur membranâ propriâ, habent suam conformationem.* Non refert: sunt similares secundi ordinis, quia ad constitutionem perfectorum instrumentorum concurrunt. Hoc etiam probat praxis Gal. Nam 1. Vs. p.18. musculos habet inter brachij partes similares, imò principatū illis tribuit, 10. Vs. p.8. recenset eosdem inter oculi partes similares. Vis plura exempla? Non est opus. Audi potiùs Gal. porrò. Is de Diff. morb. 4. habet inter prima instrumenta, quemadmodum venas quoque & arterias. Sub genere neruoso collocat idem 5. Aph. 1. Ad cerebrum, spinalémque medullam refert 1. in 6. Epid. 3. 7. Meth. 13.

§. 2. Τὸ μῦς quidem apud Græcos, vt τὸ *Musculus* apud Latinos ita conualuerunt, vt aliis fortè non sit opus. Ego verò hoc moneo adolescentes, ne patiantur sibi persuaderi, Aristoteli, aliísque priscis incognitos fuisse musculos. Quî enim ignorare potuerunt, quod videbant & palpabant? Cùm Hipp. toties habeat τὺς μύας, Arist. autem in eadem schola Anatomiæ studuerit: quis ausit pertendere nesciuisse? Dico igitur, quemadmodum apud Hipp. alia etiam nomina habent: ita apud Aristot. μύες non sunt. Inuenio autem, præter vulgatam hanc nobis appellationem, quatuor voces, aut τῶν σαρκῶν, simpliciter: aut τῶν νεύρων simpliciter: aut τῶν σαρκῶν καὶ νεύρων iunctim,

ctiim: aut τῶν νεύρων ἐναίμων. De omnibus his quia loca attuli in tract. de similaribus, parco iam operæ, & de Tendinibus pauca superaddo: ἀπονευρώσεις dictas fuisse olim scripsi, & vocare Interp. *Deneruationes.* At verò quia οἱ φιλέλληνες norunt, vocem inferre potiùs *Abscissiones*, vocarunt alij *Nerueas exilitates.* Ambitiosè! *Tendines* debent nominari, ne plures voces plures res imaginationi offerant. Alioquin Gal. est autor 1. Vs. p. 17. veteres dedisse hoc nomen fini musculorum. Quare τελευτὴν vocat idem, vt & κατάφυσιν, *insertionem*, seu *insitionem.*

§. 3. *Musculi partes* tres sunt I. κεφαλή, *caput*, quò loci initium ipsius est. II. κοιλία ἢ γαστήρ, *venter*, ratione potiùs, quàm sensu perceptibilis, 6. Aph. 20. III. τελευτή, κατάφυσις, *finis*, seu *insertio.* Hæ partes quia inprimis perspicuæ sunt in musculis artuum, credere libet, ab his primùm fluxisse nomen *Muris.* Vetustiss. esse apparet inde, quod & apud Homerum est, & apud Plautum, vt quidam scribunt. Interim apud Homerum, aliósque Poëtas, frequentius est τὸ τένων pro *toto musculo.* Vide Foës. in τένοντες, & Dinnerum in Epithet. Gr. Vocant Latini etiam *Lacertos*, ab eadem similitudine.

§. 4. *Musculi* apud Gal. 12. Vs. p. 3. & alibi, valdè artificiosa, & tantùm non superstitiosa est *structura.* Quæ quia huc non facit, dico cum præceptore D. ab Aquapendente, Musculus totus est pars sui generis, producta in prima generatione eo modo, quo reliquę partes omnes; non autem denuò ex neruis & ligamentis iam perfectis superinducta.

§. 5. Differentiæ eorum plurimę sunt, homini nostro haud scitu necessariæ, vt & peculiaria nomina, à Syluio, aliisque ficta. Non disputo etiam, quid faciat, vt musculus, vel vnus dicatur, vel plures. Multo minus, quæ sit musculi pars princeps, & si quæ alia sunt.

§. 6. De *vsu* breuiter me expedio, *Sunt instrumenta proxima motus voluntarij.* Dico *proxima*: quia tota catena est partium, ad motum illum concurrentium, de quibus alibi. *Motum voluntarium* Latinè dico, quem tu Græcè quomodo appelles non interest, καθ' ὁρμὴν, aut κατὰ προαίρεσιν. apud Philosophos autem hæc differunt.



CAPVT XVI.

De Ligamentis & Cartilaginibus.

§. 1. IVNGO hæc quoque: quia dantur χονδροσυνδέσμοι, qui νεῦρα χονδρώδη etiam vocantur. Σύνδεσμος *Ligamentũ*, aut *Copula*, vel *latam* habet significationem, cùm dicitur de omni eo, quod quouis modo ligat: vel *pressam*, pro eo tantùm, quod *Ossa.* In *illâ*, & hepar ligamenta habet, & vterus,

& vrinaria vesica, &c. in *hac*, Ossa quidem præcipuè habent, quatenus articulantur; minùs præcipuè *Ossa & cartilagines, Ossa & musculi*, minimè *cartilagines inter se*.

§. 2. *Differentiæ* ligamentorum sumuntur, vel à figura, vel ab ortu, vel ab insertione, vel à substantia. Dantur enim ligamenta *rotunda:* dantur *lata*. Dantur *membranea*, quæ ferè nomen suum retinent: dantur *valde dura*, & ad cartilaginem inclinantia, quæ iam sunt χονδροσύνδεσμοι, ἢ νευροχονδρώδεις σύνδεσμοι, 2.Temp.3.

§. 3. Sentiúntne ligamenta? Posterius hoc genus non sentire, puto extra dubium esse. Tu verò si membranam ligamenta inuoluentem causari voles, habebis à me hoc responsi, Fore ita, vt ossa quoque sentiant. At prius genus sentire certum est. Habéntne, carnem propriè dictam? Non habent, nisi primo loco dicta. Quæ autem humiditas mucosa, glutinosa, 3.Hist.5.foris allita est, est illa, quæ facit ad mobilitatem articuli, 13.Vs.p.vlt. *Vsus* ligamentorum est, quem vox dicit.

§. 4. Χόνδρος est πολύσημος quidem: sed hîc accipitur pro parte corporis, ossi penè propinqua, Lat. *Cartilago*. Cur autem *Chartilago* scribant ferè Interpr Gal. nescio. An deriuant ἀπὸ τῆς χάρτης? *Differentia* vna & præcipua est, quòd cartilagines quædam incrustant capita articulationum: quædam constituunt ipsas partes, aut certè præstruuntur partibus præcipuis. Ibi faciunt, vt iunctura sit commodior, cùm durum cum duro iungi non possit, 2.Part.9. hîc, vt cedere possint occursantibus. 16.vs.p.6.



CAPVT XVII.

De Ossibus.

§. 1.  ΣΤΕΟΝ, ἢ ὀστοῦν Græcis, *Os*, *ossis* est. *Ossa* quia inter se contigua (non continua) sunt, ferè propter motum; contiguitas autem illa variat pro motus varietate: fit vt variis opus sit appellationibus. Debentur enim aliæ illi *extremo*, quod *excipit:* aliæ illi, quod *excipitur*. Rursus, quod *excipit*, alia vult nomina, quatenus consideratur vt cauum: alia quatenus cauum illud ambiunt acutæ circumferentiæ, quibus amplectitur os ingrediens. *Circumferentiæ* illæ dicuntur indifferenter (ita loquor) ἢ χεῖλη, ἢ ἄμβωνες, ἢ ὀφρύες, ἢ ἴτυες, *labra, vmbones, supercilia, oræ*. *Cauitates* quoque olim indifferenter vocabantur κοτύλαι ἢ γλῆναι, *acetabula, sinus*: sed postea ex Hipp. 4. Art. 64. vt Gal. docet procem. lib. de Oss. *paruus* quidem & superficiarius *sinus* dictus fuit γλήνη à similitudine sinus illius, qui clausis oculis, est inter oculum, superiorémque

superiorémque maxillam: *magnus* autem, seu qui altiùs descendit, κοτύλη, & (vt quidam volunt, κοτυληδὼν) καὶ ὀξύβαφον, καὶ πύξις, *acetabulum*, *pyxis*. Verumtamen distinctionem hanc non esse perpetuam, discere est ex 1. Art. 21. Autor est Galen. 1. Fract. 1. βαθμίδας ab Hipp. dici, non tantùm *duas* illas brachij *cauitates*, quas cubitus ingreditur, qua parte est dictus ἀγκὼν, ὅν ποτὶ στηριζόμεθα, *cui innitimur*, vt loquitur senex: sed omnes alias, quæ excipiunt ossium processus. Ego verò, præterquam quòd ipsemet 2. Vs. p. 15. exponit de brachio tantùm: nondum vidi locum, qui id mihi persuadeat. Nam quod Foësius tentat ex 3. Fract. 54. violentum est. Et hæc quidem de priore osse.

§. 2. De *altero* quod *excipitur*, tenendum est, esse illud, vel *partem ossis* ipsius: vel *os ossi* agglutinatũ. Dico *ossis ipsius*. Tres enim statuuntur cuiuslibet ossis partes, quarum *prima* & maxima retinet nomen totius: *secunda* dicitur ἀπόφυσις: *tertia* ἐπίφυσις. *Illa* est pars ossis ipsius: *hæc os* ossi adnatum. ἀπόφυσις, quæ & ἔκφυσις, ἐξοχὴ, προβολὴ, πρόβλημα, *enascentia*, *extuberantia*, *eminentia*, *explantatio*, *productio*, *proiectura*, *processus*, & fortè aliter. Hodie ferè obtinet vox posterior Latina, ex Celso l. 8. cap. 1. Est autem ἀπόφυσις, *processus*, nihil aliud, quàm *ramus* quidam *ossis*, vt pulchrè comparare videtur Vesalius, iuxtà & Colombus. Ἀποφύεσθαι enim (ita etiam ἐκφύεσθαι) est *aboriri*, *exoriri*, *exsistere*, *enasci*. Ἐπίφυσις ferè solum hoc nomen habet apud Græcos: apud Latinos est *appendix* (quo nomine etiam vtar.) *additamentum applantatio*. Est enim os ossi adnatum, coagmentatúmque, vt Colombus loquitur, non pars ossis. Interim pars ossis dicitur ob contiguitatem, quam sæpe confundimus cum continuitate.

§. 3. Iam, vt *Appendicum*, quatenus fiunt per σύμφυσιν, eadem est ratio: ita *processuum*, quatenus per ἄρθρον, varia est, variáque inde sunt nomina. Et licet, 11. Vs. p. 18. 3. Fract. 54. omnis omnium processuum summitas dicatur κεφαλὴ, *Caput*: distinctiùs tamen, de Oss. l. c. docetur, Κεφαλὴν dici τῶν αὐχένων, *Ceruicum crassius*, *seu orbiculatum caput*. Sunt autem αὐχένες, *Ceruices*, cùm siue *Processus*, siue *Appendices* longiusculè protenduntur, vt quoquo modo ceruicem, cum super imposito capite, referant. An κεφαλὴ duplex est, *maior & minor*? *Illa* nomen generis occupat: *hæc* κόνδυλος dicitur: Huc tendit Gal. 1. Mot. musc. 9. cùm τὴν γλήνην καὶ τὴν κοτύλην opponit τῇ κοτύλῃ, καὶ τῷ κονδύλῳ. Interim, tam accurati non sunt Prisci, quin aliquandò magnum etiam processum appellent κόνδυλον. Eodem modo τῷ κεφαλὴ non semper iungitur τὸ αὐχὴν. Vtraque enim vox peculiariter quid denotat. Sed neque hoc perpetuum est, quòd ἡ κορώνη, ἢ τὸ κορωνὸν vocetur processus ille, qui in acutum finem desinit. Nam 2. Vs. p. 11. αἱ κορῶναι sunt περιφερεῖς, *rotundæ*. Et 12. Vs. p. 5. processus capitis illi, quibus primam vertebram ingreditur, & super quam (vt quidem Galen. vult.) caput mouetur in obliquum, κορῶναι dicuntur. Ergo si ruat hæc hypothesis, ruent etiam species illæ, κορώνη γραφισειδὴς, κορακοειδὴς, μαστοειδὴς. Sed & cupio

monstrari

monstrari mihi loca, quibus isti processus, κορῶναι appellentur. An sunt duûm generum? aliæ acutæ, aliæ rotundæ? Certè rotundas acceptat Illust. quoque Casaubonus, Com. in Athenæum. Hinc intelligitur, verum esse, quod Galen. ait, ταῦτα τὰ ὀνόματα ἔκθλιψιν ἔχει, *quod intelligo, His nominibus varia posse obiici.* Quid enim est τὸ *Explodi* Interpr. Reuerà, quod antea etiam innui, non erant in his talib. veteres, ait, accurati aut constantes. Sed nec Natura ipsa satis constans est, quippe quæ ex appendicibus facit aliquando processus: quæ processibus imponit appendices, & contrà Hinc fit quòd Interpp. non raro metamorphoses cogitent appendicum in processus, & contra. Cum librarij sæpiculè ἀποφύσεις mutant in ἐπιφύσεις, & contrà.

§. 4. Verumtamen de verbis satis: fortassis etiam plusquam satis! Interim certa res est, perpetuò hæsitaturũ illum in lectione Hipp. & Gal. nisi gustum aliquem τῶν τεχνικῶν ῥημάτων habuerit. Ad rem. I. sentiúntne ossa? Ne debuerunt quidem, 16. Vs. p. 2. Quare etiam nulli nerui adsunt illis, interim habent περιόστεον (malè scribitur, vel περιόστιον, vel περιόστειον) sensile, de quo, vt & viscerum sanguineorum tunica ambiente, videsis Th. à Veiga, Com. in 2. Loc. aff. 2. In hoc qui dolor est, ὀστεοκόπος (non ὀστοκόπος) dicitur, 2. Caus. symp. 5. De dentium sensu ibi dicetur. II. Habentne omnia ossa medullam? Habent. Nec hilum, valet distinctio, quam Laur. & alij meditantur, nisi apud vulgus. III. Nutriuntúrne medullâ? Suo quodam modo. Neque enim simpliciter ita est, vt loquimur: Sed opus est distinctione. Nutriuntur sanguine, in medullâ contento: medulla autem seu pinguedo seruit alimento, sanguini, in partis tam solidæ intima vehendo. Hæc sententia est Arist. 2. Part. 6. quam explicaui alibi.

§. 5. Restant insignes difficultates de modis articulationum ossium inter se, quibus conabor satisfacere instituto hoc diagrãmate. Qui fusè elaboratum velit, videat in tract. de similaribus.

Connexio ossium
- aut est *sine motu*, & σύμφυσις dicitur, fitque tribus modis, per
  - ῥαφὴν, *suturam.*
  - γόμφωσιν, *eleuationem.*
  - ἁρμονίαν, *lineam.*
- aut est *cum motu*, & ἄρθρον dicitur, & diuiditur in
  - διάρθρωσιν, *dearticulationem.*
  - συνάρθρωσιν, *coarticulationem.*
  - Vtraq; fit vel per
    - ἐνάρθρωσιν.
    - ἀρθρωδίαν
    - γίγγλυμον.
    - mediante vel
      - *Carne*, & dicitur συσσάρκωσις.
      - *Cartilagine*, quæ συγχόνδρωσις.
      - *Ligamento*, quæ συνδέσμωσις.

Ab

Ab hac delineatione quantopere absint Vesalius, Columbus, Fallopius, alij, considerare possunt ij, qui longis delectantur erroribus. De vocabulis remitto lectorem ad prooemium lib. 1. de Oss.

§. 6. *Vsus* ossium paucis absoluam productis Hippocrat. verbis lib. de Natur. oss. τὰ ὀστέα, inquit, τῷ σώματι παρέχεται καὶ στάσιν, καὶ ὀρθότητα, καὶ εἶδος. *Hæc ita παραφράζω: Quòd homo stare potest firmus & erectus, & habet hanc formam, id ossibus debet.* De vsu *processuum* dico, seruire implantationi & explantationi musculorum, aut, si ita vis, tendinum. De *appendicum*, ortui & firmitati ligamentorum. De cartilagine incrustatâ iam egi.



CAPVT XVIII.

De Vnguibus.

§. 1. DE *substantia* & *figura* erudiri fortassis volent, qui sensibus vti non possunt. Quia quotidie sine dolore resecamus, quidam sentire negant. Hi non considerant totos vngues: sed eam partem tantùm, quæ exstat. Secent igitur illam partem, qua carni adhuc hærent, & dubitare desinent. An cum Bonamico dicendum est, si accipias *solum* vnguis *corpus*, quatenus est pars similaris, non sentit: sed si cum eo, *quod subiacet*, sentit omninò. Id verò non est *Tendo* in vltima parte, quo mediante cuti digitorum alligatur, vt Columbus vult, non *neruus*, qui circa radicem inseritur tendini illi: sed *membrana*, fortassis ex neruo dilatato facta, quæ toti illi substernitur.

§. 2. De *origine* iuxta & *nutritione* lites sunt, quæ sapiunt ἀρχαῖόν τι. *Sunt* ex sanguine, vt reliquæ partes. *Nutriuntur* sanguine, vt aliæ partes, secundùm trinam dimensionem. Quò minùs laborare debuit Bauh. 1. Simil. 3. excogitatis in eam rem mirabilibus distinctionibus, vt retineat in numero partium!

§. 3 *Vsus* est, quem Gal. docet 1. vs. p. 7. seruire apprehensioni rerum durarum. Hoc voluisse Platonem, voluisse etiam Arist. probo 6. var. lect. 19. & 20. Vt ne hîc quidem opus sit conciliatore. Bauh.



CAPVT XIX.

De Pilis.

§. 1. PIΞ, τριχὸς, *pilus* vnus est: κόμη, *congeries* ferè pilorum est, præcipuè in capite, *Cæsaries* Latinis vocata, *Capilli* quasi capitis pili. Ita aliis in locis sua habent nomina. In *Palpebris* βλεφαρίδες, *Cilia:* in fronte, ὀφρύες, *supercilia:* in maxilla vtraque, sed in solis viris, πώγων, *Barba:* in labio superiore, μύσταξ προπωγώνιον: in inferiore, ὑπολὼν: sub alis, τράγος, *hircus, caper:* circa pudenda, ἥβη, *pubes*, vnde locus totus ἐφήβαιον, ἐπίσειον, de qua voce mox.

§. 2. De *generatione* pilorum secutus sum olim longas Gal. nænias: nunc rem in pauca conferens, ex *sanguine* dico & generari, & ali. Interim vera est distinctio Aristot. 3. Hist. 11. & Galen. 2. Temp. 5. pilorum alios esse συγγενεῖς, *connatos, congenitos*, quos recens nati secum ex vtero afferunt: alios ὑστερογενεῖς, *postgenitos*, qui sua habent tempora in editis in lucem. De his accepto Fallopij censuram, vt in tract. de similaribus scripsi.

§. 3. *Vsus* est, tegere partes, quibus adnascuntur. Sed cur mentum viri præ muliere tectum esse debuerit non videre me fateor.



CAPVT XX.

De Glandulis.

§. 1. VΔHN (& in plur. ἀδένες) Latinis est *Glans*, *glandula*, *glandium*, à figura glandis quernæ, vti aiunt. Hoc de plerisque verum est tantùm: quædam enim sunt carnes informes, ideò συστροφαὶ ἀδενοειδεῖς, ἢ σαρκώδεις dicuntur.

§. 2. Duûm sunt generum, 2. Sem. 16. 16. Vs. p. 2. 14. Method. 11. *Quædam* enim stabiliendorum tantùm vasorum gratiâ sunt factæ, qualis est *Pancreas* in abdomine; *Thymus* in thorace; *innominatæ* quædam ad aures, & inferiorem maxillam, ad collum, quarum inflammationes χοιράδες *scrophulæ* dicuntur, quod τοῖς χοίροις, *scrophis*, sint familiares; aliæ item innominatæ sub alis; aliæ item in inguine, quarum tumores βουβῶνες vocantur, quamuis interim ipsæ etiam glandulæ ita dicantur. De tribus his posterioribus sciendum est, dici à Medicis, illas quidem

quidem *Emunctoria capitis*, quæ ad aures & collum sunt: cordis autem illas, quæ sub alis: hepatis tandem eas, quæ ad inguina. In has enim partes illæ principes solent exonerare excrementa sua. Et hæc de primo genere: *Quædam* vtilem quendam animali succum procreant, vt *Testes semen*, *Mammæ lac*, *Tonsillæ* cum glandulis illis, quæ linguæ adiacent, humorem quendam pro humectandis perpetuò partibus illis. Verùm his de rebus iterum erit dicendum infrà.



CAPVT XXI.


De Cuticula, Cute, & Membrana carnosa dicta.

§. 1. Δέρμα, ἀπὸ τοῦ δέρειν, *ab excoriando*, dicitur modò triplex propositum corpus: modò, quod medio loco iacet, Cutis: Ἐπιδερμὶς, *Cuticula*, est efflorescentia cutis, vt dicunt. Hac fortè derasa, cutis subest foraminulenta, per quæ foramina subito erumpit sanguis. Vnde apparet, & vasa cutanea in cutem desinere, & quis sit *Cuticulæ* vsus, Tegere vid. vasa illa, ne sanguis perpetuò effluat. Per eadem foramina pili elabuntur.

§. 2. *Cutis in homine* (adulto) foraminulenta est, vt dixi, adeóque nassæ piscatoriæ similis, vt Anatomici ex Platone loqui solent. In eodem homine, & paucis animalibus, statim sub cute *Pinguedo* est, quam ego ad Humores reieci. In bubus, equis, ouibus, capris, plerisque aliis immediatè sub cute est *Membrana carnosa*, Arabum Interpretibus *Panniculus carnosus*. Hæc membrana in homine, quò pinguius est indiuiduum, eò magis multiplicatur, & quidem ideò, vt pinguedo adnata stabilimentum habeat.

§. 3. Quæ huc eunt vasa, *Cutanea* dicuntur, & sunt illa, quæ hîc desinere dixi, & per quæ fit *Insensilis transpiratio*, per quæ item certis occasionibus *sudor* exit. Et de venis quidem res certa est: de arteriis autem rem dubiam fecit Galen. qua de re egi in Χρ. Physiolog. cap. 19. *Neruos habet Cutis* à subiectis partibus, omnes quidem à medulla spinali: sed quæ sensum afferunt tantùm. Nam licèt *Membrana carnosa* sit, quod dicitur: tamen mobilis non est, vt in equo, elephanto, &c.

§. 4. *Vsus cutis cum membrana carnosa* est, esse κοινὸν σκέπασμα, *commune tegumentum totius corporis*, caus. morb. 6. 14. Method. 2. Quo ipso quia vsum tantùm habet, rectè negare illi potest Gal. actionem.



SECTIO IV.

De partibus dissimilaribus, seu de Anatomia.

CAPVT XXII.

Quid sit Anatomia? & qua Methodo tradi debeat?

§. I. ANATOMH, καὶ ἀνατομία iam olim in schola Asclepiadæa dicebatur exercitium pueris solenne, in quo ostendebantur illis (δεικτικῶς tantùm) corporis partes, tam externæ, quàm internæ, *Hic est ventriculus, hoc loco situs, hac figura, ex tot tunicis factus,* &c. *Hoc est hepar, hic est lien, &c.* Cætera explicabantur postea è cathedra. Quæro, quid hîc importet τὸ ἀνὰ? Amici dictitant, *repetitam sectionem* sibi velle: ego exempla desidero. An auget significationem, vt apud Latt. *Per*? Vt ἀνατέμνω sit *diligenter seco*, quemadmodum ἀνατελέω, *cum laude perficio*, ἀνατέλλω, *manifestè prodeo*, ἀναβράσσω *valde efferuefacio*, ἀναβιβρώσκω, *tuburcinor, &c.* Hodie in Latina lingua ferè retinemus *Anatomen, Anatomiam, Anatomicen*, bono consilio. Sed quo Latino possemus vti? *Dissectio*; *Resectio* non placet. Quid si opus quidem ipsum *Prosectio* dicatur: artifex autem *Prosector*, Tertulliano præeunte? *Prosecta* enim veteres vocabant *Viscera*, quæ aperto animali statim aræ imponebant. An eodem sensu dici posset *Visceratio*, & *Viscerator*?

2. Fract. 8. extr. 2. Artic. 4.

§. 2. Hoc loco non dubito exspectari à me, explicationem illius, quod dixi, de diuisis Anatomici operibus! Quod de exercitio domestico dixi, capio ex Gal. 2. Ex. Anat. 1. vbi ἐκ παίδων ἄσκησιν vocat *Exercitium puerile*, itaque institutos, πεπαιδευμένους, *eruditos à pueritia*. Hoc exercitium vocat Gal. ἐγχείρησιν ἀνατομικὴν. Est autem ἐγχείρησις non simplex *Administratio*, sed *actio*, quam Instituendus obit ipse, exercendi sui gratia. Ideò libri Galen. inscribuntur mihi de *Exercitiis Anatomicis*. Hæc fuisse omnium prima, & quidem seorsim habita, probo ex 6. Vs. p. 12. vbi ordinem librorum Anatomicorũ proponẽs, τὰς ἐγχειρήσεις primas obitas fuisse vult, si laudabilis sit futurus progressus. Quin praxis ipsa Gal. hoc nobis persuadet. Seorsim enim scribit ἐγχειρήσεις dictas: seorsim accommodat illis libros de vsu part. vt fatetur 6. Ex. Anat. 1. & 8. Cæterùm, ex eod. 2. Ex. Anat. patet, τὰς ἐγχειρήσεις scripto comprehensas non fuisse, quamdiu possessio artis nostræ penès Asclepiadas fuit. Postquam autem communicata fuit τοῖς ἔξω τοῦ γένους, *alienigenis*, vt Gal. loquitur: tum verò opus fuisse libris. Scripsisse autem primum Dioclem Carystium.

§. 3. Hîc

§. 3. Hîc extra orbitam rapit me studium in Arist. quem æmulatum fuisse Gal. dubio caret, quamuis ille nuspiam dicat. Habemus de Arist. περὶ ἱστορίας ζώων libb. 9. quos respondere τῇ ἐγχειρήσει Gal. nescio an quisquam negare ausit. Habemus de eodem περὶ μορίων ζώων libb. 4. item περὶ γενέσεως ζώων, quinque; itémq; περὶ ψυχῆς, 3. quos ex aduerso poni libb. de vsu part. planè certum est. De prioribus hoc moneo, perinde ac hodie in scriptis Anatomicis & narrationes sunt, & picturæ: ita olim quoque fuisse conabor producere ex Arist. Primum autem hoc mihi dari volo, hoc scriptionis genus fuisse appellatum duobus nominibus, ἱστορίας, καὶ ἀνατομῆς, ἢ ἱστοριῶν καὶ ἀνατομῶν, quæ nomina modò coniungantur, more Græcis vsitato: modò alterutrum seorsim legatur. Deinde non posse de eodem accipi, hîc quidem τὰ γεγραμμένα ἐν τῇ ἱστορίαις: illic autem τὰ παραδείγματα ἢ διαγραφὰς ἐν τῇ ἀνατομαῖς. Quamobrem prius quidem de *Commentariis* intelligo: posterius autem de *picturis*. In his qui fortè fidem mihi deroget, conferat inter se hæc loca, 1. Hist. 17. 3. Hist. 1. 1. Part. 3. 3. Part. 14. 4. Gen. 2. & 7. Tale quid sæculo quoque Gal. fuisse non ausim affirmare. Et hæc quidem de historicis: de doctrina libb. vt ita appellem posteriores, statim ob oculos venit homini non ineleganti discrimen inter Philosophum & Medicum duplex. *Alterum* est, Laxiorem quidem esse Philosophum: succinctiorem autem Medicum. *Alterum*, de toto animalium ambitu Arist. agere: de solo homine Gal. Atque vt libros non metior pugno: ita certum est, Philosophi demonstrationes longè plures, prolixioresque esse quàm Medici, qui finem suum tantùm intuetur, & quidem in suo subiecto tantùm. Qui volet, contendere possit inter se libros Hist. Arist. & Exerc. Gal. ego de libris de Vs. p. hoc dico, quod anteà, complecti triplicem Arist. ordinem, sed hac differentia. Libri de Hist respondent libris Gal. tredecim prioribus, vt & decimo sexto: libri de gener. 14. & 15. libros de Anima non attingi, nisi quatenus in frōtispicio quidem disputatur, Vtrum sit prius, anima, an corpus? in fine autem de summo Naturæ artificio, quod in anterioribus etiam sæpiculè attingit. Imò si veritatem amamus, ne pertinet quidem Anima ad Medicū, quà Medicus, vt in superioribus dixi. Iam, quod attinet scripta vtriusq; multa deesse Aristoteli fateor vltrò: sed & Gal. deesse multa, ignorari nolim. Quare, qui verè doctus fieri volet in his, non contentus esse debet alterutro: sed legere vtrumque adhibita semper lampade recentiorum Anatomicorum. Tantum temporis, & tædij qui sumere non vult, non sumat sibi etiam licentiam arbitrandi de tantis viris, ne in bonam quidem partem. Nam vbi vbi error est, ibi malum quoque est.

§. 4. In hoc negotio ne fallamur, sciendum ab initio est, Anatomiam apud Gal. 1. Ex. Anat. 4. esse duplicem, *Exactam*, & *minus Exactam*. Hanc, si vsui sufficiat, vocabo *Medicam*: illam *Physicam*. Dico, *si vsui sufficiat*. Si enim falsum quid afferat, & quod in praxi errare nos faciat, ne Anatomia quidem dicenda est. Huius generis cùm non pauca sint apud Hipp. Arist. & Gal. legendi illi fuerint cum iudicio.

§. 5. Sed qua Methodo vſi ſunt veteres? Hîc ego rideo illos, qui quemuis ordinem pro Methodo habent! Imò verò ſum eius ſententiæ, Quemadmodum diſciplina ſimilarium non opus habet vlla methodo, ſed ſufficit αὐτοψία, 1.Fac.nat.6.ita nec in diſſimilarium doctrina quærendam eſſe apud veteres. Apud.Ariſt. v. g. in Hiſt. quæ Methodus eſſe poſſit,cùm à diuiſione tam partium,quàm animalium exorſus, mox diſtinguit partes in internas & externas, quarum has caput eſſe ait, thoracem (quo vocabulo vtrumque ventrem denotat)& artus: illas cerebrum, cor, pulmones, hepar,&c. De partibus eadem ferè fabula agitur. Apud Gal. quæ Methodus ſit, cùm in vtroque opere à manu incipiens, & ad pedes (propter actionis ſimilitudinem) deueniens, poſtea abdomen, thoracem, caput, oculos, &c. pertractet? Ab Anatomicis noſtris quam exigas Methodum, cùm omnes commoditatem ſectionis ſequantur? tu puta, vt in vno cadauere omnia exſequantur? Nec eſt, cur de Methodo Capiuaccij quidquam ſperes, cùm integram habeat Phyſiologiam, & eam quidem tam contortam, vt non putem aſſequi poſſe quenquam. Mihi quid videatur dicam,vbi quædam præſtruxero.

ADMONITIO.

Non poſſum hîc non monere, friuolas nimis eſſe Sennerti lib. 1. cap. 3. excuſationes, cur Anatomica non tractet? Iam habemus Anatomica ſcripta plurima: doctrina eſt prolixior, quàm *Compendio* conueniat! Tacitè enim fatetur, mancum eſſe opus ſuum, licèt *Compendio* maius. Reliqui, qui ne excuſant quidem factum, ſilentio fatentur culpam maximam. Hæc enim neſcire fas non eſt Inſtituendum.



CAPVT XXIII.


De Partibus diſsimilaribus in genere.

§. 1. HIc primùm taxandus venit error illorum, qui Hipp. per τὰ ἴσχοντα μόρια, & Galenum per τὰ στερεὰ, intellexiſſe volunt tantùm partes ὁμοιομερεῖς ſupradictas: quin intelligunt ſimul illis oppoſitas, quæ ἀνομοιομερεῖς, ἢ ὀργανικαὶ dicuntur. Nimirum, vtvt ſimilares etiam ſint ὄργανα, *inſtrumenta:* non

non dicuntur tamen. Et est alioquin delenda ex animo omnis illa doctrina de instrumentis primis, secundis, &c. quia confusionem parit: retinenda autem sola illa, quæ diuidit partes in *Similares & dissimilares*, quæ ipsæ Dissimilares verè sunt ὄργανα simul, & partes ὀργανικαὶ, *instrumentaria*. Interim aliud instrumentum est alio compositius, vt patebit ex seq. Hinc cadit Fuchsij commentum suprà tactum cap.9.§.5.

§. 2. Debemus etiam secessionem facere ab iis, qui in omni parte dissimilari requirunt quatuor partium genera, quarum *prima* sit illa, per quam fit actio, quæ etiam *princeps* dicitur, qualis est (de omnium consensu) humor crystallinus in oculo. II. illa vel illæ, sine quibus non fit actio, vt (ne ab exemplo discedam) humores reliqui in oculo, tunicæ, neruus opticus. III. illæ, per quas meliùs fit, vt musculi oculorum. IV. illæ, per quas conseruatur, vt palpebræ, cilia, supercilia, &c. Hic enim apparatus partium non est in omnibus organis: sed in perfectissimis & compositissimis tantùm. Et quis in hepate ostendat, liene, &c.

§. 3. Huic vicinum est illud, quod ab Illustriss.D. ab Aquapendente audire me memini, Non omnis actio perfecta fit ab vno instrumento, vt visio ab oculo: quin fiunt pleræque à multis, agentibus καθ' ἐντελέχειαν, *secundùm posse suum*. Habet enim se res, vt in artibus in se inuicem coordinatis, quarum vna est architectonica, reliquæ ministræ. Calceus v. g. fit à sutore tanquam architecto: sed fit à coriario, lanio, tanquam ministris conferentibus singulis suam partem. Ita vestis fit à sartore, tinctore, fullone, filatore, textore, carminatore, ouium tonsore, agentibus singulis suum. Ita sanguis fit à ventriculo, hepate, liene, corde, partibus iis omnibus, quæ excrementa abducunt, in quibus si seorsim quærere voles quatuor illa genera, errabis immensùm. Hoc valet contra Gal.4.Vs.p.12.vbi in hepate quærit partem principem; cùm 6.sent. Hippoc.6. fateatur ipse, sanguinem non fieri ab vna parte, vt reliqua quoque magna & perfecta opera. Valet contra illos quoque, qui in Musculo partem principem vestigant.



CAPVT XXIV.

Diuisio corporis humani.

§. 1. SI Medici χαρίεντες, *nobiles* esse volumus, eam corporis nostri diuisionem venari debemus, quæ explicitè doceat actiones humanas. In his enim conseruandis quia tota ars occupatur, nisi distinctè sciamus, quæ & quot sint illæ, nihil rectè egerimus. Talis est, quæ corpus diuidit, primùm

primùm in *Ventres* & *Artus*: mox ſubdiuidit, *Ventres* quidem in *Abdomen*, *thoracem*, & *caput*; *Artus* autem in *manus* & *pedes*. Hæc totidem ferè verbis traditur lib.de Inæq. int.1. & poteſt ſine magna vi extundi ex Ariſtot.1.Hiſtor.7. princip. In harum partium conſideratione dum *Actionem*, quaſi Cynoſuram quandam, præ oculis fixam gero, naſcitur mihi idea quædam actionum omnium, quæ & *Phyſiologicis* & *Pathologicis* ſatisfacit. Hanc ego hactenus pro *Methodo Anatomica* habui,& iam propono examinandam bonis, ſapientibúſque.

§. 2. *Partes diſſimilares*, ſeu organicæ ſeruiunt homini, aut quà *animal* eſt: aut quà *homo*. In vtroque ordine principatum habet *Cor*, Quæ ſeruiunt illi, quà animal, rursùs ſunt duplices. Pertinent enim vel ad τὸ εἶναι, *vt animal* ſit: vel ad τὸ εὖ εἶναι, *vt durare poſſit*, & in indiuiduo, & in ſpecie.

§. 3. Ad τὸ εἶναι pertinent omnes illæ, quæ & quatenus ſeruiunt *Sanguificationi*. Hæc *duplex* eſt. *Prima* & rudior quæ fit in *Abdomine*: *altera* & perfectior, quæ in *Thorace*.

§. 4. Ad *vtramque* quæ faciunt partes,vel *primaria* ratione & per ſe, concurrunt, vel *ſecundaria* & per accidens. *Illæ* ſunt, quæ vel præparant alimentum, vt ſunt partes *Oris*, quatenus Maſticationi ſunt dicatæ: vel in chylum mutant, vt *Ventriculus* & inteſtina præcipuè tenuia: vel ex chylo ſanguinem conficiunt, vt *Hepar*, & ſuo quodam modo lien: vel deducunt. *Deducunt*, vel cibum maſticatum in ventriculum, *Oeſophagus*: vel chylum ex ventriculo & inteſtinis in duas officinas ſanguinarias, *Vaſa meſaraica*, quæ facit *Vena-portæ* cum applicitis illi Arteriis: vel ſanguinem in dextrum cordis ventriculum, *Vena-caua* pars illa, quæ inter *Hepar* & *Cor* eſt: vel eundem in ſiniſtrum Cordis ventriculum, *Vena arterioſa*, *Arteria venoſa*: vel eundem in totum corpus didunt, hinc quidem *Vena-caua*, illinc autem *Arteria magna*: vel eundem in fœminis prægnantibus ad vterum perferunt, in συστάσει quidem fœtus *Venæ & Arteriæ hypogaſtricæ* dictæ, in αὐξήσει autem *Venæ & arteriæ vmbilicales*. *Hæ* ſunt, quæ excrementa, vel abducunt, *Inteſtina* ex parte, Lien ex parte, Pori bilarij in hepate, Renes, Vreteres: vel abducta ſeruant, *Veſica* vtraque: vel educunt, vt inteſtinum rectum, Porus bilarius in duodenum inſertus, Vaſa ex cauda lienis in Colum. Huc pertinent venæ & arteriæ hæmorrhoïdales. Pertinent etiam, in habitu quidem corporis Cutis pori per quos fit ſemper *inſenſilis tranſpiratio* dicta, aliquando *ſudor*: in certis autem partibus ſuæ quædam viæ, partim conſpicuæ, partim inconſpicuæ. *Illæ* in cerebro per os Ethmoïdes & Sphenoïdes: in oculo per puncta lacrymalia, & foramen, quod in nares pertunditur. *Hæ* in caluaria per ſuturas: in aure per tympanum: in corde, quatenus fuligines per aſperam arteriam euolant.

§. 5. Ad τὸ εὖ quæ referuntur, aut *indiuiduum* ſpectant, aut *ſpeciem*. *Primi generis* ſunt Cor, pulmo, thorax & arteriæ, quatenus famulantur

τῇ

τῇ καταψύξει, *ventilationi caloris*, & ſurſum per reſpirationem, & deorſum per pulſum. *Alterius generis* ſunt partes genitales vtriuſque ſexus, Renes, vaſa ſpermatica, teſtes. In viris ſeorſim ſcrotum, & penis: in fœminis, vterus, & ſinus pudoris.

§. 6. Et hæc de prima conſideratione: in altera fit iterum duplex partium ordo. Aut enim *immediatè* ſeruiunt *Rationi*, aut *mediatè*. *Immediatè* ſeruit illi *Memoria* & *Phantaſia*, quarum ſedes eſt cerebri corpus hoc modo temperatum. Non differunt autem ſedibus, quod vulgo perſuaſum eſt: ſed omnes ſunt in corpore cerebri, licèt nemo dicere poſſit, quomodo ſint. *Mediatè* Rationi ſeruiunt, tam *ſenſus* externi quinque, Oculi, aures, naſus, lingua, caro: quàm *Motus*, cuius proximum inſtrumentum eſt *Muſculus*. Propterea *Artus* huc faciunt, præcipuè manus, non tantùm quatenus ſeruiunt artibus & diſciplinis: ſed & quatenus alimento quærendo. Huc tandem pertinet *Vox articulata*, quæ nuncia eſt *Rationis*, & fit per *Os*, labia, nares, dentes, linguam, aſperam arteriam, præſertim caput eius, quod *Larynx* eſt, muſculos thoracis, & abdominis.

§. 7. Hîc geminam video mihi paratam litem. Cur *ſenſus externos cum motu*, facis homini proprios, cùm animalibus cæteris etiam conueniant? Cur τὸ εἶδ animalis non collocas in ſenſu *tactus*, cum Ariſt. tuo? Reſpondeo paucis: Conſidero hominem *Medicè*, adeóque ſeparo me ab omni Philoſophia. Quatenus igitur materia humana deſiderat perpetuam reſtaurationem, vt perennare poſſit: eatenus τὸ εἶδ ipſius hoc eſt. At verò Ariſt. conſiderabat totum *Entium* ambitum, tam imperfectè, quàm perfectè miſtorum, inter quæ duo ſtatuebat hunc limitem, Cùm λόγος τῆς μίξεως eò peruenit, vt ſenſus (minimùm tactus) adſit, iam eſt animal. Hunc autem Philoſophiæ campum quis iubeat me ingredi? Tum verò, Quatenus forma ſeu anima humana eò præſtantiæ peruenit, vt non tantùm ſentiat, moueatúrque, ſed & ratione vtatur: eatenus τὸ εἶδ ipſius eſt hoc totum, vno pugno comprehenſum. Interim formam hanc non intueor modò, quia, ceu dixi, Medicus quà Medicus, animam ignorat: ſed quatenus eſt ἔνυλος, *in materiam immerſa*, ſine qua actio nulla fit. Quare etiam læſa actionum harum aliqua, curo inſtrumentum tantùm, &c.



CAPVT XXV.

Partium diſsimilarium diuiſio ſpecialis.

§. 1. PARTES diſſimilares (in indiuiduo, non in ſpecie) ſunt aut *Principes*, aut *Miniſtræ*. *Illæ* de omnium conſenſu, tres

ſunt, *Cor* in thorace: *Hepar* in abdomine: *Cerebrum* in capite. *Hæ*, reliquæ omnes. Sed éſtne principatus illæ æqualis? *Eſt*, ſiquidem tres in corpore ſunt animæ, ſubſtantiâ & ſedibus differentes, vt Gal. falsò contendit. *Non eſt*, ſi anima eſt vna, vt Ariſt. ſentit, omnéſque boni. Nimirum, vt alibi deduxi, Regimen animalis eſt ſimile ſtatui *Monarchico*, in quo *Cor* eſt abſolutè princeps: *Cerebrum* Cancellarij loco eſt: *Hepar* Maior-domus. Hi enim nihil poſſunt, niſi autoritatem illis præbeat Princeps.

§. 2. Hinc intelligunt ἀλήθειαν ſuam, qui dicunt, *Cor* præferendum eſſe ratione neceſſitatis: *cerebrum*, dignitatis. Quid enim poteſt *cerebrum* ſine corde? Imò, vt ſplendorem ſuum habet Cancellarius à lumine Principis: ita cerebrum à corde. Et ſic de cæteris, vt aulicis, ita partibus. Quo habito, corruit definitio, *Partes principes ſunt, quibus mutatis mutatur totũ.* Imò verò (his quidem terminis) ſolo corde mutato mutatur totum. Aliàs non principibus tantùm mutatis hoc fit: ſed quauis alia, etiam non principe: Niſi enim pars ipſa ſit habilis, cordis opus non ſatis eſt. Et quomodo *Miniſterium* pendet ab eo, quod vel oriantur, vel non oriantur à principibus? Et quid hoc dictu eſt, *Oriuntur, ſed non ratione originis*? Scio, quid in animo habeant, triplex illud principium, de quo ſuprà, γενέσεως ῥιζώσεως, καὶ διοικήσεως Ego verò oſtendi illis Var.lect.loco ibi cit. Secundùm Gal. quoque, hepar eſſe principium venarum γενέσεως. Interim verum eſt, quod Veſalium dixiſſe ſcimus, *Nullam partem ab altera ita oriri, vt dici poſſit, illi in vtero iam perfectæ appendi aliam, cum αὐτοψία nos docuerit, eo ipſo tempore, quo fit Cor, fieri ſimul venas & arterias.* Quæritur igitur ſolum principium διοικήσεως, quod *Aquæductum* exemplo propoſui ſuprà. Pariter non intelligo, quod dicunt, *Aliæ* miniſtrantium facultatem habent, *aliæ* non habent. Scio, reſpicere illos, partim ad Artis cap. 9. partim ad 1.Loc.aff.vlt. Quod niſi rectè intelligatur, totum eſt nugatorium. Res eſt, principes agunt, miniſtræ agentibus ſubſeruiunt: ſeruiunt autem, vel ſubminiſtrata materia, vel abductis excrementis, vel aliter. Atque vt *Actio* reſpicit vel totum, vel partes: ita *miniſterium* quoque.

§. 3. His verbis quia iam attigi diſtinctionem actionum, à partibus diſſimilaribus obitarum, in publicas & priuatas, oportet eam quoque paucis explicare, Quæ fiunt à Natura in corpore animato, aut fiunt in gratiam totius animalis, aut certarum partium. *Ventriculus* v.g. chylum conficit, vt ex eo ſanguis fiat pro alimento totius corporis. Idem ventriculus ſanguinem trahit pro alimento ſuo. *Hepar* ex chylo facit ſanguinem, ſed crudiorem, cuius pars in corde vlteriùs elaborata, & ſanguini illi rudiori miſta, alit denique totum corpus. Eadem viſcera ex ſanguine ſuo parant ſibi alimentũ. Hîc manũ nobis incipit Gal. 3.Fac. nat. 13. *Vide ſordes*, vult dicere, *ne ventriculum* (eadẽ eſt hepatis & cordis ratio) *facias animal quoddã rationale*, quod pro aliis ſit ſolicitum! Huic ego oppono id, quod 5.Aph.39. ſcribit idem: Non quòd ventriculus norit,

ſuccum

succum à se confectum vtilem fore toti animali, ideò conficit, nisi fortè intellectum talem nactus est, qualem ciuitatum gubernatores: sed quia *conditor animalis* habet intellectum illum, ipsa autem pars regitur facultatibus naturalibus. Vide lib.de Humoribus, cap.12.

§. 4. Dicis, Sed vnde doctrinæ initium faciendum est? Hîc optionem volentibus do, incipiant vel ab ipso Corde, quatenus præsidet omnibus actionibus, & hîc quidem facit hoc, ibi autem illud: vel ab eo, quod primum omnium intendit, à generatione sanguinis. Hunc quia inchoat in Abdomine, libet mihi hinc quoque incipere.



CAPVT XXVI.

De Abdomine.

§. 1.  Ccipio hîc vocem, non tantùm pro inferiori parte τ̃ κύτους, *trunci*, vt Aristot. loquitur: sed & pro visceribus imi ventris omnibus. Hoc totum Græcis dicitur, vel ὑπογάστειον, quod sit ὑπὸ τῇ γαστεὶ, *sub ventriculo*, vt ego accipio, vocem: vel ἐπιγάστειον, vt disco ex 8.Ex. Anat.5. Huius partes laterales vulgò ὑποχόνδρια vocantur, quòd sint ὑπὸ τοῖς χόνδροις, *sub costis nothis*, 4.Aph.73. Ego verò puto, singulare, τὸ ὑποχόνδειον, quod alicubi inuenitur, heic etiam locum habere debere, vt τὸ ὑπογάστειον. Quoties autem pluralis vsurpatur, esse vt τὸ *Pulmones*. Hac ratione non est opus antonomasia, quã meditantur quidam, de *Hypochondrio* accipientes. Eodẽ modo ἦτρον dicatur 2.Aph.25. quamuis Gal. in Com.aliò eat. Interim, vt ὑποχόνδεια, ita κενεῶνες vocantur Hipp. λαγόνες, ἢ λαπάραι. Sunt, qui velint ἀκειβολογεῖν, & hæc nomina tribuere loco illi tantùm, qui ad tactum mollis est supra os Ilium. Mihi Gal. fauet 2.Progn.1. V.Foës. τὰ μέσα τ̃ σώματος etiam dici, probare licet ex Medico c.14. Et vtitur Gal. multis locis, quamuis Interpr. rarò animaduertant. An τὰ κτ̃, ἢ περὶ τὴν κοιλίαν idem sunt apud Hipp. Vide iterùm Foës. An τὰ ἐν καταλήψει σπλάγχνα tale quid volunt? Sed qua Latina voce vtendum est? Valde velim retineri τὸ *Hypochondria*. Qui enim *Præcordia* vertunt ex Celso, multùm turbant. Plus illi, qui vocem eandem Diaphragmati tribuunt. An *Ilia* dici possunt? Huc eunt, qui *Ossa ilium* vocant, quæ sunt τῶν κενεώνων. Huius pars media ὀμφαλὸς, *vmbilicus* est, quòd supra illum, vsque ad *scrobiculum cordis* dictum, speciali nomine aliquando ὑποχόνδριον dicitur, vt est in illo Aphor. quod infrà est, quà pili erumpunt, iam dixi vocari ἐφήβαιον, ἢ ἐπίσειον. Nimirum, hæc scriptura sola apud me, qui ἀπὸ τ̃ σείω deriuo, proba est: At reliquæ tres, ἐπίπον, ἐπείπιον, ἐπίσχιον, improbæ

improbæ sunt. Eadem pars est ἡ νειαρὴ (hæc enim est vera accentus ratio, Foësij indicio,) γαστὴρ apud Homer. Iliad. έ, duplici, vt puto, ἐκτάσει, pro νειαρὴ, iterúmque Positiuo pro Superlatiuo. Νειαρώτατος enim est idem quod νέατος, καὶ νείατος, *nouissimus, vltimus.* Hinc tu disce, quod Foësium fugit, & H. Steph. quoties apud Hipp. vox hæc est, toties sciendum est, & poëticam esse, & subaudiendum (nisi addatur) τὸ γαστήρ. Adiectiuum enim est, non substantiuum. Miraris! Hippocr. Homeri studiosissimus fuit, & sæpè cum illo locutus est. Hunc imitatum esse Aretæum 2. Acut. 1. absurdum dictu non est. Quamobrem pro *sacrum*, quod Crassus Interpr. habet, reponendum est *Imum.* Atque vt certum est, propriè significare hanc partem abdominis: ita negandum non est, impropriè etiam dici totum. Eodem modo ἡ κάτω κοιλία aliquando est *Colum intestinum*; aliquando *ventriculus*: sæpè tamen pro *Imo* quoque *ventre* vsurpatur, vt mox dicetur. Hîc duo restant mihi vocabula, ad imum ventrem pertinentia. Horum *alterum* est βουβὼν, ἡ βουβῶνες, quod πολύσημον est, nec satis distinctum à Foësio. Inuenio autem ex collatione locorum, ab ipso conquisitorum, quatuor significare. I. *Glandulas*, quæ in extimo abdomine sunt, vtrinque ad αἰδοῖα, *inguina*, quæ dicuntur *Emunctoria hepatis*, vt suprà comprehensum fuit. II. *Locum*, seu regionem ipsam dictarum glandularum. In hac significatione capitur, cùm βουβωνοκήλη dicitur quis laborare. In hac accipit etiam Aristot. 1. Hist. 14. III. *Inflammationem earundem glandularum.* IV. *Inflammationem aliarum* omnium, quouis loco sitarum. *Alterum*, περίναιος est, quod indubitato quidem significat spatiolum illud, quod est inter inguina & anum: sed duplex habet vitium. Cùm enim Neutrum sit, pro Masculino habetur. Scribo igitur, περίνεον, τὸ, & deduco ἀπὸ τῶν περινεῖν, quod est, autore Gal. in Glos. περικλύζειν ἢ περινήχεσθαι, *Circumfundere, abluere.* Vtrinque enim τῶν περινέου sunt exitus excrementorum. Scripturam hanc prorsùs vult, quod sequitur apud Galen. περιτοί, περινέω. An quia τὸ νέω significat aliquando idem, quod Latinum *Neo*, dictus videri potest locus à sutura, quæ ibi est, quamque notam esse volunt duplicitatis hominis, qua de re actum est mihi Com. in 11. vs. p. 19. Hac occasione emendo locum Aristot. allatum, & lego, μηροῦ δὲ καὶ τῆς γλουτοῦ τὸ ἔξω, περίνεον, ἡ ὑπογλουτίς. Quis enim non videt, frustrà repeti τὸ ἐντός? Cæterùm τὸ ὑπογλουτὶς, suspectum mihi est, quia alibi non inuenio.

§. 3. Abdominis partes sunt, vel *Continentes*, vel *Contenta.* *Continentes* sunt vel tres communes, Cuticula, Cutis & Membrana carnosa, de quibus non est opus pluribus: vel duæ propriæ, Musculi & Peritonæum. *Contenta* sunt duûm generum. Aut enim indiuiduo seruiunt, aut speciei. *Indiuiduo* (si naturæ ordinem spectes) seruit. I. Oesophagus seu gula. II. Ventriculus, III. Intestina, IV. Mesenterium cum Pancreate, V. Vena portæ, cum attensis illi Arteriis mesaraicis, VI. Omentum. Et *hæ* chylo famulantur. VII. Hepar, VIII. Lien. *Hæ* sanguini, Hepar quidem soli: Lien etiam excrementis.

tis. IX. Vesica bilaria cum poris suis. X. Renes cum vreteribus. XI. Vesica vrinaria cum vrethra. *Hæ* excrementis dicatæ sunt, ceu dixi. *Speciei* seruiunt. I. Renes iidem. II. Vasa spermatica, tam præparantia, quàm eiaculantia. III. Testes. Et hæc vtrique sexui communia sunt: *Viris* proprium est Scrotum & Penis: fœminis, Vterus, & sinus pudoris, ceu non ita pridem quoque dixi.

§. 4. *Vsus* totius abdominis est, *ratione indiuidui*, vt sit (quo simili Plato vtitur in Timæo, extr.) animalibus ὥσπερ φάτνη, *tanquam præsepe*, vnde partes alimentum suum capiant: quod ventriculo & intestinis adstringens Aristot. alio simili vtitur 2. Part. 3. 4. Part. 4. cùm ait, ἀντὶ γῆς εἶναι, *instar terræ esse*, vnde plantæ aluntur. Quod ipsum vt rectè intelligatur, adeóque abducantur discentes à vulgi ambagibus, oportet lumen mutuare ex antiquissimo Timæo, suprà laudato, cuius verba crassiora, vtpote ἀτεχνώτερα, hæc sunt. Τροφὰ δ' πᾶσα, ἀπὸ ῥίζας μὲν τᾶς καρδίας· παγᾶς δ' τᾶς κοιλίας, supple, ἐπάγεται τῷ σώματι. *Omne alimentum* (sanguis) *accedit corpori, à corde quidem tanquam radice: à ventre autem* (*inferiori*) *tanquam à fonte.* Q. d. facit quidem cor omnem sanguinem: sed non facit omnem in se, nempe vtitur ventris inferioris visceribus, tanquam prima officina, in qua decidatur excrementorum pars maxima. Hæc si pluribus verbis explicata velis, adeas licet Timæum Platonis. *Ratione speciei*, idem sanguis, qui alit (mistus, inquam, ex venoso & arterioso) in mare quidem præbet materiam seminis: in fœminis autem sanguinem illum, è quo fœtus & constituitur, & augescit.

§. 5. Hîc pulcherrimum restat problema, Cur abdomen sit ἀόστεον, *sine ossibus*, vt loquitur Aristot. 2. Part. 9. siue, vt idem lib. 4. cap. 10. ἀσύγκλειστον τ. πλευραῖς, *costis non perinde claudatur, vt thorax*? Vt extendi possit, tam post cibum sumptum (fit id autem necessariò, insurgente calore ad concoctionem) quàm post conceptum in fœminis. Meminit Galen. 7. vs. part. 21. & eodem modo soluit: sed Aristot. non meminit.



CAPVT XXVII.

De musculis Abdominis.

§. 1. NE longum faciã, Veteribus octo erant cogniti, vtrinque scil. quatuor, *Obliquè descendentes* duo: *Obliquè ascendentes* duo; *Recti* duo: *Transuersi* duo, media dicta *Linea alba* diuisi. Et hic est situs ipsorum naturalis, quem descripsit Galenus tribus locis, 5. Exercit. Anatom. 6. B.

Anat. musc.c.2 (. 6.Meth.4.D. Hunc mutasse illum duobus aliis locis, 5.Vs.p.14.B.5.Loc.aff.7.B. mirantur docti. Respondent iidem, factum esse hoc consulto consilio, ob scoporum Gal.veritatem. Vide, vel apud Thom.à Veiga,Com.in de Loc.aff.vel apud Pacium, Com.in Meth.vel in Χρ. Physiologicis, cap.80. His octo addidit Fallop. (quamuis alij negent illum inuenisse) duos alios, in pube collocatos, quos *Pyramidales* vocant, aut *Succenturiatos.*

§. 2. Hi musculi, *neruos* quidem habent à vertebris ferè dorsi lumbaribus: in *venis* autem, *arteriisque* differentia est. *Recti* enim hoc peculiare habent, quòd è superioribus quidem locis descendunt *Mammariæ* dictæ: ex inferioribus autem ascendunt *Epigastricæ* dictæ. Hæ in medio itinere sibi inuicem occurrentes, συναναστομοῦνται, vt meliùs & breuiùs dicam, faciúntque in fœminis consensum illum mirabilem inter vterum & mammas. Extra hoc tempus alunt dictos musculos, vt & in viris. Reliqui musculi, quo loco & *Vena-caua*, & *Arteria magna* in lumbis descendunt, antequam in ramos Iliacos distinguantur, à *Muscula* inde dicta ramos accipiunt, à quibus aluntur.

Vide infrà cap.47.

§. 3. *Vsus* est, partim ad egestionem excrementorum alui, vesicæque: partim ad ἐκφύσησιν, *hoc est, vehementem efflationem & vocem*, 4.vsu part.9. 5. vs. part.14. & 15. 6.Ex. Anat.14. Facere etiam ad fœtus exclusionem in fœminis, legeris 3. Fac. nat.3. In omnibus his actionibus quid faciat diaphragma, docebit te idem in de vsu part. In fragm. de Caus. resp. ait Musculos hos esse ἕδραν τῶν φρενῶν, *quibus diaphragma innititur.*

§. 4. Quo loci illud addendum fuerit, ex 1.Mot.musc.3. & iterum lib.2.cap.9. Musculos hos in actione sua habere proprium & peculiare quid ab omnibus aliis. Omnes, dum agunt, curuantur; dum quiescunt, recti fiunt: at hi nostri, dum agunt, recti fiunt; dum quiescunt, curui. Ratio diuersitatis est, Omnes illi pro subiecto habent corpus durum & renitens: soli hi molle.

§. 5. Quæris, cur more aliorum, non agis hîc etiam de oppositis lumborum musculis? Quia non his, sed aliis actionibus præfecti sunt. Vt enim non ita pridem dixi, Ego actionibus dispesco omnia.



CAPVT XXVIII.

De Peritonæo.

§. 1. Ἀπὸ τοῦ περιτείνειν, *à circumtendendo*, est τὸ περιτόναιον, subintellige, σκέπασμα, aut mutato genere, ὁ περιτόναιος, subaudi ὑμὴν, ἢ χιτὼν: dicitur *Membrana*, seu *tunica* illa, quæ non tantùm vniuersis *Abdominis visceribus* extrorsùm circumtenditur, eáque velut

ſacco cuidam includit: ſed & introrſum ſingulis ſeorſim peculiarem dat tunicam. Hæc ſubſtantiâ quidem *ſimilaris* eſt, exquiſitè videlicet tenuis, 5. Ex. Anat. 6. G. 6. eiuſd. op. 4. A. & 7. B. ſed conformatione, fibris, carne ſui generis, vt & vaſis triplicibus *diſſimilaris* eſt.

§. 2. *Conformatio* eſt quam dixi: Eſt enim ſacci inſtar. *Fibræ*, ſi quis vnguibus laceret, manifeſta in luce apparent. *Carnem* adeſſe, ratio ſuadet: nutritur enim. Quin & *venas*, *arteriáſque* habet, aliis locis alias. Superiùs enim ad diaphragma, contingunt Peritonæum *Phrenicæ*: ad latera, *Muſculæ* dictæ: in medio, quà recti abdominis muſculi incubant illi: *Mammariæ* & *Epigaſtricæ*. *Neruos* habet à vertebris thoracis & lumborum, è quibus etiam oriri creditur. D*iſſimilare* facit etiam illud, quòd omnibus locis duplex eſt, ſed non omnibus eiuſdem craſſitiei. Fortaſſis foramina etiam huc eunt.

§. 3. *Vſus* numerat Gal. 4. vſ. part. 9. & 10. quinque, qui ſine negotio ad pauciores redigi poſſunt. *Principaliter* adiuuat & promouet muſculorum abdominis actiones. *Minùs principaliter*, quatenus διαφράττει, *ſeparat & diuidit* viſcera à ſe inuicem, adeóque ſingula continet ſuis locis, feliciores facit eorundem actiones. Hæc Gal. mens, ab Interp. non intellecta, multùm fecit apud alios tenebrarum.



CAPVT XXIX.

De Gula, ſeu Oeſophago.

§. I. SPes eſt, & connexionem naturalem, & actionis communionem excuſaturam me. Licèt enim hæc pars per thoracem habeat viam: hoſpitem tamen eſſe fatentur omnes. Sed indignetur qui volet; De vocé Latina non laboro: Græca multis ambagibus implicita eſt. Ignotum mihi eſſe non poteſt inuſitatum οἴω, à quo futurum οἴσω, quod refertur ad vſitatum φέρω: ſed quomodo cohæret cum τὸ φάγειν, quod actionem denotat? Noui τὸ φάγημα, quod prætendunt quidam: ſed incurrit in idem. An primus ὀνοματοθέτης ſcripſit εἰσωφάγος? Hoc cùm ſcriba quidam mutaſſet, manſit poſteà, vt ſæpè queritur Gal. Hoc tantò facilius creditu eſt, quò verius eſſe puto, ne olim quidem in pronunciatione οι & ει fuiſſe diſcrimen. Huic opinioni fauet ſcriptura Latina, *Iſophagus*, ab aliis damnata. Quidquid ſit, maneo in ſententia, quam alibi dixi de loco Ariſtot. 1. Hiſtor. 16 corrigendum eſſe, vt hic fiat ſenſus: *Oeſophagum eſſe nomen: ςόμαχον eſſe cognomen*, factum ab anguſtia. Vide Xρ. Phyſiologicas noſtras, cap. 113.

§. 2. Initium quidem *Gula* habet in imis faucibus, vltra laryngem, vt

vt necesse sit, quidquid cibi & potus vult ingredi, superet *Epiglottida*, quæ est operculum laryngis: finem autem in abdomine, quà ventriculus subiacet diaphragmati, & vocatur finis ille στόμαχος, impropriè accepto vocabulo, seu *orificium superius ventriculi*. Iter igitur facit, non per colli longitudinem tantùm deorsùm: sed & per totum spatium illud, quod thoracis est, semitâ non rectâ, sed tortuosâ, quam legere te volo ex Anatomicis.

§. 3. Accipit secum ex palato tunicam internam, (eadem asperam quoque arteriam intùs totam inuestit) *Neruosam* dictam, quam exteriùs obducit *Carnosa* dicta, cui iterum exteriùs obuoluitur alia Communis, in collo quidem à vertebris orta: in thorace autem à pleura: in abdomine tandem à Peritonæo. Constat ergo tribus tunicis.

§. 4. De harum *media*, seu *Carnosa* dubium est, An non sit musculus? Dico διαῤῥήδην, *Est*. Nam & substantia ipsius ad oculum musculosa est: & conuulsiones, paralysesque patitur, non secùs ac alij musculi.

§. 5. Hinc pendet decisio controuersiæ, *Qualis actio sit deglutitio?* Gulæ enim deberi hanc in confesso est. Dico, *Est merè animalis*, seu *voluntaria*. Nam non tantùm *Carnosa* dicta tunica nos ducit eò: sed & musculi *Oesophagæi* dicti, de quibus in Faucibus aliquid.

§. 6. *Venas* habet, in collo quidem & thorace à *Venæ cauæ* ramis illis, qui in musculos, partésque vicinas ibi sparguntur: in abdomine autem à ramo *Coronario venæ portæ*. Ita, *Arterias* habet, superiùs quidem, & in thorace à ramis è trunco arteriæ magnæ exeuntibus: inferiùs autem à *Cœliacæ* ramo itidem *Coronario*. *Neruos* accipit, in descensu quidem à sexto cerebri pari laterales: in ipso autem abdomine, quà ventriculo nectitur, ab eodem *sexto pari* multos insignes, vnde à Galen. αἰσθητικώτατον πῶς vocatur *Os ventriculi*. Hac de re mox iterum.

§. 7. Vsum dixi.



CAPVT XXX.

De ventriculo.

§. 1. 

APVD Græcos tria sunt vocabula, κοιλία, γαστὴρ καὶ νηδὺς, quæ aliquando latissimè accipiuntur pro omni cauitate: aliquando pressiùs pro abdomine, seu inferiore ventre toto, sed tum ferè additur ἡ κάτω, ad differentiam thoracis, qui est ἡ ἄνω κοιλία: aliquando pressissimè, pro sola hac parte, de qua propositum est agere. Interim aliquando (cuius rei indicium suprà quoque feci) ἡ ἄνω κοιλία est *Ventriculus*, cui opponitur *Colum*, quod est ἡ κάτω κοιλία. Ad hanc confusionem

sionem accedit, quòd Gal. *Ventriculum* extendit ad *Intestina* quoque, vt infrà dicam. Quamobrem consultum qui vult sibi, inspiciat diligenter locum, quem præ oculis habet,& inde statuat, de qua ex his omnibus appellationibus sermo sit. Nostris moribus, *Venter*,sed frequentiùs in forma diminutiua.*Ventriculus*,simpliciter quidẽ dicitur hæc pars,cùm contra distinguitur ab *Intestinis*: cum adiectione autem, *Ventriculus cerebri*,cordis,renum,&c. cùm de iis partibus accipitur,quæ adduntur.

§. 2. Hoc loco liceat mihi παρέκβασιν facere. In homine, & aliis animalibus non ruminantibus, vnus & simplex est *Ventriculus*: cui qui proportione respondet in ruminantibus (μηρυκάζοντα vocant Græci) ab Arist.2.Hist.17. κοιλία ἡ μεγάλη vocatur, *Venter magnus*. Reliqui tres (tot enim sunt) vno quidẽ nomine appellãtur,3.Part.14.ἀποφυάδες ἢ ἐκφυάδες ἄνω,*appẽdices superiores*,in quibus ὥσπερ ἐν πελλακκίοις,inquit Philosophus, coquitur alimentum,ad differentiam piscium,in quibus ἀποφυάδες illæ κάτω, *inferiùs* sunt, ad intestina: singuli autem singulis vocantur nominibus, ὁ κεκρύφαλος, ὁ ἐχῖνος, τὸ ἤνυστρον. Quo loco vt in *Reticulum* Gazæ consentio: ita in *Omasum & Abomasum* minimè. Vide in Intestino recto.Illustr.Scaliger,Apotelesf.147.*Inuolucrum* nobis dat *Erinaceum*, & *Asellum*, voce Aquitanica rustica, qui & *Faliscum* Varronis admittit. Vellem absque ambagibus istis, retineri Græca. In Latinis, enim licet vnicuique ingenioso esse. Sed cur ventriculi hi sunt ὥσπερ πελλάκκια, *quasi lacuna*, inquit Gaza? λάκκος, à quo Lat. *Lacus*, facit λάκκιον, *Lacuna*, seu *Lacunula*. πέλλακκοι igitur & πελλάκκια sunt in vindemia vasa illa, in quibus fit vinum πρότροπον dictum.

§. 3. In homine *ventriculus ille vnus* statim sub diaphragmate situs est: Quod cùm disertè dicat Philosophus, 3.Part.14.non est opus certamine, quod excitant quidam ex 1.Hist.17. Vide 2.Var.lect.26. *Figura* est porcino non dissimilis,quo vtuntur Musici vtricularij. Quare ridere soleo eos, qui comparant cum vtre isto canoro. Ventriculum enim cum ventriculo comparant.

§. 4. *Orificia* habet duo, dextrum & sinistrum. Per *hoc* ingreditur cibus, potúsque, & dicitur priscis καρδία, *Cor*, στῆθος apud Hipp. (vbi non oportet vertere, vel *sternum*, vel *pectus*) ob symptomata quædam grauiora,v.g. lypothymiam,quam inferre solet. Hinc etiam ἡ καρδιαλγία, ὁ καρδιωγμὸς,qui sunt affectus, non cordis, sed huius partis. Dicitur etiam στόμα τῆς γαστρὸς, *os ventriculi*: item στόμαχος, sed, vt dixi, impropriè accepto vocabulo. Vide Foësium in στόμαχος. Per *illud* chylus iam factus, & perfectus egreditur, & dicitur locus πυλωρὸς, quasi τὰς πύλας ὡρῶν, *ianuæ custos*, *Ianitor*. Hic cura opus est, ne decipiamur. Cùm enim prisci sibi imaginarentur, *chylum* non posse egredi, nisi per locum decliuem, putarunt *dextrum* hoc *orificium* in fundo ventriculi esse, vt testantur picturæ quædam antiquæ. Ideò, *sinistrum* quidem *orificium* appellarunt *superius*: *dextrum* autem *inferius*. Et ne tu facilè contemnas, scito Galenum quoque huc itare, cùm 4. Vs. part.7. κατὰ τὴν πυθμένα,

circa fundum ventriculi esse ait. Imò verò vtrumque est in eadem diametro. Vide Bauh. 1. Theat. 46. f. 309 in marg. Rursùs *vtrumque* habet peculiare quid. *Dextrum* quidem neruorum cumulum insignem, è sexto cerebri pari, vt dixi, ob quos tam exquisitè sentit: *Sinistrum* autem substantiam glandulosam, quæ creditur musculi vicem obire in clausione & apertione eius, ne chylus intempestiuiùs elabatur.

§. 5. Temerè litigant quidam, in *dextris*, an in *sinistris* sit ventriculus? Reuerà est in medio abdomine, sed non exactè. Quia enim hepar in dextris est, cedit illi aliquantulum, & fit inde, vt maior & capacior ipsius pars sit in *sinistris*. Hoc quia sensus stabilit, non debet nos morari auctoritas Cod. MS. Gal. qui habent, ἐν δεξιοῖς. Dixi etiâ de re Notis in locum illum Gal. vbi etiam παραμυθίαν pro illo πυθμένα quæsiui.

§. 6. *Sursùm* quidem diaphragmati nectitur, mediante *œsophago*, tam per pleuram, quàm per peritonæum: *deorsùm* autem omento, & quibus omentum ipsum ligatur partibus. Ita à *dextris* hepati colligatur per ligamentum quoddam membraneum: à *sinistris* lieni, beneficio omenti: *dorso*, peritonæi.

§. 7. *Substantiam* habet tunicaceam, vt sic dicam, sed cum insigni tunicarum differentia. Tres enim cùm sint, *interna* est neruosa, qualis sc. ex palato per œsophagum descendit, & est in gallinis illa, cuius vsus in pulueribus pepticis. *Externa* (si de propriis loquare) carnosa est, & musculosa, qualis (puta) cum œsophago huc venit, & est in gallinis, anseribus, auibus omnibus, ea quæ carnem præ se fert sui generis, fungosam, inquam, & crassam, quæ procul dubio egregiè promouet coctionem seminum, quibus vescuntur. *Extima* tandem, & iam *communis*, à peritonæo est; ideò valdè sensilis. His addunt Anatomici interiùs *Crustam* quandam *carneam*, vt vocant, de quâ in intestinis.

§. 8. *Venas* quidem accipit à solâ *Porta venâ*, nullas à caua, licèt quibusdam id visum fuerit: *arterias* autem à sola *Cœliaca* dicta. De his iam monendum est illud, vasa hæc in ruborem dare illos, qui ventriculum chylo volunt nutriri. Quorsùm enim sanguis, qui per hæc ascendit? Sed trahúntne etiam chylum, & ad hepar (vt illi dicunt) deponunt? Quidam simpliciter id admittunt: quidam nonnisi tempore necessitatis. Ego cum neutris esse possum. Chyli enim iter per vasa *Mesaraica* est, vt dicetur. *Neruos* ex sextâ cerebri coniugatione habet multos & insignes, præcipuè *Os ipsius*, vt dixi, ob quos tam acutè sentit, vt Gal. dicat esse αἰσθητικὸν πῶς.

§. 9. *Vsus* ventriculi vulgo etiam cognitus est, *Chylificare*, seu primam dictam coctionem absoluere. Præstat id autem, non calore proprio, qui exiguus est, sed viscerum sanguineorum adiacentium, præcipuè hepatis. Ideò Gal. 4. Vs. p. 8. extr. viscera illa ait, οἷ θερμάσματα τῆς κοιλίας, *quasi foculos quosdam igniarios*. His cap. 9. seq. *Omentum adnumerat*.

Et

Et 3.Fac.nat.7.ventriculum comparat magno *lebeti*, qui plures igniculos subter habeat.



CAPVT XXXI.

De Intestinis.

§. I. TA ἔντερα, *Intestina* sunto Medicis: siquæ aliæ appellationes in aliis autoribus sunt, illæ ad nos non pertinent. Videntur autem admonenda duo esse. *Alterum*, quia intestina nihil aliud sunt quàm *Ventriculus continuatus*, adeóque vnum corpus, dici illa sæpè in singulari ἔντερον. Tamen, si quis μεταπλασμὸν hîc velit, Græcis non infrequentem, possit id. *Alterum*, veteribus Latinis appellata fuisse *Lactes*, ab albo & lacteo succo, quem continent. Quam ob rem falli Asellium, & quicumque illi adstipulantur, docentes, *Lactes esse nouum inuentum.* Huc me iubet ire Asellius ipse, cap.11.Tract.sui.

§. 2. Cæterum, quia à Medicis diuisa sunt εἰς λεπτὰ, καὶ παχέα, *tenuia, graciliáue, & crassa*; & vtraque rursùs in tria alia: fas est nos illos sequi, vel ideò, quia distinctio in praxi magnum vsum habet.

§. 3. *Tenuium* I. olim in censu intestinorum non erat, quod non circumuoluatur, vt reliqua, sed rectà deorsum feratur. Et licèt (ceu innui) omnia sint ἐκφύσεις τῆ γαστρὸς: tamen hoc solum, aut simpliciter ἔκφυσις vocatur, aut (vt modò dixi) ἔκφυσις τῆ γαστρὸς, ἐκ γαστρὸς, τῆ ἐντέρων, εἰς τὰ ἔντερα. Dicitur etiam ἔκφυσις δωδεκαδάκτυλος, aut simpliciter δωδεκαδάκτυλον, *duodenum* subintellige ἔντερον. *Appellatio* est ab Herophilo, 6.Ex.Anat.9.qui in cadaueribus longitudinem illam, quæ est vsque ad circumuolutionem, metitus est 12.digitis transuersis. Verùm hoc rariss. est: Est enim in quibusdam quatuor tantùm digitorum, in quibusdam sex, & sic deinceps. *Terminus* est quem dixi, quo loci vtplurimùm etiam infigitur porus bilarius. Dixi *vtplurimùm.* Non magis enim certus est insertionis locus, quàm longitudo 12. digitorum.

§. 4. *Tenuium* II. ἡ νῆστις, aut vt alij scribunt, νῆστις, *Ieiunum*, ideò sic dictum, quod ferè semper vacuum seu inane offendatur. Causa est triplex. 1. plurima & insignia vasa Mesaraica, quasi certatim rapientia chylum. 2. Chyli ipsius liquiditas, ob quam facilè tractum sequitur. 3. Hepatis vicinia. Qui volet addere quartam, *Bilis* recentis acrimoniam, qua de re alibi, addat. Qui hoc intestinum à Galen. dici volunt *Tenue*, falluntur. Si quando enim in singulari loquitur, more Aristot. intelligit totum tenuium omnium ductum. Vbi *incipiat*, indicaui: vbi *desinat*, facile dictu non est. Piccolhominus definit

L longi

longitudinem 12. palmorum. Hoc fortassis est verum *vtplurimum*, vt in dodecadactylo. Propterea tutius est dicere, Quamdiu liuet, & inane est: at verò cùm turgidulum fit cum rubedine, *Ileon* est. Ratio est, exhausta iam potiori chyli parte, incipiunt se ostendere stercora. Hoc argumentum est contra illos, qui simpliciter affirmant, in *crassis* demum fieri ista.

§. 5. *Tenuium* III. iam est illud, quod Gal. *Tenue* vocat 5.Vs.p.3. 6.Ex.Anat.9.Anat.ven.1. Qui eidem εἰλεὸν ἀπὸ τοῦ εἰλεῖσθαι, *à conuoluendo* dictum aiunt, ab iis cupio mihi exhiberi locum vnicum. Persuasit enim mihi summus vir, Massaria 3. Pract. 19. nomen hoc conuenire illi tantùm morbo, in quo intestina in se conuolui, & fidium instar intorqueri aiunt. Ad morbum igitur pertinet appellatio: ad partem affectam non pertinet, vt in aliis quibusdam accidit. Hoc *initium* capit, vbi dixi, vbi (inquit Gal. in de Exerc.) neque vacuum reperitur, neque tot scatet vasis: *desinit*, qua parte *Valuula Coli* est, de qua dicetur; longitudine palmorum 20. præterpropter.

§. 6. *Crassorum* I. est τυφλὸν, *Cæcum* iam olim dictum, seu *Monoculum*. Posuerunt autem nomen illi, qui porcos secabant, non homines. In porcis enim est ἀποφυὰς illa, vt Arist. vocaret, quæ regione illa, qua *Valuulam* esse dixi, pendet imperuia, & nominatur à nostris *der dumpfel*. In homine est *funiculus* quidam, vermiculo similis, non perforatus, ideóque σημείου χάριν, *notæ gratia potiùs, quàm vllius vsus*, Qui, hoc neglecto, *primam Coli cellam*, vt sic dicam, ita vocant, falluntur vehementer.

§. 7. *Crassorum* II. κῶλον (Poëticè κόλον) in quo ferè stabulat famosissimus morbus, *Colicus dolor* dictus. Hoc initium sumit in dextro latere, quà ren dexter est, & surgendo versùs hepatis caua, transuerso itinere sub ventriculo (qui insidet illi) versùs sinistra tendit, & superato liene sensim deorsum labitur vsque ad os pubis. Ibi verò subsistens, tollit se iterum sursùm versùs renem sinistrum, sed non peruenit: mox iterum delabens, finit in *Rectum intestinum*. Iam hîc peculiariter notanda sunt quædam. 1. & valdè insigne est iter illud, quod designaui: Hoc enim cognito, liberabimus nos ab errore vetustissimo, qui est, *Tenuia* quidem intestina omnia supra vmbilicum esse: *crassa* autem contrà, infrà. Imò & tenuia quædam sunt in imo ventre, quà vasa spermatica in scrotum excidunt, & fiunt ramices, non crassis, sed tenuibus excidentibus: & ex crassis *Colum*, vt descripsi, inequitat omnibus tenuibus. Sed vnde manauit error? In *canibus* est ita, vt veteres putabant: in homine secùs. Hoc scitu dignum est, non propter *Colicum dolorem* tantùm: sed & propter dysenteriam, diarrhœam, &c. 2. est *anfractus* ille, quem dixi, quem Illustr. D. Bauhinum anno 1605. in cadauere muliebri, diligenter nobis commendare memini. Ob hunc enim tamdiu perennant dolores quidam *Colici*, quia clysteres rarò superant illum. 3. sunt *cellæ*, huius intestini propriæ, in quibus

&

& pituita, & flatus, quin aliquando bilis, tam pertinaciter hæret, vt nullis clysteribus exhauriri possit. Eadem dysenteriæ est ratio. 4. *Valuula* est, de qua dixi, quæ in causa est, quòd clysteres nunquam ascendant ad tenuia intestina. In his igitur si sit causa morbi, quomodo eiiciemus illam?

§. 8. *Crassorum* III. est ἀπευθυσμένον, *Rectum* ab omnibus dictum, quòd recto itinere (hanc ob causam aliquando non numeratur cum intestinis) desinat in ἀρχὸν ἢ πρωκτὸν, *anum*, seu *podicem*. Hoc tres habet musculos, vnum σφιγκτῆρα, *constrictorem* dictum, cuius vsus prohibere, ne excrementa inuitis nobis elabantur: duos *Leuatores*, ne anus facilè procidat, χαλαρὸς quippe, *laxus*, *sua natura*, vt ex Hippocr. docet Gal. de Anat. vt. 1. De hoc peculiariter notandum est, obduci exteriùs multa pinguedine, quam lanij, verso intestino, interiùs esse mentiuntur. Hinc in dysenteria exspectantur corpora pinguia ab initio statim, qua de re vide-sis Xρ. Physiolog. nostras, c. 122. Iam addo, olim quoque factitatam esse fraudem, & dictum *Omasum* nihil aliud esse quam *Intestinum rectum*. Fallitur ergo insigniter Gaza, qui secundo brutorum ventri, ἐχίνῳ apud Arist. tribuit. *Abomasum* eiusdem prorsus est fictitium, nedum sit ἤνυστρον. Nostri cerebro aromatis condito implent, & vocant *hirnvviirsten*.

§. 9. Omnium intestinorum *substantia* est eadem, talis scil. qualis ventriculi, contexta ex duabus tunicis propriis, & vna communi. Interim has tunicas (proprias) habere vnum tantùm fibrarum genus, transuersarum, idque ob *finem* Gal. contendit. Hoc variè exagitatur, & huius loci non est. His tribus tunicis addunt Nostri *Crustam carneam* dictam, cuius origo creditur esse pituita naturalis; ideò hoc loco condensata, vt præstet armaturam quandam intestinis, contra humorum acrium influxum. Hæc constituit ξύσματα, *ramenta* illa apud veteres, quæ sunt dysenteriæ pathognomicum signum, vt in Xρ. Patholog. docui. Ex hac gigni *Lumbricum latum* dictum, volunt Practici. De vasis iam dicetur peculiari cap.

§. 10. Intestinorum *vsus primarius* est, seruire distributioni chyli, quod Naturæ consilium diligenter exequitur Gal. 4. Vs. part. 17. Huius *consectarium* est, locum præbere excrementis, vsque dum suo tempore deponantur. Dum enim vasa Mesaraïca exugunt quod vtile est, relinquitur hîc quod inutile est. Hinc adeò posteriora tam ampla & capacia sunt, vt latere possint excrementa aliquantisper. *Secundarius* vsus est, perficere interea temporis chylum, argumento, quòd in eum finem incubare illis videatur *Omentum*, de quo mox.

CAPVT XXXII.

De Mesenterio, & illi implicitis vasis, necnon de Pancreate.

§. 1. MΕΣΕΝΤΕΡΟΝ, & frequentiùs μεσεντέριον, non est *Intestinum*, aut *Intestinulum* quoddam medio loco positum, vt Cic. intellexit: sed pars illa, quæ ἐν μέσῳ τῶν ἐντέρων, *in medio intestinorum* collocata est. Ex his intestinis, quia via in hepar arcta & angusta est, puto dictum fuisse μεσάραιον (non μεσαρεῖον) & ἀγγεῖα μεσαραϊκά, *q. Mediangustum*, & *Mediangusta*. τὸ ἀραιὸς enim inter alia *Angustus* est. Et quid *Rarũ* hîc sit, cùm & densè stipata sint, & numerosa vasa? Ita fuerit compositio, qualis est in στενυγροχωρία. 1. Art. 66. & 3. Art. 8. vno verbo, vt nihil aliud sit, quàm simplex.

§. 2. Apud Hippocr. 6. Epid. 4. t. 7. locus est, de quo obiter arbitrabor hîc, vt & de altero in Gloss. Gal. Ait Hippoc. in epid. Intestina suspendi ἐκ τῶν μεσοκώλον. Et Gal. quidem, cum quo Vallesl. esse vult, explicant per illa, ἐκ τῶν μεσεντερείων, metaplasmo, pro μεσοκώλου ἢ μεσεντερείου, vt ego puto: at Foësius, cùm in OEcon. silentio sibi cauisset. Annot. in Epid. exponit de *origine Mesenterij* ex vertebris dorsi. Mihi succurrit locus Gal. ex Gloss. corruptissimus & ipse, sed ex quo sperem aliquid lucis. Κωλεὸς, inquit, τὸ κῶλον ἐν τῷ τρώματι. Lego σώματι, & pergo, μεσοκώλεον δ' ἡ ἐξάρτησις αὐτοῦ. Ita autem puto, τὸ κωλεὸς scribi hîc per ἔκτασιν quemadmodum aliàs κουλεὸς pro κολεὸς, *Vagina*, cui intestina assimilari àbsurdi nihil est, licèt autoritate aliâ, præterquam Gal. illa, destituar. Ita apud Hipp. leg. fuerit, ἐκ τῶν μεσοκωλέων, è quibus, quia ἠρτῆσθαι ait τὰ κῶλα, formo inde sequentia apud Galen. & explico: μεσοκώλεον *autem locus, quà suspenditur, vertebræ sc. dorsi, nisi mauis distinctè, prima & secunda lumborum.* An licet inde succurrere τῷ μεσίβλημα, in iisdem Glossis? vt legamus, puta, non μεσοκώλων, vti Foësius vult: sed μεσοκώλεον, ὡς εἰ καὶ μεσεντέρων εἰρῆσθαι.

§. 3. *Venæ Mesaraicæ* vt magni sunt nominis apud omnes: ita *arteriæ* penè intermortuæ sunt apud vulgus nostrum. *De venis* res ita habet. *Vena Porta* non est, vt suprà iudicari, vas quoddam naturâ distinctum à *Venâ cauâ*: quin est appendix (nihil enim prohibet me ita loqui) illius, vt Ill. Bauh. nos docet 1. Theat. tab. 34. ne de aliis dicam. Hæc è simis hepatis egressa, diuiditur in ramum *Mesentericum* seu *dextrum*, & *Splenicum* seu *sinistrum*, quorum *hic* in lienem absumitur, *ille* constituit nobiles illas *venas Mesaraicas*. Ramus enim ille dexter, diuisus in venulas tantumnon infinitas, & suprà, infráque tectas propagine

gine peritonæi, pergit ad intestina, è quibus *Chylum* haustum defert sursum ad hepar: Quo loco stant plerique Anatomici, credentes omnem illum chylum ingredi hepar: ego verò, persuasus multis & prægnantibus rationibus, dico, verum quidem esse, quòd chylus omnis per venas dictas sursum eat ad portas hepatis: falsum autem esse, omnem recepi in *hepar*. Vbi enim eò peruenit *ramus sinister* seu *Splenicus* *αὐτοπαστῶ*, vt Aristot. loquitur, *chyli partem impuriorem quandam ad Lienem rapit*.


§. 4. De arteriis ita: *Arteriæ magnæ truncus*, per abdomen descendens, tres emittit ramos insignes, *Cœliacam*, & *Mesentericam duplicem*, quę in totidē ferè propagines diuiduntur, in quot *Vena portæ* diuisa est. Harum *Mesentericæ*, eodem prorsus modo, quo *venæ Mesaraicæ*, distributæ, & in tunicas intestinorum, quo illæ modo, implantatæ, chylum procul dubio etiam hauriunt: sed quò deponunt? Cùm in eo sunt, vt in *Arteriam magnam*, matrem suam, effundant, superuenit *Cœliacæ ramus sinister*, *Arteria Splenica* inde dicta, & ad Lienem defert.

§. 5. Præter *hæc vasa*, (quæ simul *nutriunt* intestina) *Nerui* etiam adsunt, partim ex sexto cerebri pari, partim ex medullâ spinali.

§. 6. Hæc trium generum vasa, vt tutiùs eant, interiectæ ipsis sunt *glandulæ* plurimæ, & inter has vna insignis, πάγκρεας ἢ καλλίκρεας dicta.

§. 7. *Tegunt hæc* omnia vtrinque *duæ*, vt dixi, *membranæ*, à peritonæo quidem ortæ: sed primis duabus lumborum vertebris firmissimè alligatæ, vt inde credantur ortum sumsisse.

§. 8. *Vsus* iam dictus est. Huic addo: *venæ* quidem *portæ terminus* hic est; est & *Arteriæ* correspondentis. In quibus cùm sit intemperantia nostra, vt Scherbius loqui solebat; non habeant autem exitum alium, quàm per aluum: opus esse diligentiâ, ne quotidianâ ingluuie aucta excrementa perniciem nobis afferant. Certæ plurimæ hîc fiunt obstructiones, in quibus expugnandis quantoperè sudant Medici!



CAPVT XXXIII.

De Omento.

§. 1. ΕΠΙΠΛΟΟΝ, aut contractè ἐπίπλουν, dicitur, ὅτι ἐπιπλέει τοῖς ἐντέροις, *quia quasi innatat intestinis*. Omentum latiùs olim patuisse puto, quia & meningibus cerebri attributum. Omasum huc non facit. Habet enim primam breuem.

§. 2. In huius origine indaganda opus est cura. Breuiter, Ala constat

constat duplici, inferiori & superiori. *Illa* immediatè à peritonæo est, quà dorso incumbit, sub ventriculo: *hæc* mediatè, à tunica ventriculi communi. Hinc initio facto, iunctisque oris tam in dextro, quàm in sinistro latere, sensim descendunt alæ, & paulo pòst in angustum contractæ, manicam quandam Hipp. à Pharmacopolis dictam, constituunt, quæ in quibusdam circa vmbilici regionem desinit, in quibusdam ad pubem vsque descendit. Ob hanc formam, quâ (inquam) saccum seu marsupium exprimit, à Recent. dicitur σαγλὼν ἢ γαςγαμὼν, à *retis* videlicet specie illa, quæ *sacciperium* repræsentat.

§. 3. Noto, Illustr. D. ab Aquapendente de hac parte explicare Aph. 54. sect. 7. *Quibus inter ventriculum*, &c. itaque soluere ingentem difficultatem. Memini illum insumere totam horam in eius rei explicatione.

§. 4. Dubitatum fuit olim, An omninò pars sit? Respondit Paternus, autore Scherbio, Est, cum pinguedine sua. Huic oppono Arist. 3. Histor. 14. In quibusdam esse pingue, in quibusdam non esse. Ne verò tu putes Philosophum de aliis animalibus agere, accipe experientiam eorum, qui compererunt, venatores, aliósque minus otiosos & delicatos, meram habuisse membranam.

§. 5. *Vasa* quidem eius omnia esse à *Porta*, & *Cœliaca* certum est, verumtamen cum hac distinctione. Ala *superior* accipit mediante ventriculo: *inferior* à ramo splenico, eique proportionata *Cœliaca*. Hæc numerare operosius quàm vtilius fuerit. *Neruos* habet paucos à sexto cerebri pari.

§. 6. *Connectitur* dorso, & ventriculo semper, vt & Colo: hepati, qua parte sunt ὑσφηκορυφώσεις Hippocr. nuper dictæ, lieni, diaphragmati non semper. Cætera, ab intestinis prorsùs liberum est, vnde fit, vt in mortuis semper sit retractum ad lienem. Accidit hoc, quia animal exspirando moritur, quo tempore diaphragma trahit secum appensa viscera.

§. 7. *Vsum* tribuit illi Arist. 4. Part. 3. & Gal. 4. vs. p. 9. adiuuare concoctionem intestinorum. Habet etiam Gal. experimentum de gladiatore, cui sua experimenta opponit Riolanus noster. Mihi non liquet.



CAPVT XXXIV.

De Hepate.

§. 1. HΠΑΡ scribendum esse & pronuntiandum, quemadmodum apud Latinos quoque, *Hepar*, cogunt fateri nos illa, ἐφ' ἥπατος, & alia. *Primiuum* esse, & frustrà quæri deriuationes, certus sum.

ſum. An autem vllam affinitatem habeat cum τῷ *Iecur*, valdè neſcio, vel ideò quia *Iecinus* illi dixerunt, vnde ſunt obliqui, *Iecinoris*, & *Iecicinori*, vt & plurale, *Iecinora*. Iocinora puto eſſe in vitio. Sed cur plurali vtimur? In quibus diuiſum in lobos eſt, vt iam dicetur, apparent duo eſſe, vt & in pulmonibus fit.

§. 2. *Situm* quidem eſt in eadem cum ventriculo diametro, ad eiuſdem latus dextrum: ſed amplexando illum, valdè repit versùs ſiniſtra. Nam *os ventriculi*, quod in ſiniſtris eſt, quaſi ſequitur, & acumine ſuo ambit, fouendi illius gratia.

§. 3. *Subſtantia* quidem carnea eſt, ſed ex eo genere, quod παρέγχυμα vocaſſe Eraſiſtratum ſuprà ſcripſimus. Hanc carnem forinſecùs tuetur *membrana* à Peritonæo enata. Ab hoc ipſo habet *ligamenta* duo inſignia, quorum veneficio appenditur *Diaphragmati*. Horum alterum *ſuſpenſorium* dicitur. Præter hæc ligamenta, *Vena vmbilicalis*, vmbilico innexa, creditur illi ſuſtentaculum præbere. Vide Fabricium noſtrum Hild. 1. Obſ. 53. 2. Obſ. 58.

§. 4. *Conformatio* conſiſtit in tribus, & I. *in Figura*. Figuram, dicunt, habet non propriam, ſed qualem permittunt partes vicinæ, poſtulántque adeò vaſa integenda. Conſideramus in illo, καὶ τὰ κυφὰ, ἢ κυρτὰ, *partem conuexam*, ſeu gibbam, quà ſpectat diaphragma: καὶ τὰ σιμὰ ἢ κοῖλα, partem *concauam*, ſeu ſimam, quà inteſtina. Ex *illis* creditur enaſci *Vena caua*, & deſcendere versùs medium hepatis: ex *his Vena porta*, & aſcendere versùs idem medium, vt per ἀναστομώσεις mutuas coniungantur. Hoc tamen αὐτοψία refutat, vt iam dicam. Tu verò cautus eſto in gibbis & ſimis, ne vel vni parti tribuas vtramque appellationem, vel inuertas, cuius rei exempla in promptu habeo: verùm parco nominibus.

§. 5. II. In *Cauitatibus*, quas vaſa conſtituunt. Hæc ſunt, non illa tantùm quæ dixi, *Vena caua*, & *Porta*: ſed *Vmbilicalis* quoque, vt oſtendi in Phyſiologicis ſuprà laudatis. Eadem non ſunt conſtructa, vt ij volunt, qui ex Gal. potiùs ſapere volunt, quàm ex Naturæ libro: immò omnes tres conſtituunt vnum reticulum, quod, præeunte præceptore Bauh. docui parare auditores meos, vt ſcripſi in iiſdem Phyſiolog. Interim, licèt ita ſit, vt dixi, ſit (inquam) vnum & continuatum vas tantùm: nihil obſtat (quin πρόσθε ἐπιστήμης in arte noſtra iubet & vult) quo minùs retineamus tria diſtincta nomina, à veteribus nobis tradita. Habent enim tria diſtincta officia, vt docui in ſuperioribus.

§. 6. III. In *Superficie*. *Superior* & gibba pars æquabilis eſt, niſi quà *Vena caua* inſinuat ſe ſubſtantiæ viſceris: *inferior* & ſima, inæqualis eſt propter ὑπερκορυφώσεις iam dictas, quæ ſunt ipſæ πύλαι veteribus dictæ.

§. 7. *Venas* proprias nullas obtinet: *Arterias* exiguas, à ramo Cœliaco in partem ſimam productas, in ſubſtantiam quidem non penetrantes: ſed in membrana inueſtiente ſubſiſtentes. *Neruos* duos, itidem

non magnos, à ſexti paris cerebri ramo coſtali dextro in eundem locum, quà ſunt ὑπερκορυφώσεις Hipp.

3.Part.12. §. 8. Apud Ariſt. 2. Hiſt.17. hepar aliud eſt ἐσχισμένον, *diuiſum in lobos*: aliud ἀσχιδὲς, *non diuiſum*,& ideò ἄλοβον, non ἄλοφον. Hæc Natura inſtituit ideò, vt in brutis quidem, quæ prona ſunt, ſit diuiſum, quò ventriculum, quaſi manu in digitos diuiſa, amplecti poſſit: in homine autem, qui erectus eſt, non ſit diuiſum, cùm abſque diuiſura meliùs obire poſſit id muneris. Interim, vt in brutis monſtroſi quid contingere poteſt, tu puta,hepar eſſe ἄλοβον, quod in victimis Ethnicorum viſum fuiſſe ſcimus: ita in homine monſtroſum eſt, ſi ἔλλοβον ſit.

§. 9. De *magnitudine* & *paruitate* hepatis ita ſtatuunt Philoſophi, Quia quæ animalia magnum hepar habent, & ſanguinem ichoroſum, ſunt timida: ideò inter homines etiam ij ſunt ignauiores, quibus duo illa contigêre. Rurſus, Quia homo, quàm pro ratione corporis, hepar habet maius, quòd ſanguine multo indigeat, propter multas, quas obit actiones: ideò illi, in quibus minus eſt quàm eſſe debebat, infeliciùs & coquunt, & nutriuntur. Hæc proportio in animalibus quoque obſeruatur. Ideò lanij, quamprimùm vident ſanguinem iugulati animalis, pronunciant de bonitate ipſius, præcipuè magis, an minùs ichoroſus ſit futurus. Iidem, viſis viſceribus, potiſſimum hepate, iudicium de bonitate carnium ferunt. Vide 3.Hiſt.16.

§. 11. *Vſus* hepatis apud Gal. valde latè patet. Verùm ita eſt vt ſuprà determinaui, Conficit quidem hepar omnem ſanguinem, qui in corpore eſt: ſed is nondum eſt ille, qui nutrire poſſit. Niſi enim pars eius multò maxima ad cor transferatur, ibidémque vltimam perfectionem adipiſcatur, & tandem in arteriis per totum corpus diffuſa, miſceatur ſanguini *venoſo* dicto: nulla fit nutritio. Hoc ipſemet Gal. docet 6.Vſ.p.17. ne alia loca producam, cùm concedit, propter diuerſitatem partium alendarum, & geminum eſſe ſanguinem, & gemina vaſa ſanguiflua. Qua oratione confirmatur ſententia mea, meram eſſe λογομαχίαν, adempta cordi *nutritione*, dare illi *vitam*. Apud enim Ariſt. & in rei veritate, tamdiu viuimus, quamdiu nutrimur. Dictum puta, *vita* & *nutritio* ſunt idem.



CAPVT XXXV.

De Liene.

§. 1. Σπλὴν videtur Bonamico, 1.Alim.32.dictum eſſe, ἀπὸ τοῦ σπασμοῦ λίαν, à *forti tractione*, de qua dicetur. Lien, & antiquè *Lienis* vox eſt Latina?

§. 2. *Situs*

§. 2. *Situs* eſt lien in eadem cum hepate linea, in latere ſiniſtro, obuertens cauum ſuum cauo hepatis, 4.Vſ.p.16. ſed exiguus eſt, & oblongus præ hepate, vix contingens ventriculum, & extra coſtas nothas non propendens. Ideò in ſanis tactu non deprehenditur.

§. 3. *Subſtantia* eſt παρέγχυμα, perinde vt hepar: ſed *lutoſior*, vt Gal. alicubi iocatur. Hanc pariter continet *membrana* à Petitonæo enata. Mediante hac, *connectitur* partibus vicinis, vel *mediatè*, vel *immediatè*. *Poſterius* hoc accidit in ventriculo, interponente ſe omento; in lumbis, Peritonæo. *Prius* fit in omento, quod innectitur toto ſuo ductu, qui conſtituit *Lineam albam* dictam; in diaphragmate & rene ſiniſtro, quibus nonniſi rariuſculè iungitur, intercedentibus ὑμφύσεσι quibuſdam, vt Gal. appellat.

§. 4. *Conformatio*, vt ſemper, conſiſtit in tribus, & I. in *Figura*. Neque hanc lien propriam habet, aiunt, ſed qualem volunt duo illa, quæ dicta ſunt. Tamen, ſi ita velis, quadratum poſſis dicere in homine. Pedis figura, quam Hipp. nobis dat, in cane eſt: Linguæ in porco, boue, oue, &c.

§. 5. II. In *Cauitatibus*, ſeu *vaſis*. Hæc ſunt, *venæ* quidem portæ ramus ſiniſter, *ſplenicus* inde dictus: *arteriæ* autem ramus itidem ſiniſter, etiam *ſplenicus* vocatus. *Ille* ſtatim atque hepate egreſſus eſt, ſiniſtrorſum inclinat, & promptis de ſe propaginibus quibuſdam, lieni inſeritur: *hic* autem è trunco arteriæ magnæ elapſus, ſupra renum regionem, tortuoſo itinere per pancreas ſubrepit ad lienem, promptis itidem de ſe propaginibus quibuſdam. Et hiat quidem vas vtrumque ad corpus lienis, ſtomacho ſatis amplo, quà *Linea alba* eſt, vt dixi: ſed ſubitò poſt ingreſſum, in vaſa degenerant tam exilia, vt fibræ potiùs videantur eſſe imperforatæ; quin ita etiam inuicem implicantur, vt nullus oculus tam perſpicax ſit, qui diſcernat. Differentia etiam in hoc eſt, quòd ex hepate nullum vas exiguum, propter truncum venæ portæ, egrediatur: ex liene, & ſuperiùs è capite ad ventricnlum eant quædam, & inferiùs è cauda, hæmorrhoïdum vna. His cauitatibus ſuperaddere oportet *neruum*, qui ex ſexti cerebri paris coſtali ſiniſtro in *tunicam* ambientem abſumitur.

§. 6. III. in *Superficie*. Hæc à ſuperficie hepatis tantùm differt, quantùm hominis ſani cutis à cute Elephantia laborantis. Inæqualitatem etiam aliquam facit *Linea alba* iam dicta. Vaſa enim, longitudini lienis attenſa, ſenſim abſumuntur.

§. 7. *Magnitudo* in habentibus ſecundum naturam, mediocris eſt: ſed quamprimùm obſtruitur, fit ſeipſo maior. Et hoc poſterius Hipp. voluit, cùm dixit, ὅτι ὁ σπλὴν θάλλει, τὸ σῶμα φθίνει. Quod inuertit Gal. ὅσοις τὸ σῶμα θάλλει, τούτοις ὁ σπλὴν φθίνει. Vide tract. de Vſ. lien. cap.2.

§. 8. *De vſu* expedit nos paulò diffuſiores eſſe, ne malè inſtituti adoleſcentes cogantur poſteà dediſcere. Pulcherrima hanc in rem eſt Ariſt.

 ratiocinatio

ratiocinatio 3.Part.7. *Viscera*, inquit, *aut* μονοφυῆ *sunt, vt cor: aut* διφυῆ, *vt renes: aut* ἐπαμφοτερίζειν, *vt hepar, & lien. Videntur enim* (addit) *hæc duo viscera esse* μονοφυῆ: *videntur verò etiam* διφυῆ *esse*, *hoc est, vicinam quidem, sed non eandem naturam habere.* Cæterùm explicat se, sermonem sibi esse de iis, quæ lienem habent: ea verò sunt τὰ μάλιστ' ἀποτελειωμένα, *ea animalia quæ perfectissima sunt. Propter hanc perfectionem* (vult dicere) *quia hepar solum non sufficit elaborando pro corporis nutritione sanguini, lien* κατὰ συμβεβηκὸς, *per accidens necessarius est.*

§. 9. Quid istud verò est? exclamet aliquis τῶν σκαιῶν. Potéstne pars aliqua *per accidens* esse? Quidni? inquam ego. Hoc ipsum viscus, apud Gal. 9. κ. τόπ. 2. est *per accidens.* Atque hoc discant à me ἀρχίατροι illi, qui non credunt me scire, quid Gal. hîc sentiat. Sed ad Philosophum: Ἀντισπᾷ, inquit ille elegantissimè, ὁ σπλὴν τὰς ἰκμάδας τὰς περιττὰς, καὶ δύναται συμπέττειν, αἱματώδης ὤν. In his quia Gaza mirificè cæspitauit, vt ostendi particulatim tract. de Vs. lien. C. 5. opus est cura mea. Ita autem παραφράζω. *Quia in iis animalibus, in quibus lien est, nec poterat, nec debebat chylus omnis ad hepar ire: lien*, ὥσπερ ἀντίζυγος, καὶ οἷον νόθον ἧπαρ, *ex aduerso hepatis locatus est, quasi alterum, sed spurium hepar; vt contraria via* (è dextris ad sinistra) *abducat id chyli, quod hepar pro excremento habet, & in se recondit concocturus, quia sanguineus est.*

§. 10. Hîc præcipuè notandum est, quod ait, ἐκ τῆς κοιλίας. Vt enim *ex ventriculo* hepar non trahit, sed ex abdomine, quatenus per illud expansæ sunt *venæ Mesaraicæ*: ita nec lien ex ventriculo trahit. Sed nec ex hepate trahit lien, vt periculosè loquuntur quidam, verùm ex venæ portæ trunco, antequam is hepar contingit. Hoc quia palmarium est in hac disputatione, explicare oportet.

§. 11. *Vena porta*, ceu dictum est, diuiditur extra hepar in duos ramos insignes, *Mesentericum*, seu *dextrum*, cuius propagines trahunt chylum omnem ex intestinis, & sursum *ad Portas* hepatis conuehunt: ac *splenicum*, seu *sinistrum*, qui chylum iamiam hepar ingressum ἀντισπᾷ, *aliorsum rapit*, & in splenem deponit. Et qui potest *splenicus* aliud quid trahere, quàm quòd contingit? Contingit autem chylum. Vide dict. tract. c. 7. Quo loco illud addendum est, Quia *arteriæ* etiam *Mesaraicæ* trahunt chylum; is verò diuerticulum aliud non habet quàm lienem: eò ire illum persuadet analogia, quæ est inter venam & arteriam splenicam. Vide d. tract. cap. 5.

§. 12. Tum verò quid fit? Quid aliud fieri possit, quàm quod Arist. ait? συμπέττει (pro simplici compositum) αἱματώδης ὤν, *Quia, non minùs quàm hepar, sanguineæ naturæ est, coquit etiam vt hepar.* Et hoc est quod idem ait alio loco, βοηθεῖ πρὸς πέψιν τῆς τροφῆς, *alimento est natura in sanguine coquendo.* Vbi ego: si coquit, non minùs quàm hepar separabit excrementum quoddam. Vt igitur hepar per se facit sanguinem, per accidens bilem: ita lien per se facit sanguinem, per accidens melancholiam.

§. 13. Hæc

§. 13. Hæc mens est Aristotelis: quam profiteri Galenum, quoque quia coegit Adrastea, non iã superest aliud, quàm vt triumphemus. Vide autem fine cap.8.d.tract. Demonstrationem qui vult, petat indidem. Huius enim loci & temporis non est, quamuis visum fuerit aliis.

§. 14. Eadem Dea quia Libauium eò perpulit, vt in *Cista Medica* fateatur ad me, *Fabulosum non esse, lienem in optimè constitutis naturis seruire τῇ αἱματοποιήσει:* satis est. Nihil enim aliud volo quàm hoc seruitium: de aliis naturis non loquor, quàm quæ optimè se habent. Idem dico de Sebitzio, qui exerc.29. sententiam meam non tantùm pro probabili habet: sed & castra Gal. deseruisse se ait, argumentis persuasum *Neotericorum.* Scilicet Neotericus sum, qui Aristotelem explico! Numerum ternarium expleat, Hochstetterus, qui 5.Obs. . Plateri, & Bauhini, præceptorum meorum doctrinam professus, putat se à me aliorsum ire. It, siquidem sententia nudè, & paucis versibus exposita, differt ab illa, quæ demonstratione est munita. Hanc enim laudem deberi mihi, ne ipsa quidem inuidia neget. De tenebrionibus aliis solicitus non sum.



CAPVT XXXVI.

De Vesica fellea.

§. 1. Χολή, *bilis*, seu *fel* est. Hinc κύστις χοληδόχος, *vesica bilaria.* Hæc docente Arist.1.Hist.17. perinde vt lien, non est in omnibus animalibus. Si non sit in iis, in quibus esse solet, monstrosum est, 4. Gen.4. An in omnibus quidem secernitur bilis, non in omnibus autem colligitur in vesicam? 6.Exer.Anat.8.4.Vs.p.12.

§. 2. In quibus est, *sita ἐν τοῖς σιμοῖς, in parte sima hepatis*, & tam quidem arctè impressa seu insinuata, vt media eius pars in ipso hepate abscondita sit. Diuiditur in *fundum* & *collum*, seu ceruicem.

§. 3. *Substantia* membranea est. Hoc verò acceptum volo de tunica propria quæ vnica quidem est, sed neruosa, fortisque. Præter hanc forinsecùs alia est, quàm à peritonæo habet: verùm tegit illa partem tantùm exstantem. Et hæc etiam sola connexionis ratio est, præterquam quòd pori, qui vtrinque sunt, vt dicam, alligant illam, hinc quidem hepati, illinc autem intestino dodecadactylo.

§. 4. *Conformatio* consistit in tribus, quæ dicta sunt. *Figura* est, vt aiunt, tereti, rotundáve: sed semper seipsa fit latior. Sed reuerà hi non considerant illam in sede sua natiua. In hac enim dum est, pyrum refert. Tamen demit huic figuræ aliquid sinulus, qui in homine est, instar

sacculi cuiusdam pendulus, in quo valuulæ sunt, bilis retrogressum impedientes. Spectant enim ab interioribus ad exteriora, vt bilem effluentem dimittere possint, refluentem non admittant.

§. 5. *Cauitates* sunt duplices. *Alia* est vesicæ ipsius, quo nomine complector totum corpus cum fundo & ceruice, vti distinguunt. *Alia* sunt stomachorum, vt Gal. vocat, qui nihil aliud sunt, quàm πόροι χοληδόχοι, *meatus bilem vehentes.* De his ita statuo. Per hepatis sima, quà *Vena portæ* est, ex ceruice dictæ vesicæ, sparguntur duo pori maiores in ipsam hepatis substantiam, alter versùs dextra, versùs sinistra alter, quorum vterque in numerosas scinditur propagines, quæ bilem ex omnibus hepatis angulis conquirentes, in vesicam colligunt. Ex eadem ceruice porus alius & maior egressus ad intestinum duodenum, nî tu mauis *Tenue*, tendit, in quod bilem eructat.

§. 6. Hìc ambigui sunt Anatomici, in vtro sit sinulus ille, de quo dixi esse ibi valuulas? Nihil hæsito, sunt in posteriore. In hoc enim solo locum habet vsus, quem dixi.

§. 7. De hoc eodem sciendum est, vtplurimùm quidem vnum esse, quem ipsum etiam oratione exprimimus: contingere tamen aliquando diuidi in duos, antequàm duodeno infigatur, quorum alteruter ferè maior sit altero. Tum verò infixio valdè variat, modò altior, modò depressior. Quin tantoperè aberrat aliquando Natura, vt alter & superior ne attingat quidem intestinum, sed ingrediatur ventriculum. Et hi demùm sunt πικρόχολοι ἄνω veteribus dicti, homines miserrimi, quippe nisi bilem euomant ante mensam, quies nulla superest illis, vsque dum cibus ingestus sit expulsus. Et hoc contingit non biliosis tantùm, sed & pituitosis, vt ex Gal. ostendi alibi. Vide Foesium.

§. 8. Sed vt ad naturalem conformationem redeam, Soliciti sunt quidam è nostratibus, Quo tempore fiat illa bilis in duodenum expulsio? siue enim fiat ante cibum, siue post cibum sumptum, cùm coctio incipit, siue absoluta coctione, præ foribus sunt incommoda. Expedio me breuiter, Quia φαινόμενα eius rei nulla habemus, sufficere debet nobis vox Naturæ.

§. 9. Longiùs abeunt illi, qui quærunt, Semperne bilis in vesicam comportetur? annon vesica sit diuerticulum potiùs, quo Natura vtatur in tempore tantùm necessitatis? Ego censeam frustrà institui hanc quæstionem. Nisi enim semper fiat, frustrà fuerit creata. Et vnde est commentum illud de recto bilis ex hepate in intestinum itinere? Profectò non potest de illo cogitari sine expresso Naturæ conuitio.

§. 10. Longissimè discedunt ij, qui duplicem occentant nobis bilem, duplicésque indagant meatus, quorum hi quidem bilem tenuem, sinceram, impermistam, ad vesicam deferant; illi autem crassam & permistam in intestinum effundant. Dico enim, Cùm Natura valet, nec impeditur, bilis semper est tenuis, semper in vesicam deriuatur; cùm impeditur, tum videl. cùm error aliquis in sanguificatione committitur,

mittitur, fieri poteſt, vt quid à bile naturali diuerſum fiat, & in veſicam demittatur. At verò de hoc præter naturam ſtatu ſermo nobis non eſt: Alioqui, cùm in veſicam alia via non ſit, quàm ex hepate, vnde eſt id, quod permiſcetur? Atqui Gal. hoc docuit? Vbi? Nam quos illi afferunt locos, nihil tale habent. Vide noſtra Phyſiol.cap.111.

§. 11. Hìc inclamo illos, qui vel prorsùs ſilent de valuulis; vel cœcorum more in vtroque poro collocant,& ideò modò hoc,modò illud pertimeſcunt; vel neſciunt, quam ſtructuram habeant: & dico, Sunt tres tantùm, eæque in ſolo poro inteſtinali,quà incipit ire, quò debet, foràs ſpectantes. Vnde ſtatim apparet, quem vſum habeant. Hoc comprobat experimentum illorum, qui impoſito in veſicam tubulo, vident inteſtinum inflari: impoſito in inteſtinum, veſicam nullatenus attolli ſentiunt. Hoc pertinet ad inſignem Naturæ prouidentiam, ne humor tam noxius regredi poſſit ad hepar, & totum ſanguinem inquinare. Eius rei neceſſitas fuit, quia via, per quam excrementum hoc ἀθρόως it, ſatis patula eſt. Contrarium eſt in poris cholidochis hepatis, qui anguſti ſunt, & accliues, quo fit vt excrementum nonniſi ſenſim & & per minimas guttulas inferatur in veſicam.

§. 12. *Vaſa* habet tam venas (à porta,) quàm arterias, *Cyſticas gemellas* dictas. Has videre ſe poſſe vbi negarint οἱ φιλογάλλωοι noſtri, fatebor fortaſſis ego quoque,veſicam hanc bile nutriri. Et quid?Tractio bilis eſt munus publicum: alitio eſt priuatum quid. Habet & neruum à ſexti paris ramo illo, à quo Hepar habuit.

§. 13. *Vſus* eſt, excipere ſecundæ coctionis excrementum tenue, quod *Bilis* dicitur. Quare repeto illud, Cur condidit Natura hoc receptaculum, ſi bilis in his, in quibus eſt hæc veſica, rectà ad duodenum ire poteſt? An autem abuſus illos habere poſſit, quos iactant, id in ſeq. fortè ventilabitur. Interim, qui vult adeat Phyſiolog.noſtra,c.318.



CAPVT XXXVII.

De Renibus.

§. 1. REN, νεφρὸς, ſunt primitiua. Qua voce amolior omnes deriuationes. Vbi ſtatim præmonitos volo iuuenes noſtros, Naturam, ſi vllibi, hìc certè tantopere ludere, vt vix certi quid aſſeri poſſit. Quamobrem dicetur hìc id, quod exhibet ſe ἐπὶ τὸ πολὺ, *ſæpè*. Videatur inter alios Euſtach. in tract.pecul.

§. 2. *Duo* ſunt ferè, lumbis vtrinque adiacentes:ſed diuerſo poſitu. In homine *ſiniſter* vtplurimùm eſt altior dextro. Et hic *ſitus* quoque eſt.

§. 3. *Subſtantia*

§. 3. *Substantiâ* sunt carnosi, sed densiores quàm vllum aliud viscus tale, ipsum etiam Cor. Hanc *membrana* tegit à peritonæo pronata, quæ ipsa ligamenti loco illius est, cui accedit peritonæi ipsius reduplicatio.

§. 4. Quod ad *conformationem*, *Figurâ* sunt in eodem homine, vt in oue, phasiolorum fructum referentes, si quis vnquam vidit. In bubus & genere κερατοφόρῳ incisuris sunt præditi, vt melones sunt.

§. 5. Hæc *superficiem* etiam declarant.

§. 6. *Cauitatem* habent interiùs duplicem, de qua tam multa, tamque varia scribuntur, vt ineptus sit, qui afferre vellet omnia. Ego cum Eustachio modò laudato sum.

§. 7. *Venæ* & *arteriæ* duæ insignes hîc sunt, *Emulgentes* dictæ, à *Caua* & *Magna* hac descendentibus ortum trahentes. Præter has adest tam vena, quàm arteria *Adiposa* dicta. Quod enim ferè peculiare est hîc, adeps illis circumfunditur plurimus. Præterea & *glandula* capiti ipsorum superimposita est, cuius vsus valdè obscurus est. *Neruos* habent cum ore ventriculi communes, vnde tot symptomata stomachica in calculosis se ostendunt.

Ren succenturiatus Casserio est. *Capsula atrabiliaria* Bartholino.

§. 8. *Vsus* duplex est, vulgaris alter, alter nuper inuentus. *Ille* est, expurgare serum sanguinis non venosi tantùm, sed & arteriosi, quod posterius tantumnon ignorare volunt quidam. Et viscus ipsum, & vasa emulgentia tantæ sunt *magnitudinis*, quòd trahere debeant simul sanguinem, pro nutritione sua, quandoquidem alia vasa nutritoria hîc non sunt. *Vsus alter* ante paucos annos innotuit, beneficio primùm Olhaffij Dantiscani, deinde Sennerti Clarissimi, amicorum olim meorum. Is est, materiam præbere semini masculo. Iam igitur alia etiam causa patescit magnitudinis tam vasorum, quàm corporis. Quin &, causam afferre licet, omnibus hactenus ignotam, *Cur sanguinei sint*.



CAPVT XXXVIII.

De Vreteribus.

§. 1. OYPON *Vrina* est, hinc τὸ ὀυρέω, *Mingo*, à quo iterum ὁ ὀυρητὴρ, non autem ὀυρηθὴρ, multò minus ἡ ὀυρήθρα. *Hæc* enim constituit meatum illum in vtroque sexu, per quem vrina foràs it: *ille* facit vtrinque tubum, qui è renibus ad vesicam vrinariam proficiscitur. Ita loquor cum vulgò.

§. 2. Alioquin apud me, ne alios incusem, de ortu vreterum, non est opus quæstione singulari, A renibus, an à vesica oriantur?


Mihi

Mihi inſpectio rei tam benè dirimit litem, vt verbis non ſit opus. *Subſtantia* enim illorum *tunicæ veſicæ* interiori, quæ neruoſa eſt, tam ſimilis eſt, vt ouum ouo: contrà, cum renibus quæ ſimilitudo dari poteſt? Præterea, in renibus ſcinduntur in plures propagines, quæ caruunculas efformatas ibi amplectuntur. At verò Naturæ mos non eſt, facere principia multa, quæ colligat deinde in vnum: quin potiùs ſcindendo procedit.

§. 3. Hoc ipſo explicui me ex illa ambiguitate, *Venæne an arteriæ ſint?* Neutrum ſunt, ſed corpora membranoſa ſui generis. Interim conformatione referunt arteriam potiùs quàm venam, ob duritiem ſubſtantiæ.

§. 4. His præhabitis, dicendum eſt, De inſertione illorum obliqua in veſicam paulo cautiùs loquendum eſſe. Non enim ad veſicam eunt, quin ex veſica, & quidem interiori eius tunica explantantur. Hinc adeò fit, quòd in veſicis ſubactis nullum apparet foramen, nullum veſtigium inſerti corporis alieni. Deciditur etiam lis, Renéſne pellant vrinam, an veſica trahat? Veſica trahit per hos ſuos quaſi ſtomachos.

§. 5. De *ſubſtantia* ſi quærat quis, iam in promptu reſponſio eſt, *Membranacea* eſt. Hanc exteriùs obuoluit peritonæum, &, quod admiratione dignum eſt, præter venas & arterias, *neruos* habent duplices, tam ex lumbis, quàm è ſexto pari cerebri. Hinc dolor tam exquiſitus eſt in iis, quibus calculus ex renibus ad veſicam deorſum voluitur. Hinc adeò mirificè dilatati viſuntur in calculoſis.



CAPVT XXXIX.

De veſica vrinaria.

§. 1. QVOD è renibus accipiat vrinam, vt dixi, vocata fuit Græcis κύστις οὐροδόχος, *veſica vrinæ exceptrix.* Diuiditur in *fundum* & *ceruicem.*

§. 2. *Sita* eſt in imo abdomine, qua parte, in viris quidem *penis* initium eſt: in fœminis autem *ſinus pudoris.* Hac enim via exit vrina è corpore.

§. 3. Differt à bilaria, I. *Illa* nonniſi vnicam (propriam) tunicam habet, quæ neruoſa eſt: *hæc* duplicem ſortita eſt, *Internam*, de qua memini, quæ proportione reſpondet vnicæ illi, neruoſa quippe & ipſa: *Externam*, carnoſam, quæ vnguibus deripitur, cùm ſubigitur ad vſum domeſticum. Hanc in rem pueri olim peculiaribus cantilenis vtebantur, vt Gal. ſcribit 1. Fac. nat. 7. His additur à quibuſdam *Cruſta carnoſa*, perinde vt in inteſtinis. II. *Illa* poros bilarios vtrinque habet:

hæc vrinam quidem accipit per *Vreteras* dictos, emittit autem in vtroque sexu per loca, quæ dicta sunt. Obseruandum autem de posteriore est, viam esse tortuosam, ferè instar literæ maiusculæ S. præcipuè in viris.

§. 4. III. Præcipuum etiam discrimen in *substantia* est. Illa indubitatò membrana est: de hac ambigitur, Annon carnosa sit dicenda? Est profectò, & fit inde vt actio mingendi sit mixta ex naturali & animali. Cum in finem in ceruice musculum habet circularem. *σφιγκτῆρα*, *constrictorem* dictum, cuius beneficio vrinam retinemus, non autem expellimus, vt temerè credunt quidam.

§. 5. *Conformatio* ipsius nemini ignota esse potest. Considerandum verò inprimis est artificium, quod Natura adhibuit in egressu (ita enim loquendum nobis est) vreterum. Obliquus enim est, ne redire possit vrina sursum.

§. 6. *Venas* & *arterias* habet à bipartito ramo *Hypogastrico* dicto. *Neruos* insignes, &, quod iterum admirabile est, tam ex lumbis, quàm ex sexto cerebri pari.

§. 7. *Connectitur*, peritonæi beneficio, in viris quidem recto intestino: in fœminis autem collo vteri. Creditur etiam, vmbilico necti, mediantibus duabus arteriis vmbilicalibus.

Et hæc quidem de partibus Abdominis, ad indiuiduum pertinentibus.

ABERRATIONES.

§. 8. Non ego hîc controuersias Anatomicas cogito, quod alienum foret à proposito meo: sed hoc tantùm miror, *Cùm natura contentâ voce clamet, & vociferetur, tot quidem fecisse se pro sanguinis generatione viscera; tot autem pro excrementorum separatione, collectione, & eductione*: quenquam superesse, qui nitida fronte pertendere ausit, *Non sanguinem tantùm nutrire, sed & sanguinis excrementa*! Frustráne tot machinæ sunt factæ? Certè frustranea est tam diligens separatio, siquidem fit iterum separatorum vnio.

§. 9. Hac oratione confusi pudentiores quidam, *Imò*, inquiunt, *distinguimus humores alimentarios ab excrementitiis*. Mirabilis sermo! Estne amicitia quædam inter *Alimentum* & *Excrementum*? Ego enim ab Arist. didici, *contraria* esse. Alimenti est alere, ideò Natura in venis & arteriis per

totum

tum corpus differt. *Excrementi* est non alere: ideò pro exigendo illo è corpore tam solicita fuit Natura.

§. 10. *Imò hoc volumus*, dicunt, *sanguis est heterogeneus, & quædam ipsius pars bilis est, quædam pituita, quædam melancholia.* Mirabilior etiam sermo? *Possúntne contraria habere idem nomen?* Nolumus, inquiunt hoc, *Bilis excrementitia reuerà est bilis: bilis alimentaria non est bilis, sed bili similis.* Tantúmne? Ergo iam lis est de nomine. Sed & nego ego, & pernego, vllam in sanguine partem esse, quæ bili similis sit. Est ita, vt dicis, sanguis est heterogeneus, & partes quædam ibi calidæ sunt, quædam frigidæ, & sic de cæteris: sed partes calidæ nec debent, nec possunt dici bilis, vt neque frigidæ pituita. Fit enim confusio eorum, quæ Natura vult separata esse.

§. 11. *Quæ ergo ratio dabitur, cur tam diuersæ corporis partes alantur? Certè calidæ indigent calido nutrimento, frigidæ frigido, & sic de cæteris. Oportet omninò similitudo quædam sit, inter id quod alit, & id quod alitur.* Hoc est quod omnibus sæculis vmbram fecit parùm cautis: Opus est similitudine, inquam, sed non actuali. Hanc explico per exemplum. Quemadmodum ex vna pluuia, ex vna irrigatione incrementum capiunt omnes in tota area plantæ, quia aqua aspersa similis est potentia omnibus: fit autem actu similis, postquam aqua illa in intimam plantam attracta, substantialiter fuit alterata. Tum verò amarescit in absinthio, acrescit in nasturtio, dulcescit in pyro, & sic de omnibus aliis.

§. 12. Vt rem sub ipsos oculos tibi ponam, cape hoc quoque. Vni pyro, pyrastróve insertæ sint decẽ taleæ sapidissimorum pyrorum. Decidat aqua cœlo, attrahat illam radix, & subuehat in taleas. Ibi tam in singulis taleis transit in sui generis pyrum. Cur? Quia singulæ habent vim substantificè alterandi humorem attractum. Eodem modo vnus sanguis similis est potentia omnibus partibus, qui idem fit similis actu, postquam substantialiter à partibus mutatus est. Volo autem hoc intelligi de homine sano, non de Icterico, Leucophlegmatico, &c. Est enim

tanta sanguinis nutrientis latitudo, quanta est ipsius sanitatis.

§. 13. Hæc Veritas est: iuxta quam si ponantur absurdæ locutiones hominum nostrorum, apparebit candor ipsius. Fuchsij verba 1.Inst.4.cap.3. sunt, *Cùm dicitur, sanguinem solum nutrire, est id capiendum de eo humore, qui plurimus est in venis, non autem de iis, qui pauciores sunt.* Ego verò, mi Fuchsi, ostendam tibi non vnum Gal. locum, vbi docet, omnem v. g. bilem exactè separari debere, addita ratione, *Ne humor tam noxius inquinet sanguinem.* Si enim relinquatur tantillum, amarescit vniuersa substantia. Ideò Itali dicunt,

Poco fiele ama reggia molto mele.

Vbi ergo iam sunt *Pauciores* tui?

§. 14. Sennertus lib.1.c.9.ait: *Sanguinem quidem solum actu contineri in venis: sed partes sanguinis vocari debere potiùs sanguinem biliosum, pituitosum, melancholicum, quàm bilem, pituitam, melancholiam.* Ergo, inquam ego, vnus sanguis non est vnus: sed quatuor sunt, vt ita dicam, sanguines? adeoque vnus homo, quantumuis sanus, habet in venis suis, & sanguinem simpliciter dictum, & sanguinem cum adiectione, pituitosum, biliosum, melancholicum? Quid est monstra parere, si hoc non est?

§. 15. Idem conciliaturus Arist. cum Gal. eiúsque asseclis, *Medici*, inquit, *hoc innuunt nutriri hominem, non parte tantùm temperatißima, quæ sanguis speciatim ductus est; sed & reliquis, quæ in massa sanguinea continentur.* Vt paucis defungar, *Proba mihi*, ô quondam suauissime! *bilem*, v. g. *in sanguine contineri, pro qua expurganda tot moles struxit natura.* Scio fugam tuam: sed nihil efficis, quin causam tuam prodis, cùm sanguinem ad bilem inclinantem (in latitudine quippe sanitatis) bilem vocas.

§. 16. De Liddelio lib.2. f.102. tacere præstat, quàm aliquid dicere. Eodem tædio affectus, reliquos inspicere non possum. Hoc manet immotum, inconcussúmque, solus sanguis, in abdomine confectus (his quidem terminis) nutrire potest: at excrementa ibi decisa, non possunt, non debent.

§. 17.

§. 17. Tu verò, quiſquis es, ſectæ tuæ ſtudioſior, quàm par eſt, rectè mihi intellige τὸ *Poteſt:* Non enim excludit ſanguinẽ arterioſum, quem vna cum venoſo alere probaui ſuprà: ſed includit. Cui licèt ὁμοθυμαδὸν contradicant omnes γαληνομανεῖς: non ob id tamen cauſa Ariſt. & totius antiquitatis fit deterior. Repeto autem nunc illud tantùm: *Nec Galenum ipſum, nec ſuffraganeorum quenquam delere poſſe infamiam, quam conciliarunt ſibi turpiſſima illa vitæ à Nutritione, diremptione.* Ita enim eſt, & ita erit in perpetuum. *Quamdiu viuimus, tamdiu nutrimur, & contrà.*



CAPVT XL.

De partibus Abdominis, ſpeciei ſeruientibus, & Primùm

De Renibus, & vaſis ſpermaticis.

Appellationes ſi vis, adi Bauh. de Part. extr. cap. 12.

§. 1. DE *renibus* hìc nihil ampliùs dicendum reſtat, quàm hoc, *Vas ſpermaticum* alterutrum ex *Emulgente* eſſe, alterum ex vena caua, & arteria magna, ſtatim ſub renibus. Cur hoc? Quia ſanguinem, ſemen futurum, hauriunt ex renibus.

§. 2. Hinc ergo orta in viris ἀγγεῖα σπερματικά, *vaſa ſeminalia*, deſcendunt deorſum, & extra peritonæum in ſcrotum elapſa, ibi *Teſtibus* ſe applicant, & dici incipiunt *Præparantia*, ad differentiam eorum, quæ iam *Deferentia* & *Eiaculantia* dicentur. Ad *Teſtes* vbi peruenere, mirificè miris modis in ſe inuicem intorquentur, corpúſque efformant peculiare, quod ἐπιδιδυμὶς (quaſi *Super-teſtis* non autem *Supergeminalis*) & παραστάτης ἀδενοειδὴς, (non κιρσοειδὴς) ἢ ἑλικοειδὴς vocatur, *Adſtes glandiformis*, ſeu *pampiniformis*. μίτρα (ita enim ſcrip. eſſe puto apud Gal. in Gloſſ.) apud Hipp. etiam dicitur. Tum verò idem eſt cum *Zona*. Et hucuſque *Præparantia* ſunt. *Teſtibus* ſuperatis (in viris) aſcendunt iterum in abdomen, & cùm ad penis exordium peruenerunt, iam *Deferentia*, ſeu *Eiaculantia* dici cœpta, conſtituunt aliud corpus, quod παραστάτης κιρσοειδὴς (nõ ἀδενοειδὴς) appellatur, *Proſtes variciformis*. Hi *varices* quia tortuoſi ſunt, conſtituúntque *cellas* quaſdam, ſeu peculiares *veſicas*, noſtri homines vocant, *Veſicas ſeminarias*, & priſcis incognitas eſſe iactant. Vbi obiter moneo, Totum hoc in libris Anatomicorum, tam veterum, quàm recentium plurimis confuſionibus eſſe obnoxiũ, quibus

de actum est mihi abundè in Physiolog. cap. 154. Ab hac constructione quantum absint *Vasa spermatica in fœminis*, dicetur mox.

§. 3. *Vsus* est, quem nomina ipsa præ se ferunt. *Præparantia* enim, vnà cum testibus, faciunt semen in iis, in quibus esse potest. *Deferentia* simul hoc habent, quòd asseruant semen, vsque ad συνουσίας tempus. Tu autem scito, *Primarium* esse vsum hunc: *secundarium*, quòd sanguine attracto aluntur & ipsa, & partes vicinæ. Propterea, solus hic obtinet in iis, in quibus semen non fit.



CAPVT XLI.

De Testibus & scroto.

§. 1. ΡΧΕΙΣ καὶ δίδυμοι, *Testes* sunt Latinis. Ορχις (non ὄρχης) ἀπὸ τῶ ὀρχέομαι videtur esse. Δίδυμοι à *numero binario* indubitatò est. Apud Gell. lib. 4. cap. 11. κύαμοι, *fabæ*, à similitudine dicuntur. Horum *substantia* qualis sit, non opus habet longis explicatibus. *Glandulæ* sunt, quæ nutriuntur, eo quo dictum est, modo. *Vasa* sunt *spermatica* dicta. *Neruos* habent, partim à sexto cerebri pari, partim à spinali medulla. De musculis, quos *Cremasteras* vocant, dubito.

§. 2. *Vsus* testium obscurior est, quàm homines nostri putant. Si constaret de eo, An materia seminalis ingrediatur substantiam testium facilis res esset. Ne longum faciam: Videntur capillares quædam vasorum spermaticorum propagines ingredi: quædam lambere tantùm extimam superficiem. *Posteriorum* ratione fœcundi sunt quidam absque testibus. Quod ipsum, quia validè prosternit principatum illorum, nihil hìc ampliùs dico.

§. 3. *Testium* tegmen quia *scrotum* est, aut *scortum*, vt quidam volunt, oportet hîc de omnibus testium inuolucris dicere. Sunt autem tunicæ illæ, (ita enim vocare oportet) vel *propriæ*, vel *communes*. *Communium prima* est ὄσχεον, *scrotum*. & nihil aliud est quàm cutis & cuticula. *Altera* δαρτὸς est, *quasi excoriabilis*, processus membranæ carnosæ dictæ. *Propriarum* prima est, ἐλυτροειδὴς (non ἐρυθροειδὴς) *vaginalis*, quia fit ex processibus peritonæi hìc dictis. *Altera* est illa, quæ testes ambit immediatè, cuius appellatio valdè in obscuro est. Δαρτὸς planè non est. Ελικοειδὴς non potest dici, quamuis à Paulo ita dicatur. Υμὴν νευρώδης Ruffi vis est. *Albugineam* vocant quidam, & deriuant ab extima membrana spermaticorum.

CAPVT



CAPVT XLII.

De Pene.


§. 1. KAYΛΟΣ, à Latinis in *Colem* mutatur, & varia habet nomina, de quibus non ero solicitus. Multò minùs an idem vocabulum vtero quoque tribui possit.

§. 2. Accepto, quod dicunt, non constare ex vno corpore, vt Gal. videtur velle: sed ex duobus, iisque cauis, duris, neruosis, (quæ differunt & à vena, & ab arteria, & à neruo) inuicem sibi accumbentibus, in quorum medio est meatus seu canalis vnus, per quem & *vrina* it, vnde οὐρήθρα dicitur: & *semen*, vnde πόρος σπερματικός. Quod verò admiratione non caret, *Corpora illa* distincta, eadémque dura, desinunt in substantiam vnam dissimilimam, quæ βάλανος, *glans* dicitur. Est enim caro sui generis, mollis, flaccidáque.

§. 3. Totus *penis* foris tegitur cute & cuticula, quæ in *præputium*, (πόσθη Græcis) desinit, quod verpis abscinditur. Huius particula *frenum* est, κύων, *canis*, quo non rectè habente, penis incuruus fit, & instar arcûs, dicuntúrque ita affecti ὑποσπαδιαῖοι, ἢ ὑποσπαδίαι. Ex his noui vnum, qui fœcundus fuit. Quæ inferiori parte linea est, vt loquuntur, ῥαφὴ, *sutura* est. Quæ inde protenditur ad anum vsque, ταῦρος, *taurus*. Hinc λάσταυροι.

§. 4. *Musculos* habet quatuor, de quibus videri possunt Anatomici. Cæterùm, hoc tenendum est, non fieri per hos, vt penis erectio sit merè animalis: imò est actio partim naturalis, partim animalis, quæ ab imaginatione mirum quàm promouetur.

§. 5. *Vasa* sunt duplicia, *Externa*, ad cutim iam dictam, insignia, à *pudenda* orta: *Interna*, ad corpora ipsa, ab *Hypogastricis* originem ducentia. *Nerui* etiam duplices sunt, insignes ipsi quoque, ex medulla *ossis sacri* producti.



CAPVT XLIII.

De vasis spermaticis fœminarum.

§. 1. HÆc inde orta, vbi virilia, descendunt ad testes vsque, in quibus efformant ἐπιδιδυμίδα multò minorem, quàm in viris

viris. *Testes* cùm sint intra peritonæum, vtero quippe vtrinque adiacentes, omnis ratio colligit, quantum decedat longitudini illorum. Et hactenus quidem præparantibus virorum quoquomodo respondent: an autem deinceps quoque sint, hoc est, an fœminæ habeant quoque deferentia vasa? & qualia sint? quò tandem feratur semen ipsarum? maximis difficultatibus implicitum est. Apud me plurimùm valet autoritas summi Anatomici, Herophili, cuius verba Gal. habet 2. Sem. 1. E. *παραστάτης κιρσοειδὴς in fœmina visus nondum est.*

§. 2. Interim non diffitebor, in libidinosis quibusdam tale quid esse: verumtamen, & semen ipsum *ἄγονον* esse, & in vterum non peruenire. Sed & in iis, in quibus visa sunt vasa à cornibus vteri (ita appellem eminentias illas, quæ in vtero humano sunt) descendere ad collum vteri, seruire possunt secundario vsui tantùm. Scio quid mussent quidam de *Tuba Fallapij*, quibus repugnat *αὐτοψία*.

CAPVT XLIV.

De Testibus & vtero.

§. 1. TESTES *muliebres*, cum virilibus collati, sunt cadauera testium. *Parui* enim sunt, exsucci, & quod rei caput est, *ψαθυροὶ*, vt Græci dicunt, hoc est, *non compacti* ex vno solido corpore, sed ex multis sibi inuicē impositis, vt si quis ex arena funem texeret, in quibus nonnisi rarissimè humoris aliquid continetur, tam semini masculo similis, quàm atramentum lacti. Et quî potest esse similitudo, cùm, quod Gal. vrget, tanta sit dissimilitudo? Sed & vbi omnia benè habuerint, qua via in vterum venit? Imò effunditur extrà in paucis iis, in quibus est. Quare dico audacter, *Testes hi non minùs sunt notæ gratia, quàm mammæ, aut, si ita vis, papillæ illarum in viris.*

§. 2. *Vterus*, *ὑστέρα* est Græcis. Dicunt verò iidem *ὑστέραι* quoque in plurali, quemadmodum *μήτρα, καὶ μήτραι, γονὴ καὶ γοναὶ*, propter cornua, quæ in *πολυτόκοις* sunt. Qualia quia in homine non sunt, integrum nobis non est, imitari illos in versionibus, aut alioqui communi loquendi consuetudine, ne legentis animus aliorsum rapiatur. Videndum etiam illud est, ne prior appellatio confundatur cum *τῷ ὕστερα*, quod plurale neutrum est, & *secundinas* significat, *die nachgeburt*. Has ab Hipp. lib. de Nat. mul. *μήτρας* vocari non dubito: sed loqui illum credo, ex ore alieno, illius, inquam, cuius *ἐκβόλιον* illud erat. Nam alibi habet *ἐκβόλιον τῶν ὑστέρων*. Cæterùm apud Hipp. etiam *νηδὺς ἡ*, est, vocabulo generico, quemadmodum apud Arist. *ἡ δελφὺς*, non *δελφὶς*, non

non etiam δελφὺς. *Volua*, & *vulua*, odiosa apud me vox est. Sed & corrupta est pro *Volga*, quæ *Bolga* & *Bulga* est. *Vterum* ab vtre formari, γελοῖον, apud me est. Diuiditur *in fundum & ceruicem*.

§. 3. Vbi *situs* sit, non est opus doctrina, nisi propterea, vt inculcetur nobis Plinij illud, prol. lib. 7. *Hei dementiam*, inquit, *ab iis initiis existimantium ad superbiam se genitos!* Iacemus enim in vtero inter intestinum rectum & vesicam, inter stercus & vrinam.

§. 4. *Membranatus* est, instar vesicæ biliariæ, hoc est, constat nonnisi vnica membrana. Verumtamen hoc interest, Non est *neruosa*, vt ibi, sed *carnosa*. Hac oratione deciditur controuersia, *Vterus neruosus, an carnosus sit?* Et carnosus, siquidem appellari debet vnumquodque ab eo, quod proprium illi est. Accedit argumentum ex Recent. obseruatione. Vterus fœtus non fit tenuior seipso: sed augetur secundùm trinam dimensionem, ad pollicis crassitiem, quod vidi Patauij, monstrante Campana. Vidi etiam Basileæ, doctore Bauhino, in ancilla, quæ infantem suum occiderat, decollata post exactum puerperij tempus, vterum esse pugni magnitudine, crassitudine multò supra naturalem. Huic vni membranæ carnosæ obnascitur forinsecùs alia, verè membranosa, à peritonæo quippe orta, sed crassior & fortior, quàm in reliquis visceribus.

§. 5. *Figura* est rotunda. In homine *dico*, in quo αἱ κεραῖαι cornua illa non sunt, quæ visuntur in vacca, oue, cane. &c. In virginibus nucem iuglandem vix superat, vt docuit nos tum idem Bauh.

§. 6. *Cauitatem* nonnisi vnam habet, quæque minimè diuiditur in dextram, & sinistram, vt in brutis. Interim in medio *lineam* habet, perinde vt scrotum, quæ indicio est hominem esse bifidum: Δικρόαν appellant. *Superficies* tam extima, quàm intima plana est. Nam κοτυληδόνες illæ somnium sunt.

§. 7. *Venam* & *arteriam* geminam à vasis Spermaticis habet vterus: totidem ab *Hypogastricis*. De his loquens Galen. 1. in 6. Epid. 2. ait, Inter omnes corporis partes, vterum plurimas, grauidissimásque venas habere. Et Aristot. alicubi dicit fœminas circa has potissimùm partes πολυφλέβους esse. Causa in promptu est, quia fœtus hìc ali, & grandescere debet. *Neruos* habet tam à spinali medulla, quàm à sexto cerebri pari.

§. 8. *Ligamenta* eius maximè obseruanda sunt. Sunt autem duplicata, *superiora*, & *inferiora*. *Superiora* dicuntur lata illa, quæ ad latera à tunica vteri extima, quam à peritonæo habere dixi, orta, dilatantur ad similitudinem *alarum vespertilionum*, vnde etiam dicuntur, vsque dum contingant ossa ilium, quibus adnascuntur. Hæc mollia quidem sunt & laxa, vt vtero distento cedere possint: verùm ad diaphragma vsque illum excurrere non sinunt. Et quis hìc vacuus locus est, per quem currant? Sed vnde est compressio illa, quam hystericæ sentiunt circa regionem diaphragmatis? A flatibus. Curatur enim malum discussis flatibus.

Inferiora ſunt rotunda illa (nota oppoſitionem) pariter ad latera, quæ *Teſtes* ſunt, vnde antrorſum repunt, & cum *Clitoride* dicta iunguntur. Vocant *Cremaſteras*, qui pro muſculis habent. Hoc vt fieri poſſit, peritonæo excidere neceſſe eſt. Et excidunt, fitque adeò in mulieribus hernia quædam, ὀσχεοκήλῃ in viris proportionata. Quin & βυβωνοκήλῃ laborare poſſunt, dilatato vel rupto peritonæo circa partes illas, in quibus ſunt *Emunctoria hepatis* nuper dicta.

§. 9. De his iam tria ſunt obſeruanda. 1. Vtraque ſunt in lateribus tantùm. Alioqui neque in ſuperioribus quidquam tale eſt, neque in inferioribus, neque in poſterioribus. Et hoc ideò, vt liberè dilatari poſſit fundum ipſius. Ita enim dicitur τὸ κύτος, *corpus ipſius*, ad differentiam colli ceu ceruicis, qua ſemen recipit. 2. *Superioribus* innexa eſt *Tuba Falloppij* ſuprà nominata, quæ tam non eſt vas deferens, vt illi volunt, quàm dies non eſt nox. 3. *Inferiora*, quæ pro muſculis habentur, vt dixi, ſunt caua, vt concedunt plerique, per quæ effluit ſemen in iis, in quibus eſt. Quamobrem tam deſpicabilis non eſt Herophili ſententia, ſemen muliebre, in quibus eſt, excerni foràs. Imò vera eſt. Vide cap. vlt. lib. de Gener. hominis. His addi debet *quartum*, Præter ligamenta deſcripta, oſtendi poſſe fibras quaſdam tenues, quibus vterus alligatur, ſubtùs quidem *oſſi ſacro*, mediante *recto inteſtino*, cui incumbit: ſuprà autem veſicæ, quæ illi ſuperincumbit.

§. 10. *Vterus* eſt *ager Naturæ*, inquit Ariſt. 1. Gen. 2. Vnde patet non habere tantam in agendo vim, quanta vulgò illi tribuitur: Imò non plus ad generationem confert, quàm tellus ad producendas plantas.



CAPVT XLV.

De mammis.

§. 1. HAs quia thorace arceſſit operis communitas, dicam pauca. Cùm duplex earum vſus ſit, *primarius*, & *ſecundarius*: vtrumque obtinere in fœminis, ſecundarium in viris tantùm.

§. 2. Quamobrem ſimpliciter dici non poteſt, In viris eſſe σημεῖα χάειν. Obtinet enim alter vſus. Interim ſi quis vrgeat *papillas*, non video quid reſponderi poſſit. Quo loci id aſpergo amœni, ex Ruffo lib. 1. cap. 11. in pubeſcentibus papillas quidem vocari κυάμους, *fabas*: mammas ipſas ἀσκώμα, quod vertam *Vtricellum*, quaſi ſit diminutiuum ἀπὸ τοῦ ἀσκός. An hi ſunt κύαμοι Pythagoræ, de quibus cap. abhinc quarto?

ABERRATIONES.

§. 1. Hîc primùm monendi ſunt illi, qui ex ſanguine venoſo tantùm faciunt ſemen maſculum. Imò, quemadmodum indiuiduo non ſatisfacit ſanguis ille: ita nec ſpeciei. Deinde illi quoque, qui ſanguinem maternum conficiunt ex ſolo illo venoſo: neceſſarium enim prorſùs eſt, vt accedat arterioſus etiam. Tertiò rogandi ſunt illi, qui ſcelus eſſe putant cum Ariſt. dicere, Fœminam eſſe πήρωμα, diſpiciant ſecum an commodior ſit illa Gal. oratio 14. vſ. p.6. *Fœminam deficere à mare, quòd ſit frigidior: in hac tamen imperfectione conſiſtere perfectionem eius?*

§. 4. Excutiant ſenſus illi, qui ſemini maſculo dant quidem τὴν δύναμιν πλαστικὴν, ἢ γεννητικὴν, ἢ ποιητικὴν, aut quomodocumque appellare velint. Sed in ſubſidium illi mittunt *ſemen fœmineum*, Quo enim modo ex duobus actibus fieri poteſt vnus? Reuerà ſemen maſculum ſolum ſufficit efficiendo fœtui, quemadmodum ſanguis maternus ſolus præbet materiam.

§. 5. Deſcendant in ſeipſos ij qui cum Gal. carpunt duo illa ſola verba Ariſt. διαλύεται καὶ πνευματοῦται: contextum Philoſophi ne extremo quidem digito attingunt. Fruſtráne addidit ille ſimile *coagulo*, vt alibi de *fermento*?

§. 6. Cogitent ſecum ij, qui partem ſeminis maſculi alteram faciunt ἐνεργητικὴν, alteram παθητικὴν: an ſatis ſani ſint? Ne iniuria ſe affici putent, an ſanior philoſophia hoc admittat? Illa verò docet, *Vnum, quà vnum* (vnum inquam, τὸ δὲ τι, conſtans ex materia & forma) *non poſſe ſimul agere, & pati, non poſſe ſimul eſſe, & non eſſe.*

Hac diſtinctione fugat Heurnius l. 5. c. 1 Medicorũ hac de re controuerſias. O animosũ militem!

§. 7. Conſiderent iidem aſſertionem Gal. l. c. *Non ſatis eſſe, ſi omninò eaſdem partes genitales cum viris habeant fœminæ: requiri etiam efficientem.* Atqui frigidior eſt fœmina, quàm vt eovſque excoquere poſſit ſemen ſuum. Quin ne debet, ſiquidem fœcunda eſſe debet.

§. 8. Sed agamus cominùs, & quidem cum Sennerto ſolo, quippe cuius autoritas apud pleroſque tantopere

 creuit,

creuit, vt αὐτοπάθωος sit, Pythagoras scil. alter, αὐτὸς ἔφα. Si, vult dicere 1. Instit. 10. *in plantis & ouiparis, semen & ouum abit in suam plantam, in suum animal: in viuiparis cur non fiat idem?* Rideam, an indigner? Vt enim ordiar ab euidentiori, Ouum v. g. gallinaceum, qua fronte dicitur semen maris? éstne à gallo ouum? vísne illi nouum onus imponere pariendi oua? Ridiculum profectò hoc est: at indignatione dignum alterum. Nescit vir tantus, quod vel rusticarum simplicissima, ouum gallinaceum fœcundum neutiquam esse, nisi gallum habeat, vti loquuntur. Propterea ad lucernam probant primùm, antequam supponant fotrici, certæ nihil futurum, nisi semen illud adsit. Hinc adeò auris vellenda fuerit homini: Domine, ouum fœcundum, si propriè loquaris, non est semen vel galli, vel gallinæ: sed est κύημα, est πρῶτον illud μίγμα principij actiui, & passiui, adeoque vnum quidem ἀφῇ, non autem φύσει, duo, inquam, & semen galli, & ouum gallinæ, quorum alterutrum si absit, gallina non fit. Hac de re actum est mihi 3. Gen. hom. 3. Ita (ne hæreas) plantarum semina potestate sunt duplicia. Faba v. g. & corpus habet, è quo fabulum fit: & hilum, quod facit, quippe quo abraso, nihil fit. Huic analogum in omnibus seminibus est, qua de re initio dictorum libb.

§. 9. *In abortibus*, inquit iterum, *ad sensum adest quid album.* Eccur non adsit? dico ego. Tibi verò falsum illud τὸ διαλύεται interpretamentum fecit glaucoma. Adest semen, & adesse debet, quamdiu generatio durat. Nisi enim agens iungatur patienti, non fit actio.

§. 10. *Partes spermaticæ albæ*, addit, *cur non fiant ex albo potiùs semine, quàm ex sanguine demum dealbando?* Inscitia philosophici axiomatis! *Agens semper & reapse est distinctum à patiente.* Et hoc nonnisi sono verborum differt ab illo, *Vnum quà vnum.* Respondeo igitur ad illud *Cur:* non potest fieri per rerum naturam.

§. 11. *Aut nihil omninò, aut parùm sanguinis adest ab initio.* Gal. longè aliud te docere potuit, ô optime! Nam 14. vs. p. 3. expresse scribit, semen in vterum receptum ordiri

motus

motus naturales, hoc est, attrahere sanguinem. Et quî possit aliter, cùm iam sit *Natura*? 2.Fac.nat.3. vbi in eundem sensum plura legeris. Vide 2.Gen.hom.9.

§. 12. *Vasa priùs ex semine formari necesse est, vt per illa sanguis attrahatur.* Nulla necessitas. Semen ipsum habet hanc facultatem, vt iam dixi. Prætereà, experientia ex ouis incubatis habita, docuit, *Cor* generari primùm omnium, illíque vasa appendi vtrinque. At cor ex sanguine est, apud Gal. quoque.

§. 13. *Quid obstat, quò minùs maris quoque semen materiam corpori præbeat?* Principium Physicũ, omni machina à Philosopho adstructũ, *Vnum, quà vnum*. Vide 3.Gen.hom.2.& seq.

§. 14. *Quo fine retinetur?* Iam aures mihi dolent ad talia. Vno verbo: *vt formet*. Artifex enim adstare debet operi suo.

§. 15. *Non est credibile, semen exire ex vtero, &c.* Non exit, sed format, & post formationem constituit *Calidum natiuum*, quod proxima sedes animæ est. Et quid? Annon Arist. ipse docuit, non magis exire, quàm coagulum è caseo exit, fermentum ex pane?

§. 16. *Non confunditur principium actiuum cum passiuo. Format enim semen, ratione animæ: materiam præbet, ratione corporaturæ suæ.* Confunduntur omninò. Anima enim hæc cùm sit forma ἔνυλος, quomodo sine materia sua, sine obiecto suo formabit? aut quomodo ex seipsa, per principium iam allatum? Quid dicam? Ignotum ne pueris quidem nostris est, Formam non agere: materiam non agere: sed totum, ex materia & forma constitutum agere. Tale totum est *semen masculum*, consideratum quippe vt τὸ δέ τι, in quo ὁ λόγος quidem σπερματικὸς habet rationem formæ: ὄγκος autem materiæ.

§. 17. His talibus cum laude patratis, tria agit Sennertus. 1. *de testium vsu valde magnificè loquitur.* 2. *Aristot. mentem, semen vocantis excrementum, sinistrè interpretatur.* 3. *semen decidi ex toto imperiosè iactat.* Mihi horum meminisse sat sit: qui volet, requirat alibi.

§. 18. *Nos*, inquit tandẽ, *ab eorũ partibus stamus, qui ab vtroq; parẽte semẽ prouenire statuũt* Et nos cũ his sumus. A mare est semẽ,

de quo agimus, quod habet rationem agentis: à fœmina est sanguis menstruus, qui habet rationem patientis.

§. 19. Ei! dicit quidam pro illo, *Non ille tendit huc: quin hoc vult, Cùm fœminæ habeant eadem instrumenta pro generando, emittendóque semine: proculdubio etiam semen habebunt.* Vide, quæso, sodes, quid Gal. hac de re iudicet, 14. vs. p. 12. Audi Laurentium, magnæ apud plerosque nostros autoritatis, 2. quæst. Anat. 7. *Differunt vtriusque sexus genitalia, non situ tantùm, sed & numero, forma, structura.* Si displicet iuuenis, ausculta senem, Bauhinum, 1. Theat. 36. de testibus vtriusque sexus, *A marium testibus differunt fœminarum, situ, figura, magnitudine, substantia, &c.* Iam dic tu mihi, ô sapientissime, si Natura tam latum statuit discrimen inter vtriusque sexus genitalia, præcipuè testes, quo fine statuit? Vt testatum faceret, non fecisse eidem fini, vt, inquam, tale conficiant semen fœminæ, quale viri. Propterea nec tantum caloris dedit fœminis, 14. vs. p. 7.

§. 20. *Fœminæ appetunt Venerem*, pergit ille, *& semen in συνουσίᾳ effundunt.* Neutrum est perpetuum. Quin veneris appetitus in iuuenculis præcipuè, est à calido sanguine, ad vterum fluente: Vnde πολύαιμοι his partibus dicuntur ab Arist. Semen verò id, de quo vir magnus pugnat, neque est in omnibus fœminis; neque semper se ostendit in iis etiam, in quibus est, neque vlla illi patet via ad vterum, sed foràs effunditur per *Cremasteras*, vti dixi. Huc tendit vocula *interdum*.

§. 21. *Castrata animalia venerem non appetunt, cùm integra statis temporibus ὀργασμῷ laborent.* Imò, vt de homine tantùm dicam, Eunuchi amatores sunt tanti, vt prouerbio locum dederint, apud Terentium. Et apud Turcas postquam id rescitum est, toto cole illos priuant, vt est in Epist. Busbequij. Interim in brutis testes pendent à cornibus vteri: cui bono? De his ego non pugno.

§. 22. Post hæc noster parat responsiones ad duo argumenta quorum *primum* Scaligeri est, Exerc. 268. Si ab vtroque est formale quid, iam formæ miscentur, quod absurdum est maximum. *Alterum* est. Si ab vtroque est actiuum

quid,

quid, alterutrum est superfluum, adeóque fœmina sine mare concipere potest.

§. 23. His antequam respondeat, geminum præmittit argumentum, quorum vtrumque tantum apud me concludit, quantum ψευδογράφημα illud, quod pueris in schola proponi solet: *Vnicus fons est in mea domo. Mea domus est in oppido, Ergo (vnicus) fons est in oppido.* Mater à patre non differt specie mater ad patrem habet veram relationem: non propterea & pater & mater (actiuè) concurrunt. In sexu enim distinctis satis est, si pater habeat vim actiuam, mater passiuam. Et cur alioqui discrimen in sexu institutum est? Propterea dico, τὸ *Actiuè* hîc proportionatum est, τῷ *vnicus* ibi.

§. 24. Sed non sit: quid Scaligero respondet Sennertus? Certè si & pater tribuit actum seu formam; & mater: miscentur inter se formæ. At verò ex duobus entibus, seu actibus per se, non potest fieri tertium ens per se. Interim Scal. ipse ita proponit Exerc. 106. n. 6. & subitò explicat per exemplum trium palmarum, in vnam coëuntium.

§. 25. Dicit: *Pater & mater non differunt specie. Ergo non miscentur species.* Viderat, credo, ipse vestigium esse lubricum, ideò aliis tribuit hoc acumen. Hoc autem est declinare forum. Non quæritur, quomodo differant inter se duo illa indiuidua: sed quid ad generationem tertij indiuidui conferat alterutrum. Si enim vtrumque tribuit formam, ex duabus formis fiet vna. Stat igitur argumentum Scalig.

§. 26. Eiusdem mentem non est assecutus homo. Non enim dicit vir illustris, ex trib. palmularum ossibus fieri palmam vnam φύσει, sed ἁφῇ, vt modo locutus sum ego. Ait enim, vnum numero stipitem separatum esse externis truncis, ortu, materia, quantitate, loco. Huius rei exemplum sunto *Quatuor fratres* ab omnibus dictæ *quatuor piceæ*, non toto miliari ab oppido nostro distantes, ad oram viæ regiæ, quæ Noribergam ducit. Hi fratres à terra assurgere videntur vno stipite vltra staturam humanam; tum verò manifestè dispescuntur in quatuor distinctas piceas. Tu verò si propiùs accedas, rectè videbis, vnum illum caudi-

cem

cem distinctum esse quatuor lineis, quæ significent tibi, quatuor esse arbores, quibus sola desit rotunditas. Iam audio duas computruisse, & restare duas. Si vna fuisset arbor, tota simul corruisset. An tale quid patrari posset, si quis quatuor tenellas arbores, filo ferreo colligatas, impingeret terræ? Tale quid voluisse Scaligerum euincunt verba ipsius. Vide 4. Gen. hum. 16. Ego, vt proprium experimentum mihi pararem, sumpsi ex pyro primùm, deinde expono, duo semina inuicem adhuc hærentia, terræque commisi, cum cautione ne separarentur: quid factum est? Non nata est pyrus vna, (ita de pomo quoque) sed duæ: verùm ita, vt altera feliciter adsurgat, altera semper sit pumilio, rapiente scil. robustiore alimentum. Huius roboris accipe hoc etiam exemplum. Ex vna pyro accepi quatuor semina vegeta, & ordine, debito relicto spatio, in arca linea quadrata collocaui. Hinc enatæ plantæ, quarum vna intra biennium vlnam superauit: duæ aliæ vix mediam: quarta, ne tantum quidem.

§. 27. Et hæc quidem ego iubente-volente *Veritate*, ne qui adolescentes decepti conquerantur, se ad dediscendi necessitatem adactos esse. Et quidni metuam? Cùm Sennertus ita concludat negotium. *Hunc in Natura à Creatore sancitum esse ordinem, vt ex vtroque semine, tanquam partialibus causis, vnum principium, & vna totalis causa emergat*, &c. Iam enim me pudet, pigétque inaniarum. Vide 4. Gen. hum. 13. & seq. Et hæc quidem de Abdomine.



CAPVT XLVI.


De Thorace.

§. I.  QVEMADMODVM apud Vet. ἡ κοιλία κάτω, *venter inferior*, modò est totum abdomen, modò ventriculus tantùm, modò colum tantùm: ita ἡ κοιλία ἄνω, *venter superior*, modò est *Thorax* hodie dictus, modò *Ventriculus*. Rursus, ὁ θώραξ olim significabat *totum truncum*, cuius significationis vestigia sunt apud Hipp. lib. de

Arte, & Arist. 1. Hist. 7. posteà ita dici cœpit *superior trunci pars* tantùm, cuius initium superius quidem est ἡ σφαγὴ, *iugulum* : inferius autem *scrobiculus cordis* dictus, quem ἀντικάρδιον, pace Pollucis, dicam. Vulgus costis circumscribit, & distinguit ab Abdomine intùs musculus transuersus, in brutis *die schlemme* vocatus, Medicis omnibus *Diaphragma*, de quo dicetur mox. Apud Hippocr. frequens est vox κίθαρος, quam Doricam esse Erotianus affirmat. Ab Hesychio exponitur στῆθος, πλευρὰ καὶ ἰχθύς. Vbi lego χελὶς, quamuis frequentius sit χέλος. Est enim hæc quoque vox apud Hippocr. & malè ab Interp. ad *Testudinem* trahitur, Foësio monitore. Huius diminutiuum est χελύσκιον (non χελίσκιον, multò minùs χέλισκον) eiusdem cum primitiuo significationis. Quare χελύσκιον ξηρὸν apud Gal. in Gloss. non est βηχίον βραχὺ, *tussicula arida* : sed *Pectus angustum & exsuccum*, quale πτερυγῶδες ἢ σπινιδῶδες dicitur aliàs. Hinc ἀναχελύσσειν, (ita enim leg. esse apud eundem Gal. in Gloss. pertendo in Notis, est ἀναχρέμπτεσθαι, *Expectorare*. Στῆθος, cuius memini ex Hesychio, modò significat anteriorem thoracis partem tantùm, tum videl. cùm opponitur ei τὸ μετάφρενον, ἢ νῶτον, *dorsum* : modò thoracem totum. Quin pro *corde* etiam vsurpatur, vt & pro *ore ventriculi*, perinde ac καρδία. Inuenias & στήθεα, siue metaplasmus sit Græcis admodum frequens, siue ad *mediastinum* respicias, à quo thoracis capacitas diuiditur.

§. 2. *Partes thoracis*, aut *Continentes* sunt, aut *Contentæ* : *Continentes* aut *Communes* sunt, Cuticula, cutis, & membrana carnosa, de quibus actum est : aut *Propriæ*, de quibus agendum. Hæ sunt. 1. Costæ cum cartilaginibus suis. 2. Sternon. 3. Musculi, in quorum censu *Diaphragma* est. 4. Pleura cum mediastino. Contentæ sunt. 1. Cor. 2. Pericardium cum humore ibi contento. 3. Vena arteriosa, & Arteria venosa. 4. Vena caua: & Arteria magna. 5. Pulmo. 8. Aspera arteriæ. 7. Thymus, ligamenta, venæ & arteriæ nutrientes, & nerui.

§. 3. *Vsus thoracis*, vt dixi in superioribus, apud Arist. & in rei veritate duplex est. Alter, πρὸς τὸ εἶναι, *vt animal sit & perennet*. Id verò fit beneficio alimenti, quod *Cor* elaborat, eo sensu, quo suprà declaratum fuit. *Alter* πρὸς σωτηρίαν τῆς καταψύξεως, *vt calor in corde coquens refrigerium suum habeat*. Nullus enim ignis durat, nisi ventiletur. Id verò fit ope duarum actionum, *Respirationis*, quæ promouet actionem seu motum sursum : & *Pulsationis*, quæ motum deorsum. Hanc veritatem, vti loquuntur, quàm miserè miseris modis contaminarit Gal. dixi alibi, & dicetur aliquid infrà.



CAPVT XLVII.

De Costis.

§. 1. Η ΠΛΕΥΡΑ', καὶ τὸ πλευρὸν, apud cæteros Græcos indistinctè *Costa* est: apud Medicos obtinuit, vt ἡ πλευρὰ in singulari sit membrana illa, quæ in thorace costis prætenditur; αἱ πλευραὶ, ἢ τὰ πλευρὰ in plurali, *Costæ*. Quin *Latera totius trunci* aliquando ita dicuntur. Harum quibusdam data sunt peculiaria nomina, quæ ad nos pertinent.

§. 2. Diuiduntur ab omnibus in γνησίας, *veras seu legitimas*: & νόθας, *spurias*, *seu illegitimas*, quæ ipse dicuntur etiam μαλθακαὶ ἢ χονδρώδεις, *molles*, seu *cartilagineæ*. *Illæ* sunt, quæ cum sterno, de quo iam, articulantur: *Hæ*, quæ non articulantur.

§. 3. De *numero*, nec Vet. sibi consentiunt, nec Recent. Sed res ita habet. Cùm vet. dicunt, *septem* tantùm esse, de solis veris sermo illis est; cùm *duodecim* esse dicunt, ineunt totum numerum. Verùm & hîc difficultas est, quòd numerus hic in quibusdam minor sit, in quibusdam maior. Propterea addere oportet, *Vt plurimùm sunt* 12. Hîc subitò alia pullulat difficultas, *Vtrum sit frequentius*? Gal. cùm dicat modò hoc, modò illud, vnguis est in oculo. Sed ita est in rerum natura, Frequentius est numerum duodenarium augeri, & fieri 13. infrequentiùs alterum. Propterea corrigere oportet loca Gal. quæ secùs nos erudiunt, quod feci suis locis.

§. 4. *Omnes costæ, posterius* quidem spinæ vertebris committuntur per συναρθρώσεως speciem illam, quæ ἀρθρωδία dicitur, & quidem per συγχόνδρωσιν: verùm hac differentia. *Posteriùs* cartilaginis intermediæ in omnibus costis eadem est ratio: *anterius, veræ* quidem parùm cartilaginis habent, cuius beneficio cum sterno iunguntur; *spuriæ* autem vltra medietatem cartilagineæ sunt. Reliqua ad intuitum pertinent.

§. 5. *Vsus* verarum est omnibus cognitus, *Munire pectus*. Verumtamen quia munimentum hoc debuit esse mobile, interiecti sunt musculi, de quibus iam. Dixi *Verarum*: Re enim verà *spuriarum* vsus ad thoracem non pertinet, quod pauci sciunt. Factæ igitur sunt, & factæ sunt tales, & habuerunt hunc situm, propter tutelam diaphragmatis, ventriculi, hepatis & lienis. Vide Com. 2. Thor. 2. Huius consectarium est, *Veras* quidem tegi à pleura: *spurias* autem à peritonæo.

§. 6. Nutriuntur veræ magnam partem ab ἀζύγῳ dicta vena, cui ex vicinis locis in subsidium veniunt *arteriæ*: *spuriæ*, à *Phrenicis*, aliisque in propinquo.



CAPVT XLVIII.

De Sterno.

§. 1. QVOD τὸ στέρνον dictum sit, quia sub eo sit τὸ στεῤῥὸν τ͂ νῦ, *basis*, & *sedes mentis*, elegans magis quàm verum est ἔτυμον. στῆθος quoque fuisse olim appellatum, suprà dixi. Vocabatur etiam ὀςτοῦν ξιφοειδὲς, *os ensiforme*, seu *gladiale*, sed barbarè. Hodie nomen retinet *Cartilago* inferiùs illi appensa, quæ *Mucronata* cognomen inde habet, *scutiformis*, *clypealis*, &c.

§. 2. Controuersia insignis est, ex quot ossibus constet? Alij enim alium numerum inuenerunt. Fregit autem glaciem diligentiss. Fallopp. in Obs. docens, Variare pro ætatum varietate, & cùm à primordiis vitæ totum sit cartilagineum, semper partem post partem ossescere, vsque dum totum fiat osseum. *Connexionis* ratio σύμφυσις est per συγχόνδρωσιν, vt Columb. scribit.

§. 3. *Ossis ipsius* vsus manifestus est, recipere articulationem verarum costarum: *Cartilago* creditur tueri os ventriculi.



CAPVT XLIX.

De Musculis Thoracis.

§. 1. SVNT illi duûm generum: Quidam enim iacent in spatiis costarum, quæ μεσοπλεύρια vocantur, vnde ipsi μύες μεσοπλεύριοι, ἢ τῶν μεσοπλευρίων, *musculi intercostales*, seu *intercostalium*. Quidam costis instrati sunt, & habent singuli sua nomina apud Anatomicos, *Externi* dicti, qui videantur apud ipsos.

§. 2. *Horum* posteriorum numerus est senarius, apud plerosque omnes idem. *Illorum* varius est. Ego pedibus eo in sententiam eorum, qui volunt esse vtrinque 22. Cùm enim spatia sint XI. in singulis autẽ spatiis sint gemini, χιαστικῶς sibi inuicem impositi: in vno quidem latere tot erunt, quot dixi; in vniuersum autem 44. Seruiunt omnes dilatationi & constrictioni thoracis, atque adeò non respirationi tantùm, sed & voci: quin fœcum etiam exclusioni, & partioni.

§. 3. *Nutritionis* ratio est, quæ costarum, & instratarũ ipsis membranarũ.



CAPVT L.

De Diaphragmate.

§. 1. EST hoc quoque in censu *externorum* thoracis musculorum: sed habet multa peculiaria.

§. 2. Φρένας καὶ πραπίδας antquioribus fuisse dictam hanc partem, notum est doctis. Causam rimatus sum alibi, etiam solicitiùs. Platonem fuisse primum, qui à communi vsu τοῦ διαφράττειν vocauit διάφραγμα, autor est nobis Gal. 5. Loc. aff. 4. Qua de re dubitari posse, scripsi Com. 1. de Thor. c. 4. Vocem hanc Latini quoque retinent, licèt nonnulli *Septum transuersum* malint nominare, imitatione Celsi, quemadmodum Dissеptum alij, ex Macrobio. Hæsit vox huic parti peculiariter, quamuis multis aliis accommodari possit & soleat, ob non dissimilem vsum.


§. 3. *Situm* est sub costis veris, qua parte *Thorax* quidem desinit; incipit *Abdomen*. Ideò sursum quidem tegitur à pleura, deorsum autem à peritonæo, vt dixi.

§. 4. *Conformationem* præ omnibus aliis musculis peculiarem nactum est. Est enim *figura* circulare, cuius tendo est in medio, caput in circumferentia, tu puta, quàm latè patet capacitas duorum ventrium, quos interstinguit. Accuratiorem descriptionem si vis, dabit tibi Galenus 13. Vs. part. 5. *Superficies* vtrinque est læuis, nisi qua parte fœmina habet.

§. 5. *Vasa* habet à *Vena caua*, & *Arteria magna*, *Phrenica* dicta. In *neruis* hoc peculiare habet, quòd non accipit à *sexto pari cerebri*, vt viscera reliqua omnia vtriusque ventris: sed à spinali medulla. Sed & hoc proprium est, quòd non è directè opposito loco, sine videl. dorsi veniunt: sed è collo, labentes deorsum inter Mediastini duplicaturam, 13. Vs. p. 5. & 9.

§. 6. *Vsum* quidem habet cum consortibus musculis communem: cæterùm Gal. vult, per se & solum præstare *liberam respirationem*, quod nunquam credere potui. Tam in me enim, quàm in aliis experior, omninò concurrere ad illam inferiora quoque intercostalia. Quin audeo dicere, quantumuis liberam sine abdominis musculis non fieri.

CAPVT



CAPVT LI.

De Pleura & Mediastino.

§. 1. IAm suprà dixi, quid Anatomici dicant τὴν πλευρὰν, *pleuram* etiam Latinis literis scribentes. Ab hoc vsu dicitur ὑμὴν ὑπεζωκὼς, *membrana succingens*, subintellige, *Thoracem*. Hîc oportet addere, & scribit Gal. 7. Exerc. Anat. 2. quod peritonæum præstat *Abdomini*: id pleura *thoraci*. Quemadmodum enim *illud*, & viscera omnia quasi sacco includit, & singulis seorsim dat propriam tunicam: ita *hæc*. Verumtamen hac differentia. *Pleura* in medio thorace facit quasi parietem intergerinum, vt sint duo pectora: peritonæum non facit.

§. 2. Hic paries iam constituit *Mediastinum* dictum, qui nihil aliud est quàm *pleura duplicata*, comprehendens cor cum pericardio suo, quasi duabus manibus. Quærunt, An pleura quoque sit duplex? Imò quibusdam locis triplex, dicunt, præsertim circa costas, in quibus *Periostium*, Latinè explicant *Circumossalem* vocantes.

§. 3. Ex dorsi vertebris deducunt, tam pleuram, quàm mediastinum. In illa consentio: in hoc ad sternon inclino. Ideò enim factus est, vt cor suspendat.

§. 4. *Vasa* habet pleura, quamdiu costis insternitur, *ab ἀζύγῳ* dicta, arteriisque è longinquo attensis: in profundo accipit à visceribus, quæ obtegit. *Mediastinus* in specie à mammariis accipit propagines: quin à *iugularibus & soporalibus* insignes ramos. *Neruos* habet, pleura quidem à sexto pari cerebri: mediastinus autem inde, vnde diaphragma.

§. 5. Epidorpidis loco addo, quod memini diligenter nobis commendare Illustr. D. ab Aquapendente. Mediastinus, ad sternon à seipso discedens, facit quasi *tertiam* thoracis *capacitatem*, qua perfossa, respiratio non læditur. Meminit huius disertè Gal. 6. Sent. Hipp. 7. C. obscurè 5. Exerc. Anat. 8.



CAPVT LII.

De Corde.

§. 1. TAM apud Græcos, quàm Latinos Medicos, nonnisi vna est huius partis appellatio, *καρδία*, *& Cor*. Cùm dicitur *καρδία*, quia torta vox est à Poëtis, non credo Gal.3.Sent.Hipp.5. affirmanti, dici quasi *κρατίαν*. Interim etiam os ventriculi, *καρδία* dicitur, vti comprehensum est. *τὸ στῆθος*, quia *πολυτιμότατον* est, non debet quenquam morari.

§. 2. *Cordis partes* duæ sunt, diuersis & ipsæ signatæ nominibus. *Pars summa*, quà sunt vasa quatuor dicenda, Aristoteli 1. Histor.17. 3.part.4. dicitur *τὸ κυρτὸν*, *pars connexa, deuexa, gibbosa*. Hoc explicat Gal. per *κεφαλὴν ἢ βάσιν*, *caput, seu basin*. Ferè enim retinemus Græcum. *Pars ima*, quæ in acutum desinit, eidem Arist. *τὸ ὀξὺ*, *ἢ τὰ ὀξέα*, *pars acuta* vocatur. Hoc explicat iterum Gal. per *κορυφὴν*, *ἢ πυθμένα*, *apicem*, *mucronem*, *fundum*. Mihi per *Fibram* quoque explicari posse videtur. *Fibrum* enim priscis *Extremum* est. Hippocrati lib.de Corde, vtquidem in nostris Codd. est *ὁ οὐραχὸς* dicitur: sed *οὐραγὸς* legi debet, si quidquam video. Confunduntur enim duæ voces vicinæ, *οὐραχὸς*, *ἀπὸ τοῦ τὸ οὖρον ἄγειν*, *vrinæ* deductor, in infantibus puta: & *οὐραγὸς*, *ἀπὸ τοῦ τὴν οὐρὰν ἄγειν*, cuius diminutiuum est *ὁ οὐράχιος*, non *τὸ οὐράχιον*, multò minùs *οὐρίαχον*. Est autem *ὁ οὐραγὸς* vocabulum militare, & significat illum, qui extremum agmen claudit. Et hinc detorsit Hipp. qui etiam *τὴν ἐσχάτην*, *extremitatem* vocat, qua voce Tactici quoque vtuntur. Possis etiam pro adiectiuo habere, & subintelligere *μερίδα*. Mecum est Cornarius, qui *Caudam*, vertit. Nam & Hesychius *Extremi agminis ductorem* vocat *τὸν οὐραγόν*. An vtrobique pro *οὐραγωγὸς* est? *τὸ οὐραχὸς ἢ οὐραχὸν* planè non agnosco.

§. 3. *Situm* esse in medio thorace, omnes confitentur: sed non Mathematico. Qua voce absoluo me à non paucis distinctionibus. Interim dico, epithemata cordialia esse applicanda sinistro lateri. Pulsus enim ibi se prodit. Vide Com.in 6.Vs.p.2.

§. 4. *Substantia* est, qualis reliquorum parenchymatum: differt tamen soliditate, quæ tanta est, vt caro separari non possit. Præter hanc alia est differentia, quam Anatomicorum nemo vnus explicuit. Cor est vnum, non *φύσει*, *natura*: sed *ἀφῇ*, *contiguitate*, vt dixi de ouo fœcundo. In hoc, quemadmodum aliud est ouum, vt à gallina editur, quod *φύσει* vnum est; aliud ouum, quod semen galli habet, siue quod fœcundum est, & est *ἀφῇ* vnum, duo, inquam, reuerà corpora, alterum, quod in fœtura gallinæ, rationem formæ habet; alterum, quod materiæ: ita

in

in Corde duæ sunt substantiæ, altera cordis ipsius, quæ à sanguine materno est, materiatum hoc, constans ex carne & fibris; altera calidi natiui, reliquiæ videlicet seminis paterni, per substantiam illam dispersæ ita, vt dispersum est coagulum per caseos, vt Philosophus se explicat. Hæc distinctio locum habet in doctrina Febrium. Hanc substantiam tuetur forinsecùs *tunica*, è vasis quatuor, quæ in basi sunt, enata, quæ habent eam à pleura.

§. 5. *Conformatio* consistit in tribus iam sæpe dictis. I. *Figura*, apud Hipp. quidem l.c. de Corde est ὁκοῖον πυραμὶς, *qualis pyramis*: apud Ruffum autem κονοειδὴς, *instar coni*, seu *nucis pineæ*. Quà enim basis dicta est, latum est, sed attenuatur semper in acumen.

§. 6, II. *Cauitates*, vt in hepate, duplices sunt: sed differentia multò maxima. *Hepar* enim ἄκοιλον est: at *Cor* duas habet κοιλίας, vt iam dicam. *Cauitatibus* igitur hepatis, quas vasa constituunt, suprà c.34.§.5. proportione respondent αἱ κοιλίαι, *ventriculi*, de quibus mox.

§. 7. *Superficies* exterior æqualis esset, nisi pinguedo & tumor vasorum propriorum obstaret.

§. 8. Ea sunt *Venæ* & *Arteriæ coronariæ* dictæ, quæ natæ sunt alere extimas visceris partes, cùm intimæ alantur sanguine, in ventriculis contento. His addere oportet *Neruos*. Gal.6. vs.p.18. scribit, nonnisi vnicum habere, qui ex sexto cerebri pari in pericardium eat. Nostri viderunt ex eiusdem paris recurrente sinistro inseri neruum in ipsam cordis basin. Solus Fallop. integrum glomum vidit, 4.Obs.15. sed post ipsum hactenus nemo. Mihi persuasum est, vnicum illum nihilo plus hìc posse, quàm ille in hepate. Atqui motum cordis ab illo petunt, adeóque mortem quandam ex illius obstructione inopinam exspectant, delirant. *Motus* enim *cordis* à Calido natiuo est, vt ostendi Com.2. de Thor.16.

§. 9. *Ventriculorum* ratio quæ sit, vt intelligatur, sciendum est, Considerari in corde geminum parietem, dextrum & sinistrum, vnà cum interstitio, quod *Diaphragma cordis* vocant. Ventriculos ipsos Hipp. & Arist. κοῖλα, *cauitates* vocant: Gal. & nos omnes κοιλίας ἢ γαστέρας, vnde est vox Latina, quamuis in forma diminutiua. Ambitiosi quidam *Cisternas* appellant, *lacus*, *lacunas*, *thalamos*, *specus*, *diribitoria*, & nescio quî aliter. In specie, *dextrum* quidem nominant φλεβώδη, ἢ αἱματώδη, *venosum*, seu *sanguineum*, *sinistrum* autem ἀρτηριώδη ἢ πνευματώδη, *arteriosum* & *spirituosum*. Harum appellationum oppositionem vnam inuenias apud Gal.6. vs.p.7.E. vtramque apud Ruffum lib.1.c.25. & iterum l.2. cap.8. Hos ventriculos constituit *Diaphragma cordis* dictum, quod ipsum βοθυνοῖς, *foueis* quibusdam distinctum est, vt moram diuturniorem, in perpetuo illo motu, trahat sanguis. Horum qui *dexter* est, maior est & latior quippe qui maximam partem, si non totum occupat, licèt ad mucronem non perueniat. Qui *sinister*, minor, sed longior, in mucronem ipsum descendens. De *dextro* ait Hipp.l.c. esse οἱ ἔξωθεν περιεῤῥαμμένον

μβριον, *quasi foris adsutum*. Abscisso enim illo, manet tamen cor pyramidale. Hoc in genere *auium* manifestissimum est: in homine & quadrupedibus, non ita. In *auibus* tam tenuis est paries dexter, vt membrana videatur, manétque figura cordis abscisso illo. In *quadrupedibus* protuberat septum. Cæterùm, ventriculorum intima *superficies*, præter *foueas* iam descriptas, *monticulos* quosdam ostendit, quibus fines *valuularum* dicendarum innectuntur. De foueis manet id, quod dixi: at quod de transitu sanguinis fingunt isti, hoc illis

Non D I, non homines, non concessêre columnæ.

§. 10. De *magnitudine* hepatis, quæ dicta sunt ibi, huc quoque pertinent.

§. 11. De *Vsu* qui loqui velit, ei reuocanda sunt illa, quæ de vsu Thoracis non ita pridem dixi ex Arist. Quibus hoc addo, In vtroque *Calidum natiuum* esse *ἀρχιώτατον*, vt Gal. loqueretur, hoc est, esse partem principem actionum harum, quæ fiunt per has multas partes. Consideratur autem Calidum hoc, aut quà *Calidum*, aut quà *Ignis*. *In illa* consideratione facit ad τὸ ζῆν, hoc est, sanguinem coquit, quo animal alatur! *in hac*, ad τὸ εὖ, hoc est, ventilat ignem suum, ne quasi sub suffocatorio pereat. Et concedit quidem Gal. in *dextro* ventriculo fieri coctionem quandam, à qua sanguis habeat hæc πλεονεκτήματα, vt præ hepatico sursum lato sit *exactè elaboratus, flauus, tenuis, purus, spirituosus:* sed hoc fieri ait propter solam pulmonis nutritionem. Hoc quis tam facilè credat? In *sinistro* concedit idem fieri coctionem aliam, quoties tradit differentiam inter sanguinem *venosum* & *arteriosum*: at sanguinem hunc non permittit nutrire, sed alium habere ait vsum. Quem verò, ô vir maxime? *vitam præstat*. Atqui, dixi ego, *Vita* & *Nutritio* non differunt? Quod cùm agnosse incipiant Archiatri quidam, miror, si non pudet illos clientis sui! Sed & propterea pudere debent, quòd multis locis, huc non afferendis, ipsemet fateatur, *sanguinem arteriosum nutrire*. Verùm, vis hæc est Adrastéas, cui hoc negotij dat ipsus, ne quis impunè Veritati sese opponat.

6. Vs. p. 10. G. Vide Com. in 6. vs. p. 9.

6. Sentent. Hipp. 6. A. Vide suprà c. 13. §. 13. Tract. de Humor. cap. 13.



CAPVT LIII.

De Pericardio, & Humore in eo.

§. 1. ΥΜΗΝ περὶ τὴν καρδίαν Arist. 3. Hist. 13. 3. Part. 11. facit τὸν χιτῶνα περικάρδιον, ἢ τῆς καρδίας, Gal. 7. Exer. Anat. 3. 6. & 9. *Pericardium* cum plerisque omnibus Anatomicis dixisse nobis satis sit.

§. 2. Hinc intelligitur, & *figura*, & *substantia* ipsius,

ipsius, & *vsus*. *Figura* planè imitatur Cor: sed tam longè ab illo abest, vt liberè in eo, tanquam ἐν κουλεῷ, *in vagina gladius* (tu nota vocabulum poëticum, siue Masc. sit, siue Neutrum) moueri possit, vt Hipp. comparat lib. de corde *Substantia* quidem siue ὑμὴν siue χιτὼν est: sed fortissima densissima, in quam intuens, non possum assentiri illis, qui à mediastino quidem immediatè deducant, à pleura autem mediatè: Quin est pars sui generis. *Vsum* exponit denominatio Hipp. quem Gal. aliis verbis explicat 7.Exerc.Anat.2.6.vs.p.16.

§. 3. *In homine* duo habet peculiaria. 1. Alligatur diaphragmati. Hoc fieri aiunt ob breuitatẽ thoracis. 2. Non habet pinguedinẽ, vt in brutis.

§. 4. *Venas* accipit, infrà quidem à *Phrenicis* dictis: suprà autem à *Subclauiis*. *Arteriarum* eadem est ratio, nisi quòd valde exiles sunt. *Neruos* dat illi sextum cerebri par iam toties dictum, postquàm *Recurrentes* vocati constituti sunt.

§. 5. Inter *tunicam* hanc & cor, est *humor* quidam vrinæ similis, vt loquitur Hipp.l.c. cuius Gal. in libb. Anatomicis non meminit, meminit autem 5.Loc.aff.2. Similitudo illa Hipp. quasi manu prehensos ducit nos ad originem ipsius. Est enim *pars Seri*, quod cum sanguine ad cor ascendit, vt Iossius me docuit.

§. 6. Huius *vsus* est, non *refrigerare* cor, cùm actu caleat in viuis: sed *humectare*, adeoque pugnare contra siccitatem, quæ ad senectutem & mortem ducit. Alium vsum dedi 3.Thor.19.



CAPVT LIV.

De vena arteriosa & Arteria venosa, earúmque valuulis.

§. 1. ET nomina & vsus quia sunt implicatissimi, valdè attento opus est. Nota fuisse hæc *vasa* Hipp. l.d. & Arist.1. Histor.17. certum est: sed sine nominibus. Hæc finxisse puto Praxagoram, Herophili discipulum, non sine ambiguitate maxima. Cùm enim priscis temporibus vtrumque vas sanguifluum nonisi vnum τῆ φλεβὸς, *Venæ* nomen haberet; adstrictum autem postea fuisset, hoc quidem nomen vasi illi, quod hodie *Venam* vocamus, ceu suprà dixi; illud autem *Arteriæ* nomen accepisset: quid fecit hic audaculus? Cùm videret in dextro cordis ventriculo & venam & arteriam; cùm in sinistro pariter aspiceret & venam & arteriam, quarum alterutra vtrobique iam habebat nomen suum, Vena caua, Arteria magna; altera vtrobique Vide 7. Ex. Anat.4.

ἀνώνυμος esset: insiluit hypothesi non bene firmæ, *Quia dexter ventriculus est φλεβώδης, vtrumque ipsius vas sit φλέψ; quia sinister est ἀρτηριώδης, vtrumque sit ἀρτηρία.* Cùm obiiceretur fortassis illi, Cur frustrà moues limitẽ iam positũ, qui est, Hoc tale vas sit vena, hoc tale Arteria? respondebat, Ne prorsùs negligatur prior quoque hypothesis, adiiciamus vtrobique substantiã, & sit hæc *vena arteriosa*, illa *Arteria venosa.* Quid desiderari possit, dixi Com. 1. de Thor. 9. iam hoc addo, Ambitiosa illa nominum mutatio (putà, cùm Vena dicitur, quæ Arteria est: cùm Arteria, quæ Vena) non facit, vt alia sit ratio nutritionis pulmonum, alia cæterarum partium omnium, quod magni etiam viri credunt, autoritate Gal. inducti. An diuersitas in eo est? Sanguis in dextro ventriculo elaboratus, melior est venoso, ad præstantiam tamen arteriosi non accedit. Et hoc solo quia nutritur pulmo, non potest etiam dici, nutriri duplici sanguine, vt reliquæ partes. Ex sinistro enim ventriculo per arteriam venosam, nihil ascendit, vt iam dicam. Sed hæc quidem per anticipationem: ad rem:

§. 2. *Vtrumque* hoc vas, è cordis basi elatum, 7. Vs. p. 2. ramis primùm maioribus, deinde minoribus, & ita consequenter semper diuiditur, vsque dum ad minima deuentum sit. His, quod suprà quoque dixi, interiacent bronchia, quæ refrigerata, per contactum refrigerant sanguinem, in vasis his contentum.

§. 3. *Vtrumque* etiam hoc vas initio sui peculiares habet ὑμένας, *Valuulas*, quæ seruiunt exportationi & importationi. In *vena* enim *arteriosa* tres sunt, σιγμοειδεῖς à figura dictæ, quæ, ab interioribus ad exteriora spectantes, prohibent, ne sanguinis in pulmones propulsus relabatur ad cor. In arteria venosa duæ sunt, τριγλώχινες, *tricuspides* dictæ, contrarium situm habentes, & ideò contrarium vsum. Sunt autem duæ tantùm, ne impediatur fortè motus hic naturæ.

§. 4. *Vtrumque* iterum hoc vas per mutuas ἀναστομώσεις, in ipsis pulmonibus, in se aperitur, & accipit *arteria venosa* ex *vena arteriosa* sanguinem, quem in sinistrum ventriculum deponit. Has Gal. 6. vs. p. 10. extr. vocat ἀοράτους τινὰς, καὶ στενὰς ὁδοὺς, *vias quasdam inuisibiles, angustiásque*, & iterum, λεπτὰ τινὰ στόματα, *tenuia quædam orificia.*

§. 5. In *vsu dicto* tantumnon ἀμετάπτωτος sum, duplicem esse, *primarium* & *secundarium*. De *hoc* vt habemus ex parte fauentem Gal. ita de *altero*. Naturam ipsam. 1. Valuularum structura hoc vult. 2. Substantia & amplitudo *venæ arteriosæ* hoc iubent. 3. Pulsus id indicat, pulsus, inquam, venæ arteriosæ. 4. ἀναστομώσεις confirmat. 5. Verè mirabilis structura vasorum cum bronchiis persuadet. Accedunt tria alia. 1. Si per diaphragma cordis it sanguis, quæ dabitur ratio refrigerationis. 2. Si è dextro it in sinistrum, quid impedit, quo minùs redeat in dextrum? 3. Non potest transire per septum tam densum, quale in brutis est. Vide Com. in 6. Vs. p. n. 364. 3. Thor. 11.

CAPVT



CAPVT LV.

De Vena caua, & Arteria magna, necnon valuulis ipsarum.

§. 1.  *ASIS duobus* in pulmonem absumptis superaddere fas est *duo reliqua*, quæ per totum corpus distribuuntur. Vbi primùm quæro, siquidem *Arteria magna* indubitatò est è corde, eo modò, quo Vesalium exposuisse scimus: quod est illud tam grande σοφῶς, quod prohibet, quò minùs *Vena caua* inde quoque sit? Hò! inquiunt, αὐτοψία, *sensus*, cui qui repugnat, illi Aristot. obiicit ἀῤῥωςίαν τῆς διανοίας *stultitiam*. Qui verò sensus, mi Domine? Gal. vidit, *venam cauam circa hepar ampliorem esse*. Ergóne iam testibus agitur? Accipio conditionem, & vni illi *primùm* oppono quinque grauissimos viros, Vesalium, Cæsalpinum, Accorambonum, Bauhinum, & Spigelium. *Deinde*, me quoque, in præexercitamentis meis Anatomicis, toties huius contrarium vidisse, & persuasisse spectatoribus, quoties meminisse non possum. 6. Sentent. Hippocr. 3. extr. & 4. A.

§. 2. Sed sit ita, vt ὀρανοδρόμοι isti volunt. *Substantia venæ cauæ* est talis, qualis descripta fuit suprà in genere, & qualis dicta modò Arteria venosa. *Substantia Arteriæ magnæ* pariter est talis, qualis suprà memorata, & qualis vena arteriosa.

§. 3. *Vtrique* in ipso egressu præstructæ *Valuulæ* sunt ὑμένες, non minùs discrepantes, quàm duorum dictorum. Quæ enim in *Vena caua* videntur, structura, & vsu similes sunt iis, quæ in *Arteria venosa* sunt, τριγλωχῖνες scil. & ab exterioribus ad interiora spectantes, hoc solo dempto, quòd non duo, sed tres sunt, vt exactior fiat clausio. Quæ in *Arteria magna* sunt, non structura tantùm & vsu similes sunt illis, quæ in *vena arteriosa* apparent: sed & numero conueniunt. Vt iam valuulæ in vniuersum 11. sint.


§. 4. *Vtrumque* ab Anatomicis diuiditur in *Truncum ascendentem & descendentem. Truncus venæ cauæ ascendens*, vbi ad *iugulum*, seu *Clauiculas* peruenit, diuiditur in ramos duos insignes, quorum alter petit brachium *dextrum*, alter *sinistrum*. *Vterque* quandiu intra thoracis cauitatem est, *Subclauius* dicitur: thoracem egressus, *Axillaris*. *Ille*, antequàm diuidatur, σφαγίτιδας, *Iugulares* dat, quæ caput ascendunt: *Hic*, non ille, subdiuiditur in ramum *Cephalicum* & *Basilicum*, qua de re in historia brachij. Venæ hæ cum Arteriis soporalibus Donato dicũtur *Lisæ*, quod interceptis iis animal elidatur.

§. 5. *Truncus venæ cauæ descendens*, postquam in ipsa hepatis substantia constituit *Reticulum* illud, de quo dixi in superioribus, vnde

& Vena porta, & *Vmbilicalis* est, descendit indiuisus vsque ad *Ilia*, & constituit ibi ramos duos *Iliacos*, *Subclauiis* proportione respondentes. Tum verò *Iliacorum* vterque dispescitur in ramum exteriorem, & interiorem, (quibus nomina nondum data sunt) & in *Crura* abeunt, de quibus ibi. Et hæc de Vena.

§. 6. *Truncus arteriæ magnæ ascendens*, vbi *Clauiculas* contingit, pariter dirimitur in duos ramos insignes, *dextrum* & *sinistrum*, qui itidem *Subclauij* vocantur, quamdiu in thorace sunt; *Axillares*, postquam exciderunt: *Hi* non diuiduntur, sed vna propagine in brachium feruntur, & cum ramo *Basilico* deorsum eunt.

§. 7. *Truncus arteriæ magnæ descendens* non parat in liene *Reticulum* tale, quale *Vena caua* in hepate: sed rectà descendens, primùm quidem emittit *Cœliacam* dictam cum duabus *Mesentericis*, quarum *hæ* attenduntur venis Mesaraicis, *illa* cum ramo *splenico* ad lienem tendit, & facit *Reticulum* proportionatum illi: Tum verò in lumbis sursum vtrinque mittit propagines duas, quæ *Vmbilicalis* coniuges fiunt. Tandem in *Ilibus* etiam distinguitur in duos ramos magnos, quamuis *Iliaci* non dicantur, qui in *Crura* disseminantur. Quo loco illud notandum, quamuis ignoretur causa, *Venam cauam descendentem inequitare*, vt ita dicam, *Arteriæ magnæ vsque ad Ilia*: ibi verò mutari situm, & *Arteriam* ascendere *Venam*. Hoc in thorace etiam fieri cùm docuisset pseudo-Hip.4.Epid.initio, in errorem adductus fuit Valles.in Com. Est enim ἐνάλλαξις illa κάτω tantùm, vt discere poterat ex Arist.3.Hist.5.



CAPVT LVI.

De Auriculis cordis, Ligamentis, & Thymo.

§. 1. E *auriculis* seorsim agere oportet, propterea quòd seruiunt *vasis importantibus* tantùm. Importat autem *Vena caua* in dextrum ventriculum: *Arteria venosa* in sinistrum. Hinc subitò elucet vsus ipsarum, quem puto esse, moderari impetum illabentis sanguinis. Quod ita intelligo, si copiosior sit sanguis, quasi diuertit ad latera, & moram ibi trahit. Qua ipsa ratione & penuaria alimenti esse possunt, quem vsum Gal. tribuit illis, 6.Vs.p.15.

§. 2. Dictæ sunt ὦτα, propter similitudinem quandam, quam habent cum *auriculis* capiti affixis. *Substantia* earum dici quidem potest membranosa: sed reuerà, & ad sensum sunt *cor dilatatum*. Proportione respondent valuulis in venis. Vtriusque rei explicatio nec loci, nec temporis huius est.

§. 3. De

§. 3. De *ligamentis* consequenter dicere oportet, quia sunt propagines *Valuularum*, quas habent vasa hæc duo, auriculis donata. Nomen hoc habent à recentioribus, cùm Hipp. lib. de Corde, κτηδόνας, vocarit, *filamenta*, vt ego interpretor. Sunt enim διαφύσεις, *processus* seu *appendiculæ* valuularum tricuspidum dictarum, quæ applicant se monticulus illis, quos dixi esse in ventriculis.

§. 4. *Vsus* ipsorum est trahere ad se substantiam cordis, cùm dilatatur ad receptionem alimenti.

§. 5. *Thymus* est glandula illa, quæ venæ cauæ, Arteriæque magnæ truncis ascendentibus substernitur, ne periclitentur.



CAPVT LVII.

De Pulmone.

§. 1. PVLMONEM, siue *Pulmones* dicas, perinde est. Præfero autem nunc singularem, quia Græcis etiam πνεύμον, Atticè πλεύμων dicitur, ab inusitato πνέω, vnde etiam πνεῦμα est. Interim non adhorreo à Latinorum *Pulmonibus*. Sunt enim διμερεῖς, *bifidi*, 1. Hist. 16. ne dicam, Naturam ipsam secreuisse per *Mediastinum* suprà dictum.

§. 2. Vbi *situs* sit pulmo, nemo quærit. Quàm *magnus* sit, & vnde pendeat magnitudo, inquisitione dignum est. In *viuis*, cùm dilatatur, implet totam thoracis capacitatem. *In cadaueribus* nunquam eò perduci potest. *De magnitudine natiua* rectè docet Galen. 4. in 6. Epid. 24. A. Pulmonem ipsum sequi cordis maiorem, aut minorem calorem: pro magnitudine Pulmonis variare thoracem quoque. Et hoc Peripateticum est, non illud 13. vs. p. 3. C. 7. Exerc. Anat. 11.

§. 3. *Substantiâ* est carnosus, non secùs ac hepar & lien, 7. Vs. p. 2. & 8. sed hac differentia. In duobus visceribus dictis satis solida est substantia, præcipuè in *hepate*: in *pulmone* laxa, mollis, fungosa. Addendum verò est: In infantibus nuper editis est solidior, quàm in adultis. Est & rubicundior, quia origini vicinior. Hanc substantiam tegit *membrana* tenuis, à pleura ortum habens, cui etiam multis locis alligatur in homine, beneficio διαφύσεων quarundam, *seu fibrarum*.

§. 4. *Conformatio* consistit in tribus sæpè dictis. *Figura* similis est vngulæ animalis bisulci: verùm id in homine potiùs, quàm in brutis. In his enim quia diuisus est in lobos quinque, perdit similitudinem illam. *Cauitates* constituunt, non tantùm propagines duorum vasorum proximè dictorum, *Venæ arteriosæ*, & *Arteriæ venosæ*: sed & bronchia *Asperæ arteriæ* dicendæ. *Superficies* vndique æquabilis est, nisi

quà ſunt διαφύσεις dictæ. Non diuiditur in homine in lobos, (πτέρυγας, *alas* vocat Hipp. in Coac.) vt in brutis.

§. 5. *Vaſa nutrientia* propria non habet. Nutritur enim à vaſis dictis duobus magnis, quorum vſus hic ſecundarius eſt. *Neruum* habet vnicum à *Recurrentibus*, qui in tunicam ambientem tantùm diſſeminatur. Quamobrem ſoleo laudare illos, qui dicunt Bronchiorum tunicam interiorem ideò tam ſenſilem eſſe, germen ſcil. tunicæ palati, vt ſuppleat inſenſibilitatem pulmonis ipſius. Et eſt hoc ſapientiſſimè conſtitutum à Natura, vt per tuſſim, mediante ἐκφυσήσει, expurgari poſſit id, quod in bronchiis p.n. continetur.

§. 6. De *vſu* tam *primario*, quàm *ſecundario*, vt intelligamus, quæ intelligere nos fas eſt, oportet certi aliquid habere de *motu pulmonum*, hinc facto exordio. Cùm *tres* hìc ſint *motus* ſibi inuicem ſuccedentes, *Cordis*, *pulmonis*, *thoracis*, quis illorum primus eſt? Gal. quia reſpirationem facit merè *animalem*, niſi tu mauis *voluntariam*, neceſſitate hypotheſeos ſuæ, cogitur incipere à thorace. A quo ego hoc tempore diſcere velim illud tantùm, ſi motus thoracis ſimpliciter eſt talis, quem edere poſſumus cùm volumus, cohibere cùm volumus, quomodo ipſe definit motum voluntarium: tandiu reſpirationem ſuſpendere poterimus, quamdiu ego manum hanc ſuſpendere poſſum, ne ſcribat. Sed hoc impoſſibile eſt. Hinc infero: Ergo reſpiratio non eſt purè animalis actio, nec initium habet à thorace. Vt diſtinctiùs loquar, In ordine trium horum motuum, primus non eſt thoracis, ſecundus pulmonis, tertius Cordis. Quid ergò ſi contraria via incedamus cum Ariſt. & dicamus. Reſpirationem eſſe *naturalem*? Certè, de natura *ignis* eſt moueri ſurſum & deorſum, *hoc* quidem ad alimentum ſuum: *illud* autem ad depoſitionem fuliginum. *Ignis* quidam cùm ſit in Corde, non diffitente Gal. ipſo, profectò ſine vtroque illo motu non durabit. Et eſt reuerà hic *duplex motus*, quorum qui inferior eſt, *Pulſus* eſt, qui ſuperior, *Reſpiratio*. De hoc poſteriore quia præcipuè negotium nobis eſt, ita illum explico. Dum *ignis noſter* in corde ebullit, ſursúmque in pulmones it, *primus* fit motus, qui *Cordis* eſt. Pulſo calido illo flumine in pulmones, intumeſcunt illi, ſeu attolluntur, qui iam *alter* eſt motus, *Pulmonum*. Pulmones tumidi cùm in hoc ſtatu permanere non poſſint, cogunt animal, compreſſo thorace, viam facere fuliginibus, per branchia aſperæ arteriæ ſurſum exituris, qui *tertius* denique motus eſt, *Thoracis*. Compreſſionem hanc, per quam fit expulſio, quia neceſſariò excipit *Dilatatio thoracis*, fit per illam attractio aëris frigidi externi. Hi duo motus cùm viciſſim alternent, *ille* quidem *priuatiuè* refrigerat, exeuntibus fuliginibus, vt dixi: *hic* autem *poſitiuè*, refrigeratis vaſis ſanguinis, vtrinque bronchiis aſperæ arteriæ adiacentibus, quæ ipſa tandem refrigerant ſanguinem contentum. Hinc concludere licet, Cùm motuum horum initium fiat à *Natura*, quæ ipſa etiam principatum tenet in hoc negotio: quid obſtat, quò minùs *Reſpiratio* ſit & dicatur *actio naturalis*?

Sed enim quia *Anima* etiam concurrit, possumúsque adeò respirationem vel tardiorem, vel celeriorem facere: non dubito, Arist. ipsum concessurum esse, mistum quid esse *ex naturali & animali*.

§. 7. Sed cur *Natura* machinata est hanc misturam? Id, quod naturale est, est id, quod facit πρὸς τὴν σωτηρίαν τῆς καταψύξεως, vt cum Philosopho locutus sum: at verò quia *Natura* abuti volebat & pulmonibus, & aëre attracto, ad vocem articulatam, addidit illi *animale* quid, vt in nostra potestate sit, & loqui cùm volumus, & tacere, vocémque adeò attollere & deprimere.

§. 8. Vt iam rectè dici possit, *Respirationis duplex esse principium, Cor, & Cerebrum.* Vtriusque principij distinctio clarè patet ex Apoplexia forti, in qua stertor est, & spuma circa, læso vid. cerebro: adest tamen respiratio, quamuis laboriosa, quia cor adhuc est integrum. Hoc *duplex principium* agnoscit etiam Gal. quamuis aliis tegat verbis, *Affectum corporis*, aut *necessitatem* vocans, 2.Mot.musc.6.2.Aph.42. qua de re agitur mihi Com.2.de Thor.19.

§. 9. Iam ergo quærenti de *vsu pulmonis primario*, respondebitur ex Arist. lib.de Resp.8. esse πρῶτον καταψυκτικὸν μόριον, *principem partem in opere refrigerationis*. Huc ire Philosophum, probo ex cap.1. vbi ait, Ea quæ pulmonem habent sanguineum, non diu carere posse respiratione. Cur? διὰ τὸ πλῆθος, τῆς θερμότητος, *ob caloris copiam*. Et cap.15.addit, Sanguinea indigere respiratione continua, quòd absque hac si sit, ignis animalis in periculo sit. Hæc seruire volo expositioni eorum, quæ dixi 3.Thor.6. Nimirum ἡ μικρὰ ῥοπὴ est hic ἡ τυχοῦσα πρόφασις σβέσεως, *quantumuis leuis occasio exstinctionis, seu mortis.*

§. 10. Fortassis volent quidam, vlteriùs exponi sibi modum refrigerationis! Hoc faciam tantò promptiùs, quò euidentior ratio dari potest, ex hac sanguinis in æquor pulmonum translatione, præ illis, qui deriuant sanguinem per septum cordis. Imò, ne aggrediuntur quidem exponere silentio sibi consulentes. Et quî possunt aliter? Postquam enim fiducia, quam de septo cordis humani habebant, euanuit; postquam fuga ad cor bubulum, tam crudum, quàm elixum tam malè cessit: quid faciant? Mihi ambagibus verborum opus non est, cui Natura ipsa intento digito ostendit, quid velit. Cur enim bronchiis circumposuit vtrumque vas sanguifluum? *Partim*, vt fuligines in bronchia recipi possint: *partim*, vt vasa adiacentia refrigerata refrigerent sanguinem. Ex hoc ipso *trium vasorum complexu*, multò faciliorem aëris substantiæ aditum ad cor docerem, siquidem necessariam vllo modo putarem. *Illi* dicunt, Excidere bronchiis: in substantia pulmonum coqui: legi à sola arteria venosa: in solum sinistrum ventriculum deponi. Tot portenta, quot verba! Ego dicerem vtriusque vasis extrema, in bronchia desinentia, accipiunt aërem ex iis, & ad vtrumque ventriculum deferunt: Et quidni ad vtrumque? Dexter enim æquè calet, æquè pulsat, æquè sanguinem emittit, & quidem per arteriam quoque. Verùm, nolo

non

hoc, persuasus ab Arist. dicente, Aërem externum spiritibus analogum non esse. Et hæc quidem de motu sursum, in quo pulmo est veluti flabellum seu follis cordis.

§. 11. Motus *deorsum* (vt obiter hunc quoque attingam) constituit *Pulsum*, qui simul distribuit alimentum in vniuersum corpus: simul expellit fuligines. *Expulsio* fit per vasa capillaria: *distributio*, non in partes tantùm nutriendas, sed & in venas, beneficio ἀναστομώσεων mutuarum. At hanc rem arteriæ nihil aliud conferunt, quàm quòd tubi sunt. σφύζει enim, *pulsat* sanguis, non arteriæ. σφυγμὸν, *pulsum* facit, non vlla commentitia facultas *Vitalis*, sed *Nutrix* Arist. quæ *Vegetatiua exaltata* in animalibus rectè dicitur. *Vita* enim & *Nutritio* non differunt, vt toties dixi.

§. 12. Hîc audio sibilum ex transuerso. Quid facit *caro pulmonis*, si non coquit aërem? Id, quod Gal. ipse docet 7. Vs. p. 2. & 8. Et vasis tam numerosis δίκην στοιβῆς, *tomenti instar*, ne in perpetuo illo motu patiantur quid aduersi. Hanc colligat membrana inuestiens.

§. 13. Et hæc quidem respiciunt vsum pulmonis primarium, *respirationem*: de secundario, ad *vocem*, dictum est obiter, quod satis esse potest. Dicetur autem infrà iterum.



CAPVT LVIII.

De Aspera arteria.

§. 1. ἈΡΤΗΡΙΑΣ, *Arteriæ* nomen, simpliciter prolatum, pertinuisse olim ad viscus, de quo agimus, dixi suprà. Pariter dixi, postquam venæ ab arteriis distingui cœperunt, *hanc* quidem partem accepisse additione τραχείας, *Aspera*: *illas* autem simpliciter ita dictas fuisse. Hoc pertinet ad intelligendos autores.

§. 2. Consideratur dupliciter, *vel totum* hoc, vt via est, & conformatio capitis ipsius (quod λάρυγξ, *Larynx* Lat. quoque est) non attenditur: *vel vt voci* seruit, & totum quidem hic explicatur, *larynx* autem ibi. Apud Hipp. τὸ βρόγχος est, vt & diminutiuum ipsius βρόγχιον, quæ diuersis partibus eius tribuuntur. Βρόγχος enim vel *totum hoc* significat: vel *caput ipsius*. At βρόγχιον indubitatò notat tenues huius partis in ipsa pulmonum substantia diuisuras. Quo loco, pro intelligendo Gal. & Practicis nostris, id est notandum, *Bronchia* hæc appellari etiam *Arterias asperas*, & opponi illis propagines *Arteriæ venosæ* suprà dictæ, quæ tum *Arteriæ læues* dicuntur.

§. 3. Vbi *sita* sit, vulgus etiam nouit. Quod enim sub mento protulerat, *der Adamsapfell* dictum, est caput ipsius, seu *Larynx*, qui hîc

facto

facto initio, labitur deorſum, & per pulmones variè diuiditur. Poſt laryngem in faucibus *Gula* eſt, vt dixi ſuprà.

§. 4. *Subſtantia* eſt Cartilaginoſa, ex multis catilaginibus ſemicircularibus compacta, quæ cartilagines mediantibus membranis inter ſe copulantur. Ab his membranis, qui *Membranoſam* dicunt, vix memoria digni ſunt.

§. 5. Quod ad *Conformationem*, *Figura* quidem totum corpus (ablegato iam larynge) eſt *Rotundum*, quamdiu eſt indiuiſum: at cùm in pulmones diuidi cœptum eſt, cartilagines iam non ampliùs ſunt *ſemicirculares*, vt dixi: ſed varias figuras aſciſcunt, vt dici poſſint & debeant *Triangulares*, *Quadrangalares*, *Rhomboides*, & fortè aliter. Cæterùm eſt hìc alia etiam differentia. *Bronchia* hæc variarum formarum ſunt cartilaginea: & corpus indiuiſum cartilagines habet ſemicirculares tantùm, quæ ob id σιγμοειδεῖς dicuntur, à forma literæ maiuſculæ (quomodo veteres Græci pingebant σῖγμα ſuum.) Et in his, quod ad complementum circuli facit, id præſtat membrana. Hoc verò fieri creditur ob gulam, cui incumbit. Mihi ad motum faciliorem facere hoc videtur.

§. 6. *Cauitatem* habet *vnam*, quà indiuiſa eſt; *innumeras*, quà in *bronchia* diſpeſcitur.

§. 7. *Superficies* tam interior, quàm exterior inæqualis eſt, propter conglutinatas inuicem cartilagines.

§. 8. *Tunica* obducitur & extùs & intùs. Hæc è cerebro vſque arceſſenda eſt. In palatum enim deſcendentes propagines duræ matris, poſtquam totum illud, cum omnibus ibi partibus, inunxit, deſcendit, *hinc* quidem in gulam & ventriculum, ceu dictum eſt: *illinc* autem in aſperam arteriam, & ima vſque bronchia. *Illa*, non eſt à pleura, vt credidi olim, deceptus à falsò citato Gal.7.vſ.p.3. ſed in collo, quamdiu indiuiſa eſt, à vertebris colli, non ſecùs ac *Gula*. Poſt diuiſionem, & in pulmones diſtributionem, non magis opus habet, quàm vaſa, viſcera, aut alias partes ingredientia.

§. 9. In *collo* vaſa habet à vicinis muſculis, quæ ferè à *Iugularibus & ſoporalibus* ſunt. *Bronchia* nutriuntur à duobus per pulmones diſperſis magnis vaſis. *Neruus* nullibi eſt: quia ſentire non debuit.

§. 10. *Vſum* explico paucis, ex 3.Part.7.de Reſp.7. Eſt αὐλὸς, ἢ αὐλών τις, *quaſi porticus quædam*, in qua aër externus vltrò citroque reciprocat, In hunc finem ſortita eſt *ſubſtantiam* tam ſolidam, ἵνα ἀσύμπτωτος μένῃ, *ne concidat in ſeipſam*, vt venuſtè loquitur Autor Introd.apud Gal. Sed cur inſtitutus eſt aëris ille *Euripus*? Propter geminum vſum, in pulmonibus expoſitum, *Refrigerationem*, & *vocem*.

§. 11. Hìc tu non ſine cauſa quæras: Tantus inſtrumentorum apparatus requiritúrne in omni reſpiratione? Vt te iuuem, quiſquis es, Vide ſuprà, quà de *Abdomine*: vide infrà, quà de *Naribus*, & augebitur inſtrumentorum numerus. Dico autem ad quæſtionem, *Non*. Duplex enim eſt *reſpiratio*, libera, & coacta, 2.Mot.muſc.9.B 8.Exerc.Anat.3 B.

& mox cap.5.B.& iterum cap.9.B. 4.Loc.aff.4.D. de cauſ.reſp. In *libera* mouentur muſculi tantùm inferiores, diaphragma ſcil.cum intercoſtalium, & abdominis: in *coacta*, etiam ſuperiores, ſcapularum cum naribus. Vide Phyſiolog.noſtra, cap.96.

ABERRATIONES.

§. 12. Non dubito, ſcutica me dignum videri quibuſdam ὀψιμαθέσι, quòd facultatem *Vitalem* irreuerentiùs tetigerim. Quid enim, inquient, lucraris, cùm veteres, & iam damnatos errores reuocas? Eraſiſtrati enim fuiſſe tuam nunc ſententiam, conſtat, ex Gal.2.cauſ.pulſ.8. Imò, ſuggeram ego, eſt ipſius Ariſtot. è cuius manibus accepit hic nepos ipſius. Sed damnata eſt dudum? A quo? aut quibus? Vide tu, quiſquis es, annon poſſim hîc vti oratione Galen. contra Theſſalum, *Iatronicetam* ſibiipſi dictum, 1.Meth.2. Tu per otium cogita: Ego nunc, relictis ſex illis triariis, quibus oppoſui me 2.Thor.10. & ſeq. pugnam ineo cum Inſtitutioniſtis meis.

§. 13. Fuchſ.lib.1.ſect.6.c.4. pro certo aſſumit, facultatem *Vitalem* Gal. eſſe diſtinctam à *Naturali* eiuſdem, quæ θρεπτικὴ Ariſt. eſt. At verò ſi tantùm in Philoſophia Peripatetica profeciſſet, quantùm lytæ noſtri, ſcire potuiſſet, *Vitam* à *Nutritione* non differre, adeóque δύναμιν ζωτικὴν eſſe eandem cum τῇ θρεπτικῇ. Idem l.4.ſ.4.cap.4. cùm concedit facultatis huius officium eſſe idem cum reſpiratione, immemor eſt poſitionis ſuæ, *Reſpirationem eſſe merè voluntariam*, l.1.ſ.7.cap.3. Quî enim eſt, ſi παθήματα σώματος, vti Gal. vult, non ſinunt illam *merè voluntariam* eſſe? Sed ita eſt, Neſcit, quæ ſint illa παθήματα, quæ ſit illa ἀνάγκη, vt alibi vocat. Idem l.2.ſ.4.c.1. negat, *Cor eſſe primum ſenſorium:* quia, inquit, ocularis inſpectio Cerebro id tribuit. Atqui, inquam ego, Cerebrum ſine ſpiritu vitali nihil poteſt, non diffitente te ipſo, l.1.ſ.8.c.vlt.

§. 14. Sennertus l.1.c.8. pro defenſione facultatis huius affert τρόπον ἐπιστήμης, de quo fortè dicam, cùm ad *Facultates* peruenero. Idem c.11. ſeq. ſatagit, quomodo τὸ θυμοειδὲς

Platonis

Platonis glutinet cum τῷ ζωτικῷ Gal. Ego video, apud Arist. distinctam esse πήδησιν, (ad hanc enim pertinet ὁ θυμὸς, ira) & à pulsu, & à respiratione, adeóque tria hæc esse tria distincta cordis opera. Hac de re legeris aliquid in Physiolog. nostris, cap. 336. Post hæc latè disputat, Sit ne facultas hæc eadem, vel cum *Naturali*, vel cum *Animali*, vt quidem Gal. distinguit, an potiùs mista sit ex vtraque. Concludit, peculiarem esse. Ergo, dicam ego, constituet peculiarem *Viuentium* ordinem, cuius nomen edi mihi cupiam. *Est illa*, inquit tandem, *cuius* beneficio omnes aliæ facultates sunt in officio. Nondum acquiêsse possum: sed scire volam, *Constituatne Plantam? animal? hominem? est media inter sentientem, & vegetantem*, ait. Ergò est aliquid quod nec planta, nec animal sit? ζωόφυτον fortasse. *Non*, inquit, *est communis omnium actionum, quæ in viuentibus apparent, cuiúsque opera simpliciter ad vitam necessaria sunt.* Atqui, clamo ego, *Vita* & *Nutritio* sunt eadem. Ergo ad *vegetatiuam* pertinebit. Est enim omninò ita, vt alibi scripsi, ex Auicenna, Est *vegetatiua exaltata. Ignis* (vt intelligas) est tantus, qui in sensûs incurrit. Et hoc in plerisque omnibus animalibus est: in plantis non est. Hunc ignem agnoscit Sennertus iis verbis, *Cor indigere ventilatione, quæ fiat per pulsum.* Hunc *pulsum*, quia mox fatetur operari ἄδηλον τῇ αἰσθήσει διαπνοὴν, *transpiratione insensilē*, quæ ex aduerso respondet respirationi, quæ in sensûs incurrit: miror, cur non disertè dicat cum Fuchsio, *Pulsum & respirationem seruire vni vsui?* & dicit his verbis, *Vt se habet διαπνοὴ ad arterias: ita se habet ἀναπνοὴ ad Cor.* Quin clariùs iis, *vnum finem habere.* Tum verò quæram à Fuchsio, *Si pulsus est à facultate vitali*, cur respiratio non est ab eadem? & alioquin, cùm opposita sint *voluntarium*, quale respiratio est, ex hypothesi aduersariorum; & *inuoluntarium*, quale pulsus: quî possunt seruire vni vsui? Hîc animaduertas velim insignem Nostri cespitationem. Cùm enim respirationem tam disertè tribuisset cordi, cur iam pulmoni tribuit? & quî eam habeat à vi peculiari & propria? à facultate vitali, vt intelligo? Et cur non cor potiùs est *præcipuum respirationis organum*, quia cor facit, vt pulmo attollatur?

Commodiùs ego, Est actus ille, à quo pendēt facultates omnes.

Ita enim est, vt alibi scripsi, *Pulmo dilatatur, quia impletur: non autem repletur, quia dilatatur.* Ad hoc absurdi adigit illum hypothesis Galen. cuius suprà memini, *Thoracem esse primum in hac actione, respiratione motorem.* Quod si omninò pertendere vult, cur non pertendit, quoque cum Fuchsio, *Respirationem esse merè voluntariam*? Sed benè habet, Incidit vir bonus in casses nostros, cùm ait, *simul moueri thoracem, & pulmonem, quia in vnum finem conspirant, & destinati sunt.* Vbi quæram, Cur modò, in vnum finem conspirent actio thoracis, quæ *Animalis* est, seu voluntaria, præcipuè si dux sit effectus: & pulmonis, quæ *Vitalis*; & omninò voluntati nostræ non adstricta? Timebat hoc, ideò dicit, *Neutrum*, alteri principium motus esse. Quod quomodo fieri possit, non intelligo. Ego verò possum illi ostendere, quî conspirent in vnum finem, respirationem! Sunt motus successiui, vt dixi, quorum primus cordis est, secundus pulmonis, tertius thoracis, qui nisi ordine fiant, respiratio non fit. Atque hoc adimere potest Sennerto metum, *Fiet confusio, aut mistura facultatum.* Nulla fiet, quia alius alio prior & posterior tempore est. Videbat, credo, non posse se stare in vestigio, ideò magnam audet audaciam, excludit *Cor.* Tum scire cupiam, Quæ, & vnde sit *necessitas illa* attrahendi aëris, quam pulmo percipiat? Profectò non alia, quàm acrimonia caloris, fuliginúmque è corde in pulmones transmissarum, quibus tumefactus pulmo, adeò vt suffocationis periculum sit, vocat thoracem in subsidium. Sub hac necessitate latent proculdubio παθήματα σώματος, *affectus corporei*, quos Gal. affingit actionibus quibusdam mistis, ne cogatur fateri mistas esse. In egestione v.g. excrementorum alui, vesicæque, quid obstat, quo minùs animales sint, cùm fiant per musculos, non quidem extrudentes, sed *inuoluntarium exitum prohibentes*? Et Gal. quidem aliquid dicit, quod nemo intelligat. Qui enim sunt *affectus* illi *corporei*? Si potuisset dicere, dixisset. Nunc quia non dicit, est in censu eorum, qui nihil docent. Ego verò dico, *Vis expultrix* intestinorum & vesicæ, stimulata ab excrementis. Hæc vis cùm *naturalis* sit; concurrat autem ad actio-

nem

nem voluntas etiam noſtra: quid obſtat, quò minùs ſit actio miſta? Sic duo hîc ſunt, *Natura ignis ebullientis* & *Thorax:* cur non ſit actio miſta? Hîc tu mihi vide quot opus habeat machinis ille, qui veritati oppedere velit! Vide verò hoc quoque, Adraſtéam non quieſcere in his cõfundendis. Hoc accidit noſtro, c.13. ſeq. vbi cõcedit, *Cor eſſe principiũ remotum omniũ facultatũ.* Hæc ſc. eſt prærogatiua *Cordis* Peripatetica.

§. 15. Heurn. l.3. c.1. tanquam cuneum ponit, *Vitalem facultatem* eſſe mediũ quid inter *Nutritiuam* & *Senſitiuam*, quia *vitam* ſpargit in totũ. Cui ſubitò ego occino illud, *Atqui vita non differt à nutritione* Mox c.4. validis, vt ipſe putat, argumẽtis vtitur, quorum I. hoc eſt, *Quæcumque ita comparata ſunt, vt alterum abſque altero labefactari poſſit ea non ſunt eiuſdẽ ſubſtantiæ, In atrophia v.g. facultas naturalis eſt integra, illæſa vitali. Putreſceret enim hæc quoque.* Hîc maior benè habet: ſed minor eſt falſiſſima. Quis enim, ô Heurni, docuit te hanc atrophias cauſam? Fernel. tuus. Atqui Gal. longè aliter ſentit l. de differ. ſympt. 4. A. 3. cauſ. ſympt. 1. G. 1. Fac. nat. 11. A. 1. ſan. tu. 8. D. 3. ſan. tu. extr. 3. Præſ. pulſ. vlt. A. His omnibus locis cauſatur aut imminutam, aut abolitam actionem *Nutritionis*: ſed vitæ ne meminit quidem. Manet igitur hoc, quod in Phyſiolog. dixi, c.337. *Eſt lis de nomine*, ſed & illa peſſimè inſtituta. Si enim *Vita* à *Nutritione* non differt, quomodo altera abſque altera læditur? II. Ariſt. aſſerit facultatem in ea parte eſſe, vnde eius naſcitur inſtrumentum. Atqui (vult dicere) venæ ſunt ab hepate, nõ à corde. Ergo nutritio fit ab hepate, non à corde. Argumentum non quouis Ramiſta dignum, ſed generoſiore! Ego ita ſubſumam: *Atqui venæ ſunt à corde, non ab hepate.* Viderat, credo, difficultatem: ideo tantoperè laborat in oſtendendo modo, quo venæ ſint ex hepate. Quæ ſi ego examinare occipiam, ſtultior ſim illo. Mox definitionẽ parat facultatis ſuæ benè longã, quam meritò pro ſacroſancta habeo, nec attingo. Tum verò longam orditur telam de tribus huius facultatis functionibus, *Affectuum concitatione, Pulſuum effectione*, & *ſpirituum vitalium generatione.* Sunt quidem priores duæ, vt pro nuper dixi, cognitæ Ariſtot. qui πάλμον καὶ σφυγμὸν vocat. Sed tertia fit ex accidenti, agente

agente calore in sanguinem. Substituisset igitur illi τὴν ἀνάπνοιαν, & lauro dignum se præbuisset. Quid istuc verò est? cùm fine cap. dicat, *Sed & cordis calorem respiratio fouet*; quidni acceptremus eum in societatem Peripateticam? Hoc iure fecerimus ideò, quòd l. 10. c. 5. fatetur *Respirationem & pulsum eiusdem vsus causa datos esse animantibus*. Quin mox planè nobiscum est, cùm respirationẽ habet pro actione mista.

Idem c. 3. præc. f. 63. ait, Facultatem vitalem nullam cõstituere animati speciem. Et cap. 6. cum naturalibus iungit.


§. 16. Liddelius l. 2. cap. 10. amicus nobis esset, si paulò clariùs rem proposuisset. 1. enim concedit, Galenum de diff. sympt. 4. *vitalem* comprehendisse sub *naturali*, cui naturali adscribit Gal. τὰς ἀσφυξίας καὶ κακῶς φυξίας. Quod profectò ab Adrastéa est. Sed fallitur insigniter Liddel. cùm *vitalem* statuit *mediam* inter *Nutricem* & *Rationalem*. 2. non parùm nobis affinis est, cùm definitionem generationis, quæ est lib. de vita, 2. tribuit *vitali*. Interim & hîc labitur, cùm ex memoria potiùs, quàm ex codice scribit. Ita enim habet illa apud Philosophum, γένεσίς ἐστιν ἡ πρώτη μέθεξις θρεπτικῆς σὺν τῷ θερμῷ, *Generatio est prima communicatio animæ nutritiuæ cum Calido natiuo*. Hîc duo miror. *Alterum*, quòd omiserit τὸ θρεπτικῆς. Si enim ex προαιρέσει hoc fecit, culpa non vacat. *Alterum*, quòd τὸ σὺν mutauit in ἐν. Reuerà enim non est perinde, vtro modo loquaris. Interim non obscurè admittit, *Vitam à nutritione non differre*. 3. prorsùs accedit ad nos, cùm dat nobis, *Respirationem esse actionem mistam*.

§. 17. Idem Liddell. miserè labitur. 1. in eo quod dixi, de medio loco *vitalis*. Non enim satis est iactare in auras nouitatem aliquam, probare oportet. 2. in eo, quòd sanguinem è sinistro cordis ventriculo expelli ait in arteriam venosam. Obstant enim valuulæ. 3. in eo, quòd sanguinem ex dextro in sinistrum deriuat per septum cordis. *Vt* enim de corde bubulo tantùm dicam, est septum illud crassitudine pollicari, neque vllibi sunt foramina. Quin incisum per longum, per transuersum, per obliquum, non præbet vllum meatum. 4. contra sensum loquitur, cùm bronchia vult esse membranosa. 5. Pulmonem coquere & alterare attractum aërem, λῆρος μακρός est. 6. Facultas *vitalis* triplex, chimæra est in rerum natura. Sed ita fit,

cùm

cùm ſemel erratum fuit, & quidem in ipſis foribus diſciplinarum.

§. 18. Apud Riolan. cap. 15. tot ſunt errores, quot verſûs. Mihi inde notare libet nonniſi vnum, quod fine cap. habet, *Vitam latiùs patere, quàm facultatem vitalem. Plantæ enim viuunt, ſine tamen facultate vitali*, inquit. O ſapientiam inauditam. Idem cap. 18. cùm multa de reſpiratione dixiſſet, concludit, *Eſt quidem libera: ſed non omninò.* Quia etiam dormientes, quin inuiti reſpiramus. Hei mihi, quid eſt ſapere! Ergo eſt miſta, quod Auerroëm docuiſſe noras. Hæc de Thorace quoque.



CAPVT LIX.

De Capite, & Spina.

§. 1. ΚΕΦΑΛΗ', *caput*, hîc vocatur totum id, quod collo inſidet. Simul igitur includitur *vtraque maxilla*, cum *quatuor ſenſoriis*, oculis, auribus, naſo, lingua, & quæ aliæ partes maſticationi ſeruiunt, & voci. Et hæc *impropria* eſt locutio: *Propria* eſt, cùm ſignificat *Cerebrum* tantùm, & *ad cerebrum* pertinentes partes. Inter quas cùm vel maximè ſit τὸ νώτιον ὀςῶδες, vt Ethymologici magni autor loquitur, vel ideò, quia medulla ibi contenta dicitur Galeno *Cerebrum alterum*: auſus ſum totum illud hîc agglutinare. Erunt igitur tres partes huius laboris. 1. explicabit *caput* propriè dictum. 2. *Spinam*, cum contenta ibi medulla, aliíſque. 3. *Senſoria quatuor* cum vicinis partibus. Vide ſuprà cap. 24. §. 6.

§. 2. *Capitis* propriè dicti partes ſunt, anterior, poſterior, ſumma, & laterales, quæ ſua habent nomina. *Anterior* dicitur μέτωπον ἢ μετώπιον, (idem enim ſignificant hæ duæ voces, quidquid dicant alij) vel quaſi ἐπώπιον, ἐπὶ pro μετ: vel quaſi ὑπέρωπον, pars quæ eſt ὑπὲρ τὰς ὦπας, *ſupra oculos*. Latinis *Frons* eſt. Hinc μετωπίας, ὁ, *Fronto*, cui lata frons eſt. Tu nota, vbicumque apud Hipp. alterutra vox pro vnguento legitur, vitium eſſe, & ſubſtituendum νέτωπον, ἢ νετώπιον: Ita contra μέτωπον pro νέτωπον. Poſterior meritò huic opponitur, quæ Græcis ἰνίον eſt, quòd ἶνες, nerui, τόνοι, *tendines* Hipp. dicti, inde deſcendant, qui caput ſuſtinent. Dicitur eidem κοπὶς (non κοτλὶς, multò minùs κοτλὴ) quamquam aliò etiam trahatur vox: Latinis *Occiput* ſeu *Occipitium*, q. *Ob caput*,


Aduerſum

Aduersum, seu *Posterius caput*, vt dicunt illi. Summa, κορυφὴ, *Vertex* omnibus est. Ab hoc quod ad latera quidem deorsum versùs aures tendit, *Tempora* dicitur, κρόταφοι: antrorsùm autem ad frontem, βρέγμα, ἢ βρεγμὸς est, quemadmodum etiam βρέχμα, ἢ βρεχμὸς, ἀπὸ τοῦ βρέχειν, *quòd diutiùs post natiuitatem humeat*, 7. Hist. 10.2. Part.7. 2. Gen.6. Barbaris, qua parte os frontis attingit, *Fons* aut *Fontanella* dicitur: Eodem nomine cùm facta ibi *Cauteria* dicerentur, factum est, vt omnia cauteria quacunque in parte sint, *Fontanellæ* vocentur. Latinis *sinciput* est, & *sincipitium*. Ita enim scribo, vt separem me ab iis, qui deriuant, ἀπὸ τοῦ συν, cùm *Ante* significat. Incidunt enim hi in id absurdi, vt sinciput dicant *Anteriorem capitis partem*. Atqui hoc fronti debetur. Et quis alioquin hybridam istam facilè ferat? Vnde igitur deduces? interroget φιλέτυμος aliquis. Phocas quidem Grammaticus, citante R. Stephano, vocari ait quasi *semicaput*, cui non credo. Ita autem censeam, expletiuam particulam *Si*, & cum paragoge *Sin*, cùm plurima significet, aliquanquando intendere, vt si q. *Magnum caput*. Sumptum enim fuisse olim pro toto capite, non ego probo nunc ex Poëtis: sed ex Plinio lib.8. cap.51. vbi *sincipitia verrina* inter delicias prohibitas habet. Hinc verisimiliter dixerit aliquis, translatum esse ad partem capitis maximè protuberantem.

Nota historiã Hip 5. Epid.49. apud Vall. eiusdémq; Com.

An σίνηπι est *Acrenapy*? H.Stephan. certè in Thes. respicit eò.

§. 3. *Iterum Capitis propriè dicti* partes sunt vel *Continentes*, vel *Contentæ*: *Continentes*, vt suprà, vel *Communes* sunt, vel *propriæ*. *Communes* sunt tres illæ iam satis explicatæ, Cutis, Cuticula, & Membrana carnosa. His accedunt *Capilli*, dicti q. *Capitis pili*, vt suprà dixi. *Propriæ* sunt 1. Pericranium. 2. Cranium ipsum. 3. Meninges duæ. *Contentæ* sunt 1. Cerebrum, accepto vocabulo pro toto illo, quod cranio includitur. 2. Nerui inde orti. Extremum agmen claudant Musculi capitis, siue huc pertineant, siue non.



CAPVT LX.

De Pericranio.


§. 1.  ΡΑΝΟΣ, τὸ, καὶ κρανίον, (non κράνιον) idem significant, vt sæpè aliàs, *Galeam* scil. quòd *Ossa caluariæ* sint quasi *Galea cerebri natiua*, 9. vs. p. 1. Hinc περικράνιος, subintellige χιτὼν, *tunica*, *quæ circa cranium est*. Vulgò receptum est neutrum, *Pericranium*, vt pericardium, &c.

§. 2. Hoc cùm insigniter crassescat, in aliis tamen magis, in aliis minùs, diuiditur ab Anatomicis in *Pericranium*, & *Periosteum*. Frustrà! Ex

Ex propria enim oris confessione, vtriusque origo est eadem, ex crassâ scil. meninge, per suturas elabente.

§. 3. *Venas* habet duplices: *Alias* è finib. cerebri dicendis sursum ductas, & per suturas egredientes: *alias* à Iugularium externarum ramo externo. *Arteriæ* sunt à Soporalium ramo itidem externo. *Neruos* accipit à prima & secunda colli vertebra, sursum reflexos. *Iisdem vasis* gaudent tres partes continentes communes. Iisdem venis nutriuntur *Capilli.*

§. 4. Vsum loquitur vox ipsa.



CAPVT LXI.

De Cranio.

§. 1. CRanium, iam ciuitate Latina donatum, quid sit, & vnde deductum, iam dixi, *Calua* & *Caluaria*, nobis. Hoc constat non osse vno & continuo: sed sex, per suturas commissis. His peculiare esse, dicunt Anatomicorum plerique, confieri ex *duabus* q. *tabulis*, sibi inuicem impositis, in quarum medio substantia quædam spongiosa sit, recipiendæ sui generis medullæ facta, vt nutriantur, reliquorum ossium modò. Sed reuerà eadem structura est in aliis quoque latis ossibus. Interim hic inprimis obseruanda sunt duo illa siue tabulata, siue laminæ, siue crustæ, siue squammæ, siue parietes, quos Chirurgi in fracturis & terebrationibus ostendunt. Contingit enim, & vidi ego, fracturas subsistere aliquando in superiori tabulato. In terebrationibus etiam, vbi ad medium peruentum est, ostendunt se σαρκία illa πολλὰ καὶ ὑγρὰ Hipp. dicta, quæ si digitis teras, conuertuntur in cruorem, & eliquantur, vt Fallop. loquitur.

§. 2. *Sex* esse dixi, de *propriis* tantùm locutus: his enim addere oportet duo communia, & singula describere seorsim.

§. 3. I. Igitur *propriorum*, est in fronte, & vocatur ideò à Gal. l. de ossib. 1. ὀστοῦν κατὰ μέτωπον, *os frontis*. Hoc in *infantibus* duplex est, *Sutura saggittali*, de qua dicetur, ad nares vsque pertingente: in *adultis* plerisque in omnibus ita coalescit, vt nec vestigium suturæ compareat. Dixi *Plerisque*: In quibus enim locus ille, quem *Fontem* dici scripsi, post septimum annum non ossescit, sed fouea manet, quæ ad 20. vsque annum duriùs contrectata dolet: in iis semper est duplex, & sutura sub digitis manifesta est. In horum censu ego sum. Cæterùm, in quibus os vnum est, figura est orbiculari, non autem rotunda, quod quidam dicunt. Habet hoc peculiare, quòd vtrinque, quà oculis imminet, lamina vtraque à se inuicem discedit, & duas cauitates constituit: Cui bono? Vt sit ἠχεῖον quoddam naturale, ceu scripsi olim Com. in 7. vs. p. n. 445. vnde, vt puto, accepit Il. Riolanus, Com. in l. de Oss. f. 749.

S In

In harum cauitatum altera genitum fuisse lapidem, quem Lindauij, ad lacum Acronium, ante hos aliquot annos, per nares excreuerat fœmina, conatus sum persuadere amicis. Verùm restitit mihi D. Fabricius Hildanus, vt est in Obs. ipsius. Quo loco, vt obiter addam, refutat experimentum Vesalij, & qui inde habet, Fuchsij, de vsu cauitatum harum ad vocem.

§. 4. II. *Propriorum*, huic oppositum, ὀστοῦν κατ' ἰνίον, *os occipitis* Gal. Hoc in infantibus multiplex est, quod coalescit tandem in vnum per συγχόνδρωσιν, vt in sterno. *Figura* est triangula. *Substantiâ* inter ossa capitis densissimum. Hoc peculiare habet, quod insculptum illi est foramen maximum, per quod elabitur medulla spinalis. Ad huius oram dextram, sinistrámque processus (in recèns editis appendices) sunt duo, qui ingrediuntur primam colli vertebram, ídque propter capitis motum. De aliis foraminibus (vt & sinibus) non dico.

§. 5. III. & IV. *Propriorum* sunt duo βρέγματος, *sincipitis ossa*, dicta etiam κορυφὴ, ἢ ὀστᾶ κορυφῆς, *Vertex*, & *Verticis ossa*, quòd constituant summam & protuberantem capitis partem. *Figura* sunt penè quadrangula. *Substantiâ* præ aliis rariora, adeóque præcipuè his ossibus competit, quòd σηραγγώδη, *cauernosa* & *fistulosa* sint, quod Hipp. verbum est. Vide 9. vs. p. 1. & Com. nostra.

§. 6. V. & VI. *Propriorum* sunt duo τῶν κροτάφων, *temporum ossa*, quæ multæ considerationis sunt. Primum & maximè stupendum est τὸ ὀστοῦν λιθοειδὲς, *os lapidosum*, seu *petrosum*, quod quasi in complexu fouent, & substantia & conformatione diuersissimum, de quo in *Auribus* dicetur. Quod verò huc pertinet, est, Interiùs facit processum, quo neruo auditorio q. obuiam it. Non minùs admirabilis est processus μαστοειδὴς, & Atticè μαστοειδὴς, *mammillaris* dictus, qui in homine quidem, bubus, &c. spongiosus est, & serò perficitur: in ouibus, capris, leporibus, &c. totus cauus, & substantiæ lapideæ particeps. Seruit auditui: sed quomodo? Admirabilior etiam structura est *processus* illius, quem antrorsum versùs *musculum temporalem* protendit, cui occurrens ex osse primo maxillæ superioris processus similis, iungitur illi *per suturam obliquam*, facítque τὸ ὀστοῦν συζυγῶδες, *os subiugale*, aut simpliciter ζύγωμα, *iugum* dictum, (*Os paris* Arabum) de quo videris Com. in 11. vs. p. 3. Huius machinæ vsus est, tegere musculum temporalem.


§. 7. Non *processus*, quamuis creditum sit id: sed *appendix* est τὸ πλῆκτρον dictum, *Calcar gallinaceum*, quod ἐπίφυσις dicitur, ἢ στυλοειδὴς, ἢ βελονοειδὴς, ἢ γραφειοειδὴς, *styliformis*, *acuformis*, *calamiformis*. Has appellationes si contuleris inter se, apparebit falsum fuisse, & Fall. & Bauh. qui deducunt ἀπὸ τῆς στήλη, *stele* seu *columna*. Quis enim vidit columnam adeò exilem, vt stylo comparari possit, acui, calamo scriptorio? Vno verbo, est error à Gal. tactus 7. vs. p. 19. vbi ait, *barbarismum* esse, vocare hanc appendicem στηλοειδῆ. Hoc ego cùm assequi non possem, vt neque quisquam alius ante me, dixi in Com. plura, quàm par erat.

erat. Iam absoluo me paucis: Barbarismus est dictio præter consuetudinem felicium Græcorū. Qui igitur η pronuntiarit loco υ, is barbarus fuerit. Hoc legeris etiam Not. in Gal. Sed quis *vsus*? Esse stabilimentum ossis hyoidis dicti, absque quo si esset, lingua parùm felix esset in actionibus suis.

§. 8. *Communium* (intellige, Capiti & *Maxillæ superiori.*) I. est, quod vulgò ἀπὸ τῆ σφὴν, σφηνὸς, *Cuneus*, dicitur σφηνοειδὲς, *Cuneiforme*, non quòd cunei formam habeat, sed quòd cunei modo interiectum sit reliquis capitis ossibus. Aliis πολύμορφον, *multiforme* appellatur, quòd nihil sit, cum quo comparari possit. Est autem denominatio hæc recentior, cùm apud Hipp. ossa temporum πολυειδῆ, *multiformia* vocentur. *Situm* est in ima caluariæ basi, & pertinet pars ipsius in palatum, vnde ὀςῶν καθ' ὑπερῴαν, *os palati* dicitur Gal. 9. vs. p. 1. *Conformatio* ipsius apud Gal. similis *ossi Cribriformi* mox describendo: sed fallitur: Interim verum est hoc, non minùs per palatum, quàm per nares vacuari excrementa cerebri pituitosa. Hinc practicis superioris seculi *Os colatorij* dicebatur. In adultis nonnisi vnicum est: at in recens natis ex quatuor ossibus constat. Notanda in hoc præcipuè est *Sella equina* dicta cum processibus. Sella ipsa videtur solida esse: sed reuerà habet foraminula quædam, quæ recipiunt pituitam, ex tertio & quarto ventriculo per *Infundibulum* in *Glandulam pituitariam* dictam destillantem. Ita loquor: non enim opus magnis & perspicuis foraminibus, qualia sunt in *Cribriformi*. Quin in vapores soluta pituita transire potest. Vide Com. nostra in 11 vs. p. 19. & 20. & in Physiog. cap. 213. *Processus* sunt duûm generum. Circa *sellam* sunt *quatuor minores*, qui κλινοειδεῖς, *lectiformes* dicuntur: anteriùs sunt *duo maiores*, πτερυγοειδεῖς, *aliformes* dicti veteribus, *Alis vespertilionum similes* nostris.

§. 9. *Communium* II. est τὸ ἠθμοειδὲς, *Cribriforme* iam dictum. *Situm* est in anteriori parte, quà in nares se aperit. De hoc sciendum est, reuerà *sextuplex* esse. In ipso cerebro manifestè duo sunt ossa verè cribrosa, quæ interstinguit *Crista galli* dicta: extra cerebrum, & iam in superiori maxilla, sunt iterum *duo ossa spongiosa*, quæ diuidit per medium *Vomez* appellatus. Nimirum, cùm apud veteres etiam sint duo nomina, ἠθμοειδὲς καὶ σπογγοειδὲς, certatur, Vtrum vtri sit dandum? Ego id, quod facit ad integrationem cranij, voco ἠθμοειδὲς: quod extra cranium in naribus est, σπογγοειδὲς. Hîc enim valet ratio Gal. 9. vs. p. 3. foramina non sunt recta, sed tortuosa, vt in spongia. Hoc os, non minùs quàm præcedens, seruit inter alia vacuandis excrementis pituitosis. Sed qua distinctione? Dicam infrà in Naribus.

§. 10. *Vasa* habent hæc ossa plura & magna, ex *Iugularium* & *Soporalium* propaginibus illis, quas ad pericranium ire dixi. Insinuant enim se manifestè in ipsa ossa, in quorum meditullio est aliquid proportionale medullæ, à qua hæc quoque ossa nutriuntur. Habent etiam ex sinib. duræ matris, sursum latis. Vide in Physiolog. iam dictis, cap. 38. Com. in 11. vs. p. n. 487.



CAPVT LXII.

De Cranij suturis.

§. 1. SI subiectum natura prius est prædicato, vbique suturas sequi fas est. Ραφὴ, (ῥαφὶς apud Arist.) *Sutura*, aut propriè dicitur, aut impropriè. *Propriè* est σύμφυσις illa tantùm, cùm ossa se inuicem ingrediuntur eo modo, quo *panni suti*, vt Gal. explicat 9. vs. p. 1. *Impropriè*, cùm complectitur etiam illam σύμφυσιν, quæ fit per ἁρμονίαν, *lineam*. Hinc suturæ *aliæ* sunt *Veræ*, & sunt in ossibus frontis, occipitis, & sincipitis; *aliæ spuriæ*, & sunt cùm in ossibus temporum, habéntque proprium nomen, eodem 9. vs. p. vlt. λεπιδοειδῆ προσκολλήματα, *squammosæ agglutinationes*: tum in duobus communibus ossibus. Quo loco & id negligendum fuerit: *Veræ suturæ* tales sunt in extima tantùm cranij superficie; in intima enim, aut, si mauis, in interiori tabulato sunt ἁρμονίαι. Huic distinctioni (in veras & spurias) obiiciunt quidam asseuerationem l. c. Hipp. non agnosse. Imò verò agnouit l. de Loc. in homine, vt ostendit Fallop. Com. in lib. de Oss. 13.

§. 2. *Prima* verarum στεφανιαῖα est, *Coronalis*, quæ coronæ modo cingit *os frontis*. Dicitur & *Anterior transuersa*. *Altera* & huic opposita dicitur λαβδοειδὴς ἢ λαμβδοειδὴς, *à figura literæ Græcæ maiusculæ* Λ. Quibusdam ὑψιλοειδὴς, *à figura litteræ minusculæ* υ. vocatur & hæc *Posterior transuersa*, & describit os *occipitis*. Est autem finis ipsius in imo capitis, quà *processus mammillaris* est. Quod enim illius introrsum it, vsque ad *os sphenoides*, & iam harmonia est, *Additamentū lambdoidis* appellatur, τὰ κάτω πέρατα τῆς λαμβδοειδοῦς Gal. *Crura* nostris. Quo loci id monendū, superiorē ipsius partem aliquando scindi, vt duplex videatur, triplexve. Tum verò, quæ includuntur, ossicula sunt illa, quæ tantoperè ad *Epilepsiam* quæruntur. Sed reuerà nihil peculiare habent à reliquo cranio. *Tertia* est ὀβελαῖα, ἢ ῥαβδοειδὴς, *Veru* aut *Virgæ* modo recta. Nostri *sagittalem* vocant, quasi à βέλος esset vox prior. Dicitur *Recta*, & est respectu duarum *transuersarum* dictarum. Distinguit enim à se inuicem duo *sincipitis ossa*. Interim aliquando, vt dixi suprà, ad nares vsque peruenit.

§. 3. *Duæ spuriæ*, seu *mendosæ* sunt vtrinque in ossibus temporū, & fiunt attenuato osse vtroque ad squammam vsque, vt alterum alterū recipere possit. Hinc λεπιδοειδῆ προσκολλήματα, *squammosæ agglutinationes* dicuntur Gal. 9. vs. p. vlt. Et ita apud Veteres se habet res. Quas Nostri addunt, videri possunt apud ipsos, præcipuè apud Bauh.

§. 4. *Vsus* est duplex, *Primarius* quidem, admittere *duræ matris processus*, quibus tota cerebri moles appenditur: *Secundarius*, facere ad perspiratum *excrementorum fuliginosorum*.

§. 5. Quæ

§. 5. Quæritur, An verum sit, quod Hipp. scribit l. de Vuln. cap. & repetit inde Gal. de Oss. 1. Propriarum deesse modò hanc, modò illam, & tum subitò mutari *figuram* capitis *naturalem* in *præternaturalem*? Est autem naturalis σφαιροειδὴς, aut, vt cautiùs loquar, ἐοικυῖα σφαιροειδεῖ, ἢ ἑκατέρωθεν τεθλιμμένῃ σφαίρᾳ, *similis globo* (non prælongo, vt Interp. plerique) *vtrinque ad aures depresso*, de Oss. 1. A. 9. vs. p. 17. B. 1. in 6. Epid. 3. *Præternaturalis*, cùm amissa vel anteriori, vel posteriori προβολῇ, *eminentia*, fiunt, qui Græcis dicuntur φοξοὶ, qualis Thersites erat apud Homerum, & sunt, nì fallor, iidem cum μακροκεφάλοις apud Hipp. καὶ σχινοκεφάλοις, qualis Pericles erat. Quo mihi dato, dabitur etiam, τοὺς φοξοὺς Latinis non esse alios, quàm qui *Acuminatū caput* habent *die spitzköpff.* Quiquid fiat, Res ipsa est apertè falsa, locutúsque est Hipp. ex aliorum relatu, quem postea secutus est Gal. Hanc excusationem admittere nolle, insolentis est.



CAPVT LXIII.

De Meninge vtraque.

§. 1. Μήνιγξ, ἡ, tam latè olim patebat, quàm vel ὑμὴν, vel χιτών: postea restricta fuit vox ad *Cerebri membranas*, de quibus agere occipio. Si fidem mihi non habes, abi ad Hipp. lib de Carn. & de Loc. in hom. Arist. 1. Hist. 16. 3. Hist. 13. 3. Part. 11. Gal. 9. Ex Anat. 2.

§. 2. *Duplex* hæc cùm sit, ceu innui, *Altera* harum subitò atque patera (ita vocant superiorem Cranij partem, quæ in apertura abscinditur) ablata est, apparet, & cerebrum nusquam contingit: *altera* non contingit tantùm, sed immergit etiam se in ipsam substantiam, factis mirificis illis circumuolutionibus & gyris, qui oculis potiùs vsurpandi sunt, quàm calamo describendi De *illa* Galen. loquens 9. illo Ex. Anat. 1. non referre inquit, εἴτε παχεῖαν voces, εἴτε σκληρὰν, εἴτε δερματώδη, *siue crassam, siue duram, siue coriaceam*: de *hac*, pariter non referre, εἴτε λεπτὴν appelles, εἴτε μαλακὴν, εἴτε ὑμενώδη, *siue tenuem, siue mollem, siue membraneam.* Speciatim hæc Galeno, aliisque Anatomicis vocatur χοριοειδὴς (non χοροειδὴς, vt falsò omnes.) καὶ μεσαραιοειδής. Cur? vt χορίον in fœtu, & μεσάραιον, ἢ μεσεντέριον in abdomine, constant venis & arteriis multis, sibi inuicem adiacentibus, membrana tenui interposita: ad eundem modum hæc meninx Cerebri vasa, de quibus dicetur, intertexit. Arabibus, quos ferè Practici sequuntur, illa *Dura* hæc *Pia mater* nominatur, cum quibus aliquando loquar.

§. 3. Hìc muginantur nostri, sed frustrà, quærendo, Quanta sit *duræ matris distantia*, *hinc* quidem à Cranio, *illinc* autem à pia matre?

Vtraque quæstio instituitur in fauorem motus cerebri, qui à motu arteriarum diuersus sit. Ego paucis me absoluo: Neque motus ille in rerum natura est: neque vlla distantia talis, qualem illi fingunt. Si molesta tibi est nuda hæc assertio, & tempus patitur, abi ad Com.nostra in 8.vs.p.initio. *Distantiam* impugno etiam in Physiolog.c.200.

§. 4. De *dura matre* quia primo loco agendum est, operæpretium fuerit antè omnia intueri substantiam ipsius, & conferre cum substantia *piæ* matris: Mox speculari conformationem ipsius, paritérque ponere iuxta cònformationem piæ matris. Quod ad rem nostram, Figura duræ matris est rotunda, peritonæi instar. Vt enim *illud* quasi in sacco includit omnia abdominis viscera, ceu dictum est: ita *hæc* circumdat totum id, quod cranio còntinetur, *Cerebrum*, inquam, & *Cerebellum*, excepta *Glandula pituitaria*, *Retique mirabili*. *Superficies* exterior est æqualis, nisi quà suturas ingreditur, cerebrum suspensura. Interior pariter æqualis est, nisi quà *sinus* impediunt, *Ductúsque* elabentes, vt iam dicam. De *Cauitatibus* longa & difficilis res est, nisi quis dextrè distinguat. *Primùm* autem omnium seorsim ponere oportet *duplicaturas duræ matris*: seorsim *vasa duplicaturas ingredientia*: seorsim *Sinus*, qui ex duobus iam dictis fiunt: seorsim vasa, quæ ex sinibus egrediuntur in piam matrem, & *Ductus* nominantur: seorsim vasa, quæ per laterales duræ matris partes disseminantur. Vt ordine agam.

§. 5. *In ima Cerebri basi*, qua parte à cerebro *cerebellum* discedit, & desinunt *Suturæ lambdoidis duo crura*, ferè ibi, vbi *processus mammillaris*, ossium temporalium est: ibi, inquam, dura mater in seipsam quasi reuolui videtur, aut, si mauis, duplicari, triplicari, quadruplicari, adeò vt cauitatem quandam faciat, *venæ arteriæve* non dissimilem, quippe in qua sanguis continetur. *Hoc* ex dura matre formatum *corpus*, vtrinque inter cerebrum & cerebellum sursum tendens, iungitur, & vertice conscenso inter cerebri dextram & sinistram partem, tendit iterum deorsum, vsque ad *processus cerebri mammillares*, ossi cribriformi incumbentes, constituítque *Corpus falciforme* Anatomicis dictum. Interim, qua parte copulantur duo illa, vt sic dicam, *crura* cum tertio illo corpore, quod antrorsùm it, oritur quartum quoddam, quod mox subdiuiditur. Pars enim *corpori Calloso* dicto instrata, ad nares vsque proficiscitur: pars in *quartum* vulgò dictum *ventriculum* sese immergit, & deinceps in anteriores duos ventriculos prolatum, iungitur vasis quibusdam ascendentibus, & constituit πλέγματα χοειοειδῆ (non χοροειδῆ) *plexus secundiniformes* Anatomicis appellatos. Cæterùm locus is, in quo concurrunt quatuor illa corpora, ληνός, *torcular*, ab Herophylo olim dictus, hodiéque retinet nomen. Ratio nominis est: Quemadmodum *è torculari* labitur *vinum* in subiecta vasa: ita ex hoc loco *sanguis* in *Cerebrum*. Hoc lapsu prohibito, fit Apoplexia quædam, vt alibi deduxi.

§. 6. Hoc vnum est: alterum est, Hoc ipso loco, quò incipit in se

reuolui dura mater, implicantur illi, ex *Venis* quidem Iugularibus tres vtplurimùm propagines: ex *Arteriis* autem Soporalibus duæ vtplurimùm. Vbi aliquis: Ecquæ ratio est huius implicationis? Hiántne vasa ibi, atque adeò desinunt? An substantia illorum cum substantia duræ matris vnitur? Et iterum, sitne vnio, iuxta se positis tantùm corporibus, an inter se confusis? Gal. quidem videtur velle, 9.vs.p.5. non desinere, sed integra manentia indui tantùm dura matre, tanquam noua tunica: sed sensus hîc nos deserit. Quantumuis enim accuratè intuearis, non possis dicere, *Hæc est substantia vasis: hæc est substantia duræ matris.* Obstat verò hoc quoque: Si integra manent vasa, cur non quinque *cauitates*? Sed neque licet dicere, desinere ibi. Vnde enim essent, tam vasa illa, quæ sursum eunt, & per suturas elabuntur, vt nuper dixi: quàm *Ductus* posteà dicendi! Ideo manet hoc, quod Cæsalp. etiam vult, 3.Quæst.Perip.3. Miscentur substantiæ, ita vt ad oculum discerni non possint. Quo fit, vt dum soluit iterum Natura hoc vinculum, exire è *Sinibus* possint *Ductus*, de quibus mox. Hoc ipsum vinculum facit, quò minùs dici possit, naturam mutasse quidquam in consilio suo, vehendi ad cerebrum quoque duplicem sanguinem, in vasis duplicibus, & propterea hîc quoque sanguinem esse in suis vasis. Hinc quoque est *venæ* appellatio, vt dicam.

§. 7. Hanc verò mirabilem vnius corporis ex septem diuersis structuram cùm Anatomici diuersimodè considerarent, diuersa etiam imposuerunt illi nomina. Qui *reuolutionem* (vti vocare placuit mihi) duræ matris nudè inspiciebant, ἀποφύσεις, *processus*, *germina*, *explantationes*, aut aliter vocabant. Sed cùm dura mater alios etiam processus faciat, in sutura v. g. in palatum, quin ipsam spinam: tanquam nimis generalis repudiata fuit appellatio. Qui eandem *reuolutionem* ex crassitie iudicabant, διπλοάς ἢ διπλώσεις, *duplicaturas* appellabant. At verò cùm crassities longè sit maior, quàm facere possit dura mater duplicata, adeoque τριπλώσεις potiùs sint, quin τετραπλώσεις: abiecta fuit: hæc quoque denominatio. Qui solam *cauitatem* spectabant, κοιλίας, *ventres* seu *ventriculos* cognominarunt. Hoc quoque cùm nimis latè pateret, neglectum fuit. Qui officium huius conformationis, commune cum *Venis* (accepto vocabulo pro Arteriis etiam) meditabantur, φλέβας, *Venas* cognominare voluerunt. Hoc ipsum cùm despicabile esset recentioribus, κόλπους, *Sinus* dici voluerunt, cum quibus loquar ego quoque.

§. 8. Horum *Sinuum* numerum si inire voles, facilis erit ratio. *Quatuor* enim sunt, *dexter* & *sinister*, vbi vtrinque incipiunt: *Superior* seu *tertius*, qui *Corpus falciforme* dictum constituit: *quartus*, qui in profundum abit, diuisus posteà eo modo, quo dictum est. Quà concurrunt, ληνὸς est, vt dixi.

§. 9. Ex his *sinibus* quaquauersum, tam in *Cerebrum*, quàm in *Cerebellum*, innumerabilia excurrunt vasa, quæ *Piæ* primùm *matri* implicantur, posteà in ipsam *substantiam albam* se immergunt, & constituunt, *stigmata*

ſtigmata illa rubra, quæ inciſo cerebro nobis apparent. Hæc vaſa ὀχετοὺς, *Ductus* vocant noſtri, ego ab origine ipſorum vel *Venas arterioſas*, vel *Arterias venoſas*. Hæc Ariſtot. incognita erant, 1. Hiſt. 16. 3. Hiſt. 3. 2. Part. 7. Sunt tamen ea ipſa, quæ *cum ſubſtantia cerebri, duabúſque meningibus* elabentia, Neruos *faciunt*: Per quos ſi vnitas animæ apud Ariſt. non ſit, nullo modo ſit.

§. 10. Hîc tam de *Sinibus*, quàm de *Ductibus*, vello aurem Anatomicis noſtris, & moneo, Conſiderent in poſterum quoque analogiam, quæ eſt inter vaſa inferiorum duorum ventrium, & huius noſtri. Vt enim ibi & peritonæum, & pleura induebant *Vaſa* omnia communi tunica: ita hîc, *dura* quidem mater veſtit illa, quæ in *ſinus* abſumuntur; *pia* autem, illa quæ *Ductus*, conſtituunt. Vtriuſque huius rei tantò maior eſt neceſſitas, quò melior eſt ſubſtantia Cerebri, quàm ſunt viſcera inferiora cum vaſis ſuis. Hinc adeò eſt, quòd vaſa ex thorace aſcendentia non amplexatur tantùm dura mater ſatis denſo inuolucro: ſed & ad ſuturas appendit, ne qua à *ſinibus* fiat compreſſio cerebri. Indidem eſt, quòd *Ductus* deſcendentes, pia matre tecti, intima cerebri ſubeant, mediantibus gyrationibus illis, de quibus dictum eſt. Hoc fit tantiſper, vſque dum ſubſtantiam albam ingrediantur. Tum enim, vt in viſceribus inferioribus quoque, non opus habent alio tegumento.

§. 11. Et hæc quidem ita ſe habent: ſuperſunt vaſa, quæ in latera duræ matris eunt. Breuiter, quemadmodum in *Sinus* ibant *Venæ & Arteriæ* ferè quinque numero: ita per *Subſtantiam* ferè totidem diſtribuuntur, vt mox oſtendam in diagrammate duplici.

§. 12. Hîc obiter taxanda venit audacia Falloppij, quam æmulatus eſt Riolanus. Dicunt enim, *ſolas venas, arterias nullas*, ad Sinus ire. Cum his quia egi in Phyſiol. meis, c. 192. & ſeq. hîc parcior ero. Quid prohibet nos credere, inquiunt, Veſalium fuiſſe falſum? Nam & in aliis falſus eſt, v. g. in ſeptimo oculi muſculo. Hoc prohibet, aio, Anatomici noſtrates, Platerus, Bauhin. Caſſerius, Spigelius, (& quorſum plures acciam?) viderunt *Arterias* cum *Venis* ire ad *Sinus*: ſeptimum oculi muſculum in homine reperire nunquam potuerunt. Senſui adſtipulatur non vna ratio. In omnibus aliis partibus *ſanguis* ille *duplex* eſt: in cerebro ſolo non ſit? adeoque deſit perfectior & elaboratior? adſit rudior & frigidior? In *ſubſtantiam duræ matris* eunt arteriæ: in *ſinus* non eant? Subſtantia duræ matris viſa eſt pulſare in vulneribus capitis lateralibus, & quidem ad rythmum pulſus in carpo: in *ſinibus* non fiat idem? adeóque motus cerebri, de quo digladiantur, non ſit *arteriarum* potiùs, quàm *ſubſtantiæ cerebri*? vel ideò, quia motus illius cauſæ adſunt omnes, huius ne vna quidem? *Non nego* ego variam hîc eſſe poſſe Naturam, & pro duabus arteriis dare vnam, in Chorœbo fortaſſis aliquo: *hoc nego*, in vllo homine ſolas eſſe venas. Vnam illam ſi tu non vidiſti, aut fortaſſis videre noluiſti: an propterea non adfuit? Nôſti Auicennæ dictum, ſi ego & tu non vidimus hoc, illúdve: non propterea non eſt.

§. 13. Διάγραμμα

§. 13. Διάγραμμα venarum.

- *A Subclauij parte*
  - *Superiore*, sunt
    - 1. *Iugulares internæ*, quæ sursursum latæ cum arteriis soporalibus, diuiduntur in *ramum*
      - *Posteriorem*, qui per commune occipitis foramen ingressus, subit duræ matris substantiam, & constituit *Venam* I.
      - *Anteriorem*, qui per octauum sphenoidis foramen illapsus, eandem substantiam subit, facítque *Venam* II.
    - 2. *Iugulares externæ*, quæ sine arteriis soporalibus ad processum mammillarem ossium temporum delatæ, diuiduntur in *ramum*
      - *Exteriorem*, qui in cutim colli absumitur
      - *Interiorē*, qui oris cauitatē ingressus, diuiditur in tres ramos, quorum
        - 1. abit *retrorsum*, & per sextum foramen ossium temporum ingressus, in sinum duræ matris sese infert, constituítque *Venam* III.
        - 2. abit *antrorsum*, & per secundum sphenoidis foramen subiens cauitatem Cranij, in substantiam duræ matris absumitur, constituítque *Venam* IV.
        - 3. abit etiam antrorsum, & per os ethmoïdes in substantiam duræ matris distributus, constituit *Venam* V.
  - *Inferiore*, qui promit de se quatuor ramos, quarum vnus *Ceruicalis* dicitur, & nonnunquam in *sinum* duræ matris ingressus, constituit *Venam* VI.


§. 14. Διάγραμμα arteriarum.

- *Truncus Arteriæ abscondentis*, diuiditur in
  - *Carotidem*, quæ cum vena iugul. interna, ad *fauces* vsque indiuisa manet; postea dispescitur in *ramū*
    - *Exteriorem, qui in faciem absumitur.*
    - *Interiorē*, qui subdiuitur in
      - *Maiorē*, cuius ramus
        - *Exterior* ad nares abit, & per nonum sphenoidis foramen ingressus, finit in substantiā duræ matris, facítque *Arteriam* I.
        - *Interior*, qui diuiditur in ramū
          - *Crassiorē*, qui per sextū sphenoidis ingressus in substantiā abit, facítque *Arteriam* II.
          - *Graciliorem*, qui per octauū sphenoidis ingressus, in eandē substantiā absumitur, & facit *Arteriam* III.
      - *Minorem*, qui per foramen cōmune occipitis ingreditur, & cum vena prima in sinum duræ matris absumitur, facítque *Arteriam* IV.
  - *Subclauiā*, à cuius parte
    - *Inferiore*, est *Intercostalis superior.*
    - *Superiore*, tres sunt arteriæ, quarum vna *Ceruicalis* dicitur, & cum Vena ceruicali aliquando in *sinum* duræ matris abit, constituítque *Arteriam* V.

——docti meliora sequemur.

§. 15. *Pia mater* Arabibus dicta statim quidem sub durâ est : sed & substantia & conformatione insigniter differt. *Substantia* est membrana tenuissima, immediatè cerebri substantiæ instrata. *Figura* qui rotundam esse dicunt, non satis cauti sunt. Debebant enim cõsiderasse gyros illos & Mæandros mirificos, de quibus obiter dixi : quin addidisse, penetrare se in ipsos vẽtriculos, & superficiẽ illorum intimam tegere. Hoc facto, deserent etiam Arist. qui 1. Hist. 16. minorem facit dura matre. Imò, si animo concipias ambages illas, ampliorem esse fatebere trecentis partibus. Hos ipsos si incideris, deseres iterum Arist. loc. cit. Cerebrum exangue esse dicit. Contradicunt enim oculi, qui stigmata illa agnoscunt. Contradicit ortus neruorum (immediatus) à Gal. doctus, ab omnibus receptus. Conuincit & ratio, quæ dictat nobis, *spiritum animalem* dictum non posse alibi generari, quàm in corpore cerebri, quatenus illud ventriculis opponitur. Hæc generatio quomodo fiat, dicetur mox. *Cauitates* sunt *Ductus* dicti.

§. 16. Et hæc de *Continentibus*, quorum vsus communis est, σκέπης χάειν, *Vt cerebrum sit tectum*.



CAPVT LXIV.

De Cerebro & Cerebello.

§. 1. Κέρεβρον, inquit Gal. 8. vs. p. 4. D. *Substantiam* huius partis denotat. An est ab antiquo *Cereo*, vnde etiam *Ceres*? quæ & *Alma*, ab alendo? Græci cum dicunt ὁ ἐγκέφαλος, subintelligunt μύελος, ἢ μυελὸς, *Medulla capitalis*. An substantiuè meliùs diceretur, τὸ ἐγκέφαλον? Ita τὸ ἐγκράνιον (non ἔγκρανον) dicimus. Qui volunt μυελὸς ἐγκεφάλου, falluntur. At μυελὸς ἐγκεφαλίτης, ἢ ἐγκεφάλιος, placet.

§. 2. De hoc loquens Arist. 1. Hist. 16. ait, siquidem correctio mea locũ habet. Διφυὴς δ᾽ ἐν πᾶσίν ἐστιν ὁ ἐγκέφαλος· ἐγκέφαλος καὶ ἐπὶ τούτου ἡ καλουμένη παρεγκεφαλὶς, ἑτέραν ἔχουσα τὴν μορφὴν, καὶ κατὰ τὴν ἀφὴν, καὶ κατὰ τὴν ὄψιν. Ita sensus fiet, *Cerebrum in omnibus quidem, in quibus est, bipartitum est: Cerebrum, & præterea Cerebellum, diuersum & forma, & tactu, & visu.* Hac diuisione habita, prior quidem, & potissima pars, vel *Cerebrum* simpliciter dicitur, vel cum additione, *Cerebrum anterius*, ὁ ἐγκέφαλος πρόσθιος: posterior autem & minor, iterum vel simpliciter dicitur *Cerebellum*, παρεγκεφαλὶς, vt est apud Arist. vel cum additione, *Cerebrum posterius*, ὁ ἐγκέφαλος ὀπίσθιος. Apud Galen. 9. Ex. Anat. 2. 8. vs. p. 10. 11. vs. p. 13. aliæ etiam sunt *Cerebelli* appellationes, è quibus vna tantùm, ἡ ἐπεγκρανὶς, mihi legitima est, reliquæ marginariæ.

§. 3. Cæterum, de duplici hac diuisione tenendum est, *Cerebrum* à

Cerebello

Cerebello quidem diuidi, mediante ſinu dextro & ſiniſtro ſuprà dictis: *Cerebri* autem partem dextram & ſiniſtram, mediante ſinu tertio. Seu *Corpore falciformis.* Differunt autem diuiſiones, quod *Cerebrum* & *Cerebellum* tota à ſe inuicem diſcedunt, niſi quà coniunguntur iterum beneficio quatuor truncorũ, è quibus *Medulla ſpinalis* conſtat, ceu dicetur: Cerebri *pars dextra & ſiniſtra* non totæ, ſed vſque ad *Corpus calloſum*, cui ventriculi ſunt inſculpti. vt pariter dicetur.

§. 4. Hìc ſubitò admonendi ſumus de eo, quod veteribus inobſeruatum eſſe video. *Subſtantia* tam *Cerebri*, quàm *Cerebelli* duplex eſt. *Altera* enim & *exterior* pars, colore cineritia, eſt quaſi *Cortex* quidam circumiecta parti interiori, quæ alba eſt, & *Medulla cerebri* dici ſolet. Differunt verò ſubſtantia quoque. *Mollior* enim eſt *exterior*, *ſolidior interior*, ſeu *Medulla*. Hinc adeò dicunt, in capite recenti, ſi quis dexteritate vtatur ſeparari à ſe inuicem poſſe. Hinc qui diſtinctè loqui volunt, ventriculos eſſe dicunt in *Medulla*, & ex hac fieri *Medullam ſpinalem*, *Neruóſque* ipſos. Hac de re alibi.

§. 5. Quod ad *Conformationem*, figuram toti quidem huic dat capacitas cranij: qualem autem ſeorſim *Cerebrum* habeat, ſeorſim *Cerebellum* ad inſpectionẽ pertinet. *Cauitates* conſtituunt Ventriculi, tam Cerebri, quàm Cerebelli, de quibus ſigillatim loquendum eſt. *Superficiem* & *Cerebrum* & *Cerebellum* habent inæqualem, ídque propter gyros, de quibus dixi. *Gyri* ipſi differunt, quòd in *Cerebro* quidem vniuſmodi ſunt, & maiores: in *cerebello* autem partim recti, partim obliqui, & in vniuerſum minores. *Obliqui* illi faciunt τὰς ἀποφύσεις σκωληκοειδεῖς, *proceſſus vermiformes*, coſſis ſcil. ſimiles. Et hi in *Cerebello* reuerà ſunt, non in cerebro, vt quidam credunt, fortaſſe Gal. ipſe.

§. 6. Ad *conformationem*, & ſpeciatim ad *figuram* pertinent *proceſſus* quoque, quorũ *duo* ſunt anteriùs, *Mammillares cerebri* dicti, in brutis cõſpectiores, qui in vtriuſq; lateris *os ethmoides* implantãtur: *quatuor* poſteriùs, illi videl. ex quibus *Medulla ſpinalis* cõflatur. Sunt & nerui *proceſſus*.

§. 7. *Ventriculorum* (κοιλίας Græci vocant, ἢ κοῖλα) apud Gal. cæteróſque Anatomicos, (excepto ſolo Varolio) magnus eſt cumulus. At verò ex Ariſt. 1. Hiſt. 16. ſcimus, antiquitùs nonniſi *vnum* fuiſſe. Puto autem ibi abundare τὸ μικρὸν, cùm in veritate ſatis magna capacitas ſit. Oſtendit hãc nobis d. Varolius, exhibita noua ſectione, quæ fit inuerſo capite. Nec obſtat, quòd idem concedit *duos* eſſe, diſtinctos *Corpore calloſo* dicto: Incipiunt enim *duplici principio*, pro ratione dextræ & ſiniſtræ cerebri partis; ſed deſinunt in vnũ, quẽ *tertiũ* vocãt. Quæſtio eſt, rectène an ſecùs, πρόσθιοι, *anteriores* à Gal. dicantur? Omninò, ſi conferantur cum *quarto*, de quo mox agetur. Hos ſi videre voles, digitis diducas oportet dextrum & ſiniſtrũ, vſque dum ad *Corpus calloſum* perueneris, hoc eſt, vbi *Cerebrũ* fit vnũ, & *Medulla cerebri* vidẽdã ſe exhibet. Tũ verò, remotis vtrinq; gyris, & facta inciſione, pateſcẽt vtrinq; *duo* d. Gal. *ventriculi anteriores*. Horũ in vulgari ſectione vix tertia pars exhibetur. Nã *anteriùs* versùs *os ethmoides*,

curuantur cornu in modum, vt Gal.scribit 7.sent.Hipp.3.Anat.neru.2. vbi vide Notas nostras. Et hi sunt *Hippocampi Arantij*, Obs.3. qui pro nouo inuento habet. *Posteriùs*, versùs *os sphenoides* pariter curuantur, vt nôrat Gal.8. vs.p.11. C.7.Sent. Hipp.4. C. In his ventriculis sunt illa, quorum memini, πλέγματα ἢ συστρέμματα, χοροειδῆ, *complicationes*, seu *conuolutiones secundiniformes*, quas *Retiformes* vocant nostri, cõstitutæ partim à ramo *sinus quarti* hàc descẽdente, partim ab *Arteriæ soporalis* ramo interiore & graciliore, per octauum ossis sphenoidis ascendente in ventriculos. Huius in diagrammate proposito mentio non est, quia duram matrem perforat tantùm. Est autem illud vas, quod in ostensionibus neruorũ interiacet primum & secũdum par neruorum oculariũ. Horum vsum valdè deprimit Varolius, qui multas glandulas immisceri illi cõperit. Ita enim explico in Physiolog.cap.196. In his ipsis ventriculis est; ἡ καμάρα, ἢ τὸ καμάριον, *fornix*, item ψαλὶς (non ψαλλὶς) ἢ σῶμα ψαλιδοειδὲς (non ψαλιοειδὲς) *corpus testudineum*) cuius meminisse satis sit, ex 8. vs.p.11. Eadem ratio est τοῦ διαφράγματος τῶν πρόσθιον κοιλίων, *septi anteriorum ventriculorum*, 9. Ex. Anat.13. & 4. quod *speculum* & *specularem lapidem* vocant nostri, ex eodem loco.

§. 8. Ex *anterioribus* via est, vt dixi, in *tertium*, qui nihil aliud est, quàm vnio duorum dictorum, quam ob causam à Gal. 8. Vs.p.11. & 12. *communis superiorum cauitas seu meatus* dicitur appellatur etiam μέσος *medius*, quòd centrum ferè cerebri occupet. In hoc præcipuè notandi sunt πόροι, *meatûs duo* 9.Vs.p 3. quorum *alter* ex quarto ventriculo obliquè deorsum in tertium hunc venit: *alter* rectà deorsum in palatum tendit, & constituit super os *Sphenoides* πύελον, ἢ χοάνην, *peluim* seu *infundibulum*, per quod excrementa cerebri pituitosa in palatum descendunt.

§. 9. *Quartus* vulgò creditus ventriculus, est inter *Cerebrum* & *cerebellum*, cuius finem, qui est *principium spinalis medullæ*, vt est 9.Exerc. Anat.5. Herophilus comparabat τῇ ἀναγλυφῇ καλάμου, ᾧ διαγράφομεν, *calamo ad scribendum aptato*. In hoc quatuor sunt ἐξοχαὶ *eminentiæ*, à priscis dictæ γλουτοὶ, ἢ γλουτία, item δίδυμοι ἢ δίδυμα, *Nates* aut *naticulæ*, *Testes* aut *testiculi*, d.Exerc.l.1. & 8.vs.p.vlt. In eodem est κωνάριον, ἢ σῶμα κωνοειδὲς, *Glandula pinealis* dicta Anatomicis. Quas præterea spurcitias allinunt horum quidam, meminisse pudet.

§. 10. Iam *Cerebellum* quoque suum habet *ventriculum*, quem *Cisternam* nominat suprà laudatus Arantius, Obs.6. quasi res noua foret. At nôrat illum Erasistratus, 7.Sentent. Hippocr. 3. D. Nôrat Herophilus, 8.vs. p.11. C. De ipso cerebello plura non dico, quàm quæ incidenter dicta sunt.

§. 11. Et hactenus de iis, quæ *dura mater* includit: restant duæ Cerebri particulæ, quæ extra illam sunt in *sella ossis sphenoidis*. Harum *altera* est ἀδὴν, *glandula* simpliciter dicta Gal.9. Exerc. Anat.3. nostris *Glandula pituitaria*, partim ab vsu manifesto, partim ad differentiam τοῦ κωναρίου, quod

quod in quarto cerebri ventriculo eſt. Hæc, vt dixi, ſedem ſuam habet in ipſa ſphenoidis ſella, & recipit in ſe *Infundibulum* ſatis patulo foramine. Hanc *glandulam* circumcirca ambit πλέγμα δικτυοειδὲς Gal. quod noſtri vocant *Rete mirabile*, in brutis euidentius, quàm in homine.

§. 12. In *vſu* diſtinctè oportet agere, & fortaſſis per problemata. Cur *Cerebrum* diuiſum eſt in cerebrum & cerebellum? Vt & *Sinus* ſatis profundè demitti poſſent, & *Ductus* vndiquaque diſtribui. *Sinus* cùm vehant vaſa magna, debebant conſtare ex materia, denſa quidem & fori ſed non oſſea, ne lædatur ſubſtantia cerebri tam mollis & fluida. *Iidem* ſuſpendi debebant à cranio, tanquam tholo, quodam, & quidem vinculis Vulcaniis, vt Gal. comparat 8. vſ. p. 9. vt *Ductus*, vaſa minora, ſecurè deſcendere poſſint. Iidem *ductus* implicari debebant piæ matri, vt ſecuritati ipſorum conſuleretur.

§. 13. Cur *Cerebrum* eſt diuiſum in dextrum & ſiniſtrum? Propter eandem cauſam. Non autem, quia homo bifidus eſt.


§. 14. Cur ſunt *anfractus* illi? Iam dixi, vt *pia mater* cum vaſis ſuis altiùs ſe immergat, itaque *Ductus* ſint ſecuri.

§. 15. Cur *Subſtantia* tam Cerebri, quàm Cerebelli alba eſt & frigida, cui intertexta ſunt tot millena vaſa? Dicat Ariſt. Vt *ſubſtantifica refrigeratio* ſanguinis in cerebrum delati fiat, atque ita ſpiritus (non enim ſunt ſine ſanguine ſuo) fiant ſedatiores. Nimirum generantur *ſpiritus animales*, non in ventriculis, ſed in corpore cerebri, vt iam dicam. Contra hanc ſententiam quàm miſerè tumultuetur Gal. 8. vſ. p. 2. notum fieri poteſt iis, qui inſpicere volent locum. Ego verò pacato animo dico: *O! Galene, quam tu* δὶς διὰ πασῶν *à tua ſententia diſtare vis, illa planè gemina eſt cum tua.* Quod quia probaui Com. in d. l. vt & in peculiari *Diatriba de vſu cerebri*, an. 1619. edita, quieſcam nunc, hoc ſolo ſuperaddito, *Conuenit Ariſt. & Gal.* quatenus vterque Cerebrum habet pro communi ſenſorio, è quo pendeant particularia. *Non conuenit*, quatenus apud Ariſt. ſine Corde nihil fit: apud Galen. à ſolo Cerebro totum. Qua ratione quomodo Galen. conſuluerit honori ſuo, non ego nunc dico.

§. 16. Quis *eſt Vſus ventriculorum* cerebri: Dicit Gal. & cum eo magnum agmen gregis balantis, eſſe ἐργαστήρια, *officinas* ſpirituum. A quibus quia ſeceſſionem feci hoc ipſo tempore; imò verò quia Galen. ipſe, ab Adraſtea victus, non vno loco faſſus eſt, in corpore cerebri fieri ſpiritus: fortaſſis quieuiſſe nunc melius ſit. Mihi verò, autoritate Hipp. vt quidem Gal. refert, 2. vſ. p. 8. libet hîc paucis ἀντιμαρτυρεῖν τῷ ἐναντίῳ λόγῳ; & quidem tantò audaciùs, quò verius eſt, Gal. quoque docuiſſe, *Ventriculos factos eſſe colligendis, purgandiſque cerebri excrementis.* Hoc Natura quaſi intento digito nobis monſtrat, cùm trium ventriculorũ ſeriem continuat cum *Infundibulo, Glandula pituitaria, & Oſſe ſphenoide*, quod Gal. comparat cum *Oſſe ethmoide. Hac* enim quia indubitatò effluunt excrementa quædam, *illàc* cur non fiat idem? imò, cur non

potiori ratione, cùm tantus ſit inſtrumentorum apparatus? Et quia ventriculorum exitus hîc eſt, quis ſpondeat mihi, ſpiritus in quartum ventriculorum ituros potiùs, quàm hàc effluxuros? Spondeo, inquit Archiater. Faciunt enim ſaltum. Riſum teneatis amici? Sed fiat hoc: Nerui cum ventriculis continui non ſunt,ſed cum corpore: Ventriculi operiuntur intrinſecùs pia matre, quæ & exitum, & introitum prohibet: Spiritus vaſis egreſſi ſub animæ imperio non ſunt:De ſpirituum eſſentia eſt diffundi, quod vbi factum eſt, quis aut quid cogit illos redire in anguſtias neruorum? Sed iam me deficit ſpiritus. Ergóne & *quartum ventriculum* huic neceſſitati alligabis?ergóne & *Cerebelli*? Quid verò his commune *Infundibulo*? Craſſa Anatomiæ ignorantia! De *quarto* quidem ventriculo doceat te Gal.9.vſ.p.3.A.de *Cerebelli* audi me: Cùm aperiatur ille in quartum: dubitáſne ampliùs?

§. 17. Hoc obtento, iam corruit ex ſe ratiocinatio pulchella Gal.8. vſ.p.10.& ſeq. *Quis ventriculorum ſit præſtantiſſimus*? Imò verò, cùm in rei veritate ſit vnus tantùm, comparatio ne locum quidem habet. Corruit & motus cerebri, quem confirmant περιθρύμμασι quibuſdam, quibus oppoſui me in Digreſſione nuper laudata. Imò, ne punctum quidem merebatur,ceu quidam loquuntur, niſi, vt modò locutus ſum ex Hipp. obuiandum eſſet mendaciis, ne conualeſcant. Corruit tandem & Arabum doctrina, de tribus facultatibus principibus, quas in tribus ventriculis collocant. Vno verbo, *Nugæ ſunt meræ*. Fiunt in toto cerebro, licèt dicere nemo poſſit, quomodo fiant,& quomodo vna abſque altera lædi poſſit.



CAPVT LXV.

De Neruis à cerebro ortis.

§. 1. SI, quod ſuprà comprehenſum fuit, *neruus* eſt *cerebrum in ſe coactum*, vtique de illo iam agendum eſt. Vbi ſtatim monendi ſunt adoleſcentiores, ne fortè morentur illos, qui neglecta veteri diſtinctione, dicunt, Omnes nerui ſunt à *medulla*: ſed alij ex illa, antequam cranio excidat, alij ex eadem, cùm iam in ſpinam delapſa eſt, & *ſpinalis* dicitur. Quid enim hoc aliud eſt, quàm fruſtranea nominum nouatio? Cùm dico, me acturum de neruis ex cerebro ortis, intelligo totum id, quod cranio continetur,


§. 2. In hac ſignificatione vetuſtiſſimus eſt numerus ſeptenarius,inde vſque à Marino præſtantiſſimo Anatomico, vt Gal.nobis illum deſcribit, profectus. Hunc includit neſcio quis hoc diſticho, quod ſatis eſſe poteſt τῶ εἰσαγομένω, vel ideò,quia de ſingulis iterum dicetur in ſuis ſenſoriis:

Optica

Optica prima : oculos mouet altera : tertia gustat,
Quartáque : quinta audit : vaga sexta est : septima lingua.

His accensere par est *Neruos odoratorios* : verùm ita, ne quidquam turbetur in ordine. Addere oportet *ramos* duos *graciliores*, à Marino quidem neglectos, à Vesalio autem adscriptos *tertio* & *quinto* pari. Quæ autem turbarunt Fallop. Piccolominus, Bauhinus, alij, huius loci non sunt.

§. 3. Hìc duo repeto: *Alterum*, loqui me de origine dispensationis, vt ex Vesalio dixi alibi. *Alterum*, velle me neruos ex cerebro deductos vnà cum vasis è corde elatis. Ita enim tuemur vnitatem animæ, vt pronuper dixi.



CAPVT LXVI.

De Musculis capitis, & motu eius super spinam.

§. 1. DE *Musculis* hoc moneo tantùm, adeatur Fallopp. 2. Obs. 13. aut, si is non satisfacit, Bauh. 4. Theat. 7.

§. 2. De motu amplector sententiam Gal. traditam ab ipso, de Oss. 8. & 12. vs. p. 6. *Motum* quidem *rectum*, cùm vel annuimus, vel renuimus, fieri super *secunda* vertebra, præcipuè super processu ipsius, quem *Dentem* Hipp. vocauit: obliquum autem super *prima*. De aliis locis Gal. vide Physiol. nostra, cap. 215. Si ambages placent, adi diligentiss. Eustachium tract. proprio.

ABERRATIONES.

§. 3. Valde ieiunus est Fuchs. partim l. 1. sect. 5. cap. 14. partim fine lib. eiusdem, in procreatione, vt loquitur, spiritus animalis. Is autem vsus cerebri est. Præparari enim ait (præterito *Reti mirabili*, quod negat homini) in *plexibus* χοροειδῶν, è quibus transferatur in ventriculos, vt ibi perficiatur. Imò verò in corpore cerebri fit, vt pluribus ostendi. Multò ieiunior est cap. seq. in historia cebri, quod non vidit.

§. 4. *Illud* de corpore cùm dat nobis Sennertus l. 1. c. 6. extr. commodior paulò est Fuchsio: sed duo desunt illi insignia. Si enim in plexibus arteriarum labyrinthéis, vt loquitur, præparantur, qua via in corpus cerebri veniunt, vt ibi coquantur? Qua via etiam inspiratum adducet aërem?

Cùm

Cùm Laurentium 4. Anat. quæst. 10. nobis commendat, se dignum facit. Rectè quidem ille *Spiritum animalem* à vitali distinguit forma & specie: sed in loco generationis planè aberrat à ianua. In responsionibus pro Galen. aduersùs Argenterium, quauis glacie frigidior est.

§. 5. Lidd. lib. 2. cap. 11. Sennerti assecla est, & iisdem flagris indiget.

§. 6. Pro Heurnio hîc peculiaris rubrica paranda erat, & offerenda laurea ciuica. Lib. enim 3. cap. 2. agnoscit sententiam Arist. & ita explicat, vt bonum virum decet. Tamen velim audire ab ipso, cur cap. 5. facultatem animalem soli cerebro adscribat, (cùm fatente ipsomet ibidem) *spiritus animalis ex vitali* fiat? Eodem tendit Sennertus, cùm, vt suprà scripsi, concedit, *Cor esse principium remotum omnium facultatum.*



CAPVT LXVII.

De Spina, eiúsque partibus.

§. 1.  NECESSITAS videtur postulare, vt ante omnia rationem ordinis dem. Ea est. *Si medulla spinalis* est *processus cerebri*, 1. in 6. Epid. 6. imò, si est veluti *alterum cerebrum*, 12. vs. p. 21. & mox cap. 15. si prorsus vt cerebrum, circumvallata est *ossibus*, quamuis mobilibus; si ipsa quoque *meningibus* clauditur, 13. vs. p. 8. fortassis non immeritò dicatur *Caput alterum*? Et dico confidenter, adeoque colloco huc totum, ne cogar cum Anatomicis κατακερματίζειν (quod Græci dicunt) quod est, alio loco de collo agere, alio de dorso, alio de lumbis, alio de osse sacro dicto.

Collũ esse spinæ partem, doceri potest ex 12. vs. p. 15. extr. vt & 3. Progn. 13. extr.

§. 2. Hac oratione, quia *partes spinæ maiores* attigi, oportet persequi. Harum prima est αὐχὴν ἢ τράχηλος, *ceruix*, seu *collum*. Apud Arist. 1. Hist. 7. & Rufum est in censu maximarum corporis partium. Apud Gal. etiam 8. Vs. p. 1. est pars peculiaris, facta inprimis propter pulmones. *Quæ enim*, inquit, *animalia collum habent, etiam pulmonem habent, & contrà.* *Secunda* pars est νῶτον, *dorsum, tergum*, quod tamen latiùs patet, ne dicam confundi cum τῷ *Tergus, oris*. Dicitur etiam μετάφρενον, quòd sit μετὰ τὰς φρένας, post *diaphragma* nobis dictum. Sunt, qui *Interscapilium* tantùm interpretentur

terpretentur. Etymologico magno ἀντίστερνον dicitur. ἄκινησις in brutis est Hoc dico propter Pollucem, qui Homerum ait de homine vsurpasse. Locus est de ceruo, Odyss. κ'. *Tertia* pars est ὀσφὺς, ἢ ἰξὺς, ἢ ψόα. Hoc enim solum accepto, pro vitiosis habens reliqua duo, ψύα καὶ ψοῖα. Latinis *Lumbus* est, sed frequentius *Lumbi*. *Quarta* est τὸ ὀστοῦν ἱερὸν, quod *Os sacrum* omnes vocamus, cùm *Magnum* deberemus, vt est apud Aretæum l.1.c.4. quà de Epilepsia, Ruffum l.3.c.4. Dicitur est ὀστοῦν πλατὺ, *os latum*. Hipp. σπόνδυλον μέγαν, *Vertebram magnam* appellat. Vbi moneo, Habere me sub hoc nomine, etiam vtrinque adhærentia ossa, quæ ipsa pro triplici situ triplex sortiuntur nomen. Quà enim τοὺς κενεῶνας, ἢ λαγόνας, ἢ λαπάρας Hipp. (*die Vveiche*) respicit, *Ossa ilium* dicuntur Lat. Huius summitas ῥάχις vocatur, *Spina* nobis minùs rectè. Est enim, vt mox dicam, *Eminentia, pars eminens, summa*. Quà est ἡ κοτύλη, *acetabulum, pixis*; cui *os femoris* inarticulatur, ὀστᾶ ἰσχίου, *ossa coxæ*, seu *coxendicis* vocantur. Huius acetabuli processus cartilagineus, ὀφρὺς, *supercilium* appellatur. Quà pubem tangunt, ὀστᾶ ἥβης, *ossa pubis* nominantur. In his est magnum illud foramen, per quod *Obturatores musculi* eunt, & quod leuitatis tantùm causa factum esse non credo. Porrò autem *ossi sacro* propriè dicto adhæret ὀστοῦν τοῦ κόκκυγος *os cuculi*, de quo posteà.

§. 3. *Partibus magnis* succedunt paruæ singularum. Eæ sunt vel *Continentes*, vel *Contenta*. *Illæ*, vel *Communes* sunt, Cuticula, Cutis, Membrana carnosa: vel *Propriæ*, vertebræ, Meninges, Cartilagines, Ligamenta. *Hæ* sunt Medulla spinalis, Nerui inde orti, & Musculi.

§. 4. His omnibus vltimo loco addendum fuerit, quod primo loco exponendum erat, nominum explicatio. Apud Græcos *duo* sunt *vocabula*, ἄκανθα καὶ ῥάχις, quæ apud nos vno *spinæ* nomine interpretantur, sed malè, si quidquam iudico, τὸ ἄκανθα, *Spina*, inuenio apud vetustissimum Herodotum pro toto hoc organo. Qui apud Arist. quoque ostendunt 1.Hist.15.3.Part.7.2.Part.9. Gazam nobis obtrudunt pro Arist. ipso. Est enim in Gr. ῥάχις. Hoc ipsum etiam solum apud Hipp. reperio. Vtitur eodem Gal. quoque frequentissimè. Idem, sed obscurè, docet 12.vs.p.15. clariùs (siquidem loci correctio admittitur) 3.Art.36. τὴν ῥάχιν quidem esse totum hoc: τὴν ἄκανθαν autem, processum exteriorem medium, (qui in brutis valdè fortis & prolixus est) qui toti etiam det nomen. Quo habito, cadit diuinatio Gorræi, qui ab *Acantho* herba deducere vult. Cadit simul eiusdem, vt & Camer. in Lex. assertio nomen esse desumptum ab omnibus processibus simul. Quidquid sit, eius sum sententiæ, τὸ ῥάχις, cùm de hac parte dicitur, nullo modo *spinam* esse, sed ἐξοχὴν ἢ ὀφρὺν, *locum eminentiorem*, quasi *cautem*, aut *scopulum*, aut *ocrin*. Huc me primùm perpluere exempla: ἡ ῥάχις τῆς ὠμοπλάτης qua fronte *Spina* dicatur? ἡ ῥάχις τῆς ῥινὸς, qua? ἡ ῥάχις τῆς κνήμης, qua? Ita apud Dioscor. τοῦ φύλλου ῥάχιν quis ausit vocare *Spinam*? Momentum vlterius dedit mihi Ethymologici magni autor, qui τὴν ῥαχίαν (est autem συνώνυμον) ait esse τόπον πετρώδη, περὶ ὃν περιρρήγνυται ἡ θάλασσα, &c.

Et addit, ὅθεν ῥάχις καλεῖται τὸ νώπιον ὀστῶδες, ὡς ἀπὸ ῥαχίας τῆς πέτρας. *Vnde ῥάχις vocatur pars ossea dorsi, quasi à præcipitio petræ.* An leg. est νωπαῖον ὀστῶδες?



CAPVT LVIII.

De vertebris Spinæ, earúmque Cartilaginibus & Ligamentis,

§. 1. VErtebræ, & Vertibula Græcis sunt σπόνδυλοι καὶ σπονδύλια, Atheniensibus σφόνδυλοι ἢ σφονδύλια.

§. 2. In his considerant quatuor, *Corpus* ipsarum, *processûs*, *appendices*, & *foramina*. Ego à superiori methodo non recedens, *Conformationem* explico.

§. 3. De *figurâ* hoc moneo, esse illam vel totius huius instrumenti, vel singularum vertebrarum. Quod ad *illam*, rectè docemur ex Hipp. 3. Art. 40. 41. 42. esse illam ἰθυσκόλιον, *Recticuruam*. Quidquid enim iudicent alij, ipsa Hipp. lectio mihi persuadet, vocem hanc, vt & seq. duas, ἰθυλορδή, καὶ ἰθυκυφή, non esse de vitiosâ, sed de naturali figurâ, tum videlicet, cùm vel stamus, vel alterutri lateri incumbimus. Et hoc est τὸ δίκαιον σχῆμα ἢ μέσον, *figura iusta & media*, quæ dolorem non infert, 1. Art. 49. 2. Fract. 3. 4. Fract. 19. 3. off. med. 19. 20. 27. de quâ Gal. videsis 1. Mot. musc. 10. & iterum l. 2. c. 1. Vbi noto, quæ 12. Vs. p. 13. de *fornice* dicuntur, pertinere ad bruta pleraque. Quod ad hanc, si cum suis processibus, vti par est, consideres vertebras, iure voces illas ἀκανθώδεις, spinosos licèt iam dictum sit, medium tantùm & rectum processum, ἄκανθαν dici. Vnde elucet, quæ sit *superficies* illarum.

§. 4. *Processuum* rationem, quia intricata est, oportet ita habere. *Trium* sunt generum. *Vnicus* est ille, qui ἄκαντα dicitur, vnde toti esse nomen dixi: *duo* sunt transuersi: *quatuor* obliqui, quorum duo descendunt, duo ascendunt. Hi ad αὐτοψίαν pertinent.

§. 5. *Appendicum* etiam intricatior est, vel ideò, quia Anatomici non satis fideles sunt. Sunt *duûm* generum: *Aut* enim interiacent ipsas vertebras, multâ cartilagine incrustatæ, vnâ, inquam, parte vertebræ superiori, vnâ inferiore, vt inter singulas duæ sint appendices. *Aut* sunt processuum vel transuersorum, vel rectorum: Obliqui enim nullas habent. Vide Physiolog. nostra, cap. 212.

§. 6. *Cauitatem* constituit ἱερὰ illa σύριγξ, *magna fistula* dicta. His annumerant *foramina*, tam illa per quæ *Nerui* elabuntur, quàm illa per quæ *vena* & *arteria* ingrediuntur.

§. 7. *Vertebræ*

§. 7. *Vertebræ* numero sunt 24.inquit Gal.12.Vs.p.7.extr. & iterum c.12. *Colli* septem : *Dorsi* ferè duodecim : *Lumborum* quinque : *Ossis sacri* ferè sex. His si iungas *Ossis coccygis* partes modò tres, modò quatuor, intelliges, Galenum neutrum os hoc numerâsse. De his in vniuersum dicere oportet, superiores esse minores inferioribus, adeóque semper in descendendo fieri ampliores, licèt ipsa medulla inclusa aliter se habeat.

§. 8. *Iunguntur* hæ vertebræ multâ *Cartilagine*, vt dixi, appendicibus prioribus, propriâ adeò, vt Fall. voluerit illas, non osseas esse, sed cartilagineas. Ex his ipsis *Ligamenta* oriuntur validissima, quæ χονδροσυνδέσμους iure voces. Sunt tamen præter hæc *Membranea* etiam, præcipuè in duabus superioribus colli, quibus caput continetur. *Eædem duæ* vertebræ propria habent duo alia. *Prima* illarum caret spinâ. *Altera appendicem* in recens natis, quæ in adultis fit *processus*, quem ὀδόντα, *dentem* vocat Hipp.2.Epid. Hinc nostri ὀδοντοειδῆ vocant κωνοειδῆ, καὶ πυρηνοειδῆ, *Pentiformem*, seu *Coniformem*. Vide Foës.in ὀδόντα.

§. 9. *Vasa* habent vertebræ, in collo quidem à venis *Iugularibus*, & *arteriis soporalibus* : in thorace autem ab ἀζύγῳ præcipuè, vicinisque arteriis, quemadmodum in abdomine ab *Epigastricis* & *Hypogastricis*.

§. 10. *Vsus* est analogus cranio, nisi quod mobiles sunt, quod seruit homini, non ad victum tantùm quærendum, sed & ad pleraque vitæ officia. Sed qualis est *motus*? κυκλώδης, *circularis*, qui fit singulis vertebris parùm motis. Quamprimùm autem fit γωνιώδης, *angularis*, aut *luxatio* fit, aut *subluxatio*, pro maiori aut minori inclinatione. Vide Hipp.3.Art.46.& 48. Gal.12. Vs.p.12.& ibi Com. nostra. Huius motus ratio intelligitur ex eo, quod fabri lignarij moliuntur, si quando asserculum siccum curuare volunt. Aut enim incidunt per interualla longiuscula, vsque ad meditullium, & fit circulus, sed interceptus angulis quibusdam acutis: aut serrâ penetrant ad idem meditullium, breuioribus interuallis, & fit circulus verus. Quæ ratio articulationis? Mihi sufficit Hipp. autoritas 3. Art.34. γίγγλυμον esse. Vide in Physiolog.cap.219.

§. 11. Vbi notandum est, valere hunc finem vsque ad *os sacrum:* Hoc enim immobile esse præstiterat, quia inarticulatur ei *os femoris*. Proportione enim respondet *scapulis* in brachio. Præter hunc vsum, *peluis*, quam constituunt ossa adhærentia, etiam alios habet vsus. In vtroque enim sexu tuetur intestina : in fœminis suo tempore fœtum. Sed quid *os coccygis* facit? Nihil. Est caudæ in non caudatis nota tantùm. Vnde etiam ὀρροπύγιον dicitur.



CAPVT LXIX.

De Meningibus spinalis medullæ.

§. I. ITA loquor, ex l. de Anat. ven.9.13. Vs. p.8.1. Loc. aff.7.L. Non enim prorsus se res habet de membranis his, (Hipp. vocat ἔλυτρα, *integumenta*, 3. Art. 33.) vt illi dicunt, *Duas* quidem esse, perinde ac in cerebro sunt, meningas: sed addi illis *tertiam*, ortam à valido ligamento, vti loquuntur, quod anteriores vertebrarum partes liget. Quin ita habet: Quemadmodum dura mater non tantùm vestit, sed & per suturas egressa suspendit cerebrum quasi clauo quodam: ita eadem non solùm comitatur medullam spinalem, sed & per commissuras appendicum, quæ vertebras intercedunt, elapsa, connectit medullam hanc cum vertebris, non minùs fortibus ligamentis, quàm cerebrum cum cranio. Imò tantò fortior est connexio hîc, quò plures sunt apprehensiones hîc quàm ibi. Loco enim paucarum suturarum in capite, inter singulas vertebras duæ sunt appendices, valdè sibi vicinæ, è quibus egreditur dura mater. Fortassis ad robur etiam facit, quod (ceu dictum est) χονδροσύνδεσμος potiùs est.



CAPVT LXX.

De Medulla Spinali.

§. I. MYΕΛΟΣ ῥαχίτης, & apud Arist. est, 2. Part. 6. & 7. & apud Gal. pluribus locis; ideò hæc sola denominatio placet, reiectis particularibus, δζαυχένιος, νωτιαῖος, ψοίτης. Non reiicio tamen τὸ νωτιαῖος Gal. siquidem pro toto accipit. Erotianus est autor, & ex eo Hesychius, Varinúsque, τὸ αἰῶνα dici ab Hipp. hanc partem. Et affert quidem loca Foësius. Ego verò considerandum propono, annon 4. Art. vlt. ita quoque accipiatur? Certè illa *per omnem vitam*, vt Cornar. habet, sequitúrque illum Foësius, non videntur locum habere posse. Tu verò etiam *Medullam* increpas? Reuerà non est magis medulla quàm cerebrum: sed quia omnes ita loquuntur, sinere oportet.

§. 2. De *origine* eius ita habere oportet. Et *Cerebrum* promit de se duos

duos ramos, & *Cerebellum* duos, *illos* quidem maiores, hos autem minores, qui coalescentes in vnum, faciunt corpus hoc, de quo agimus. Hinc facilè est iudicium de substantia ipsius. Quemamodum enim cerebrum semper intelligitur cum suis meningibus vasisqu, eita hæc quoque medulla. interim hoc scitu dignum est, esse hanc longè solidiorem matre sua, Cerebro.

§. 3. Vulgò creditur in descensu semper magis, magísque attenuari: sed non est ita. Nam vbi maximos emittere neruos debebat, ídque duobus locis, cùm in brachia & crura distribuit: ibi etiam crassissima est.

§. 4. *Quæritur*, an duplex sit, fiátque eius duplicitatis ratione *paralysis* dextra & sinistra? Est omninò. Si enim leuiusculè coquatur, apparet res. Vnde coniicere licet, diuisuram illam summam, qua calamo scriptorio similis est, vt quidem ex Herophilo tradit Gal. 9. Exerc. Anat. vltimis verbis, ad sensum quidem perire, non reuerà. Quare dicere fortè oportet, Neruos dextros esse à dextra parte huius medullæ, sinistros à sinistra. Ita ego loquor: Cæsalp. enim inuertit, ex dextra sinistros petens, ex sinistra dextros. Quæritur etiam an pulset dura mater huc perlata? Credo equidem.

§. 5. De ratione *nutritionis* interrogati nostri, respondent, *Venas* & *arterias*, in substantiam vertebrarum ingressas, pergere denique in medullam ipsam. Quibus ego dico, cum vasa illa proculdubio sint insignia, non posse effugere sensum. Atqui nemo hactenus ostendere au us est. Propterea maneo in sententia alibi dicta, Vehere secum alimentum ex cerebro.

§. 6. In *vsu* hoc sciendum est, Rectè quidem *alterum cerebrum* dici, sed vsum ipsius restrictum esse. Seruit enim sensui & motui tantùm. Quo ipso refuto deliramentum vetus de neruorum distinctione in *duros* & *molles*, quorum hi sensui famulentur, illi motui. Cùm enim, ex data hypothesi, omnes hi nerui sint duri, quî possint afferre ad sensum.



CAPVT LXXI.

De Neruis inde ortis.

§. 1. INtelligere hìc oportet ortum, qualis de *Cerebro* dictus est, ex toto (inquam) hoc, quod constat ex duabus membranis, substantia cerebri, & vasis. De hoc ortu loquens Gal. 1. Loc. aff. 6. L. *Nerui*, inquit, *protenus ab initio multi sunt, simul concreti, & communibus inuolucris contenti, qui à cerebri meningibus oriuntur.* Ex his falsi arguitur Rondeletius, qui cap. de Paralysi, sibi tribuit hanc obseruationem.

§. 2. Hunc *ortum* esse verum, naturæque consentaneum, docebit te Coiter in Obs.Chir.& Anat. Eustach.in ex.ossium, Cæsalp.5.perip. quæst.3.Accoramb. Notis in Hist.Arist. Hos ego nunc testes produco ideò, vt obtineam, Fibras illas, ex quibus neruos confici dicunt illi, esse vasa illa, quæ ex corde sursum ierunt ad cerebrum, in quibus sanguis vnà cum spiritu suo it.

§. 3. Licèt ergò nerui, hoc modo ex medulla spinali orti, penè innumeri sint: censentur tamen ab Anatomicis numero *foraminum*, quibus excidunt. Horum ab vno latere 30.sunt, & fiunt vel coniugationes 30.vel nerui 60. Et hic calculus hoc tempore satis mihi est: qui singulorum historias velit, petat ex Anatomicis.

§. 4. De horum *nutritione* statuo nunc quoque, quod olim Com. in 10.vs.p.2.Nutriri scil. sanguine illo, quem è cerebro vehunt, non autem partium illarum, in quas distribuuntur. Nam neque in spinâ vasa vlla penetrant vertebrarum ossa, & duræ matri infiguntur: neque in brachio v.g.vbi nerui sunt magni, in ipsam neruorum substantiam sese insinuant. Necessarium hoc esse, quiuis videt.



CAPVT LXXII.

De Musculis Spinalibus.

§. 1. QVanta sit in his difficultas, monui post Fallop. Arantium, Bauh.alios, in Physiol. c.223. Optauerim autem coniungi musculos colli, dorsi, & lumbrorum: quia omnium horum vna est actio, motus spinæ.

ABERRATIONES.

§. 2. Leuiculum est, sed iucundum. Fuchs. l.1. sect.5. c.3.ait, *spondylos* esse dictos à verticillis illis, quibus mulieres fusos suos grauant. Ego contrà puto, à spondylis nomen habere *verticillos*. Ab iisdem spondylis nomen habere etiam. *Spondylium* herbam apud Diosc.l.3.c.81. autor est Marc.Virg.in Com. Sed quâ ratione? *Ob teretem figuram*, ait, *caulis* puto, *qui ipse cauus est*. Hac ratione (inquam ego) multa forent *Spondylia*. An caulis in Gratia tam crassus erat, & grauis, vt fœminæ vterentur particula eius pro verticillis? Parum enim probabilis mihi est Penæ opinio,

opinio, quam tamen amplexatur Bauh. in pinace, à *Spondyle*, insecto fœtido, dictam esse hanc herbam. Grauis quidem est odor *Brancæ vrsinæ* nostræ, si illa omninò est Spondylium: sed vt fœtere dici non possit.


§. 3. Inuenio (vt hoc quoque addam νωγάλευμα) medullam quidem ipsam dici σπονδυλίονα: totam autem compagem γύλω, τὸν. Hoc ita accipio. Quo sensu tota spina cum carinâ nauis comparatur: eodem cum γύης, cùm *pars aratri* est. Sed quæ est illa? τὸ γονάτων τοῦ ἀρότρου, quod explicant de ligno, cui vomer inducitur, & *Dentale* vocatur nostris. Ego amplio vel ideò, quia lexicographi & Scholiastæ non consentiunt inter se, vt videre est apud H. Stephanum, qui vota colligit. An ex prouerbio, quod apud Suidam est, ὁ γύεις αὐτῷ οὐκ ἔνεστι, quod Erasmus explicat *Dentale illi non inest*, veniri potest ad verum sensum, qui sit, *stiuam* esse? Absque hac enim aratrum inutile est. Quasi dicere voluerit prouerbij autor, inutilem esse hominem illum, qui regi se non patiatur, cùm ipse regere se non possit. Sed tempus iubet nos ire ad particularia sensoria.



CAPVT LXXIII.

De oculis.

§. 1. Ἀπὸ τοῦ ὄπτω, aut potiùs passiuo eius ὄπτωμαι, *videor, in oculos incurro*, est τὸ ὄμμα: à secundâ persona, ὤψ & ὄψις: à tertiâ, quatenus inde fit a.a. ὤφθλω, ὀφθαλμὸς. Vbi statim monendum est illud, Oculum ab Anatomicis non accipi vt vulgus accipit: sed pro omnibus partibus, quæ quoquo modo ad visionem faciunt. Hoc sensu, quemadmodum suprà diuisimus partes explicandas in *Continentes* & *Contentas*: ita hîc diuidemus in *Circumstantes* & *Constituentes*. *Illæ* sunt, 1. Frons cum superciliis. 2. Maxillæ superioris os primum, quatenus τὸ μῆλον, *malum* dictum huc facit. 3. scapula nasi. 4. Palpebræ cum Ciliis & Tarso. 5. Ossa illa, quæ orbitam oculi implent, cum periosteis suis. 6. Glandulæ. 7. Caruncula ἐγκανθὶς dicta. 8. Puncta lacrymalia, antiquis etiam cognita. *Hæ* sunt, 1. Humores 2. Tunicæ 3. Musculi, quorum vni seruit Trochlea. 4. Vasa.



CAPVT LXXIV.

De fronte & superciliis.

§. I. F*Rontem & Faciem* ſolus habet homo, 1.Hiſt.8. De facie dicetur infrà: de frontis nominibus dictum fuit ſuprà, & iam addendum eſt hoc, Cutim eius (ita voco, quod ex cutila, cute, & membrana carnoſa conſtat) qui προμετωπίδα, ἢ προμετωπίδιον vocant, falluntur immaniter. *Ornamentum frontale* eſſe, præſertim equorum, arguit τὸ πρὸ. Hæc quia mobilis, quæſtio exſiſtit, ſitne motus à muſculis peculiaribus, an potiùs à membrana carnoſa, pluribus fibris aucta? Ego, qui ſcio, Naturam neque περίεργον eſſe, neque ἀνάπηρον, ſtatuo ſolam eſſe membranam carnoſam, quamuis auctiorem. Hoc fit vtrinque, à dextris & ſiniſtris, (non autem in medio) vt credantur duo eſſe muſculi. Sed quales ſunt fibræ? Non *rectæ*, vt Veſal.vult: ſed *obliquæ*. Hoc diligenter inculcare nobis Dn. ab Aquapendente memini, propter inciſiones, ſi quas hîc fieri neceſſe ſit. Ne igitur motus frontis pereat, (docebat ille) culter eſt ducendus, in dextra quidem parte à dextro ad ſiniſtrum: in ſiniſtra autem contrà. Hoc tantò diligentiùs conſiderandum eſt, quò malum eſt depreſſius, versùs, inquam, ſupercilia. Inferior enim hæc pars ſenſibiliter mobilis eſt, cùm ſuperior vix mobilis ſit, imò apud quoſdam immobilis.

§. 2. *Frontis* partes ſunt *ſupercilia*. Nam Rufus vocat *hirſutas frontis extremitates*. Dicuntur Latinis ita, quod ſint ſuprà illos palpebrarum pilos, qui *Cilia* dicuntur. Græcis eodem ſenſu ἐπισκύνια vocantur, quòd ſint ſuprà τὰ σκύνα, quæ ſunt ipſa *Cilia*. At *ſupercilia* dici σκύνα non credo. Imperiti Sellenismi cogitant hîc de *Tentoriis*, σκηνὴν præ oculis habentes. Generale vocabulum eſt ὀφρὺς. Hinc μεσόφρυον, eſt *Glabella*, vel *Glabellum* Latinorum, pars illa ſupra naſum pilis vacua. At in quibus continuantur pili, ij συνόφρυες, ἢ μιξόφρυες appellantur. Ab vſu, quem habent apud Ariſt.quoque.2.Part.5.vt & Cic.2.Nat.deorum, γεῖσα ἢ γεῖσσα, (inuenitur & γεῖσοι ἢ γεῖσσοι) γεισώματα ἢ γεισοποδίσματα dicuntur, *Suggrundia*, ſeu *Imbricamenta*. Stupidi quidam hîc interloquuntur: vnde eſt motus illorum? Niſi ſufficit tibi membrana carnoſa, non habeo quod dicam. Nondum tamen res confecta eſt: *Membrana* enim illa mouet deorſum tantùm: vnde ergo motus ſurſum eſt? Dictus D. ab Aquap. oſtendit in eam rem muſculum peculiarem, quem *Orbicularem* vocat, aut *Anularem*, de quo videre tibi licet, vel ipſum l.de viſione, fol.21.& 153. vel Bauh.Theat.trib.locis.

§. 3. Hîc opus eſt duplici commonefactione. Harum *altera* eſt de cute,

cute, quæ sub pilis tantùm-non cartilaginosa est, ídque propterea, vt pili ipsi fortiùs radicentur. *Altera* de pilis, quæ iterum duplex est. Habent *duo* peculiaria, *partim*, quòd *congeniti* sunt, manéntque in eadem ferè longitudine per totam vitam, nec tonsura opus habent, nisi in paucis quibusdam: *partim*, quòd non rectà, sed obliquè infiguntur.

§. 4. *Venæ* vtriusque partis sunt à *Iugularis externæ* ramo exteriore: *arteriæ à soporalis* itidem ramo exteriore. *Nerui* à secunda ceruicis vertebra secunda, qui reflexi sursum eunt.

§. 5. *Vsus* frontis est φρȣρᾶς ἕνεκα, *custodiæ gratia*, tu puta, oculorum. Est enim structa ex osse non validissimo tantùm, sed & manifestè duplici. Qua de re superaddam iis, quæ suprà dixi, hanc historiam. Ictus erat iuuenis rusticus super oculum dextrum, cum manifesta apertura cranij. Clamabat imperitus Chirurgus, *Es vvär hirnvvundt.* Adhibitus ego à magistratu cum altero chirurgo, deprehendimus interiorem tabulam saluam esse. Et fuit rectè curatus, sine grauioribus symptomatis. Fuit quidem tota ferè frons depilis, ne densa sylua faceret vmbram, 11. vs. part. 14. & 15. adfuere verò pauci illi superciliorum, vt defluentes à capite humores arceant, Galen. l. c. & Cic. 2. Nat. deor.



CAPVT LXXV.

De malo dicto, & scapula nasi.

§. 1. HAON, *Malum*, κύκλ☉ προσώπȣ, *globus & orbis faciei*, ex aduerso frontis poni debet, quia eundem cum fronte vsum habet, 10. vs. p. 6. 11. vs. p. 14. Est autem *malum* hoc pars ossis primi maxillæ superioris, apud omnes Anatomicos. Huíc superstrata cutis mouetúrne? Gal. dicit. Sed quibus musculis? dicunt alij. Si non sufficit *Membrana carnosa*, dico fieri motum sursum quidem à musculis vicinis palpebrarum: deorsum autem ab illo, qui πλάτυσμα μυῶδες dicetur non ita multo pòst ex Gal.

§. 2. *Malo* subiungi debet *summitas nasi*, fronti contigua. Huius enim vsus secundarius est, concurrere ad constitutionem thalami illius in quo oculus latet.



CAPVT LXXVI.

De Palpebris, Ciliis & Tarso.

§. I. BΛΕΦΑΡΑ Græcis, *Palpebræ* ſunt nobis: βλεφαρίδες, *pili iis infixi*, *Cilia* pridem dicta. Et hæc eſt diſtinctio à Medicis & Phyſicis recepta: atqui *Palpebras* ad *Cilia* adſtringunt, vocantes *Genas*, quod nos *Palpebras*, fruſtrà moleſti ſunt nobis. Interim aliis alia licent. Vide mox cap. 91. *Palpebræ* ab vſu vocantur etiam ὀμματόφυλλα, καλύμματα, χάρακες, τείχη, *Oculorum custodes*, *opertoria*, *valla*, *muri*. Etiam ἔλυτρα (non ἔλυστρα) *Velamenta*.

§. 2. *Duæ* numero cùm ſint, (κύκλα ὀφθαλμῶν Hipp.) facit vtraque in extima cute cauitatem, quarum quæ ad ſuperiorem palpebram eſt, κοῖλον dicitur, κόγχη ἢ κόγχος, *Cauitas* ſimpliciter, *Concha*: quæ ad inferiorem, ἐπίκοιλον, ἢ ἐπικοίλιον, ὑποφθάλμιον, ὑπώπιον, quas voces Latinè efferre non auſim. Vtraque in magnis corporis atque animi alterationibus, præcipuè in cachexia, intumeſcere ſolet. In morbo Gallico liueſcit quidem vtraque: ſed priuatim inferior ducit lineam quandam lucidam. Tumor ille κοιλοιδία ἢ κοιλοίδημα vocatur. *Sugillata*, ſeu *Sugillationes* in ſpecie, ὑπώπια, (non ὑπώπυα) & actus ipſe ὑπωπιασμὸς.

§. 3. Fines vtriuſque κανθοὶ ſunt, *anguli*, quorum internus, qui ad naſum, *Maior* dicitur: externus, qui ad tempora, *Minor*. Ille quibuſdam etiam ἐγκανθὶς appellatur? ῥαντὴς, πηγὴ, malè, vt mox dicam.

§. 4. De *Muſculis palpebrarum* magnæ ſunt ambiguitates, hîc non explicandæ. Vide Phyſiolog. noſtra, cap. 236.

§. 5. *Cilia*, vt & *ſupercilia*, ſunt inter pilos congenitos, quos quidam renaſci negant. Credo de ſenioribus, præſertim Gallicis. A variolis in tenera ætate deſtructos, vidi renatos non ſemel.

§. 6. Ταρσὸς, *tarſus* nobis quoque, eſt *cartilago* illa lunata, quæ extremitati vtriuſque palpebræ innectitur, vt *Cilia* non diſſimile habeant fundamentum ab eo, quod *ſupercilia* habent, 10. vſ. p. 6.

§. 7. *Venæ* & *Arteriæ* hîc ſunt propagines vaſorum frontis. Verùm *nerui* non ſunt à ſecunda ceruicis vertebra, ſed à ſecundo cerebri pari, quod oculos mouet.

§. 8. *Vſus* palpebrarum non eſt ille tantùm, quem nomina allata præ ſe ferunt: ſed & alij. Horum *vnus* eſt, vt oculi per ſomnum ſe recreare poſſint. Quibus enim id denegatur, vt M. Attilio Regulo apud Liuium, ſunt in vitæ periculo. Multò maior eſt per vigilias, quem præſtat nobis τὸ σκαρδαμύττειν Græcis dictum, *Nictare*. Propter hunc

vſum

vſum quia bruta habent peculiarem machinam, *Cartilaginem* ſcil. obrotundam, muſculi inſtar mobilem: diſcere cupiam, quæ maior fuerit neceſſitas huius rei in brutis, quàm in nobis? Nictamus autem, ne oculus intuendo nimis defatigetur, 5.in 6. Epid.2. quod σύμφυτον ἴαμα, *congenitam medicinam* vocat Gal.10. vſ.p.3. Nictamus etiam, vt abſtergamus *ſordes corneæ*. Tandem conferunt palpebræ ad exactiorem viſum. Claudimus enim illas tum, cùm tale quid volumus. Propter hanc cauſam in animalibus quibuſdam, vt in felibus, extremitas foraminis, quod in vuea eſt, vt dicetur, mobilis eſt. Qui in nobis quoque mobilem eſſe pertendunt, confundunt id quod à cauſa externa, ſole fit, cum eo quod cauſam internam habet. Quid *cilia* huc faciant, videre eſt 10.vſ.p.7.



CAPVT LXXVII.

De oſsibus orbitam oculi conſtituentibus, cum innexis membranis.

§. 1. QVÆ hactenus dicta ſunt, defenſant oculum ab *extrinſecùs* tantùm occurrentibus: debent igitur adeſſe, quæ ſubſtantiam tam mollem *intrinſecùs* etiam cuſtodient.

§. 2. In hoc ordine primùm ſunt oſſa, & ea quidem multiplicia, varia occaſione à prudentiſſima Natura ad vſum hunc ſecundarium tracta. Sunt enim quædam capitis, quædam frontis, quædam oſſis ſphenoidis, quædam maxillæ ſuperioris, & inter hæc naſi.

§. 3. In *altero ordine* ſunt *membranæ*, immediatè quidem à pericranio huc deductæ: mediatè autem à dura matre ortæ. Harum *vna* inſignior totam orbitam inungit, è ſuturis dictorum oſſium egreſſa. *Alteram* diligenter deſcribit Gal.10.vſ.p.7. dicendo, duplicem eſſe, quæque in complexu ſuo habeat *humorem* quendam vnctuoſum, quo nimiùm aucto, fiant, ὑδατίδες dictæ. *Illius* vſus is eſt, qui omniuum perioſteorum: *huius*, alligare oculum cranio.



CAPVT LXXVIII.

De glandulis oculorum, de Caruncula quæ ἐγκανθὶς dicitur, & denique de Punctis lacrymalibus.

§. 1.  *Landulas* complectitur Gal. 11. vs. p. 11. numero binario, & consenserunt illi hactenus Anatomici. Harum *vsus*, qui *Tonsillarum* in faucibus esse dicitur. At quis credat, partem tam humidam opus habere hoc subsidio? Imò, quia natura ob vacuationem excrementi tenuis, pertudit orbitam in nares, vt iam dicetur: quis non videt scopos esse contrarios? Credo igitur imbibere potiùs superfluas humiditates, quas suo tempore ad nares ableget.

§. 2. Pro *glandula* habeo *carunculam* ἐγκανθίδα dictam, quod sita sit ἐν κανθῷ μεγάλῳ, *in angulo maiore*. Quòd glandula sit, iam aliis ante me rotunditas persuasit. Ego verò vrgeo etiam substantiam carneam, ob quam Gal. l. c. vocauit ἢ σῶμα σαρκῶδες, ἢ σαρκίον νευρῶδες, *aut corpus carneum, aut carunculam neruosam*. Huius *vsus* est, apud Galen. eodem loco, prohibere, ne tenue oculorum excrementum aliò deerret, quàm in nares, per foramen iam dictum. Huius rei maximam demonstrationem esse ait idem, quòd ij, quibus hæc caruncula vsu acriorum medicamentorum colliquata fuit, laborant affectu eo, qui ῥοιάς (malè ῥυάς) dicitur, in quo genæ perpetuò madent. Idem accidit illis, quibus in excrescentia ipsius, (αὔξησιν vocant Chirurgi, vti μείωσιν affectum contrarium) ab imperito Chirurgo nimis magna pars adempta fuit.

§. 3. De appellatione hoc moneo obiter. Absurdi quidem nihil esse, etiam morbum huius particulæ dici ἐγκανθίδα: at verò quia inuenio etiam ἐπικανθίδα, eandémque confusam cum ipsis κανθοῖς, putem deberi hanc vocem affectui p.n. At verò qui hunc ipsum affectum ῥαντῆρα, ἢ πηγὴν vocant, egregiè falluntur. Debetur enim appellatio *Punctis lacrymalibus*, quæ ignota fuisse priscis non credo: quin his nominibus cognita, ex Polluce (in ῥαντὴρ) validè contendo. Non falluntur, sed miserè errant, qui παρωπίαν etiam vocant hoc mali. Quin παρώπια, τὰ, *perspicilla* sunt, apud Eusthatium, alios, quæ oculis equorum, mulorúmque prætenduntur, ne à sole & puluere lædantur. Hoc vidi, cùm per Apennium iter facerem. Hæc ἀνθήλια quoque dici reperio apud Hesychium, libentérque Cam. concedo, eundem Pollucem (in παρώπια) hinc corrigi. Dicta enim sunt quasi ἀνθ' ἥλια; *Contra solem defensacula*. Tale quid cùm Natura parasset in plantis, pro defensione scil. floris,

Talia gestabat Capiuaccius, vti pingitur à Iac. Ph. Tomasino, amico meo, in Viris illustr.

floris, ne à Sole amburatur, αἴθήλιον vocasse Diosc. valdè credo. Peruertunt igitur mentem autoris, qui *Flores*, seu *Flosculos* vertunt, quasi αἰθύλια legissent. Ita enim coniectat in Lex. vulg. nescio quis, licèt αἰθύλλιον scribat. Reperio apud Dioscor. l. 3. c. 164. in Androsœmo apud Marc. Virg.

§. 4. *Puncta lacrymalia* primus appellauit Fallop. λεπτὰ illa τρήματα, *tenuia foramina* Gal. in illo 10. vs. p. Horum vsum indicat vox ipsa.



CAPVT LXXIX.

De Humoribus oculorum.

§. 1. HIc statim monendi sunt simpliciores, ne putent pertinere ad *Contenta* Hipp. Imò verò sunt inter *Continentia*, seu *partes solidas*.

§. 2. De consensu omnium, numero *tres* sunt, consistentia ferè inuicem distantes. *Crassissimus* omnium est, & qui non ampliùs diffluit, *Cristallinus* dictus: minùs crassus, & aliquo modo se diffundens, *Vitreus* est: minimè crassus, sed aquæ ritu, cum lentore tamen aliquo diffluens, *Aqueus* est. De singulis seorsim dicendum est.

§. 3. Κρυστάλλος & *Glacies* est, & *Gemma* glaciei ad instar alba, pellucidáque: ab vtro horum dictus hic humor ὑγρὸν κρυστάλλινον, ἢ κρυσταλλοειδὴς? Manifestum est, quod à *glacie*, sed ea tamen nondum in lapideam duritiem concreta. Ex his erudimur, quæ sit & substantia, & color humoris huius. Quod ad *colorem*, Hipp. lib. de Carn. dicitur τὸ διαφανὲς τοῦ ὀφθαλμοῦ, *pars oculi pellicula*. Aristot. 1. Hist 9. 2. Gen. 1. κόρη est, *puppa, pupilla, puella*, ex refractione hominis oculum inspicientis. Ruffo 1. Appel. 23. *Gutta humoris*, Interpreti Auicennæ, *Gutta, Grando, Glacies.* Quod ad *substantiam*, quæritur à quo elemento habeat illam? Nil dubito, ab aëre: Qui quoniam non est verè albus, sed albicat, quo candidior est pupilla, eò peius videt. Talis est in senibus, cùm exhalauit aëris pars tenuior. Hinc Pallas dicitur γλαυκῶπις, *Cœsia*, quasi *Cœlia*, quod perspicacissima videretur, ob colorem oculorum *Cœluleum*, quem *Cœruleum*, euphoniæ gratia, dicimus. Quòd si per *Palladem* mythologicè intelligas *Aerē*, in idē recidit. Hinc intelligitur, quis sit color *Glaucus*. Atqui didiceram alibi, *Crystallinum* esse expertē omnis coloris, vt de omnibus coloribus iudicare possit? Resp. Aër ipse coloratus nō est, sed cū cogitur in se, videtur potiùs cœruleus esse, quàm est. Hinc cœlum sudum est cœruleum. Sed, éstne crystallinus luminosus per se? Non est. Cùm enim lux

coloribus affecta extrinsecùs veniat in oculum, quid opus est luce interiore? Interim perspicuus est, quod docet hoc φαινόμενον. Exemptus oculo, & chartæ scriptæ impositus, non repræsentat tantùm literas, sed & maiores efficit, prorsus vt perspicilla vitrea. Causa est, quia literæ iam incurrunt in oculum per diaphanum crassius, vt Aquapendens me docuit. Et hæc omnia ad substantiam eius pertinent. *Magnitudine* & *figurâ* lupini est in homine. *Vitreo* insidet, quasi pomum in aqua natans. Quæ alia de situ ipsius, de figura, de nutritione agitantur, altioris sunt indaginis.

§. 4. Ὕαλος, ἢ ὕελος, ὁ, vt & ὑάλη, ἢ ὑέλη, *Vitrum* est: Hinc est τὸ ὑγρὸν ὑαλοειδὲς, *humor vitriformis*, seu *vitreus*. Hæc appellatio ostendit substantiam ipsius, fluidam scil. instar vitri fusi, sed nondum gelati. Ostendit etiam colorem, qui albus quidem est, sed Crystallino minùs. Vnde de substantia eius iudicium sumere licet. *Maior* quadruplo crystallino. *Situs* in posteriore oculi parte.

§. 5. Τοῦ ὑδατοειδοῦς ὑγροῦ appellationem non facilè inueneris apud Gal. vocat autem ille obseruatore Fallop. ὑγρὸν λεπτὸν, ἢ ὑγρότητα λεπτὴν, *humorem tenuem*, ὑγρὸν κατὰ τὴν κόρην, *humorem circa pupillam fluitantem*. Nimirum, *Aqueus* simpliciter non est, quia mobilis non est in oculo, instar aquæ, dicebat Aquapendens: est autem οἷον τὸ ἐν τοῖς ὠοῖς λεπτὸν, *quale albumen in ouis crudis*. Hinc Aëtio dicitur ὑγρὸν ὠοειδὲς, *Albumineus*, seu *Albugineus humor*. Hinc patet, quid de *substantia* ipsius dici possit. *Aqua* enim est, sed leuiter densata, vt digito adhæreat, instar glutinis dilutioris. *Locus* ipsius est vniuersum id spatium, quod in anteriori oculi parte facit *Cornea protuberans*, quà de re dicetur. Est tamen permistus spiritus visiuus plurimus, 10. vs.p.5. Proportio eius ad reliquos humores est minima. Solus hic oculo effusus renascitur. Exemplum est apud Gal. 1. caus. sympt. 7. Langium 1. Epist. 7. Columbum l. 10. Arant. Obseru. 20.

§. 6. Corollarij loco moneo, ex Thes. Doctoralibus Rungij, Caussam diuersæ visionis in diuersis humoribus esse, aliam atque aliam proportionem humorum inter se, qua ignorata, necesse est nos ad plura problemata respondere non posse. Sed & plurimùm situm est in modo substantiæ singulorum.



CAPVT LXXX.

De Tunicis.

§. 1. Confusissima est harum doctrina. Vt expediamus non ocyùs statim distinguere *Externas* ab *Internis*. *Externa* sunt duæ,

Coniunctiua,

Coniunctiua, seu *Adnata*, & *Innominata* Columbi. Internarum aliæ *Communes* sunt, aliæ *propriæ*. *Illæ* numero ternario comprehenduntur, Cornea, Vuea, Retina: *hæ* binario, Crystallina, & Vitrea. De omnibus seorsim.

§. 2. Υμὴν, ἢ χιτὼν ἐπιπεφυκὼς, *Tunica adnata*, potiùs *superadnata*, 4. κ.τόπ. 2. 1. Caus. symp. 2. dicitur illa, quæ ambit quidem oculum, (vnde περιόφθαλμος dicitur, l. de Oculis spurio) sed alligat totum cranio, vnde est prior appellatio. Oritur à pericranio, quà illud è superciliis delabitur, & palpebras primùm, deinde regrediens orbitam quidem *interius* inuestit, itaque facit, vt oculus orbitæ suæ firmissimè cohæreat, qua ratione ligamentum potiùs est quàm tunica: *exterius* autem constituit id, quod *Album oculi* vocamus, Hipp. authoritate. Hanc ob causam Rufo vocatur *Alba*, quamuis idem nomen *Corneæ* quoque tribuat, certo argumento, locum esse corruptum. Hæc quamdiu albet, non habet vasa conspicua: illa verò cùm conspicua fuerint, ophthalmiæ futuræ indicium præbent. Interim non ignoro, albedinis in oculo causam à D. ab Aquap. tribui tendinibus musculorum.

§. 3. Ab his ipsis tendinibus *ortum* habet *Innominata* Columbi dicta, quæ tamen Gal. 10. Vs. p. 2. 3. & 8. cognitissima fuit. Apud me περιεργία mera est. Tendines enim sunt, & manent tendines, & tunicam faciunt, nonnisi per accidens, contiguitate suâ.

§. 4. *Internarum communium* ratio hinc pendet. *Cerebrum* apud Gal. nunquam intelligitur sine suis meningibus. Neruus igitur, quia est *Cerebrum* πεπιλημένον (quâ voce vti solet) quemadmodum. Cerebri substantia est triplex: ita nerui quoque. Hoc clarè ostendi potest in neruo Optico, inquit: vt enim è cerebro in oculi orbitam attulit secum triplicem substantiam, ita expenditur iterum in tres tunicas.

§ 5. Harum *prima* & extima est, quæ ex durâ matre ortum habet, & dicitur inde χιτὼν σκληρὸς ἢ σκληρώδης, *Tunica dura*, *Sclerotica* barbarè, *Scilirotica* barbariùs. Hæc ambit quidem totum oculum: sed hoc peculiare habet, quòd anteriore sui parte pellucida est, non secùs ac cornu in laminas explanatum, tam tenues, vt pelluceat. Hinc κερατοειδὴς, *Corniformis*, vsitatiore voce *Cornea* dicitur. Atque hîc Arabes scandalum nobis ponunt, dum ex vnâ tunicâ faciunt duas, quas etiam diuersis nominibus ornant. *Anteriorem* enim partem pellucidam vocant *Corneam*: *Posteriorem* & opacam *Duram*. Habet & hoc peculiare pars anterior, quòd protuberat, vt dixi.


§. 6. *Altera* & *interior*, à piâ matre originem habens, retinet etiam primæuum nomen. Vt enim illa dicebatur χοροειδὴς, *Secundiniformis*: ita hæc quoque. Non ambit hæc totum oculum: sed anteriùs foramen habet, quà Crystallino præiacet, ob quod etiam τετρημένη, *perforata* dicitur. Sed vsitatior est appellatio, quâ ῥαγοειδὴς *vniformis*, seu *Vuea* vocatur. Hîc iterum Arabes turbant, *posteriorem* quidem partem vocantes χοροειδῆ anteriorem autem ῥαγοειδῆ. Vbi duo notanda veniunt.

Alterum,

Alterum, posteriùs tam pertinaciter adhærere corneæ, vt vnguibus auellenda sit: anterius abscedere ab illa satis longè, 10. vs. p. 4. Quamobrem non æquè rotunda est, ac cornea. *Alterum* (quod vehementer miratur Galen. in eodem vs. p. 10.) est *Coloris varietas*. Quà enim à cornea exit, albescit: mox viridi colore suffunditur: posthæc cœrulea est, vnde κυανῆ dicitur: tandem anteriùs tingitur colore nigro multo, qui manus inficit. Hic verò vnde est? Crederem equidem Ill. D. ab Aquap. excrementum esse fuliginosum sanguinis oculum alentis, si color niger solus esset. Vnde enim petemus reliquos? Cæterùm, est ab hac colorum diuersitate diuersitas in exteriori oculo, quæ *Iris* inde appellatur, de qua videre est Arist. 5. Gen. A. nigredine in specie est *Ciliaris* Vesalij, quam iure commentum vocat idem D. ab Aquap. Alij Ligamentum esse volunt. Alij Interstitium vocant.

§. 7. Αμφίβληςρον, *retis genus* illud, quod *Verriculum*, seu *Euerriculum, sagena, nassa* dicitur, nomen dedit tertiæ & intimæ tunicæ, vt dicatur χιτὼν ἀμφιβληςροειδὴς, *Tunica retiformis*, *Retina* barbarè. Voco *tunicam*, more iam tum ante Gal. vsitato, cùm reuerà nihil aliud sit, quàm substantia cerebri, vt est 10. vs. p. 2. 7. sent. Hippoc. 7. Et hæc de Communibus.

§. 8. De *propria* vtraque, *Crystallina* & *Vitrea*, res valdè dubia est, quia sensus deficit. Quod enim alij videre se dicunt, id alij negant se videre. Qui vident, rationem originis dant, quòd sint explantationes vel *Vueæ*, vel *Retiformis*. Qui huius rei necessitatem eleuant, ex Ruffo dicunt, esse membranosas congelationes, quomodo in pulte γραῦς dicta fit. Qui negant, de *Vitrea* quidem dicunt, Quid opus est illa, cùm *retiformis* amplexetur vitreum? De *Crystallinâ* autem, Ne hac quidem opus esse, imò verò impedimento fore speciebus visilibus ingressuris. Quibus illi, Tam *tenuis* est, vt impedire non possit. Hinc adeò *speculum* vocant, ex 10. vs. p. 6. necnon *Idolum* & *simulacrum visionis*. Ob eandem tenuitatem, ἀραχνοειδῆ, *Araneiformem*, seu *Araneam* appellitant, ex eodem Galen. loco. Ex Ruffo à forma nominant vel φακοειδῆ, *lentiformem*, vel δισκοειδῆ, *disciformem*. N. L.



CAPVT LXXXI.

De Musculis, & Trochlea.

§. 1. CONsentiunt Anatomicorum præstantissimi in numerum *senarium*, quorum quatuor sint recti, duo obliqui. *Recti* oriuntur ab vno ferè principio, quod est *Os sphenoides*, eo loci vbi neruus ingreditur, quem etiam amplectuntur medium. Hinc recta linea progressi

gressi, antrorsum, desinunt in *Corneæ* regione illa, qua fit pellucida, tendinibus inter se ita complicatis, vt *tunica peculiaris* videatur. Concurrunt verò obliquorum etiam tendines, & fit *Innominata* Columbi, ceu dixi. Hi mouent oculum quatuor motibus rectis, sursum, deorsum, introrsum, extrorsum, siue dextrorsum & sinistrorsum.

§. 2. *Obliquorum alter*, seu *quintus*, oritur non procul angulo minore, in exteriore oculi orbita, ex futura illa, quæ apud Vesal. iungit primum & quartum os maxillæ superioris, & obliquè procedens versùs angulum maiorem, obliquè implantatatur *Corneæ*. *Alter* seu *sextus*, originem sumit non procul quatuor rectis, interiore & superiore orbitæ parte, ductuque non omninò obliquo ad angulum minorem profectus, inuenit ibi *Cartilaginem* perforatam, orbitæ appensam, quam primus ostendit Fallop. vocauitque *Trochleam*, & musculum ipsum *Trochleatorem*. Hi duo musculi, ad differentiam quatuor rectorum, *Circum agentes* seu *Circulatorij* nuncupantur. Præbent enim obtutum obliquum.

§. 3. Quo loco moneo τοὺς φιλαλήθεις, Nec Gal. credant, 10. Vs. p. 8. 4. Loc. aff. 2. Anat. musc. 5. nec Vesalio, Fuchsióve, præter *sex* dictos adesse *septimum* quoque. Re enim vera in brutis tantùm est, in quibus etiam vsum habet, cùm in nobis non habeat. Si quis velit, possit cum Fallop. pro septimo habere *Cartilaginem illam*, qua bruta dixi σκαρδαμύττειν, *nictare*. Quidam *octauum* vocant.



CAPVT LXXXII.

De Vasis.

§. 1. DE *Venis* quidem & *Arteriis* (quarum illæ à Iugularibus sunt, hæ à soporalibus) res expedita est, vt & de *Neruo* oculorum *motorio*, qui constituit *secundum par neruorum* cerebralium: sed de *Optico* res implicita est. Erat enim priscis persuasum, & docuit Gal. 16. Vs. p. 3. 7. Sent. Hipp. 4. & 5. Anat. neru. 2. ortum ducere illum ex *anteriori cerebri parte*, quà ventriculi superiores sinuantur q. in cornu quoddam, quique ventriculi tandem desinant in hunc neruum. Reuerà totum hoc nihil est, attestante sensu infallibi, qui ait, Oriri *ex posteriori & inferiori* cerebri parte, profectósque paululùm, super *sella ossis sphenoidis* vniri, mox iterum separari, & per dicti ossis foramen primum elabi in orbitam.

§. 2. Hîc quæritur, An, quemadmodum in auibus videmus, testante id Columbo quoque, ex dextro in ortu neruo fiat sinister *Opticus* in oculo, & ex sinistro dexter? Ego olim credidi negantibus: nunc

 persuasit

persuasit mihi Cæs.2.Quæst.Med.10.& 5.Artis,42.planè id necessarium esse licèt sensus nos destituat.

§. 3. Et hæc est structura oculi verè admirabilis: *vsus* totius quàm notus est omnibus hominibus, tam ignotum est, quid singulæ partes conferant, etiam Naturæ consultissimis. Ego tacere malo, quàm dicere aliquid, quod maiestati ipsius parùm dignum sit.



CAPVT LXXXIII.

De Auribus.

§. 1.  VPLEX hìc quoque ordo partium est, vt in oculis. Verumtamen licèt nobis compendiosioribus esse, quòd Natura ipsa parcior fuerit. Appellabo autem & *Circumstantes* vno nomine *Auriculæ*, vel *Auris externæ*: & *Constituentes* vno *Auris*, aut etiam *Auris internæ*. Totum Græcis οὖς est: ὠτίον ἢ ὠτάριον, non totum quod exstat, sed *lobus*.

§. 2. *Auriculam* constituit, præter *Continentes communes*, Cartilago cum Ligamento ipsius, *Musculi* (in quibus illi sunt) mouentes ipsam, *Glandulæ* circumpositæ, *Vasa*. Aurem facit *Os petrosum* suprà dictum, vnà cum *Cauitatibus* & *Foraminibus*, quæque in illis latent, veteribus parùm cognita, Tympanum, osseus circulus, Chorda, Ossicula tria, Musculi, & Vasa.



CAPVT LXXXIV.

De Auriculâ.

§. 1.  ARTES *communes*, Cuticula, cutis, & membrana carnosa sunt hìc tenuissimæ, vt Cartilago sit leuis & æquabilis. *Illa* antiquitus etiam, vt est apud Arist.1.Hist.11.princ.diuidebatur in partem *superiorem* ἀνώνυμον, & *inferiorem*, λοβόν. In quo loco deformando quàm impiger fuerit Gaza, vide apud Scalig. Apotelesm.81. Consentio viro illustri in duobus, 1. Superiorem partem à posteris Arist.vocatam fuisse πτερύγιον, *Alam*, seu potiùs *Alulam*, nisi diminutiuum idem vult, quod primitiuum. Hanc si explicare voluit Gaza per *Pinnam*,

Pinnam, seu *Pennam*, malè fecit. 2. *Inferiorem* dici non posse *Fibram*, quòd *Fibra* sit à findendo. Interim, si ab antiquo *Fibrum*, quod Varroni *extremum* est, deducere velis, non pugnabo. Retineo *lobum*. Ab eodem Scal. dissentio, cùm Apotel. 153. defensat vulgatam lectionem eorum, quæ cap. 15. extr. leguntur. De leo enim καὶ, & sensus fit planissimus: *At auditum, eiúsque sensorium, aures.* Vt sit appositio Grammatica. Et quis τὸ αἰσθητήριον impunè explicet de *Aëre interno*? Quas alias appellationes particularum cartilaginis huius commenti sunt posteriores, videat qui vult, apud Bauh. de Part ext. cap. 8. Harum loco appono hanc paropsida. Habet auricula (nam ita quoque *lobus* appellatur) foraminulum quoddam, quo Natura ipsa velle videtur, stalagmia seu inaures huc pertinere. Hoc Casserio, quem Placentinum vocabamus, debeo. Hac occasione detegam errorem illorum, qui τέττιγα, *cicadam* ab Atheniensibus vocatam fuisse hanc partem volunt. τεττιγοφόροι enim illi, vt indicarent αὐτόχθονας se esse, implicabant aureas suas cicadas, non auriculæ, sed cincinnis capillorum, circum aures fluitantium. Et hoc totum κρώβυλος in viris est, κόρυμβος in fæminis, σκόρπιος in pueris. Tu hinc æstima luxuriam gentis!

§. 2. De *substantiâ* solicitus non est, qui vnquam cartilaginem vidit. De *Conformatione* quærit, qui oculis vti non potest, aut etiam sensu tactûs destituitur. *Ligamento* valido annectitur ossi suo. *Venas* habet tota auricula à Iugularibus tam externis, quàm internis. *Arterias* pariter ab vtraque diuisione. *Neruos*, vt plurimùm habet à secundâ ceruicis vertebrâ, 16. Vs. p. 6. aliquando etiam à quintæ coniugationis cerebri ramo illo, qui per *Aquæductum* elabitur, vt dicetur.

§. 3. *Vsus* non potest esse magni momenti, siquidem verum est, vti est, non omnia animalia auriculas habere, 2. Part. 15. 1. Hist. 11. Quare dicendum est, non facere ad auditum simpliciter, sed ad *auditum perfectiorem*, 11. Vs. p. 12. perfectio consistit in eo, quod Arantius Obs. 10. scribit, narrâsse sibi eos, quibus casu abscissa fuerat vna, se audire quidem, sed non satis distinctè: quin semper videri sibi audire strepitum aquæ fluentis, aut etiam cicadam. Causa est, quam Gal. tradit l. c. Non fit satis fortis allisio aëris percussi. Hinc surdastri cauam manum opponunt auriculæ. Hoc Adrianum Imp. fecisse, ait Gal. l. c. Hoc fecisse memini Præceptorem, & posteà collegam amantissimum, M. GEORGIVM QVECCIVM, &c. p. m.



CAPVT LXXXV.

De Musculis auriculæ, & glandulis vicinis.

§. 1. DE musculis pauciores esse possumus, quia nec ipsi in omnibus hominibus sunt. Gal. non nisi obscurā habuit illorum notitiam, vt colligere est ex 7. Sentent. Hipp. 8. de vs. p. l. c. Vix meliorem inter nostros habuere Vesalius & Columbus. Perfectam habuit primùm Fallop. 2. Obser. 2. postea Casserius πενταεθνεῖς l. 4. c. 4. Bauh. 3. Theat. 46. quod indicasse sufficiat.

§. 2. Sub auricula, qua parte maxilla inferior inarticulatur superiori, *glandulæ* sunt aliquammultæ, quæ à loco παρωτίδες dicuntur, quamuis eadem vox tribuatur etiam inflammationibus illarum, qua de re Foës. videsis. Harum *vsus* quidem est, humectare locum articulationis dictæ: *abusus* autem excipere è cerebro depulsa excrementa; quam ob causam *Emunctoria cerebri* vocantur. His iam accenseo *glandulas* illas, quæ in vniuerso illo spatio sunt, quod maxilla inferior occupat, vsque ad mentum. Hæ quia in porcis & frequentiores, & maiores sunt, crebróque inflammantur, *scrofulæ* dicuntur.

§. 3. Et musculi & glandulæ *neruos* quidem habent ab illo, quem per *Aquaductum* elabi dixi: *venas* autem & *arterias* ab illis, quas ad ipsam auriculam itare dixi.



CAPVT LXXXVI.

De Osse petroso, cauitatibus ipsius, & quæ in illis continentur.

§. 1. MEntio quidem facta est huius ossis suprà, quatenus pars est *Ossium temporum*: hîc autem exactè describendum venit. Quo locutionis genere subitò damno eos, qui id ipsum *Os temporum* appellitant. Est enim pars illius, & adeò quidem differens à toto, vt cœci sit non distinguere.

§. 2. *Substantiam* ipsius declarat ipsa indicatura. Est enim ὅμοιον λίθῳ, *simile lapidi* seu petræ, qualis ferè dentium quoque est. Interim soliditas illa est superficialis tantùm, cùm interior constructio tota sit cauernosa, & fodinæ adinstar cuniculosa. Hoc Arist. innuit, cùm ait 1. Hist. 11. εἴσω

τὸν

τὴν φύσιν ἔχειν, οἷ οἱ στρόμβοι, *quod verto, Interior conformatio est, qualis cochlearum seu buccinorum.* Quo loco animaduertere oportet, στρόμβον hîc tantùm κοχλίον esse, non autem simul *Turbinem.* Turbo enim cauus solùm est, non autem cochleæ modo tortus. Et tantùm sciuit Arist. de hoc osse: Gal. ne hoc ipsum quidem. Qui enim scribit 6. Meth. vlt. verbis, *Meatum auditorium pertinere ad cerebrum vsque*, ne *Cochleam* quidem nostram nouit, nedum alias nôrit cauitates. Imò, si *Cochleam* nouisset, rationem reddere potuisset, Cur auris interior affecta tam valida toleret medicamenta? Habet etiã 9. vs. p. 10. Anat. neru. 6.

§. 3. Quod ad *conformationem*, *Figura* quidem ossis huius teres potiùs est, quàm rotunda, in acumen desinens, pyramidis instar. *Acumen* est in cranio, quod ipsum læue & æquale est: *basis* extrà est, & ea quidem aspera, ob auriculæ insertionem.

§. 4. *Cauitates* duûm sunt generum, quarum alias *Foramina* vocabo, & primo loco numerabo: alias *Cauitates* in specie, & secũdo loco habebo.

§. 5. *Foramina* (quæ quidem huc pertinent) sunt duplicia, tria foris, duo intùs. *Forinsecorum* primum est id, quod πόρον ἀκουστικὸν, *Meatum auditorium* vocamus omnes, & primo loco censemus. Quæ hunc inuestit *membrana*, dura est & cartilaginosa, instar scil. auriculæ, cùm qua continuatur. *Tortuosus* est, & desinit quà *Tympanum* dictum illi prætenditur. Reliquorum duorum ratio vt intelligatur, de *Neruo auditorio* hoc præhabendum est. Cùm reuerà duplex sit, *Altera* quidem & maior pars absumitur in *Cauitates: altera* autem & minor, *Aquaductum* dicendum ingressa, vtplurimùm diuiditur in duos ramos, qui per duo illa foramina, de quibus loquimur, elabuntur. Horum *alterum* est propè principium ossis sphenoïdis, & seruit simul intromittendæ arteriæ. *Alterum* est inter *processum mammillarem*, & *appendicem styliformem*, qui simul seruit intromittendæ arteriæ. Cæterùm, *Aquaductus* appellatio recentior est. Vt enim autor est Gal. de Anat. neru. 6. veteres Anatomici vocabant τρῆμα τυφλὸν, *foramen cœcum.* Est autem hîc *Obscurum.* Nam 9. vs. p. 10. causam redditurus, Cur seta porcina immissa non inueniât exitum? ait, Propter viam tortuosam id fieri. Depingit hanc Casser. tab. 1. f. 4. lib. 4. πεντασθ. Sed quæ causa ambagum est? Nulla alia, quàm vt iis cauitatibus ramos det minor hic ramus, quibus maior dare non potuit. *Intrinsecorum* primùm valde insigne est, statim ab initio duplex, pro duplicitate scil. *Nerui auditorij*, de quâ dixi. Huius nerui pars *altera*, os petrosum ingressa, absumitur in *Cochleam* & *Labyrinthum: altera* per *Aquaductum*, duplici ferè fine, egreditur. *Alterum* est, per quod arteria intrò fertur.

§. 6. *Cauitatum* ratio vt expediatur, redire oportet ad *Meatum auditorium.* Huic prætendi dixi *Tympanum*, de quo mox. Post *Tympanum* subitò est *prima cauitas magna*, quæ *Concha* dicitur, in qua sunt tria auditus *Ossicula*, cum Tympano explicanda. Vocant quidam *Tympanum*, sed malè. In *Conchâ* iterum tres *cauitates minores*

 sunt,

ſunt, quarum vna caret nomine, alteræ duæ *Feneſtellæ* dicuntur. *Innominata* quæ in centro *Conchæ* eſt, & conſtituit *Canalem* illum, qui ex aure in palatum deſcendit, de quo videre tibi eſt pulcerrimè ratiocinantem Euſtachium in ex. oſſium, f. 160. è quo ferè αὐτολεξεὶ deſcribunt Volcherus, de Aud. inſtr. f. 100. Bauh. 3. Theat. 49. *Vſus* eſt, vt per illum vacuentur excrementa aurium, quod non ſemel cum læto ſucceſſu feci. *Feneſtellarum altera* (*oualis* aliàs in ſpecie) *Cochleæ* dicitur, quia in *Cochleam*, cauitatem maiorum alteram, finit. Huius *forma* eſt, quæ dicitur: Conſtat enim tribus gyris ſeu circumuolutionibus, prorſus vt in cochleis. Hæc *cochlea* in infantibus eximi poteſt integra. *Feneſtellarum altera Labyrinthi* appellatur, quia in *Labyrinthum*, cauitatum maiorum tertiam, deſinit. Hic fit à tribus circulis, per ſe, & ſeorſim poſitis, ita vt nullus illorum in alterum aperiatur. Hi in infantibus eximi etiam poſſunt, ſuperiori parte copulati. Si quæras de loco harum duarum cauitatum, dicetur tibi, *Cochleam* quidem eſſe in anteriori oſſis noſtri ſede: *Labyrinthum* autem in poſteriori. Præter has cauitates conſpicuas, & magnas, ſunt aliæ *innumeræ* & paruæ, quæ videntur confracto oſſe petroſo.

§. 7. Iam quæ ſunt illa, quæ in cauitatibus continentur? Aut ſunt in *omnibus* indiſcriminatim: aut ſpeciatim in *Conchâ*.

§. 8. In *omnibus* ſunt, 1. *Membranæ* tenuiſſimæ, inueſtientes illas, quæ nihil aliud ſunt, quàm explantationes vtriuſque *Nerui auditorij*, vt ſic loquar, hoc diſcrimine, quòd *alter*, qui ferè etiam maior eſt, totus abſumitur in *Chocleam* & *Labyrinthum*, ceu dixi: *alter* & minor, poſtquàm *Conchæ*, aliiſque minoribus cauitatibus membranas dedit, duplici ferè fine elabitur. 2. *Aër vernaculus* ſeu congenitus, de quo mirificæ ſunt concertationes. Ego paucis me abſoluo: Quemadmodum viſionis inſtrumentum præcipuum eſt ſpiritus viſorius: ita auditionis auditorius. Et hic eſt aër ille Ariſt. συμφυὴς, *connatus*, ἐγκατῳκοδομημένος, *inædificatus*, *implantatus*, 2. de Animâ, 8. & 83. Nam 5. Gen. 2. vocat πνεῦμα σύμφυτον, *ſpiritum connatum*. Quid opponi ſoleat ſcio: ſed huius loci non eſt.

§. 9. In *Conchâ*, non minùs quàm in aliis omnibus cauitatibus, ſunt duo prædicta corpora: verùm præterea ſeptem alia corpora ſolida, hoc ordine deſcribenda 1. eſt *Tympanum* ipſum, (*Miringa* barbaris) membrana videlicet illa, quæ inſtar *Diaphragmatis*, diſtinguit *Concham* à *Meatu auditorio*. Hoc Hippocratem vocâſſe δέρμα Ariſtotelem modò eodem nomine, modò ὑμένα, modò μήνιγγα, tam facilè concedo, quàm difficulter credo, notum fuiſſe Galeno. De iis autem, qui in probandâ ſententia iſtâ tam prolixè verſantur, dico clarè, Occupatos illos eſſe vehementer in nihil agendo. De *origine* interrogatus, reſpondeo, Eſſe ſobolem nerui auditorij. Huc me perpellit exquiſitiſſimus dolor, qui inflammato illo ſequi ſolet. 2. eſt *Circulus*, *Oſſeus*, qui *Tympano* hîc præſtat, quod *circulus ligneus* pelli inſtratæ Tympano bellico.

lico. Retinent enim in sede sua. Est autem non integer circulus, sed ferè qualis solea ferrea equina. In *infantibus*, mediante cartilagine, adstruitur ossi petroso: in *adultis* ita agglutinatur illi, vt videatur semper fuisse vnum corpus. 3 est *Chorda* Fallopij, quam ita vocauit ille ab idiomatis sui proprietate, quod *Funem* ita vocat. Fateor ingenuè, nescire me quale sit corpus, cui alteri insertum, quo fine. Pro defensione autem variantium scriptorum, dico, aut falsi sunt quidam in re tantillâ: aut verum quidem dixerunt omnes, sed ludit Natura. 4. *Ossiculorum primum Malleus* dicitur, quòd processum habeat longum, manubrij instar, qui processus illigatur *Tympano*, quodammodo in sublimi tenens membranam. 5. *Alterum Incus* vocatur, quæ processus duos breuiculos habet, quorum altero inhæret stapedi. 6. Tertium, in medio perforatum est, latens quasi in antro, in fenestella ouali. Horum *duo priora* articulantur inter se, mediante ligamento per γίγγλυμον: *Incus* cum *stapede*, mediante cartilagine, per συνάρθρωσιν. His, pro complendo numero septenario, addo *Musculos*, quamuis vnus tantum in *Concha* sit, alter extra *Tympanum* in meatu auditorio. Inuentum hi recentiorum sunt, qui digladiantur inter se, sintne reuerà musculi, an non potius ligamenta. De *vsu* etiam valdè obscuri sunt, fatentes interim, non esse in omnibus. Qui volunt, videant apud Bauh. 3. Theat. 46. in vno fasce, quæ singuli scripserunt.

§. 10. Restant *vasa*, de quibus seorsim agendũ est. Quæ *vena Iugularis* per foramen ossis petrosi *externum alterum* ascendere dicta fuit, illa spargit ramos in ipsas *Cauitates* vsque. Quæ item *arteria soporalis* per tertium externum foramen sursum repit, illa in *Aquaductum* plurimos de se spargit ramulos, quorum vnus satis insignis Tympanum ingreditur. *Nerui auditorij* iam crebra facta est mentio. Is constituit quintam coniugationem neruorum cerebralium: Quæ licèt manifestè, duplex sit, tamen, vt loquitur Gal. de Anat. neru. 6. propter Marinum, qui ita disposuit, sinatur esse vna. Hac ratione ductus Vesalius, licèt videret in illa vicinia alium, eumque gracilem neruum: tamen, ne quidquam turbaretur in ordine, accensuit illum quintæ coniugationi. Huius meminisse satis sit, quia ad auditum nihil facit. Ipse *neruus auditorius* oritur non à cerebro, sed à cerebello, & quidem ea parte, quam *Pontem* vocauit Varolius.

§. 11. Hæc quoque structura auris est tantò apud me admirabilior oculi structura, quò maius artificium est ex solido lapide factam domum tam affabrè distinguere in suas cameras, &c. quàm ex lignis & cæmento construere Interim *modus auditionis*, & quid ad illam conferant singulæ machinæ hæ, tam est immersus Naturæ tenebris, vt solidi nihil dici possit.

CAPVT



CAPVT LXXXVII.

De Naribus.

Vide Arist. de sensu 5. Gal. 11. vs. p. 17.

§. 1. HIc ab initio protestor, scire me, *Narium* primum & maximum vsum esse respirationi seruire, propter quam etiam in palatum perforatæ sunt; odorum perceptionem, nonnisi secundarium, quia multa animalia sine naribus odorantur. Tamen quia nares ab Anatomicis vulgò accensentur sensoriis externis, nolo ego aliosum ire. Addo etiam hoc, *Narium* & *Nasi* nomina accipere me, non de illa tantùm parte, quæ in facie protuberat: sed de toto odorandi instrumento.

§. 2. Ita accepto vocabulo, partes sunt, vt in anterioribus duobus sensibus, vel *Circumstantes*, vel *Constituentes*. *Illæ* sunt (præter tres communes Cartilagines, & Ossa externa, Musculi, Tunica, & Vasa: *Hæ* Os ethmoides suprà dictum, cum cranij ossibus, Dura mater foraminulenta, intùs ossi instrata, Processus mammillares cerebri suprâ quoque dicti, & Nerui odoratorij.



CAPVT LXXXVIII.

De partibus vtriusque ordinis.

§. 1. QVod ad *priorem* ordinem, prima hìc cura nobis esto de nominibus. Quòd in facie protuberat, ῥὶς, ἡ ῥὶν, ἡ ῥινίον Græcis dicitur. Item ῥώθων, μυκτὴρ, ἡ μυξωτὴρ, non autem μυξητὴρ, licèt apud Gal. alicubi ita scribatur. Latini nonnisi vnicum nomen habent, *Nasus*. Huius foramina duo, (ὀχετεύματα, *ductus* Arist.) in plurali ῥῖνες dicuntur, ῥινία, μύξαι, μυκτῆρες, μυξωτῆρες, *Nares*, licèt transferatur hinc ad totum organum. Quod interstinguit hæc foramina, κίων, *Columna* vocatur ab Introd. autore.

§. 2. Diuiditur in partem superiorem, & inferiorem. *Illa* est ossea, & præcipuè in iis, qui tuber habent, ῥάχις dicitur, non *spina*, vt Bauh. vult: sed *scapula*, *Monticulus*, *Cautis*. Hæc cartilaginosa, & subdiuiditur in *Globum* & *Alas*. *Globus*, σφαῖρα ἡ σφαιρίον, καὶ ἀκροερίνιον est, *Apex nasi*, qui aquilæ, aut vulturis in modum curuatur quibusdam. *Alæ*, seu *Pinna*, πτέρυγες ἡ πτερύγια, sunt *folia illa* vtrinque tremula, quæ seruiunt sublimi ab Hipp. dictæ respirationi.

§. 3. *Ossa*

§. 3. *Ossa nasi* tria sunt. Ita loquor : quia in censum hunc veniunt, non tantùm *quintum os maxillæ superioris*, vt Anatomici numerant, vtrinque vnum, quæ sunt *ossa nasi lateralia* : sed & *Vomer*, seu diaphragma nasi, quod vndecimo loco habent illi. Hoc facio autoritate Gal. qui de Oss. 4. quintum illud maxillæ superioris os expresse vocat *Os nasi*. Idem 11. vs. p. 19. *Ossa nasi* distinguit ab Ossibus maxillæ superioris. Quid ? Si 9. vs. p. 3. os ethmoides est *os nasi* : quidni *Vomer* quoque sit, pars quippe illius ?

§. 4. *Ossibus* his tribus appensæ sunt *Cartilagines tres*, duæ scil. laterales, duobus lateralibus ossibus continuæ, & inter has media, quæ *Vomeri* adhæret. Verumenimverò præter has sunt aliæ duæ, in Alis nasi imi, vtrinque extrinsecus, orbiculares, quæ affirmantur lateralibus, pro musculorum receptione.

§. 5. *Cartilaginibus* duabus posterioribus, neutiquam verò lateralibus, inseruntur vtrinque musculi, qui in ἀκροελνίῳ concurrunt. Quot sint, valdè dubium est. Ascenditur enim à numero binario ad octonarium, si singulos numeres : at si per paria, quatuor sunt. Hic numerus Fallop. & Bauh. est, quos sequor, sed cum hac distinctione : In benè nasutis, tot sunt ; in simis, aut alioqui βραχυῤῥίσι, pauciores.

§. 6. Et *ossa* & *cartilagines* intrinsecùs oblinit membrana seu tunica, quæ proculdubio ortũ sui debet duræ matri, per foramina ossis ethmoïdis elabenti, & deinceps palato toti, labiis, œsophago & asperæ arteriæ communicatæ. Huic, accuratioris sensus gratia, innectitur ramus gracilior tertij paris, à Vesal. dictus, & quidem tam exactè, vt idem Ves. crediderit membranam à neruo illo constitui. Fallop. par octauum : Bauh. tertium.

§. 7. Iamque ad *os ethmoides* ascendimus, illud (inquam) quod inter Cranij ossa fuit vltimum. Hoc intra quidem cranium reuerà triplex est, vt ibi dixi, Vtrinque scil. ossa duo cribriformia, dextrum & sinistrum, quæ interstinguit *Crista galli* dicta : extrà autem duo itidem, *spongiosa* dicta, inter quæ medius est *Vomer* iam dictus. Nimirùm obseruo in appellationibus veterum discrimen suprà dictum. Cæterùm & *Crista galli*, & *Vomer*, faciunt vt sensorium sit duplex, non minùs quàm oculi & aures : Homo enim est bifidus.

§. 8. *Ossi cribriformi* duplici incumbit *meningis duræ* particula, quæ non minùs foraminulenta est, quàm ipsum os.


§. 9. Huic *meningi*, in brutis quidem prorsùs insiguntur cauitati vtrique *Processus cerebri mammillares* dicti : in homine autem vix contingunt.

§. 10. Ab his *processibus* distinguere oportet, *Neruos odoratorios*, quos, vt dixi, pro neruis quidem habeo, licèt cranio non excidant, sed *sui generis* : & ita quidem ne turbent ordinem septenarium, iam à tot sæculis receptum. Eam ob causam numero cum Spigelio meo pro *parē octauo*. Oriuntur, non parte cerebri anteriore: sed quemadmodum Optici, posteriore, sub quarto vulgò credito ventriculo, initiis à se inuicem

valdè distantibus. Coëunt verò sensim & sensim, & in brutis quidē, cum vtriusque lateris processu mammillari, in cauitatem ossis ethmoidis immerguntur: in nobis ne attingunt quidem. Hinc odoramur maligniùs. Nisi fallor, Gal. etiam pro neruis agnouit, 8. vs.p.6. & iterum lib.9.cap.8.

§. 11. Hac oratione quia in *vasa* incidimus, monere oportet, Graciliorem tertij paris *ramum*, de quo fine cap. præced. dare etiam soboles musculis & cuti nasi. *Vena* & *arteria* sunt ab externa tam iugulari, quàm soporali. Sciendum autem, dextras cum sinistris in nasi alis iungi, & secari à Chirurgis quibusdam.

§. 12. Narium *vsus* triplex est. *Primus* & præcipuus, quatenus in palatum perforatæ sunt, est respirationi seruire, 2.Part.16. Naturaliter enim hàc potiùs intrat aër, quàm per os. Quare, qui dormiunt ore aperto, lædi se sentiunt. Seruiunt autem tam liberæ respirationi, quàm coactæ, quæ *sublimis* Hipp. dicitur, de quà suprà cap.58.§.11. In libera musculorum nasi nulla est actio: Cartilagines enim satis distendunt orificia. In coacta dilatant alas, vt aër multus simul ingredi possit. *Secundarius* est odorum perceptio. Fit autem non nisi facta violenta inspiratione, quo casu musculorum actio planè necessaria est. *Tertius* est excrementorum cerebri crassorum vacuatio. Voco hîc *crassa*, quæ sunt pituitosa. Opus est autem distinctione, quam omnes negligunt. *Blenna* quædam (ita enim nominare licet) per nares it, quædam per palatum. *Illa* ex cortice cerebri, & gyris piæ matris detruditur in cauitatem illam, quam dextra & sinistra cerebri pars facit, & in rima illa, quæ super *Corpus callosum* est, delabitur in nares. *Hæc* in ventriculis collecta, descendit per os sphenoides, quod *os palati* vocari dixi. Ideò *in his* quidem soli Apophlegmatismi valent, vt & in aurium affectibus, ceu comprehensum fuit: *in illis* autem sola Errhina. Vide suprà c.61.§.9.



CAPVT LXXXIX.

De Tactu & Gustu.

§. 1. POST tres sensus perfectos, venire oportet ad imperfectos, *Tactum* & *Gustum*. Gustus autem est tactus quidam. Sed cur *tactus* est imperfectus? Quia sensuum omnium infimus est, quique solus constituit animal apud Arist. Huius igitur quod sensorium est? & vbi est? Quia tactus per vniuersum corpus se expandit, oportet sensorium quoque tam latè se extendat. Post longam indaginem, non inuenies aliud, quàm *Carnem* Arist. illam, inquam, quæ

simplicissima est, & temperatissima, ex sanguine quippe, qui temperatus est, recens coacta. Et hoc quidem in sanguineis: in exanguibus enim est analogum quid. Hanc quomodo defenderim contra *Neruos* & *Membranas*, præcipuè *Cutim volæ* manus, vide in Physiolog. nostris, cap.253. si fastidis hæc, adire tibi licet Curæum 2. de sensu & sens.41. Casserium 1. πενταισθής. Costæum 1. Disq. Physiol. Et de tactu quidem ampliùs hîc dicendum est: de gustu autem omnino, ídque facta hac excursione.



CAPVT XC.

De Facie.

§. 1. GRæcis est πρόσωπον, q. πάρωπον, vt τὸ πρὸς, sit loco τ͂ παρὰ. Huc eunt illi, qui aiunt esse. q. τὸ παρὰ τοῖς ὠψὶ μέρος, *pars quæ circum oculos.* Hæc homini propria est, 1.Hist.8. Quod proportione respondet in brutis, ῥάμφος, καὶ ῥύγχος, ἢ ῥυγχίον est. Iam enim non distinguo.

§. 2. De *facie* si expectas vt dicam, tanquam de parte dissimilari, frustrà es. Neque enim vllam actionem peculiarem habet: neque recte & propriè pars dissimilaris dicitur. Quid igitur est? Congeries partium dissimilarium, quarum singulæ, vel habent proprias suas actiones, vel agentibus seruiunt. Ita oculus agit: frons seruitio ipsius destinata est. Ita de auribus & naribus. In posteriori ordine sunt duæ actiones valde nobiles, *Masticatio*, quæ Ventriculo præit, & *Vox*, quæ Pulmoni adscribitur. Hæc debetur homini, quà homo, quà rationalis: *illa*, quà animal, quà nutritione indiget, vt omne animal.

§. 3. Vtraque dicata est *Maxillæ* tam *superiori*, quàm *inferiori*, quatenus in suo complexu habent partes omnes, quibus perficitur vtraque. Partes sunt, vel Communes, vel Propriæ. *Communes* (exclusis tribus illis iam toties dictis sunt, 1. Ossa vtriusque maxillæ. 2. Labia duo cum buccis. 3. Dentes cum gingiuis. 4. Lingua cum osse Syoide dicto. 5. Musculi linguæ, cum glandulis suis. 6. Palatum, quatenus & volutandis cibis inseruit, & ad vocem formandam ἠχεῖον præstat. 7. Tonsillæ & vua, quatenus humectant & Gulam, & Asperam arteriam. *Propria Masticationi*, seu potiùs deglutitioni, *Gula* est, cui succedit in opere, non *Ventriculus* tantùm, sed (siquidem de sanguine venoso solo sit sermo) vniuersus chorus omnium abdominis partium. *Voci* proprius est. 1. Larynx, cum Aspera arteria. 2. Nares cum Musculis suis. 3. Pulmones. 4. Thoracis & Abdominis musculi.



CAPVT XCI.

De Maxilla vtraque.

§. 1. A *Maxilla* esse *Mala*, detritis mediis literis, credo Cic. in Orat. propter exempla similia quæ affert. Dicitur & *Mandibula*. Græcis est ἡ ἄνω καὶ κάτω σιαγών. Ita etiam γένυς, non γένης. Ita γένειον, non γένιον. (An autem γένυς quidem sit superior, γένειον autem inferior, ignoro. Γένειον esse *Mentum*, scio: sed hoc partis est, non totius.) Ita prorsùs γνάθος, ἡ.

§. 2. *Superior* tota est ossea & immobilis. *Ossa* sunt vel communia, vel propria. Quam distinctionem qui negligunt, confusiones augent. Ita dico: quia enumeratione ossium maxillæ superioris, tantoperè deficiunt Anatomici, quantoperè vix alibi. An variat res, pro varietate indiuiduorum? Solet enim natura ludere. Sed & inter minutias, hoc est, quas Medicus contemnere potest. Sed cur ex tot ossibus constat? *Partim*, vt ex commissuris ligamenta egredi possint, ad constitutionem musculorum, cùm ipsa musculos non habeat: *partim*, vt palatum tueri possit locum τῆς ἠχεῖς naturalis, quò faciunt illa præcipuè, quæ caua sunt.

§. 3. Sed cur immobilis est? Explico per exemplum molæ: vt lapis ille, qui in orbem currit, habet sub se alium lapidem, sed qui immobilis est: ita hìc inferior, quæ mobilis est, debet habere basin, super qua moueatur. Et huc quidem spectat totum systema: interim alio atque alio osse abuti potest natura ad alia: V. g. *Primum* apud Bauh. quatenus τὸ μῆλον constituit, seruit oculo, vt dixi: quatenus processum emittit, ad constitutionem *Ossis iugalis*, musculo temporali, vt dicetur. *Secundum*, apud eundem, foramine suo opem fert oculo, in abductione excremẽtorum. *Tertium*, quia cauum est, est ἠχεῖον, de quo in Palato. *Quartum*, quod recipit dentes superiores omnes, præcipuum est inter firmamenta molæ huius. *Quintum* nasi est, ceu probaui. *Sextum* constituit palati concauitatem.

§. 4. *Venas* à iugularibus habet: *Arterias* à soporalibus. *Neruis* opus non erat: Multo minùs musculis. Et hæc de superiori.

§. 5. *Inferior* ossea quoque est, sed mobilis. Os, vsque ad septimum annum, duplex est, iunctum in mento per συγχόνδρωσιν. Post id tempus ita coalescit, vt nec vestigium diuisuræ appareat, nec vlla coctura separari possit. A *mento* si sursùm eas, ad processus vtriusque lateris, videbitur tibi repræsentare arcum quendam. *Processus* duo sunt, quorum alter & superior ab acumine suo κορώνη dicitur: alter & inferior, per transuersum se expandens, κόνδυλος. *Hic* temporum ossi, propè meatum


auditorium

auditorium, nonnisi superficialiter inarticulatur; vnde est quòd facilè admodum egrediatur, si musculus, de quo dicetur, fiat laxior: *Ille* musculo temporali, mediante ligamento membraneo, fortissimè innectitur. E directo opposita est hæc maxilla ossi quarto superioris, & sunt illi, perinde vt superiori, insculpta τὰ φάτνια, ἢ βόθεια, *præsepiola*, seu alueoli, quibus dentes infiguntur. Ita enim ego nunc, haud ignarus Galenum lib. de Oss. 5. extr. distinguere hæc vocabula.

§. 6. Huius maxillæ motui præsunt 10. musculi, nisi mauis 5. paria, excepto tamen *Quadrato*, qui mox πλάτυσμα μυῶδες vocabitur. De horum omnium ortu, progressu, & insertione consulendi tibi sunt Anatomici, si ita vis: mihi incumbit necessitas dicendi de solo *Temporali*, cuius memini, aut si placet de vtroque loqui, de *Temporalibus* Hipp. vocat hos κροταφίτας, quòd singulari Naturæ artificio, ἐν κροτάφοις, *in temporibus*, insculpta sit pro illis cauitas, in quà tutò lateant. Quin, pro eorundem securitate, longè mirabilius fecit opus, prætendens illis quasi scutum, *os iugale* dictum, de quo suprà cap. 61. §. 6. Quæritur, an ab his diuersi sint οἱ μασσητῆρες Hipp. *Mansorij*, *Masticatorij*, *manducatorij*? Gal. id dicit quatuor locis 4. Exerc. Anat. 4. Anat. neru. 5. Anat. musc. 6. 5. Art. 5. Videtur autem id hausisse ex loco hoc posteriore, vbi vtraque est appellatio, per propositionem καὶ iuncta. Ego hîc nullam agnosco necessitatem, vel ideò, quia Gal. (non vno loco docet,) & sunt eius rei infinita exempla, Notis in Gal. Græcos solere iungere ἰσοδυναμοῦντα.

§. 7. *Vasa* habent & os, & musculi, ab iis, à quibus superior. *Nerui* in musculos eunt, *partim* à tertiæ coniugationis ramo graciliori Ves. de quo fine, cap. 84. *partim* à quintæ coniugationis particula illa, quæ per *Aquæductum* elabitur. De temporali moneo seorsim, quinque habere neruos, ex quinque diuersis locis, vt vno læso, non impediatur opus. Vide Com. in de vs. p. n. 775.

§. 8. De *vsu* hoc mihi displicet, quod *masticationi* soli adstringant maxillam hanc Anatomici: Atqui etiam *loquelæ* famulatur.



CAPVT XCII.

De Dentibus & Gingiuis.

§. 1. Ridiculum apud me est ἔτυμον vtrumque, ὀδοὺς, q. ἐδοὺς. *Dens*, q. *Edens*. Sunt vocabula primitiua, & substantialia. Accepto tamen, *Gingiuas* (& hoc substantiale est) à Græcis dici οὖλα, q. *Mollia*, τὸ οὖλον enim τρυφερὸν est. Contrà, ambitiosa est apud me Pollucis distinctio, inter οὖλον, *exteriorem partem*, & ἔνουλον, *interiorem*.

An autem τὸ οὖλον significet etiam *gingiuarum tumorem p. n.* nescio. Vide Foesium, vbi etiam οὖλας legeris, vitiosè, nî fallor, vt innuit ipsus.

§. 2. *Infixi* sunt dentes omnes vtrique maxillæ, ceu notum est. *Connexionis* ratio σύμφυσις est, eáque per γόμφωσιν. Non enim aliter cohærent quàm claui parietibus. Id ipsum quia fit mediante ligamento, συνδέσμωσις dici possit. Qui συσσάρκωσιν nobis occentant propter gingiuas, immaniter falluntur cum vulgo: *Gingiuæ* enim tegunt exteriùs tantùm cohæsionem. Qui relicta συμφύσει, ad συνάρθρωσιν tendunt, toto cœlo errant. Vbi enim motus? Et quomodo molere possent, si mobiles essent? Scio quid obiici possit ex procem. lib. de Off. tit. 8. Sed nihil moror. φάτνια (non φατνίας, aut φάτνας, vt falsò legitur apud Pollucem) iam dixi vocari alueolos, (ὀλμίσκους Ruffus habet) quibus insident. τὰ βόθρια, quæ Gal. etiam habet l. c. impugnat Bauh. ex Foesio, nisi decipior. *Frena* Crassi apud Aret l. 1. Acut. 9. recipiam, vbi videro, quid Græcus codex habeat.

§. 3. *Substantia* sunt ossa. Qui id impugnant, eos sophistas nuncupat Gal. l. c. Respondet tamen ad argumenta illorum Bauh. 3. Theat. 67. marg.

§. 4. Variant *conformatione*, pro varietate officij quod habent. Id triplex est, Incidere, frangere, molere.

§. 5. *Incidunt* anteriores quatuor, κτένες, *pectines* dicti, vtrinque duo, πλατεῖς, *lati* dicendi, non autem ὀξεῖς, *acuti*. Ea enim denominatio debetur iis, qui sequuntur, *Caninis*. Cæterùm, ab officio dicto, τομεῖς, ἢ τομικοὶ, ἀπὸ τοῦ τέμνω, *Incisores* vocantur: item διχαστῆρες, *Diuisores*: item γελασῖνοι, *Gelasini*, quòd qui vident, ostendant illos. *Nec pulcra est facies, cui gelasinus abest*, Martial. ait, sed in alio significatu.

§. 6. *Frangunt* hi vtrinque vicini quatuor, κυνόδοντες (alicubi λυκόδοντες reperio) *Canini*. In canibus, lupis, leonibus, aliísque καρχαρόδουσι, serratos dentes habentibus, & plures sunt, & formæ diuersæ. Hi sunt, quos *Oculares* appellat vulgus, non quod oculos contingant: sed quòd radice nitantur longiore cæteris, & magno cum nisu euellantur, à qua violenta capitis concussione aliquando fluxiones fiant in oculos. Apud Artemidorum μεσήλικες dici putantur. Cur?

An hi sunt *Columellares* apud Varronē, 2. Rust. 7. Alibi *Columnellos* lego de Caninis.

§. 7. *Molunt*, inde dicti μύλοι, μύλαι, μυλῖται, subintellige ὀδόντες, *Molæ*, aut *Molares* dentes. *Hi*, quòd latam habeant superficiem, quæ τράπεζα, *Mensa* apud Ruffum dicitur, πλατεῖς etiam appellantur. Et quamuis omnibus dentibus sit commune, γομφοῦσθαι: Si tamen soli nominantur γόμφιοι. Habent hoc peculiare præ duobus generibus præeuntibus, quòd vna sola radice gaudent, vt illi: sed duas, tres, quatuor ferunt, & quidem modò in superiore, modò in inferiore, modò in in vtraque maxilla. Qui inter hos extremi sunt duo, ὀψίγονοι dicuntur *serogeniti*, κραντῆρες, ἀπὸ τοῦ κραίνω, σωφρονιστῆρες, quod anno demum vigesimo (imò aliquibus 80. & quidem maximo cum dolore) erumpant, sintque iudicium *perfectionis* & *sapientiæ*. Latini *Genuinos* vocant, qua de

re

re vide adagionem Erasmi, *Genuinum* frangere, cui me oppono Com. in 11.vs.p.9.

§. 8. Hic non possum non excurrere in eos, qui γμφίους dici putant hos dentes, ἀπὸ τῆς γμφιάσεως, *ab aspera molarium superficie*, vt loquuntur. Quid enim simile habet clauus cum aspero? Huius voculæ occasione diuertar ad Dioscor.& sanabo vlcus, quod malè illum habet. Ait l.2. cap.de cornu ceruino, παρηγορεῖν τὰς γομφώσεις. In huius explicatione perdit Marc.Vergil.integrum commentarium, cùm explicat de dolore maxillarium, qui à dentitione fiat. Sequitur hunc in interpretatione Ruellius. Sequitur Saracenus quoque, nisi quòd dentitionis non meminit. Lego ἀγομφώσεις, aut ἀγομφώσιας, & expono cum Gal.11.Simpl. Ther.ad Pisonem,9.5.κ.τόπ.ferè sub finem,Paulo l.6.περὶ ὀδόντων σειομένων, *de vacillantibus dentibus*, aut quod idem est, περὶ οὔλων πλαδαρῶν, *de gingiuis humectis*,ex vulgi opinione, cuius memini ab initio. Corrigit enim cornu cerui siccando τὰς ἀγομφώσιας, *laxatas articulationes dentium*. Sed ad rem.

§. 9. *Dentium numerum* si quis inire volet, præsupponat oportet ætatem. Non loquor de infantibus, quibus incipiunt erumpere: sed de genuinis iam dictis. Hi cùm adsunt, ferè 16.sunt in alterutro latere: in vniuersum 32.

§. 10. Iam de *nutritione* & *sensu* auditurus quid, considera mihi mirabile Naturæ consilium! In reliquis plerisque omnibus ossibus, præsertim iis, quæ medullam habent conspicuam, eámque in manifesta cauitate, vasa ferè eunt ad capita illorum, quibus inuicem articulantur. Hic cùm neque capita sint, neque articulatio, sed σύμφυσις per γόμφωσιν, vti dixi, fecit Natura radices cauas, & quidem pro minoribus dentibus vnam, pro maioribus duas, pro maximis tres, quatuórve, vt pariter dixi. In has *cauitates* immisit vasa. Et quia nihil solet incustoditum relinquere, misit vnà *propagines duræ matris* valdè sensilis, quæ cauitates illas intrinsecùs totas oblinit.

§. 11. *Venæ* sunt à Iugulari interna, in duos ramos, exteriorem & interiorem, diuisa. Ab *interiori*, dentes maxillæ superioris omnes, venas habent; ab *exteriori*, inferioris. *Arteriæ* sunt à soporali, eodem prorsus modo distributa. Ab his nutriri partem dentis eam, quæ præsepiola sua ingreditur, vt dubium non est: sic dubium est, an exterior quoque pars, præsertim *mensa Ruffi*, regeneretur? Qui intuentur simile è mola captum, planè necessarium esse credunt. Vt enim molitores reexasperant lapides suos, vbi læuigati fuerint: ita hic fieri volunt. A quibus cupio mihi responderi ad duo. 1. Quî fit, quòd molares agnini & vitulini ad tactum asperi sunt: ouilli & bouilli, præsertim vetulorum animalium, tantùm-non læues? 2. Quî fit, quòd animalia omnia, & nos ipsi seniores deteriùs molimus? Vnde est querela Sapientis, *Molitores nolle ampliùs molere*. Dentes mei iam à multis annis penè læues Eccles.vii.
sunt in iunioribus quàm acuti sunt?

§. 12. *Nerui* ſunt à tertia coniungatione cerebri vulgò dicta, Anat. neru. 5. Hos ex Euſtachio demonſtrare docet Bauh. 3. Theat. 80. Ego malim à ſuperioribus, quàm ab inferioribus oſtenſionem fieri. His in membranam, à dura vſque matre protenſam, inſertis, fit dolor dentium, quod Fallop. primus, credo, obſeruauit. Nolim enim quemquam aſſerere, quamuis id poſſit magnis autoribus, ipſam dentium ſubſtantiam ſentire. Oſſa enim in vniuerſum ſentire non debuerunt, vt ſuprà demonſtratum eſt. Qui ſecus dicunt, reſpondeant mihi, Cur dentes ſine moleſtia ſecantur, limantur, ſumma, ſolutionem continui non ſentiunt: alterationem ſentiunt? Erat meo tempore Ienæ profeſſor Hebrææ linguæ, qui à Chirurgo curabat ſibi radi diuerſimodè dentes, vt aptior eſſet pronuntiandis literis quibuſdam Hebraïcis. Et hoc eſt, quod Aretæum tantoperè tenuit, vt Deum ſolum id ſcire putarit. Imò etiam homines ſcimus. Dentes ſolutionem continui non ſentiunt, quà oſſa ſunt: dentes intemperiem ſentiunt, quà ita conformati ſunt, translata qualitate inimica (ſiue cum, ſiue ſine corpore) ad membranam radicibus incluſam. Et hæc de dentibus.

§. 13. *Gingiuas* conſtituit caro ſui generis, cui vaſa obueniunt ab iis quæ ad dentes itare dictum eſt.



CAPVT XCIII.

De Ore, ſiue Labiis & Buccis.

§. 1. TO' ςόμα, *os (oris)* eſt, τὰ χείλη, *Labia*, ſeu *Labra*. An illa ſunt in homine, hæc in brutis? Qui magna & protuberantia habent, χείλωνες, καὶ πρόχειλοι, *Labeones*, item χελωνώδεις (ἀπὸ τῆς χελώνη, *Labium*) dicuntur. Buccæ ſunt γνάθοι, ἢ γναθμοὶ, Poëticè, propriè. Impropriè enim pro maxilla vtraque inuenias. Crediderim propriè etiam *Genas* dici: impropriè ad *Palpebras* trahi, quamuis alij inuertant, prætenſa Plinij & Comicorum autoritate. Has *Palpebras* vocare Cic. inuenio. Qui tumidas habent, γνάθωνες, *buccones* propriè. Tranſlatè enim ſunt *Gnathones* & *Paraſiti*, qui præcipuè buccas exercent, ſiue, vt Varro loquitur, quibus modus vitæ culina eſt. In his *Pudoris* ſedes eſt & dicitur.


§. 2. In *labiis* duo conſiderantur, *ſubſtantia* & *Muſculi*. *Subſtantia* eſt caro fungoſa, qualis in gingiuis: ſed cui Cutis, Cuticula & Membrana carnoſa tantoperè miſcentur, vt culter nullus tam acutus ſit, qui diuidere poſſit. Sed & muſculorum tendines ingrediuntur, 4. Ex. Anat. 3. 11. vſ. p. 15.

§. 3. *Muſculi* ſunt duûm generum, *proprij* & *communes*. *Propriorum*

tria

tria ſunt paria, vnum labij inferioris: duo ſuperioris, qui è ſuturis max. ſup. elapſi, illigantur illi firmiſſimè, propter frequentes motus, tam in loquendo, quàm in maſticando. *Communium* (intellige cum *Buccis*) duo ſunt, inter quæ alterum eſt celebre illud πλάτυσμα μυῶδες, à Gal. inuentum, Anat. muſc. 1. quod 4. Exerc. Anat. 1. diuidit in plures muſculos, πλατεῖς καὶ λεπτοὺς, *latos & tenues.* Anatomicis hodie *Quadratus* appellatur, quemadmodum alter *Buccinator.* Horum fibræ ita miſcentur, vt diſcerni non poſſint. Quò minùs reddi poteſt ratio diuerſorum & fortium illorum motuum. Vide mox §. 5.

§. 4. *Vaſa* ſunt ab iis propaginibus, quæ ad dentes.



CAPVT XCIV.

De Lingua.

§. 1. Γλῶσσα ἢ γλῶττα plura ſignificat. Hîc accipitur pro parte corporis, inſtituta maſticationis & vocis articulatæ ergo. Ab hoc poſteriori pendet, cùm vel prorſus differentem διάλεκτον notat, vel vnius dialecti ſecretiora, & ab vſu vulgi remota. In *priore* ſignificato, γλώσσαις λαλεῖν, non eſt *linguis loqui*: ſed alia & diuerſa, quàm ſit materna. Ita δίγλωττος, τρίγλωττος, &c. eſt, qui Germanicè, Italicè, Gallicè loquitur. Ita Mithridates loquebatur xxij. linguis, quot ſcilicet gentibus imperabat. In *poſteriore* ſignificato, γλῶσσαι ſunt interpretationes vocum illarum, quæ πολιτικαὶ non ſunt, *quibus vulgus non vtitur.* Ita Romæ pueri inſtituebantur in iis verbis quæ Poëtis, oratoribus, hiſtoricis, mathematicis, &c. propria ſunt. Ita Gal. ſcripſit γλώσσας τῆς Ἱπποκράτους, ſcripſit Erotianus, alij, vbi exponuntur, non *voces obſoletæ*, ſed illæ, quæ Hippocrati in ſua arte familiares ſunt. Ideò huc pertinent vocabula τεχνικά, de quibus pulcerrimis locus eſt apud Ruff. initio libelli de Appell. part. corp. hum. Pertinet huc quoque titulus de verb. ſignificationibus apud IC. An autem γλῶσσα ſit etiam *Linguæ tumor p. n.* neſcio equidem. Hoc certò ſcio, ambitioſa eſſe & bonis autoribus indigna Pollucis illa, maximè pro partibus linguæ, ἐπιγλωττὶς, ὑπογλωττὶς, περιγλωττὶς, παράθυρα, &c.

Vide Com. in 8. vſ. p. 4.

§. 2. Vt propiùs ad rem veniamus, moneo, τὸ τῆς γλώσσης δικροῦν apud Hipp. de Crit. diebus, & in Coacis, non eſſe *lineam* illam *mediam*, quæ diuidit linguam in partem dextram & ſiniſtram: quinimò locos iſtos duos non eſſe parallelos, niſi ex lib. de Crit. diebus corrigatur ille in Coacis. Ibi enim legitur, & legendũ hîc quoque eſt, τὸ ἀμφιδικροῦν, voce cõpoſita, vt ſenſus fiat, *Ea pars linguæ, quæ ambit lineã dictã.* Propterea dura

valdè locutio est Foësij, τὸ διπρῶν esse *lingua bisulcam aut bifidam partem*, &c. Cæterùm, ratione huius lineæ sensorium hoc quoque duplex est. Concurrunt enim hîc vtriusque lateris musculi.

§. 3. *Substantia* mollis & spongiosæ est, 1. Hist. 11. Talis requiritur, quia nec mollis nimis esse debet, nec rigida. Hanc *tunica* ambit tenuis à dura matre (vt in toto palato) propagata, valde sensilis, ob copiam neruorum.

§. 4. *Conformatio* qualis sit in aliis animalibus, non est huius loci; in homine & figuram & magnitudinem talem habet, qualem capacitas palati requirit. Nisi enim responsus sit, nec masticatio, nec vox rectè fit.

§. 5. *Musculorum* paria quinque tribuo illi, cum Bauh. meo: sed hac conditione, ne singulis adscribantur singulæ actiones quasi Naturæ consultores fuissemus. Quin censeo, quia Natura ita implicauit eos, nemo vti explicare possit, verisimile esse, actiones quoque ita implicatas esse, hoc est, vnumquemque musculum venire alteri in subsidium, indéque adeò fieri volubilitatem istam linguæ, quæ verbis exponi non possit. Quod ipsum ampliùs confirmo hoc ratiocinio: licèt caro linguæ propria, quæ substantiam, seu corpus, seu quomodolibet vocare velis, constituit, musculus non sit: tamen quia more, modóque cæterorum musculorum, constat ex fibris & intertexta carne, cui *triplex neruorum genus* inseritur, facit vt dicam, videri moueri prorsus ea ratione, qua musculi alij. Puta, quòd spiritus motorius faciat illam, vectis instar, rigidam. Quò libentiùs iam desero Arantium, qui motus linguæ communicat cum *osse hyoide* dicto. Imò verò disertè dico: Omnes illi motùs sunt linguæ solius: os autem dictum est immobile, quippe super quo mouetur, tanquam firma basi. Desero eundem Arantium in eo quoque, quòd exsertio linguæ extra dentes debeatur ossi huic. Imò verò, osse hoc immobili manente, exseritur lingua, cùm ipsa spiritu motiuo turget. Non minùs desero Vallesf. qui 5. in 6. Epid. 2. linguæ motus accenset dubiis à Gal. vocatis. Illos verò, qui nescio quam machinam Tragicam hîc ostentant, etiam abominor. Sunt enim similes illis, qui ignorantiam suam velant occulta aliqua proprietate.

§. 6. *Ligamentum* habet subtus firmissimum & latum, quod aliquando, vel nimis longè prorsùm it, vel non quousque debebat, & facit morbum in situ, hoc est, quò minùs rectè moueatur lingua. Huius extremo adnascitur aliud, sed rotundum funiculi instar, vnde *Frenum* vel *Frenulum* linguæ dicitur. In vtroque incidendo sæpè sæpiùs peccatur ab obstetricibus & tonsoribus, quâ de re conquerentem audiui D. ab Aquapendente.

§. 7. *Venas* duas habet insignes, à Iugularium externarum ramo interiore, quæ sub lingua conspicuæ sunt, *Raninæ* dictæ, & secantur in angina, aliisque palati affectibus. *Arteriæ* duæ, à soporalibus profectæ

fectæ, his comites sunt. *Neruorum* è cerebro hîc triplex coniugatio est, quod pertinet tam ad sensum exquisitissimum, quàm ad motum varium, fortémque de quo dixi. Horum *prima* & *tertia* in ordine, in linguæ tunicam implantatur, & facit illam gustus organum. *Secunda*, & in ordine vulgato *quarta*, in ipsum linguæ corpus fertur, non secùs ac nerui in reliquos musculos, & inde motus ipsius proprius, de quo locutus sum. *Tertia*, & in ordine *septima*, in musculos linguæ it.

§. 7. *Vsus* linguæ triplex est, vt innui, 1. vt sit instrumentum gustus, cuius palatum quoque particeps est. Atque ita pertinet ad τὸ εἶναι animalis, ne fortè alimentum ingeratur, à natura humana alienum. 2. vt promoueat masticationem, quàm qui malè obeunt, oderunt animam suam, dicunt Arabes. Pertinet igitur hæc quoque ad τὸ εἶναι. 3. vt seruiat loquelæ, & consequenter rationi, quod ad τὸ εὖ spectare quiuis videt. Has tam præstantes actiones ab osse subiecto adiuuari dubium non est: sed quomodo, videamus.



CAPVT XCV.

De Osse hyoide dicto.

§. 1. ITA loquor: re enim vera, & scriptura & elocutio falsa est. Nimirùm ratio nominis est à Pythagoræ litera minuscula υ. cuius figuram præ se fert. Quod igitur ὑψιλοειδὴς erat, cùm compendij causa scriberetur ὑοειδὴς, imperiti, mutato etiam spiritu, pepererunt nobis hoc monstri. Quidam à litera Λ. vocant λαμβδοειδὴς: verùm figura ipsius non admittit angulum acutum.

§. 2. Quæritur, vnum, an plura sint? Vtrumque. Non est vnum, quomodo maxilla inferior, cuius figuram etiam æmulatur: sed est vnum continuatum, ἁφῇ Græcus diceret. Non rarò enim constat ex xj. ossiculis, beneficio cartilaginis ligamentosæ inter se iunctis.


§. 3. Sed *vbi* est exactè? Qua parte lingua ori appropinquat, basis ipsius est, pars scil. illa, arcus in modum curuata. Hinc retrorsum progrediens ad collum, quà & *gula* & *œsophagus* est, in duos scinditur ramos, quos *Cornua* & *Costas* vocant Anatomici. Horum *alter* & breuior, laryngis iungitur cartilagini, modò arytænoidi, modò scutiformi, (ita enim concilio Anatomicos dissentientes) mediante ligamento. Hinc ὀστοῦν τοῦ λάρυγγος, ἢ ἐν τῷ λάρυγγι, os *laryngis* dicitur, vno verbo φαρύγγετρον. *Alter* & longior (quia œsophagus post laringem est) mediante cartilagine, & ligamento valido, copulatur acutæ illi ossium temporũ appendici, quam στυλοειδῆ vocauimus. Hoc modo quia prorsus

Car. Steph. 1. Anat. 6. scribit, longiorẽ processũ iungi aliquando secundæ colli vertebræ.

 sub

ſub lingua eſt, quippe cuius baſis eſt, vt dicetur, appellatur etiam ὀςοῦν τ̃ γλώττης, *os linguæ.* Sed cum affirmatur duabus partibus, *Laryngi* & *Gulæ*? Quia lingua ſeruit vtrique actioni, & maſticationi, & voci. Quomodo? Omnis motus fit ſuper re quieſcente. Quare, dum loquimur, fulcrum habet lingua ſuper articulatione proceſſus breuioris cum larynge, qui hîc vicem oſſis ſubit. Dum poſt maſticationem deglutimus, fulcrum accipit ab appendice ſtyliformi, cuius beneficio cibus & potus ſuperat laryngem, q. ponte traiectus. Rectè igitur capiendum eſt, ſi dicatur, os hoc non iungi cum alio oſſe. Imò verò iungitur.

§. 4. Hæc ego dum ſeriò meditor, incipio ſenſim condeſcendere in ſententiam illorum, qui muſculis his tribuunt *motum tonicum*, in quo video totum ſtabilitatis negotium conſiſtere. Hunc motum confirmo duobus argumentis. *Alterum* nititur principio Phyſico iam dicto: Omnis motus fit ſuper re quieta. Hîc cum ſolidum aliud non ſit, quàm hoc, non poſſumus non acceptare illud. *Alterum*, αὐτοψία conuincit nos, Quatuor illa muſculorum paria, quæ Anatomici exhibent, duplicem habere oppoſitionem, *vnam* ad anteriora & poſteriora, *alteram* ad dextra & ſiniſtra. Vnde quiuis intelligit, ſi agant omnes iſti muſculi linguam fore in æquilibrio quaſi ſuſpenſam. Ne hæſites, *Primum & quartum* par Bauh. habent oppoſitionem priorem: ſternon enim ſcapulis è directo oppoſitum eſt. *Secundum* & *tertium* habent poſteriorem: Maxilla enim inferior hinc quidem oſſi hyoidi eſt à dextris; illinc autem à ſiniſtris.



CAPVT XCVI.

De Palato & Faucibus.

§. 1. P*Alatum* Latin. eſt primitiuum apud me: οὐρανός, καὶ οὐρανίσκος à ſimilitudine connexitatis cum cœlo eſt. Hinc etiam χέλυς, *teſtudo* dicitur. At ὑπερῶα & ὑπερῶαι apud Hipp. & Gal. vt & ὑπερῷον apud Ariſt. eſt ἀπὸ τ̃ ὠᾶ ἢ ὠῶν, quod *Fimbria* eſt. Atque vt certum eſt, *Fimbriam* (quæ & *Crena*) eſſe apud bonos autores, inciſuram, qualē vrticæ folia habent apud Plinium: ita puto concedi poſſe, *fimbriam* in veſte eſſe extremitatem, quæ impoſitis limbis exaſperatur. Et hoc modo aſperum eſt palatum, rugoſúmque, & dici poteſt *Fimbriatum*, ratione carnis glandoſæ, cui ſuperinducitur tunica, ex dura matre prognata. Huic carni ſubeſt, & os ſphenoides, & quartum, ſextúmque os max. ſup. In oſſe ſphenoide *duo* ſunt *Foramina*, per quæ blenna è cerebro vacuatur, tam ſponte naturæ, quàm ab vſu apophlegmatiſmorum.

§. 2. *Venas*

§. 2. *Venas* & *arterias* proculdubio habet à iugularibus, & ſeporalibus. *Neruos* plerósque cum lingua communes.

§. 3. Iam obiter dixi *vſum*. De ἠχείῳ, de quo egi ſuprà, videri poſſunt Com. 17. vſ. p. num. 446.

§. 4. *Fauces* apud Lat. vſitatius eſt quàm *Faux*: contrà apud Græcos τὸ φάρυγξ eſt frequentius τῶ φάρυγγες, quod etiam *inflammationem* ſignificat huius regionis. Ita loquor: Vocabula enim hæc non indicant vllam partem peculiarem, ſed palati regionem poſteriorem & inferiorem, quà toties iam dicti duo ingreſſus ſunt, *Gula*, & *Larynx*. Cæterùm ἡ φάρυγξ fœm. diſtinguitur à muſcul. ὁ φάρυγξ. *Illud* enim dicunt propriè notare locum, de quo agimus: *hoc*, ſolum laryngem. Ego vereor vt res ſit ab ignauis ſcribis. Exempla enim dare poſſum, vbi tota res inuertitur. Propterea ita determino. Locus, de quo agimus, erit mihi ὁ καὶ ἡ φάρυγξ, indiſtinctè: ὁ λάρυγξ gaudebit ſuo nomine. Si qua ex Gal. obiicientur mihi, in promptu erit reſponſio, Eſt vitium τῶ ἀναγνωστῶ. Quidquid ſtatuerint alij, ratio nominis videtur mihi inde eſſe: Quemadmodum qui iter faciunt, aliquando per planities eunt, aliquando per fauces montium, h. e. ſtrictas vallium anguſtias: ita alimenta per os ingeſta, aërque per nares ingreſſus, recipiuntur, primum in amplam palati capacitatem, mox in anguſtias compulſa, alterum hac it, alterum illac. An ita φάρυγξ idem fuerit cum τῷ ἰσθμὸς, de quo mox? Apud Homerum λάρυγξ eſt ἀσφάραγος teſte Plut. 7. ſympt. 1.

§. 5. In hac regione Muſculi ſunt, *faucium* dicti, gulæ laryngíque communes. Horum ego tantùm meminero: qui plura volet, vel Fallop. adeat, vel Bauh. vel Riol. vel Spigel.


§. 6. In eadem *Glandulæ* ſunt, quarum tres conſtituo ordines, 1. earum, quæ ſub lingua ſunt, & nomine carent. 2. Tonſillarum. 3. Gargareonis: Aurium enim & laryngis ſuis locis deſcribuntur.

§. 7. Ad radicem linguæ, multæ ſunt, pinguedine ſeptæ, à quibus duobus corporibus humectatur lingua in continuis iſtis motibus.

§. 8. *Tonſillæ*, Amygdalæ vulgò, ſunt in ima palati parte, inter gulæ, laryngíſque principia, Græcis dicuntur ἀντιάδες, ἡ παρίσθμια. Ἀντιάδες quidem, quòd ſint, ἀντίαι, *ſibi oppoſitæ*: παρίσθμια autem, quòd ſint παρὰ τὸ ἰσθμὸν, ἡ ἰσθμίον, *iuxta fauces*, vt modò me explicui, ſiue *iuxta gulam, & laryngem*. Vſurpatur vtraque vox, non minùs quàm φάρυγγες, etiam pro inflammationibus illarum. His quæ opponi poſſunt, explicui in Iſagog. c. 16. Nam Foeſius hîc deficit. *Vſus* eſt idem, qui innominatarum. An idē eſt cum τῷ κλεῖτρον, ἡ κλῆθρον, & Ionicè κλήϊθρον apud Hipp. vide Foeſium.

§. 9. Eiuſdem ſubſtantiæ & vſus quia eſt *Gurgulio*, ὁ γαργαρεών. in ſummitate palati, ex aduerſo tonſillarum, huc illum acceſſo. Vocatur etiam κίων, ἡ κιονὶς, καὶ σταφυλή, ἡ σταφυλίς. *Columna, Columella, Vua, Vuula*. Quidam dicunt, *Gurgulionem* quidem eſſe, quamdiu ſ. n. ſe habet: dici autem reliquis nominibus, cum inflammatur. Ego facilè contraria loca attulero, ſi opus ſit. Hoc certum eſt, ἱμάντα, ἡ ἱμάντιον, *lorum*, tantùm dici, cùm inflammatus propendet. Gal. autor eſt 7. vſ. p. 5. eſſe *plectrum vocis*. Verùm quia experientia refutat, non opus aliis.

§. 10. Et *tonsillæ* & *gurgulio* tunicam habent è capite, ex dura matre. *Vsus* viriusque, humectare linguam & vicinas partes. An *tonsillæ* quidem materiam saliuæ habent ex ventriculo: *gurgulio* autem ex capite? *Venas* esse à iugularibus concedunt Anatomici, de arteriis securi. *Neruos* habere ex iis, qui ad linguam, non dubito.



CAPVT XCVII.

De Larynge.

§. 1. LArynx quia in *Faucibus* est, & ipse est pars princeps actionis illius, quæ restat, *Vocis*: non potest de illo agi alibi, quàm hîc. Repeto ergo, quod modò dixi. *Larynx* est propria appellatio huius partis: quoties verò φάρυγξ appellatur, error est. Sed quæ origo vocis est? Video nostros homines multa audere, cum quibus vt ineptiam, afferam ego quoque symbolam meam. An dicitur q. γάρυγξ; ἀπὸ τοῦ γαρύω, cùm *loquor* est? Eodem peruenerit quis, si dicat, esse à particula λα, & ἀρύω, cùm eandem significationem habet.

§. 2. Repetendum est ex superioribus illud quoque, τὸν βρόγχον ab Hipp. dici, vel totam *Asperam arteriam*, vel hoc *caput* ipsius tantùm: at τὸ βρονχίον, vt aliàs apud Græcos, non esse idem. Hîc de βρόνχῳ agimus, quatenus cum larynge idem est.

§. 3. Huius *situs* est in anteriore colli parte, sub mento, quà tuber illud est, quod tangimus. Vulgus vocat *Pomum Adami*.

§. 4. *Substantia* est Cartilago, vt tota arteria: verumtamen in conformatione latissima est differentia. Quales sint cartilagines, ibi dictum est: *hîc* totum constituitur ex tribus cartilaginibus, quæ singulæ propriam habent figuram.

§. 5. *Prima* harum dicitur θυρεοειδὴς (non θυροειδὴς) ἢ ἀσπιδοειδὴς, *scutiformis*, à similitudine *scuti, clypei, aspidis*. Hæc statim sub cute, aliis præposita est, & tactu sentitur. Eidem vtplurimùm processus inferiores & breuiores ossis hyoidis innectuntur, vt in deglutiendo deprimatur totus larynx, atque ita cibus, quasi super ponte labatur (attractus tamen) in gulam. Hîc ne quid deerret in asperam arteriam, inprimis operam sedulam dat ἡ ἐπιγλωττὶς ἢ ἐπιγλωσσὶς, cum linguæ radice per communem tunicam adeò iuncta, vt videatur pars ipsius esse. Est autem reuerà processus cartilaginis, de qua agimus, qui processus, cùm larynx totus deprimitur, sternit se super τὴν γλωττίδα, *rimulam illam*, quam facit tertia deinceps dicenda cartilago. Sed qualis est motus hic epiglottidis? naturalis, an animalis? Exercitatiss. Bauhin. inclinat illuc, sed cum distinctione: In brutis quidem est animalis, quia fit per

per musculos: sed in homine naturalis est. Hoc Ill. illi non credit Aquapendens, nec quisquam alius, qui musculos vidit. Sed ne ipsus sibi ipsi credere videtur in historia musculorum.

§. 6. *Altera* κρικοειδὴς (non κρυκοειδὴς) nominatur, *Anularis* (non *Annularis*) seu *Circularis*, à similitudine anuli Turcici, quo illi pollicem armant, cùm arcum intendunt. Tu nota, esse vocem hanc in excerptis lib. de Anat. voc. instr. cap. 4. Hæc quia Vesalij memoria non exstabant, mirum non est, illum sine nomine reliquisse, *Innominatam* vocando, cùm 7. vs. p. 11. nihil tale sit. Hæc scutiformi substracta est, adeóque intus latet.

§. 7. Tertia est ἀρυταινοειδὴς (non ἀρυθαινοειδὴς) *Gutturniformis* appellata, quòd ἀρύταιναν, *gutturnium*, quodammodo exprimat. Hæc ad latera est, & reuerà gemina, quam ob causam quidam quatuor cartilagines numerant. Tu verò hîc quoque nota, gutturnij similitudinẽ esse in processibus eius superioribus. In inferioribus enim est γλωττὶς illa, de qua dixi, rimula, illa quam tegit ἐπιγλωττὶς. Ratio nominis ab vsu est. Præstat enim laryngi, quod tibiis *Ligula*, seu *Lingula* dicta.

§. 8. Has tres cartilagines, & foris & intùs *Membrana* obuoluit, à dura matre orta, quæ ipsa ligamenti vicem illis præbet, quemadmodum in seq. complet circulum, veluti dictum est. Hæc in *Epiglottide* carneis fibris aucta constituit Dom. ab Aquapendente peculiarem musculum, cuius ratione voluntariò mouetur. Hæc eadem naturaliter semper humecta est.

§. 9. Hanc *humiditatem* præstant, non tantùm triplex glandularum genus, cap. sup. descriptum: sed duæ aliæ quoque insignes, forinsecùs vtrinque lateribus laryngis adstructæ. Debentur verò & *pinguedini* partes suæ. Hæc humiditas requirebat tot partes, quia ab vna tantum suppeditari non poterat, quantum necessitas vult. Ea verò præcipuè est ad sermonem. Quinimò cùm Natura præuideret, ne tot quidem machinas fore satis, instituit, vt ex potu semper destillet aliquid in laryngem. Hinc adeò sitiunt phonasci & oratores. Requiri ad sermonem aliquid humoris, ostendunt hæc φαινόμενα. *Tubicines*, tibicines, vtricularij, cùm opus suum inchoant, tepido spiritu inflato, humectant organum suum. Iidem, cùm aliquandiu cecinerunt, & aquæ plus satis collectum est ex immisso calido vapore, effundunt, tum videl. cùm sonus fit streperus. In febribus vox fit clangosa. In catharris vos euadit rauca. Sed cur aceruatim incidens humor tussim facit? Quia contra respirationem it. Hoc est apud Hipp. lib. de corde, princ. licèt locus corruptus sit. Lego ὕδωρ ἀθρόως ἐνόρον, & explico, *Aqua confertim irruens.* τὸ ἀθρόως Græcum non est, vt & τὸ ἔνυρον. τὸ ἐνόρον est participium ἀπὸ τοῦ ἐνόρω, *incido*.

§. 10. *Musculorum* ratio valdè est implicita. Consensus est, diuidi debere in *Communes & proprios*: dissensus in numero vtrorumque. Huius dissensus duas causas assigno. Exiles sunt adeò, vt fugere possint etiam

Lyncea

Lyncea aliquem, præsertim cadauere iam exsiccato. Variant ratione indiuiduorum. Nam & vox mirificè variat. Qui cumulum sententiarum vult, Bauh. adeat 3. Theat. 93.

§. 11. Quod ad *vasa* tandem, *Venas* quidem habet à Iugularis externæ ramo interiore: *Arterias* autem à soporalis parte maiore & interiore. *Nerui* sunt ex sexto pari cerebri, inter quos præcipui sunt οἱ παλινδρομοῦντες, *Recurrentes*, seu *Reuersiui*, item φωνητικοὶ, *Vocales* dicti. De his Gal. 7. vs. p. 14. & 15. tanquam ἑρμαίῳ suo, multa deprædicat, & secutus sum ego, ceu debui, tanquam commentator. Sed reuerà, vtvt ars Naturæ sit insignis, manet tamen hoc, quod ex Illustr. Aquapendente dixi, Verum foret, quod Galen. docet, si nerui traherent vt habenæ.

§. 12. *Larynx* est primarium vocis instrumentum, præcipuè autem γλωττὶς dicta. Huic subseruit, totum quidem asperæ arteriæ corpus, quatenus porticus est aëris reciprocantis: nares autem, quatenus admittunt aërem illum. Articulationi vocis præest lingua cum ore & labiis. Dentes coërcent linguam, ne nimis libera sit. Quare, quibus dentes anteriores desunt, loquuntur indistinctè, pereunte sono in ipso palato. Nimirum cùm refringi in palato debeat, vt cauitas illa, vna cum ossibus cauis, præstet ἠχεῖον, de quo dixi: cùm aër absentibus dentibus, à lingua percussus, subitò dissiliat, necesse est vocem obscuriorem fieri. Ad hoc ἠχεῖον pertinent etiam cauitates ossis frontis, de quibus dixi. Non minimum etiam confert thorax cum pulmonibus, abdominísque musculis, quatenus intensionem vocis adiuuant. Et hæc sunt firma illa latera, quæ in oratoribus, aliísque demagogis desiderantur.

ABERRATIONES.

§. 13. In oculi tunicis confusissimus est Fuchs. l. 1. s. 5. cap. vlt. quod satis sit monuisse. Idem paulò ante in ortu *neruorum Opticorum* vltra vulgus sapit, cùm dextrum sinistrorsùm ait ire, sinistrum dextrorsùm. Idem cap. 2. de *auditus instrumento* agens, vnam tribuit ille cauitatem tortuosam, quæ in ipsum cerebrum pertingat. Qua in re inconsultò sequitur Gal. vt dixi. Idem sect. seq. cap. 3. fallitur, cùm *neruum auditorium* obtinere ait, non vniuersam cauitatem, sed quibusdam locis tantùm. Credo, siquidem alter neruus, qui per *Aquæductum* elabitur, nihil hîc agat, vt se explicat in anterioribus. Idem ib. confundit *processus*

cerebri

cerebri mammillares cum *neruis odoratoriis*. Cuius rei indicium hoc quoque ſit, quòd in cenſu neruorum non meminit odoratoriorum, ſecùs quàm Gal. facit. Idem nimis facilè credit Veſalio, *linguæ tunicam* efformari à neruo tertij paris. Idem malus eſt philoſophus, cùm tactus organum nullo proprio inſtrumento coërceri vult, vt loquitur. In *muſculis linguæ*, oſſis hyoidis, buccarum, laryngis, &c. magna eſt confuſio.

§. 14. I. Rectè Sennertus facit, cùm lib. 1. cap. 12. ablegat diſputationem de modo viſionis tanquam Medico inutilem: at minùs rectè, cùm tam multa affert de vſu ſingularum oculi partium. Quorſum enim? Non ad curationem: nihil enim illa mutant. Non ad ſymptomatum cognitionem: hæremus enim hîc, tanquam mus in pice. Si rebus ſuis tantoperè fidit, Keplerum adeat in Paralipom. ad Vitellionem, f. 209. Inueniet enim quod in præconceptâ opinione deſideret. II. Eundem vt habeo ὁμόψηφον mihi de aure interna, *Neſcire nos quid ſingulæ partes præſtent*: ita nollem illum tot nænias intruſiſſe de *Aëre implantato*. Quod enim ait 1. Eſſe partem principem auris: & tamen concedit, nullam partem poſſe tutari hunc locum, niſi viuat, modoFerneliano: quomodo cohærent? Et quàm indigna tanto viro concluſio eſt, Ἀερῶδες *tamen eſſe proximum auditûs inſtrumentum, credibile eſt*. Ego enim ita capio, Aër non eſt; ſed tamen aërium quid eſt. Si volet, ſuccurram illi: Spiritus auditorius eſt, qui cognationem quandam habet cum aëre externo 2. Quid ab omni probabilitate alienius, quàm inquirere, quam figuram habeat hic aër? globoſam ne, vt Cryſtallinus, an aliam quandam? 3. Quid abſurdius quàm credere, Galenum 1. cauſ. ſympt. 3. vocaſſe τὸ ἔνδον πέρας *finem internum*? Aër eſt ſubſtantia: finis ſeu extremitas accidens. Hoc voluit Gal. vt ex locis parallelis patet. Quemadmodum odoratus fit in ipſo cerebro: ita auditus quoque. Meatus enim auditorius huc penetrat, dicit. III. Rectè iterum ille, Odoratum conſiſtere in medio reliquorum duorum ſenſuum, hinc atque hinc duobus collocatis: at non rectè dubitat de obiecto illius, Sitne qualitas, vt in viſu & auditu?

Non eſt, eſt corporeum quid, eſt ἀναθυμίασις καπνώδης, *exhalatio fumoſa.* Huius rei argumentum certiſſimum eſt, quòd odores non percipimus, niſi attracto aëre. Plura argumenta ſuppeditat ipſus. Quam verò ingreditur ille viam mediam, nulla eſt, prorsùs vt in aure. Nec oppoſita in contrarium quidquam valent. Piſces, ſi vrſerit, dicam, incertum per incertum probari. Vidi Ferrariæ campana piſces cieri ad eſcam. Vidi Argentinæ ſolo poppyſmo. Si τὸ ἀδύνατον intulerit, reſpondebo pleraque odorata cum tempore tabeſcere. Et ſi omninò ſubſtantia non fit minor, ſatis eſt, quod vieta & inodora euadant. Porrò, quod proceſſibus mammillaribus obiicit, tale eſt, quod nec ipſemet vrgere audet. Cerebrum totum eſt ſenſorium commune: nihil tamen prohibet, quominùs particula eius, aliam conformationem nacta, fiat ſenſorium proprium. IV. De guſtu non videtur ſeipſum intelligere. Si enim guſtus eſt ſpecies tactus, quid ni eſt peculiaris ſenſus? Quæ enim ſpecie differunt, reipſa differunt. Eiuſdem generis eſt, carnem linguæ eſſe proprium guſtus inſtrumentum: medium autem internum eſſe tunicam linguæ. Medium enim internum quî differt ab inſtrumento proprio? V. Tactus eſt ſenſus vnus, non ratione ſpiritalis alterationis: ſed realis contactus. Hoc ſi verum non eſt, Medicum tamen eſt. Huius adæquatum inſtrumentum, neque membrana eſt, neque cutis, ſed caro. Hoc dixiſſe ſatis ſit: probatio enim alius loci eſt.

§. 15. Liddelij l.2.c.12. magna eſt ἀκρισία, profecta ab ignoratione τοῦ πρόσω τῆς ἐπιστήμης. I. Quorſum iſta de viſionis modo, obiecto, medio, coloribus, colorum differentiis? Medicus inſtrumentum conſiderat, & hoc vult eſſe ſaluum II. Quorſum iſta de voce in aure. Benè quidem ſe gerit in pleriſque, quæ ad vocem pertinent: ſed tractat alieno loco. Et quæ audacia eſt, velle oſtendere vſum ſingularum auris partium? III. Quid eſt *Qualitas realis* in odoratu? Res præcedit: ſequitur, quod rei ineſt. Interim accepto, quod inde colligitur. Odor non eſt nuda qualitas. IV. Guſtum & tactum fieri ſine medio externo rectè habet, ſi rectè explicetur. Medium externum & obiectum hîc concidunt. Immediatus enim corporum contactus ſenſum fe-

rit. Quæ de numero & differentia sensuum exteriorum subiicit, planè ἀλλότρια sunt.

§. 16. Rectissimè Heurnius l. 3. c. 5. f. 95. scopum Institutionistæ describit, quem tamen neque hîc, neque alibi assecutus est. Et hæc de tribus Ventribus hactenus.




CAPVT XCVIII.

De Artubus.

§. 1. RTVS (vestutè *Artua* (voco, quæ Græci κῶλα, quamuis vocabulum sit πολύσημον. Dicebantur enim olim ita *omnia intestina*, quæ ipsa, nisi erro, etiam κολεοὶ, κωλεοὶ, καὶ κυλεοὶ, quasi *Vaginas* dicas. Inde enim superest apud Hipp. τὸ μεσοκώλεον, qua de re suprà. Restringebatur deinde ad *Crassa* sola, quam in rem afferuntur loca ex eodem Hipp. Nostris moribus de *primo Crassorum* tantùm vsurpatur, ídque à Galeni seculo vsque, 4. vs. p. 18. & alibi. Videtur autem cœpisse sub Arist. qui 3. Part. 14. τὸ καλούμενον addit. An *Colum*, morbus nouus, apud Plin. l. 26. c. 1. huc pertineat, videant alij. Iam enim animaduerto, ad superiora hoc spectare.

§. 2. De *artubus* si vsurpetur vox, non sinam verti *Membra*. Sunt enim αἱ χεῖρες, καὶ οἱ πόδες, *manus & pedes*, vt probabo. Apud Arist. 1. Hist. 15. obseruo Gazæ lapsum. Ait Philosophus: Κῶλα μὲν τὸ διφυὲς βραχίων: & paulo pòst: Κῶλα δὲ τὸ διμερὲς ἄλλο, σκέλος. Hæc verti κατὰ πόδα non possunt: sed sufficit habere sensum, qui hic est: *Artuum hoc quidem duplex est, & Brachium vocatur: illud autem iterum duplex, quod Crus.* Quid Ill. Scaliger moliatur, videre est apud ipsum, Apotelesm. 130. Quid ego rursus in Scal. desiderem, ex dictis patet.

§. 3. Ἄρθρα ab Hipp. vocari non credam. Vide proœm. l. de Oss.



CPAVT XCIX.

De Manibus.

§. 1. THN χεῖρα vocari totum ab Hipp. hoc, quod è scapulis dependet, probo ex 2. Fract. 8. 3. Ex. Anat. 2. Ita etiam accipit Gal. Exerc. l. c. 1. vs. p. 4. 3. vs. p. 1. de Inæq. int. 1. & alibi. Diuiditur primum

in quatuor *partes magnas*, Scapulam cum clauiculis: Brachium: Vlnam cum radio: & Manum summam, quæ χεὶρ vocatur, ἀκρόχειρ, ἢ ἄκρα. Hæc iterum in *tres paruas*, Carpum: Metacarpum & Digitos. Cùm vna sit, & indubitata actio, *Apprehensio*, miror sæpe, Anatomicos non coniungere. Pertinet autem admiratio ad *scapulam* ferè. Hanc enim cùm fateantur recipere articulationem brachij, qua conscientia aliò trahunt? Par ratio *Clauicularum* est.



CAPVT C.

De Scapulis & Clauiculis.

§. 1. S*Capulam*, totum hoc dici puto, à processu ipsius, qui ῥάχις dicitur. Is cùm nullo iure ab Interp. *Spina* vocetur: τὸ ῥάχις autem, vt suprà dixi, inter alia significet *Scopulum*, seu quemuis locum eminentem & asperum, veni in eas cogitationes, vocem eam huc facere. Faciet autem, si verum sit quod mussitant quidam, *scopulum* & *scapulam* esse idem, adeòque significare eminens quoduis, ἀπὸ τοῦ σκοπεῖν. Nescio an præ oculis fuerit his locus Celsi lib. 8. c. 1. quamuis corruptus, vbi pro *Scoptula* legunt *Scopula*. Quasi dicere voluerit, *Quod vulgus scapulas vocat in fœm. id Medici scopula in neutro.* Ibidem cùm subitò sequatur, Græcos ὠμοπλάτας vocare, quid faciemus de interiecto *Operta*? Non puto quenquam cogitare de operto, *Bonæ deæ* sacrificio: quin censeo ab imperito quodam nebulone detortum fuisse à Græco ὠμοπλάτης, quod cùm peritior aliquis adscriberet, manere potuit vtrumque. Sed sinamus locum febriculosum.

§. 2. Ωμος, *Humerus, Armus*, proculdubio ad hanc regionem pertinet: sed quid sit, non constat. Antiquiss. Ruffus ait: ὦμοι αἱ κεφαλαὶ τῶν βραχιόνων· ὠμοπλάται δὲ τὰ ἐπικείμενα τῷ νώτῳ τὰ πλατέα ὀστᾶ· *ὦμοι quidem sunt capita ossium brachij, cum scapulis articulatorum; ὠμοπλάται autem scapulæ ipsæ, ossa vid. illa lata, dorso instrata.* In hunc sensum Gal. ait de humero, 1. Art. 9. ὦμον esse ἄρθρον τοῦ ὤμου, καὶ τῆς τοῦ βραχίονος κεφαλῆς. Et paulò ante t. 4. ὦμος ὀνομάζεται τὸ περὶ τὴν διάρθρωσιν (τοῦ βραχίονος) ἅπαν ὅσον φανερόν. Quibus locis expressit duo significata. *Priore* quidem cum Ruffo est, cum ὦμον vocat articulum humeri, siue caput brachio inarticulatum: *posteriore* autem, non partem describit, sed locum seu regionem illam supremam, cui onera imponimus. Et hæc Gorrhæo est propria significatio: per consequentiam impropria illa, cùm pro articulo capitur. Tamen dicit id, & rectè, nî fallor, Aristot. τὸν ὦμον de articulo sumere. Eius rei occasione corrigo locum 3. Hist. 7. vbi lego: τά τε ἐν τοῖς ὤμοις ὀστᾶ, αἱ καλούμεναι ὠμοπλάται: *Et quæ in articulo humeri sunt ossa, scapulæ vocatæ.* Iam igitur ita

ita concludo: ὦμος quidem ambiguum est: at propria significatio ad locum pertinet. Ab hac pendet ἡ ὠμοπλάτη, os illud latum, quod hic loci tactum sentitur. Ergo, inquis, ὦμος erit idem, quod & ἐπωμὶς, & ἀκρώμιον, ἢ ἀκρωμία? Profectò vtraque compositio rectà nos eò ducit, & consentit Gal. in vtroque, 1. Art. 4. de Oss. 14. verumtamen quia τὸ ἀκρώμιον aliò rapitur, sequi nos fas est, vt mox dicam. Iam verò duo moneo, 1. Musculum δελτοειδῆ dictum non debere vocari ἐπωμίδα, sed μυῶν τῆς ἐπωμίδος. 2. Cùm apud Hipp. & alios sit simplex πλάτη, vnde est compositum ὠμοπλάτη? præsertim cùm ἰσοδυναμοῦντα sint ὦμος καὶ πλάτη? In his Foësi vices gerere volui.

§. 3. *Figura* scapularum ferè triangularis est, per cuius medium ferè ῥάχις excurrit, male dicta *Spina*. Considerantur in illis *Processus* & *Appendices*.

§. 4. *Processus* sunt tres, suis nominibus insigniti. *Primus* mihi sit is, qui ῥάχις dicitur, sursùm porrectus ad clauiculas, cum quibus articulatur, & ἀκρώμιον tunc vocatur. *Alter*, hoc depressior, & tantùm-non superficialis, qui constituit κοτύλην illam, cui brachium inarticulatur, mediante cartilagine circulari. Hanc articulationem cum femoris ad coxam articulatione diligenter confert Gal. 15. vs. p. 8. *Tertius*, ad articulationis huius firmitudinem factus, est ille, qui σιγμοειδὴς, κορακοειδὴς, καὶ ἀγκυροειδὴς appellatur.

§. 5. *Appendices* sunt quinque, quarum alteræ quidem musculis ortum præbent; alteræ autem ligamentis.

§. 6. *Musculi* sunt, non septem, vti Gal. vult 15. vs. p. 9. sed quatuor tantùm, pro numero quaternario motuum rectorum scapulæ.

§. 7. *Ligamēta* sunt quinque, quãuis Gal. 13. vs. p. 12. tria tantũ velit esse.

§. 8. *Venæ* quidem huc eunt duæ ab Axillari, antequam illa diuidatur, Externa & Interna dictæ: *Arteria* autem (nisi fallunt illi) nonnisi vna, *Scapularis* dicta, & ipsa ab *Axillari*, antequàm diuidatur. *Nerui* sunt à quinta & sexta ceruicis vertebris, primáque thoracis.

§. 9. *Vsus primarius* est ad *Apprehensionem*, cui seruiunt scapulæ, partim in articulatione, de qua dictum est, (est autem διάρθρωσις per συγχόνδρωσιν) partim in explantatione musculorum quorundam brachij. *Secundarius* vsus est, Cor tegere.

§. 10. Κλεῖδες, ἢ κληῖδες Ionicè apud Hipp. à nostris omnibus in forma diminutiua *Clauiculæ* dicuntur. Sed cur? Quæ de clausione pectoris afferuntur, & quidem ex Arist. 3. Hist. 7. neque intelligo, neque in meo Codice reperio. Vt ab hoc incipiã, sola vox κλεῖδες ibi est, & vertit Gaza, *Iugale*. Hanc versionẽ video contemni, fortassis quia confusio metuitur cũ *Osse iugali* suprà dicto. Ego verò cũ intueor clauiculas talpæ, & cõfero cũ iis, quæ de vsu clauicularũ scribit Gal. 13. vs. p. 11. valde probo. Robur enim brachiorũ vel maximè consistit in clauiculis, quæ scapulas ita affirmãt sterno, vt totus truncus ad brachij actionẽ cõcurrat. De loco Arist. hoc moneo: Nisi πρόνη ibi sit scapula, nescire me, quomodo vox illa

An χιλώνη scriptū fuit olim? Apud enim Pollicē reperio, τὸ χελώνιον esse *dorsi partem*. Nec quidquam est, quod aptiùs cum cortice testudinis compararis, quàm scapulas.

locum suum tueri possit. Quid Scaliger, Apotelesm. 97. velit, aut nolit, exputare non possum. Meminit ille ioci Philippi Macedonis in Chirurgum, clauiculæ medentem, & multa poscentem, *Habes clauem*, inquit: sed quid proficit? Verùm ita fit in obscuris: Inter hæc cùm sit clausio hæc, quò magis de illa cogito, eò magis in contrarium sensum feror, idque propter ratiocinium Gal. l. c. Comparans enim bruta, quæ sunt ὀξύστερνα, cum homine, qui est πλατύστερνος, causam refert in absentiam & præsentiam clauicularum. Quò libentiùs accedo ad illos, qui *Iugula* seu *Iugulos* Celsi à *Iugo boum*, seu à *Iungendo* deriuant. Interim non malè illi, qui à Græco σφαγῆ desumunt, quòd desinant ibi, vbi culter adigitur animalibus iugulandis. At qui *Clauiculas* mutant in *Clauos* seu *Clauiculos*, κλεῖδας εἰς γόμφους, inepti sunt.

§. 11. Inter *scapulas* & *sternon mediæ* sunt iunctæ illis per διάρθρωσιν, mediante cartilagine, vsque ad annum 18. Tùm enim ossescit, & peculiare nomen sortitur. Dicitur enim vel ἀκρώμιον, vel κατακλεὶς. Interim quidam collocant in altero extremo, ad sternon. Vide litem in Isagog. cap. 6.

§. 12. *Figura* sunt instar literæ Latinæ maiusculæ S.

§. 13. *Vsui* hoc superaddo, Esse instar perticæ, è transuerso positæ inter duos asseres, ne in se coëant. Hoc verò ad liberum brachij motum facit plurimùm. Sed cur intortæ sunt? Propter musculos & vasa tolli. Sed cur in viris magis, in fœminis minùs? Vt viri maius robur habeant.



CAPVT CI.

De Brachio.

§. 1. Βραχίων Græcis masc. est, Lat. *Brachium*, neutrum. Hæc appellatio Medicis propria esse debet, de parte illa manus, quæ scapulis proximè annexa est. Interim oratores & Poëtæ de tota manu vsurpare possunt. Maior abusus est in voce *Humerus*. Cùm enim, vt dictum est, vel locum denotet, vel articulum duorum ossium: quâ fronte ad alterum os transfertur? augentúrque spontè difficultates? Nec excusat, quod Celsus fecit idem. Præstat enim in arte distinctè loqui. τὸ *Armus* libenter Poëtis defero. Consideramus hîc os, musculos, vasa, ligamenta & Cartilagines.

L. 8. c. 1.

§. 2. De *osse* hoc in primis scriptura dignum est, (nam cætera ad intuitum pertinent quòd & superiùs, quà scapulæ inhæret: & inferiùs, quà cubito articulatur, *Appendices* habet. In his iterū *Processus* sunt, illæ quidem propter ligamentorū ortum: hi autem propter articulationem.

§. 3. *Superior*


§. 3. *Superior* appendix cum suo *Processu* constituit *Caput brachij* dictum, quod scapula per ἐνάρθρωσιν immittitur, & cartilagine multa incrustatum, & ligamentis validis munitum. Hoc caput *duos* habet *processus*, anteriorem & posteriorem, sed innominatos, vt & duos sinus, itidem innominatos.

§. 4. *Inferior* appendix tres promit de se *processus*, quorum alter & externus, est maior; alter & internus, minor. Qui inter hos medius est, peculiare nomen habet, *Orbita* seu *Trochlea brachij*, in qua iterum *sinus* sunt, βαθμίδες dictæ Hipp. 1. Fract. 10. Hîc & Cartilaginis & ligamentorum non minor copia est, quàm ibi.

§. 5. Obseruandum, *superiorem* quidem appendicem manere appendicem per totam vitam: *Inferiorem* autem post septennium ita indurescere, vt processus videatur.

§. 6. Musculorum *descriptionem* & *vsum*, qui vult, à Bauh. 4. Theat. 2. petat: Congessit enim hîc omnia. De *vasis* in extrema manu agam.

§. 7. De *vsu* nemo quærit, quia cognitus est omnibus. Cur vnum tantùm os sit, non æquè notum est. Videri autem potest apud Gal. 2. vs. p. 17.



CAPVT CII.

De Vlnâ & Radio.

§. 1. ΠΗχυς, καὶ ὠλένη, (inuenio etiam ὤλενος) *vlna*, à Græcis fortè acceptum, est inter duo ossa & longius, quòd sæpè toti dat nomen. *Cubitus*, à Dorico κύβιτος, idem patitur. Κερκὶς, *Radius*, alterum & minus os est, quod maiori illi attenditur, inde παραπήχιον, & Latinis literis *Parapechium* dicitur. Apud Hipp. etiam περόνη vocatur, *Fibula*, non minus quàm in pede. Vide Foësium.

§. 2. Quod ad *conformationem* vtriusque, & suprà & infrà habent sua capita, quæ constant ex *Processu* & *Appendice*, si propriè loquaris. In *Vlnæ* seu *Cubiti* (speciatim accepti) superiori capite, quo *Brachio* (non *Humero*) iungitur, tria sunt insignia (*Processus* duo, & *sinus* vnus. *Processus* vterque acutus est, ideò κορῶναι ἢ κορωνὰ dicuntur, 2. vs. p. 14. Horum *minor* & interior nomine caret: *maior* & exterior, etiam pluribus gaudet nominibus. Est autem ille, ᾧ ποτὶ στηριζόμεθα, *cui innitimur*, ait Hipp. 1. Fract. 15. Dicitur ἀγκὼν, *gibber* vulgò: Atticis ὠλέκρανον (non autem ὀλέκρανον) quasi τῆς ὠλένης κρανίον, *vlnæ galea & tutela*: Doribus κύβιτος *Cubitus*, 2. Fract. 66. 2. vs. p. 1. & in Gloss. Tu hinc monitus esto, In anterioribus locutum me esse cum iis, qui partis nomen toti tribuunt, Celsi autoritate, vti ferunt. *Sinus* est is, qui *Brachij* (non *Humeri*) tertium processum, Apud Arist. 1. Hist. 15. lego, ἀγκὼν ἢ ὠλέκρανον.


processum, *Orbitam* seu *Trochleam* dictum recipit, articulationis specie illa, quæ γίγλυμος dicitur. Dicitur σιγμοειδὴς, à figura literæ C. sic enim veteres pingebant Σ.

§. 3. In eiusdem *Vlnæ* capite inferiore, quod *Carpo* articulatur per ἀρθρωδίαν, quæ diarthroseos species est, (ita enim nunc definio) vnicus processus est, modus (inquam) ille, qui initio summæ manus est, & habet in pede duos proportione illi respondentes, *Malleolos* dictos. Hic στηλοειδὴς, an στυλοειδὴς, ἢ γραφειοειδὴς dicendus sit, certamen certatur inter cæcos. Ita loquor: quis enim, qui oculis vti potest, ausit illum comparare cum *stylo* seu *calamo scriptorio*? στηλοειδὴς est, à *steles* seu *columnæ* similitudine. Insidet autem processus hic *Appendici*, vt prædixi.

§. 4. Ad latus *Vlnæ Radius* est, qui vtrinque duplicem habet articulationem, rectam & obliquam. *Hæc* ad *Vlnam* est vtrobique: *illa*, suprà quidem ad processum brachij internum, infrà autem ad primum & secundum Carpi os, per ginglymum.

§. 5. Hìc operæpretium fuerit considerare differentias vtriusque. *Vlna* quidem superiore sui parte est crassior, inferiore tenuior: *Radius* autem contrà, superiore tenuior, inferiore crassior. In medio à se inuicem discedunt. Vtrobique & *cartilagines* & *ligamenta* sunt, quibus intermediis articulationes firmantur.

§. 6. *Vtrumque os* suos & sibi peculiares musculos habet, de quibus consules Bauh. 4. Theat. 11. & 21. Præest *Vlna* rectis motibus: *Radius* obliquis. *Illi*, quia fortes sunt, laxam requirebant articulationem: *hi* quia debiles, strictam. Sed ita est: Superiùs pro vtrisque laxa est; inferiùs stricta.



CAPVT CIII.

De Carpo & Metacarpo.

§. 1. Καρπὸς quia apud Hipp. semen est, puto veterum aliquem tribuisse vocabulum paruis his ossiculis: imò puto quosdam καρπίον etiam vocasse, quod Græcis solemne sit indistinctè vti primitiuis & diminutiuis. Inde enim est τὸ μετακάρπιον, quo omnes vtuntur. Ego verò primitiuum oppono primitiuo. Apud Latinos *Brachiale* est, & *Post brachiale*, ab armillis hìc gestari solitis. Posterius hoc παλάμη, *Palma* est, non autem *Palmus*, quod παλαιστὴ Græcis est, *mensura quatuor transuersorum digitorum*. Et hæc est differentia inter *Palmam* & *Volam*, quòd Vola sit interior manus pars. Huius (volæ) partes quædam sunt, quarum meminisse oportet propter Hipp. τὰ θέναρα, 1. Fract. 20. sunt τὰ ἐξέχοντα τῶν χειρῶν, *partes manuum exstantes*, ἀπὸ τοῦ θένειν, quod est *percutere*, inquit

Προκάρπιον & μεσοκάρπιον quid sint, ignoro.

inquit Gal. ex aliorum ſententia. Hoc Ruffus adſtringit ad eminentiam illam, quæ ſub pollice eſt. Idem ὑπόθεναρ vocat, quod huic ex aduerſo reſpondet in ima manu, versùs minimum digitum. Sed alij ita vocant id, quod quatuor digitis præiacet, & eſt στῆθος τῆς χειρὸς, *pectus manus*. Nimirum ita ego concilio, quæ in diuerſis Ruffi Codd. ſunt.

§. 2. *Carpi* oſſa non ſeptem ſunt, ſed octo, duplici ordine diſtincta, ligamentis validis iuncta, vel per συνάρθρωσιν, vel per διάρθρωσιν, vel medio modo. De *octauo* mirificæ lites ſunt, huc non accerſendæ. Facta eſt hæc pars ex tot oſſibus, vt cedentibus ſingulis parùm, *motus* quidam *obſcurus* edatur. De hoc motu quid dicat Gal. & quid ego ſuper eo commentatus ſim, vide 2. vſ. p. 8. De *Subſtantia* idem dictum eſſe volo.

§. 3. *Metacarpi* oſſa, non quatuor ſunt, ſed quinque. Quod enim pollici præſtruitur, non eſt primus eius modus, alioquin ſimile futurum reliquis eius nodis. Nunc verò metacarpi oſſibus aſſimilatur. Hæc, quà digitos attingunt, appendices habent, è quibus ligamenta egrediuntur, pro firmanda articulatione illorum cum digitis. Hæc eſt media vel dubia illa, de qua dixi. Diſtant inter ſe, vt locus ſit muſculis interoſſeis, de quibus dicetur. *Vſus* eſt ad firmiorem apprehenſionē.



CAPVT CIV.

De Digitis, tam in genere, quàm in ſpecie.

§. 1. DIgiti Græcis ſunt δάκτυλοι. His quod ſimilis eſſet quidam palmarum fructus, dicti ſunt omnes *Dactyli*, etiamſi alius figuræ ſint, vt ſcitè M. Vergilius in Dioſc. l. 1. c. 129. Quod dico propter originatores quoſdam ineptos. Horum inter ſe ordo ταρσὸς dicitur, à ſimilitudine remorum in naui. Auſim iurare, ab eodem ordine eſſe τὸ φάλαγξ ἢ φαλάγγιον. Fortaſſis ab eodē τὸ σκυταλὶς eſt. Fortaſſis τὸ κτεὶς quoque. Aliàs tam abſurda & diſſona afferuntur de his vocibus, vt pudeat me illorum. Tale imprimis eſt, quod vrgetur ex Gal. lib. de Oſſ. 18. ſignificare ipſa oſſa digitorum. Atqui apud Ariſt. quoque eſt τὸ φάλαγξ? Eſt: ſed de metacarpo potiùs, quàm oſſibus digitorum. Quam igitur vocem dabis pro oſſibus? τὸ κονδύλος, quatenus pars toti dare nomen poteſt. Hoc eſt, quod Philoſophus ait, τὸ καμπτικὸν, κόνδυλος. Vnde Ruffus, αἱ κάμψεις τῶν δακτύλων, κόνδυλοι. Neque enim, quod quis putet, ad ſolas articulationes pertinent: ſed ad oſſa potiùs articulata. Hinc eſt μονοκόνδυλος, δικόνδυλος, τριικόνδυλος, προκόνδυλος, μετακόνδυλος, & his ſimilia. Hinc eſt τὸ κονδυλίζω, κονδυλισμὸς, qui fit pugno, h. e. manu in condylos contracta. Ita in verſu, quem Muretus pro ἀκεφάλῳ habet, ſed quem Barthius ita inuenit ſcriptum, 1. Hiſt. 15.

Ἄρτον δὸς πτωχῷ, καὶ κόνδυλον αὐτὸν ἐπ' ἄρτῳ.

Latinè *Nodum* dicam, non *Internodium*.

§. 2. *Nodi* an sint tam solidi, quàm Gal. vult 1. vs. p.15. sensus te docebit. Singuli quam habeant conformationem, idem te erudiet. Cum *metacarpo* quidem articulantur per modum illum dubium, de quo dixi; ipsi inter se, per γίγγλυμον. Articulantur autem ea ratione, qua vertebras spinæ iungi dixi, mediantibus (inquam) duabus appendicibus, vtrinque vna, idque, vt ibi propter ligamentorum ortum, vnde est insigne illorum robur. Hæ *appendices* habent iterum suos *processus*, ad tactum conspicuos.

§. 3. *Numero* quindecim sunt, in singulis scil. terni, vnde omnes sunt τρικόνδυλοι. Quod enim de pollice creditum fuit olim, δικόνδυλον esse, iam refutatum est à Gal.

§. 4. His modis interiiciuntur ὀστάρια σησαμοειδῆ, *ossicula à sesami seminis similitudine dicta*, numero duodenario vt plurimùm clausa. Creduntur famulari securitati articulationis.

§. 5. Totius manus *conformatio* in quinque digitos, & ita quidem, vt quatuor in vna serie positis, opponatur vnus pollex: digitorum ipsorum structura ex tot ossibus, cum circumiecta carne: eorundem inter se inæqualitas, & flexio ad cauum, & siquæ sunt alia, diligentissimè explicata sunt à Gal. 1. & 2. vs. p.

§. 6. A generalibus vt veniam ad specialia, Digitorum *primus Pollex est*, quasi plus polleat, quàm alij digiti, vt apud Cic. est. Hinc nostri *Promanum* dixere, vt *proregem* dicunt, *proconsulem*, & alia non satis Latinè. Græci ἀντίχειρα vocant, vt est apud Homerum ἀντίθεος, inquit Scal. Quod ita intelligas velim, vt ἀντίθεος est ἰσόθεος: ita ἀντίχειρ est ἀντὶ τῆς ὅλης χειρὸς, *loco & dignitate totius manus*, quippe, ὅσις τοῖς ἀντιτεταγμένοις τέτρασιν ὁμοῦ πᾶσιν ἰσόρροπον χρείαν παρέχεται, *qui oppositis quatuor omnibus simul æqualem vsum præbet*, vt Gal. loquitur 1. vs. p. 22. A. vbi vide Com. nostra. Apud Hipp. 1. off. Med. 21. est ὁ μέγας δάκτυλος, ἀπεναντίος τῷ λιχανῷ, *magnus digitus indici oppositus*. Apud Aristot. 1. Histor. 15. μονοκόνδυλος est, certissimo loci vitio. Nam & apud Plinium (is sua inde depromere solet) lib. 11. c. 48. τρικόνδυλος est. Quod ipsum contra eos est, qui δικόνδυλον faciebant olim, vt iam suprà innui. Hoc si benè habet, falsum quoque erit τὸ δικόνδυλος, quod sequitur de reliquis digitis.

Vide Giraldum Dialogismo secũdo, Pithœum, 1. Hor. subseciuar. 7. Alexan. ab Alex. 4. Genial. 26.

§. 7. Digitorum *alter* est *Index*, δεικτικὸς ab omnibus vocatus. Dicitur & λιχνὸς, ἢ λίχνος, *Ligur[r]itor*, quòd Apicij cupedias suas pollice cum indice iuncto carpant. Qui à linctu medicamentorum ducunt, falluntur. Est enim digiti medici mox dicendi officium. Hinc puto esse τὸ λιχανὸς apud Hipp. l. c. contra cuius voluntatem quidam tribuunt appellationem medio. Qui ἀπὸ τοῦ λείχειν deriuant, tolerari possunt, siquidem concedunt vocabulum poëticum esse. Qui dictum volunt ἀπὸ τοῦ λίαν χαίνειν, longiùs abeunt, & sine causa. *Salutarem* à Suetonio

dici

dici volunt, propter illud Harpocratis,

——————*Digito compesce labellum.*

§. 8. Ο μέσος, *medius* dicitur ab omnibus, qui tertius in ordine est, & longissimus. ὥσπερ κώπη μέσον νηός, inquit Arist.4.Part.10. De quo loco, vt & parallelo Gal.1. vs. p. 24. vide deambulatiunculam bellam, nî fallor, in physiolog. nostris, c.279. An Hipp. loco iam bis citato vocat τ̀ μέγαν τ̀ ἐν μέσῳ, *magnum, qui in medio* ? Incipio enim dissentire à meipso, Com. in eundem de vs. p.9. & ita expono locum, *Digiti naturalem suam constructionem habent, si longior quidem sit ille, qui in medio est: maior autem ille, qui indici opponitur.* Non enim infrequentes sunt Græcis transpositiones eiusmodi. Quod si τὸ μέγας, *longus* exponi non potest, vt profectò potest, lege τ̀ μακρόν. Quò enim vna corruptio pertingere potuit, (loquor de initio textus Hipp. δάκτυλον ἐκφυωμαι) eò etiam aliæ peruenire potuerunt. Apud Poëtas, si mihi euagari paululum licet, digitus hic *Famosus* est, *Obscœnus, Impudicus, Infamis*, non autem *Verpus.* Hinc prouerbium exstitit, *Digitum medium alicui ostendere*, quod extremi contemptus est. Hoc apud Laërt. Diogenes Cynicus designat in Demosthenem. Cum hoc, nisi me decipio, idem est illud eorundem, *Ciconia pinsit*, tractum (vt puto) ab ibide, è ciconiarum genere, quod vsum Clysteris nobis ostendit. Vtrumque est in pathicos, quos καταπύγωνας ἢ εὐρυπρώκτους vocant Græci, ad quos pertinet illud in Eunucho Terentiana, *Lepus tute es, & pulpamentum quæris.* Differt ab vtroque, *Far li figi* Italorum *Einem die feigen zeigen.*

§. 9. Δακτυλιώτης, *anularis*, qui quartus est, ita dictus fuit iam olim, quòd auro illum vincirent prisci. Hanc dignitatem ab Anatomicis Ægyptiis habet, qui nescio quem neruum è corde (sed ad sinistrum tantùm) huc euntem viderunt. Autor eius Gellius est l.10. cap.1. Eidem digito sponsus indebat anulum, vt scribit Macrobius 7. saturn.13. Eodem Medici miscebant medicamenta: vnde *Medicinalis* dicebatur, vt apud eundem est. An de eodem caperet oportet scomma μακροπαροίνιον apud Aristoph. in Nebulis? Vocat enim Medicos σφραγιδονυχαργοκομήτας. An κομιστὰς scripserat ille? Ita essent, *Anulorum signatoriorum in extremo digiti medici inertes gestatores.* Hoc enim malim, quàm id quod Septalius 1. Animadu. ait, *quod digitos ad vngues vsque anulis ornarent.* Propono considerandum, An hi anuli fuerint πλεγμάτια illa, οἷς οἱ ἰατροὶ οἱ ἀρχαῖοι τοὺς δακτύλους ἐνέβαλον; *Volumina, quibus prisci Medici digitos implicabant*? Apud Arist.4.Part.9. Noui, quàm difficulter huc pertrahi possint αἱ κοτυληδόνες, καὶ αἱ πλεκτάναι: Sed tamen ornamentum fuisse, certum puto esse. Quidquid sit, vt libenter do amicissimo Kirchmanno, πολυμαθεστάτῳ de Anulis, ius aureorum anulorum apud Romanos incepisse ab Augusto Imp. ita spero daturum mihi, Græcos multis seculis antè habuisse. Et quidni, cùm Æsculapius originem suam ad Apollinem referat? Sed hæc παρέργως.

§. 10. Ωτίτης, *auricularis*, quare dicatur vltimus, notum est omnibus.



CAPVT CV.

De Musculis, ligamentis, & cartilaginibus manus extremæ.

§. 1. MVsculi aut sunt Scapularum, numero quatuor: aut Brachij, numero septem: aut Cubiti, numero quatuor: aut radij, itidem quatuor: aut Carpi, pariter quatuor: aut Digitorum, incluso pollice, viginti nouem. De his sciendum, distingui in *Flectentes* & *Extendentes*, sub quibus peculiares sunt, peculiaribus quippe donata nominibus, *Lumbricales*, seu *Vermiculares* & *Interossei*. Vide Bauh.4.Theat. 13.& seq.

§. 2. *Ligamenta* quidem sunt varia, quæ iubeo te quærere apud eundem, c.22. ego verò commendo tibi vnum illud & princeps, quod carpo instratum anuli seu armillæ modo ambit & firmat tendines ex cubito ad digitos euntes ideò, *Anulare* dictum. Hoc si minùs firmum sit, causatur affectum, quem nostri vocant *das handt verstauchen*, quem ligaturâ curant.

§. 3. *Cartilagines* passim interiectæ sunt, faciúntque συγχονδρώσεις.



CAPVT CVI.

De Vasis totius manus.

§. 1. VEna caua truncus, è thorace ascendens ad *Clauiculas*, diuiditur ibi in ramos duos insignes, dextrum & sinistrum, quorum vterque (intra thoracem adhuc) *Subclauius* dicitur Nostratibus, à loco. Postquam thorace elapsus est indiuisus, & ad axillas peruenit, iam *Axillaris* dicitur. Hic (non subclauius) diuiditur in duas venas magnas, superiorem, & inferiorem, quarum illa, in brachium iam egressa, vel *Cephalica* dicitur, vel *Humeralis*: hæc itidem in brachio, vel *Basilica* vno nomine, vel *Hepatica*, *Lienarisve* vocatur prout vel in dextro, vel in sinistro latere est.

§. 2. *Cephalica*, quæ superior & exterior est, eadémque minor, deorsum per *Brachium* ad *Vlnam* profecta, emittit de se ramulos quosdam in vicinos musculos. *Basilica*, quæ inferior & interior, eadémque maior, (*Funis brachij* Auicennæ) pariter in descensu deorsum, aliquot ramulos

laterales

laterales spargit, inter quos *Thoracica inferior* est, cui hoc proprium est, quòd cum propaginibus venæ ἀζύγου dictæ suprà è thorace dilapsæ, συναναστομοῦται. Hæc ab Hippocr.4.Acut.24. ἡ εἴσω φλὲψ dicitur, vt possis illam vocare τὴν ἔσω φλέβα.

§. 3. Eadem *Basilica* cùm per longitudinem brachij ad flexuram peruenit, subdiuiditur in duas, quarum *altera* profunda est, & ampliùs huc non pertinet: *altera* subcutanea, quam persequimur. Introrsùm enim vrgens, & occurentem sibi *Cephalicæ ramum* excipiens, constituit cum illa *Medianam*, seu *Communem* vulgò dictam, ab Auicenna *Nigram*. Verùm enim verò animaduersione dignum est, Coniunctionem hanc non semper fieri in ipsa flexura: sed vltra illam, duorum aut trium digitorum transuersum spatio, vt in me ipso quoque. At Chirurgi, *Medianam* secturi, cùm flexuram deserere non ausint, loco Medianæ, secant vel *ramum Cephalicæ*, ab exterioribus ad interiora euntem, vt dixi: vel *Basilicæ*, ab interioribus ad exteriora repentem.

§. 4. Hæc *Mediana*, obliquè deorsum lata, cum Cephalicæ ramo exteriori, inter *Indicem* & *Pollicem* miscetur, & venam constituit, quæ *Ocularia* & *Capitalis* est Chirurgorum, *Saluatella* quibusdam malè. Ibidem inter *Indicem* & *Medium*, alia fit mistura, quam *Syelem* Auicennæ, *saluatellam* alij nuncupant. Sed verior est sententia illorum, qui *saluatellam* collocant inter *Anularem* & *Minimum*. Aliarum propaginum ad musculos & cutim ratio hîc non habetur.

§. 5. Mihi instituta fuit hæc oratio, vt Æsculapiis nostris (sic Vesalius vocat) persuadeam, nullatenus opus esse accuratione illa, qua in phlebotomiis vtuntur. Sic autem breuiter se habet, præeuntibus præceptoribus opt.max. quà in Italia, quà in Germania.

§. 6. Constituto primùm illo ex habitis scopis, venam esse secandam: Constituto deinde illo, quod proximum est, ex superioribus, an inferioribus, (brachio an pede) sanguis sit emittendus? Constituto denique tertio, ex maioribus, an minoribus vasis? (in flexura brachij, an in manu? in poplite, an in summo pede?) non refert quam seces. Imò, securus de cæteris, secato illam, quæ & prominentior est, & minus periculi habet, propter vicinos neruos, tendinésve. Hæc etiam Vesalius & Fallopius docent. Et hæc de Venis.

§. 7. *Arteriæ magnæ truncus ascendens*, solius quidem est dictæ iam venæ: sed hoc discrimine. *Arteria* sub axillis non diuiditur ita vt vena: sed simplex (exceptis minoribus surculis) descendit vsque ad cubiti. *Flexuram*. Ibi dirimitur in duos ramos, qui multis locis συναναστομοῦνται cum venis. De his tantò minùs laborandum est nobis, quò infeliciores sumus propter amissam *Arteriotomiam*.


§. 8. *Nerui* ex *medulla spinali* in manum eunt, modò quinque, modò sex, si paria numerare satis sit, ex quinta, sexta, & septima colli vertebra, & prima, secundáque thoracis. Horum iter qui peruestigare volet, faciat, ex superabundanti. Nobis enim hoc satis est: quin & futuro Practico.



CAPVT CVII.

De actione manus.

§. I. MAnus est ὄργανον ἀντιληπτικὸν, *instrumentum apprehensorium*, vt & actio, ἀντίληψις, *apprehensio*. Hanc actionem quantopere extollat Gal.1.vſ.p.10. videat qui vult. Hanc quatenus habeat pes quoque, (eſt enim ὄργανον ἀντιληπτικὸν πῶς, *quodammodo*) legi poteſt 3.vſ.p.10.



CAPVT CVIII.

De Cruribus.

§. I. TO Σκέλος, *Crus*, apud Hipp.& Gal. eſt totum id, quod proportione reſpondet *Manui*, id inquam, quo incedimus. Diuiditur pariter, primùm in quatuor partes magnas, os ſacrum: Femur: Tibiam cum Fibula: Pedem. Pes iterum in tres paruas, Tarſum: Metatarſum: Digitos.




CAPVT CIX.

De Osſe ſacro.

§. I. PRæhabitis duobus ſuprà dictis, *altero*, Magnum potiùs debere dici; *altero*, complecti me hoc nomine oſſa etiam vtrinque adhærentia: iam dico, *Os* quidem *ſacrum* conſiderari quatenus eſt baſis ſpinæ, cui totius corporis moles ſuperincumbit: *os* autem *coxæ* ſeu coxendicis, quatenus analogum eſt ſcapulis, *& os femoris* recipit.

CAPVT



CAPVT CX.

De Femore.

§. 1. MΗρὸς, ἢ μυελὸν, *Femur*, aut *Femen*, proportione respondet brachio. Hoc, perinde vt brachium tam superiùs, quàm inferiùs, *Appendices* habet, in quibus ipsis *Processus* sunt.

§. 2. *Superior* appendix *Caput femoris* constituit,& est amplum, rotundúmque si vnà cum processu, cui innascitur, accipias. Nimirum hoc discriminis est, quòd appendix in brachio facit totum caput: in femore, exactè mediam partem. Habet & hoc peculiare, quòd brachij os rectà descendit: femoris obliquè deorsùm & extrorsùm fertur, constituítque τ̄ αὐχένα ἢ τράχηλον, *collum*, seu *ceruicem femoris*, dictum. Hoc caput cum osse coxæ iungitur per διάρθρωσιν, mediante cartilagine. Iunctura,præ articulatione brachij cum scapulis,hoc insigne habet,quòd,præter ligamenta articularia, extrinsecùs ambientia, in ipso acetabulo ligamentum habet *teres* & *robustum*, quòd articulum ita firmat, vt vel ceruix, vel appendix abrumpatur potiùs quàm articulus excidat, quod exemplis comprobaui, Com. in 13.vs. p. vlt. num.170.

Ergo τὸ ἐντὸς quod est lib. de Oss. cap.21. mutandum est in ἐκτὸς, ex 3.vs.p.9.

§. 3. Iam,hæc *ceruix* iterum duos habet *processus*,in quorum vtroque rursus duæ sunt *appendices*. *Processus superior*,& maior, vel simpliciter dicitur τροχαντὴρ, (ἀπὸ τ̄ τροχάω ἢ τροχάζω, quod est τρέχω,*curro*, seu *conentius eo*) *Rotator* vulgò: aut cum additione μέγας, *magnus*. Dicitur etiam γλουτὸς,*Natis*,de Oss.21.*Processus inferior*,& minor dicitur τροχαντὴς μικρὸς, *Rotator minor*. Facti sunt ad musculorum quorundam tum emissionem, tum insertionem.

§. 4. Posthæc ὁ μηρὸς, γαῦσος factus εἰς τὰ ἔξω, vt ferè Hipp. loquitur,2.Art.69.obliquè versùs exteriora detortus, descendit ad genua,vbi desinit in duo capita, quæ pariter constant & appendice, & processu, distincta in medio seu sinu manifesto, vt in brachio quoque. Fit itaque hîc quoque γίγγλυμος, sed cum hac differentia: Tam laxa hîc est articulatio,vt opus sit peculiari cartilagine,quæ à forma σιγμοειδὴς, *lunata* dicitur. Qui alij hîc sunt *sinus*,*asperitates*, *lineæ*, &c. ad conspectum pertinent.

§. 5. Hoc fortassis scire desideras: Cur femur,non tantùm ceruicem habeat extrorsum se inclinantem: sed & ipsum eò vergat? Comparat quidem Gal.3.vs.p.4. ceruicem hanc cùm clauiculis, & posteà cap.9. exponit causam,sed obscuriusculè. Huic quam lucem afferre voluerim, videsis in Com.

§. 6. Musculorum historiam longam, intricatámque reperies apud Bauh.4.Theat.32. De vasis sub finem.

CAPVT



CAPVT CXI.

De Tibia, & Fibula, cum præstructa ipsis Patella.

§. 1. OSsa hæc duo respondere *Vlnæ* & *Radio* in brachio, ne monitore quidem opus habet. Ergo, quod *Vlnæ* opponitur, κνήμη est Græcis, quam vocem significare omnem ἐξοχὴν, *protuberantiam*, reperio. Habet autem, cùm alias, tum præcipuè in anteriore parte vnam tam insignem, vt proprium nomen acceperit. Dicitur autem ῥάχις, *ocris*, vt suprà, non ἄκανθα, *spina*. Ab hac igitur eminentia (nisi malis Anatomicè loqui, *Processu*) totum os habet nomen. A Latinis *Tibia* dicitur, non quod tibiæ, instrumento Musico, simile sit: sed quòd primæ tibiæ ex cruribus gruum fierent. Propterea pastoribus proprium est hoc instrumentum. Quod verò os *Radio* ex aduerso iacet, περόνη, *fibula* dicitur, quamuis, vt suprà monui, Hippocr. ipsi etiam *Radio* tribuat. Sed quæ ratio nominis? An, vt in Architectura trabes rectæ per transuersas (*Fibulæ* autem hæ sunt, *die spangen*) firmantur: ita hîc quoque? An hinc occasio nascitur dubitandi de vulgata lectione apud Ausonium, *Vara vibiam sequitur*? Vibia enim cùm sit vox omnibus Grammaticis ignota; fibula contrà: quid si *Vibia* mutetur in *Fibulam*?

§. 2. De nominibus hoc ampliùs tenendum est. *Anterior* pars tibiæ dicitur, non tantùm ῥάχις, *ocris*: sed & ἀντικνήμη, ἢ ἀντικνήμιον: *Posterior* carnosa seu pulposa vocatur γαστροκνήμη, ἢ γαστροκνήμιον, *Sura*. Ἀπὸ τῆς *Ocris* esse *Ocream* (calceamenti ærei primorum duorum ordinum militarium genus) vt planè credo Festo: ita τὸ ἀντικνήμιον esse *Ocream*, aut, vt inepti quidam, *Cream*, nec Gazæ, nec cuiquam alij credam. Quin autor est Illustr. Scalig. in Hist. Arist. Gazam illusisse nobis. Multò minùs credo, τὸ γαστροκνήμιον veteribus esse κρέαν, vnde *Ocrea*, vt Bauh. loquitur. Multò minimè, *Ocream*, quasi ἄκρεαν dici, per ἀντίφρασιν, çùm carnosissima sit pars illa. Nullatenus permitto, vel κνήμην vocari τὸ γαστροκνήμιον: vel *suram*, Fibulæ os.

§. 3. Quod ad *Conformationem* vtriusque, Quemadmodum in *Cubito* vtrumque os habebat sua capita: ita hîc quoque res habet. Vt ibi constabant capita ex processu & superimposita appendice: ita hîc quoque. Ceu suprà *Radius* copulabatur cum *Cubito*, per συνάρθρωσιν, aut potiùs illam συναρθρώσεως speciem, quæ ἀρθρωδία est: ita hîc etiam. Veluti in descensu discedebant à se ossa illa duo: ita hîc etiam. Differentia autem in eo est, Non vt ibi *Cubitus* solus, cum *Carpo* iunctus,

facit

facit processum (nisi appendicem vis) σιλοειδῆ dictum, sic hoc quoque loco: sed vtrumque os, *Tibia* quidem constituit *Malleolum internum*: *Fibula* autem *externum*. Nimirum, σφυρὰ, τὰ, *Malleolos* Latini vocamus processus istos proportionatos, vt suprà quoque innui. Quo ipso notatur error vetus, qui ἀστραγάλους, *Talos* appellitabat, Gal. de Oss. 22. Sed cur duo hîc sunt *processus*? Vt firmior sit articulus, qui gestat molem corporis.

§. 4. His addere hæc etiam oportet, vt ibi in *Cubito sinus* vnicus erat, qui *Orbitam*, seu *Trochleam brachij* in se condebat: ita hîc *duo* sunt *sinus*, in quos duo capita inferiora femoris se insinuant. Inter hos sinus medium est *Tuber*, seu *Tuberculum*, quod ἐξοχὴν νευροχονδρώδη, *extuberantiam ex ligamento & cartilagine mistam* vocat Gal. l. c. Ita autem loquitur, vt indicet ligamentum illud, quod quoquomodo respondet tereti illi, quod dixi in ipso femoris acetabulo esse. Præter hoc *ligamentum* sunt alia quoque, quæ extrinsecùs articulum muniunt. Sunt & *cartilagines* hîc, vt in brachio: peculiaris verò *lunata* illa, de qua in Femore dixi.

§. 5. Et hæc quidem de supernis partibus: in infernis pariter duo sunt *sinus*, sed minùs profundi, quos in medio distinguit *tuberculum*, & ipsum minus acutum, è quo prodiens ligamentum amplexatur *Talum*. Præter hoc sunt hîc quoque alia ligamenta: sunt etiam cartilagines, quæ ossa ingredientia inungunt.


§. 6. Post *Tibiam Fibula* est, quæ vt in brachio duplicem etiam habet articulationem, *Obliquam alteram* cum Tibia, vtrobique per ἀρθρωδίαν: *Rectam alteram*, sursum quidem cum Tibiæ capite, deorsum autem cum Talo, per eandem ἀρθρωδίαν, mediante ligamento cartilagineo.

§. 7. Hîc quoque *Tibia* quidem superiori parte crassior est inferiore tenuior: *Fibula* autem contrà. Hoc verò peculiare habet articulus inferior, quòd Fibula superet Tibiam, & contrà Tibia se demittat. Hinc adeò fit illa q. permutatio, vt Tibia introrsum repens faciat *Malleolum* internum, ceu dixi: Fibula contrà.

§. 8. Hoc loco interfari oportet de *Patella* vulgò dicta. Hæc vox est mihi diminutiua à *Patina*, potiùs *Patena*. Græcis est ἐπιγονὶς, ἡ ἐπιγονατὶς, & poëticè ἐπιγουνὶς, ἡ ἐπιγουνατὶς, quòd sit supra genu. Iisdem est μύλη, *mola*, à lapidis molaris, seu molæ asinariæ similitudine. Quo dato difficulter credo ἐπιμυλίδα dici posse. Difficiliùs μυλακρίδα. Est enim insecti nomen. Huius *vsus* firmare hunc articulum, circumiectis q. in orbem tendinibus musculorum. *Ligamentorum* ob id nulla est necessitas.

§. 9. De *musculis* audituro, opus est præmonitore. Non enim quemadmodum in manu, pro duobus ossibus facti sunt duo musculorum ordines; ita hîc etiam. Quod enim Galen. in libb. de vs. p. non semel docet. Cùm Natura duplicem haberet scopum, Actionis

præstantiam, & securitatem: non posset autem vbique locorum pariter vtrique studere: modò illam pro primario scopo habuit, modò hanc. *In manu* cùm Actiones præcipuè spectaret, & articulos fecit laxos & musculos radio peculiares dedit, vt in obliquum etiam facili momento verti posset. *In pede* cùm securitatem haberet potiorem, & articulos construxit firmos, & musculos vastiores quidem, sed vni *Tibiæ* seruientes, adeóque vni motui recto. Inuenias quidem duos *Peroneos* musculos, verùm illi dicati sunt, non fibulæ, sed vni imo pedi. Ergóne tibia destituitur motu obliquo? Non obeunt autem illum tibiæ musculi omnes, cùm simul agunt.



CAPVT CXII.

De Pede.

§. 1. ITa loquor cum Hippocr.2.Fract.8.annotāte Gal.3.Ex.Anat.2. A. De huius partium nominibus quam ausus sum audaciam præf.Com.in 3.vs.p.eam hìc repeto. Vt proportio sit totalis inter manum & pedem, *Tarsum* quidem carpo oppono: *Metatarsum* autem Metacarpo. Cæterùm, *Tarsum* voco, non quatuor tantùm illa ossicula, quæ cum *Metatarso* immediatè cohærent: sed & tria anteriora, quæ peculiaria nomina habent, vt dicam. Metatarsum substituo veterum vocato πεδίῳ.

§. 2. Vt absoluam me à nominibus, quod attinet tria iam tacta, ordior orationem, non ab omnium maximo, sed dignissimo. Id verò est ὁ ἀστράγαλος, (ἄστειος poëticum est) *Talus* dictus, quippe cui vtrinque inarticulantur duo *Malleoli* dicti, & seruit motui pedis. Dicitur etiam τέτρωρος. *Quadrio*(non *quatrio.*) quia ferè quadratus est instar talorum in alea. Huic vicina debet esse ἡ πτέρνα, *Calx*, seu *Calcaneum*, quia illi quoque iungitur duobus locis, per ἐνάρθρωσιν. Hoc omnium maximum est, factúmque ob firmitatem in motu. Dicitur etiam πλῆκτρον τοῦ ποδὸς, *Calcar pedis*. Articulatur anteriùs *Talo*, per ἐνάρθρωσιν: posteriùs cum quatuor ossiculis, eodem modo. Est enim nonnisi obscurus motus, vt in Carpo. *Tertium* os dicitur σκαφοειδὲς, *nauiforme nauiculare*. Hoc cum tali capite committitur eodem iterum modo. His tribus ossibus in manu nihil respondet.

An τέτρωχος? An potiùs Poëticum est, ὦρος pro ὅρος, *terminus*.

§. 3. Ex reliquis quatuor *primum* tantùm habet nomen, quod est ὀστοῦν κυβοειδὲς, *os cubiforme*, quòd cubi vel tesseræ modo sit quadrilaterum. Quæ supersunt tria, vno nomine χαλκοειδῆ dicuntur, quòd *ferri instar* solida esse credantur. Tamen quidam è nostris excogitarunt peculiares appellationes, *Cuneiforme* maius, minus, medium vocantes. Et


hæc

hæc *ſeptem* oſſa proportione reſpondent *ſeptem* Carpi oſſibus, vt loqui mihi licet cum pleriſque Anatomicis. De octauo enim lites ſunt, quos vide Com.in 2.vſ.p.12.

§. 4. *Metatarſi* oſſa quinque ſunt, pro numero quinque digitorum, quorum tria quidem ſuperiora, pollicis, indicis & medij, cum tribus poſteriore loco in *Tarſo* dictis iungitur per arthrodiam: duo reliqua *oſſi Cubiformi*, eodem articulationis genere.

§. 5. *Digitorum* oſſa in ſubſtantia & figura non differunt à digitorum manus oſſibus. Interim differentia in eo eſt, quod pollex, neque ita diſcedit ab indice, neque tria, ſed duo tantùm oſſa habet. His annumerare oportet totidem ſeſamina, quot in manu fuerunt.

§. 6. *Muſculorum* ratio ferè illa eſt, quæ in manu, niſi quòd pro pollice non ſunt parati peculiares. Pro his in tarſo factum eſt ligamentum *Anulare*, quale in manu eſt, quod Veſalius & ſtylo & penicillo pulcrè deſcribit. De reliquis, vt & de cartilaginibus, viſe ad d.Veſal.



CAPVT CXIII.

De Vaſis crurum.

§. 1. VEnæ & *Arteriæ* abdomine exituræ hoc inſigne habent, quòd *ſitum* mutant. *Arteria* enim, quæ Venæ cauæ ſubiecta erat, hic inequitat illi. *Vtraque* iamiam elapſura abdomine, diuiditur in ramos duos magnos, *Iliacos* dictos, proportione reſpondentes *ſubclauiis* ſuprà. Poſtquam elapſæ ſunt, *Crurales* appellantur, & opponi debent *Axillaribus*. Diuiduntur quidem Venæ, vt in brachio, in ramos duos magnos: verùm nomina non habent, vt ibi. Sed neque in poplite æquè conſpicuæ ſunt, vt in cubiti flexura: ſed vna eſt ibi *Poplitéa*, quam veteres incidebant frequentiùs, nos vix poſſumus, quod nimis abſcondita ſit in magnis illis muſculis. Petrus Paulus Magnus, Chirurgus apud Romanos ſuperiori ſeculo celebris, nonniſi ſemel ſecuit. Huic ſubſtituunt noſtri in malis Iſchiadicis, Iſchiadem ob id dictam venam, ſub genu intrinſecùs. Sed hæc minor eſt, quàm vt ſufficere poſſit. Idem volo dictum eſſe de iis, quæ circa *Mallèolos*, & extremos digitos ſunt. Ad has vbi ventum eſt, puta præhabitis διοϱισμοῖς ſuperioribus, diſtinctione aut cura alia opus non eſt. Omnes enim in ſe inuicem aperiuntur.

Vall. 4. in 2. Epid. 1. vult in thorace fieri idem: ſed nõ eſt.

§. 2. De *Arteria* hìc penè fit, vt in brachio. Non enim diuiditur in ramos tam inſignes, vt vena, ſed exiguos. De horum apertione non laboramus hodie, ideò non procuramus grauiſſimos quoſque morbos, vt Maſſ. alicubi conqueritur.

§. 3. *Nerui* huc euntes ſunt tam ex *Lumborum* ſpondylis inferioribus tribus, quàm ex *Oſſis ſacri* ſuperioribus quatuor. De actione pedis dixi. Et hæc de Anatomia.



CAPVT CXIV.


Cumulus errorum, ab iis commissorum, qui Institutiones Anatomicas scripserunt.

§. 1. VANDOQVIDEM cohors prætoria, cum qua congredi voluimus in superioribus, ferè extra teli iactum est, timida potiùs, quàm prudens, successerunt verò triarij aliquot: age inspiciamus obiter arma illorum. Inter hos *primum* fuisse reperio IOH. VVINTERIVM, quem à patria ANDERNACVM vocamus. Huius non nisi alteram editionem vidi, quæ facta est Basileæ in 4. anno 1539. Hanc recusam fuisse Vvitebergæ 1585. verisimile fit. *Secundus* IACOBVS SYLVIVS est, Venetiis 1554. in 8. *Tertius* GABRIEL FALLOPIVS, Francofurti 1584. Nam quæ Valgrisius eodẽ anno in f. & 60. in 4. edidisse fertur, non vidi. *Quartus* est CASP. BAVHINVS, Francof. in 8. 1616. quæ est quinta & vltima editio. *Quintus* est CASP. BARTHOLIMVS, Rostochij in 16. 1626. quæ etiam postrema editio est, vt puto.

§. 2. FALLOPIVM breuiter absoluo. Non enim credo, authorem illum esse scripti tam leuidensis, quippe quod cauda & capite caret. Imò si dicendum quod res est, tale est, qualia parabantur à nobis Patauij, *Post* visas sectiones, & lectiones doctorum nostrorum, memoriæ gratia. Ideo sino prorsùs.

§. 3. De SYLVIO quid sit sperandum, in cœco illo in Galenum amore, dicat ipsus præf. in operam hanc suam benè longa. Si addere tibi libet Cunei iudicium defens. Vesal. contra Fallop. f. 65. ed. Venetæ, 1564. iam securiori tibi esse licebit. Vt aliquid dicam, In ipsa tractatione duo mihi displicent: *Alterum*, quòd totum lib. 1. insumit in

in explicatione partium similarium. Illæ verò seorsim explicandæ erant, & quidem antequàm Anatomica aggrederetur. Simplex enim natura prius est composito. Atqui hoc ipsum fecit! Sed miscuit Anatomiæ, quæ est doctrina de Dissimilaribus. *Alterum*, quòd toto lib. 2. tabulatorem agit. Contra hos cùm legerem olim quid dicat vir summus, SIMONIVS, contra Squarcialupum: ita persuasus sum, vt ne hodie quidem aliter sentire possim, *Tabulæ istæ perpetuæ findunt cerebrum legentis*. His addo tertium, Minuta istæ vasorum distributiones τοῖς εἰσαγομένοις necessariæ non sunt. Quæ in tertio libro habeo: sed non sufficiunt discenti.



CAPVT CXV.

Contra Andernacum.

§. 1. LIB. 1. vtraque manu accipio diuisionem corporis humani in *Ventres* & *Artus*: sed ipsa διήγησις profectò latior est, quàm Institutionistæ conueniat. Hoc ostendam obiter, & primum in Abdomine.

§. 2. Musculorum abdominis accurata illa delineatio, tùm verò etiam Anatomica ἐγχείρησις, profectò aliena est ab hoc labore. 2. Peritonæi vsum, quo inuoluit omnia abdominis viscera, valdè obscurè tradit: idem frustrà diuidit in partes *sublimes* & *humiles*: Quis enim vel antè, vel post illum ita? Non minor nouitas est in *magnum* & *exiguum* diuisio. Vsus ipsius ex 4. vs. part. 9. & 10. superstitiosiùs numerat, quàm par est. Ramices & hydropem frustrà inculcat. 3. In vsu omenti sapit ἀρχαῖον illud 4. vs. par. 9. 4. In recensendis intestinis quæ insolentia est incipere ab vno sursum? Sed & nimis concisus est, ne appellationibus quidem

rectè distinctis. 5. Quæ sit *substantia* illa, à qua τὸ μεσάραιον nomen habet, discere cupio. Quæ sint *venæ* illæ *Mesaraicæ*, quæ ad hepar non desinunt, monstrari mihi volo. Scio hausisse ex 4. vs. p. 19. de loco quo videns. 2. var. lect. 19. *Arteriarum Mesaraicarum* ortum difficilem compertu esse, quis paulò curiosior concedat? Easdem modicum chyli trahere, quis docuit illum? Vide Tract. nostrum de vsu. lien. c. 5. 5. *In ventriculi orificio dextro* videtur socius esse illorum, qui in fundo collocant & pingunt. *Situs* ventriculi si exactè est in medio, quomodo simul *ad dextra* inclinat. Eiusdem *tunicas*, nec vnquam vidit, nec cum intestinis contulit. Idem de *vasis* dico. Summa ex libro sapit. 6. *Hepar* in lobos diuisum esse simpliciter credit Gal. Idem de vi sanguificatoria venarum dico. Idem de ortu tam cauæ, quàm partæ, earundemque mutua ἀναστομώσει. 7. χοληδόχους in hepate sparsim natos, & in vesicam iam coniunctos, bilem deponere, pueriliter affirmat. Ex eadem vesica deriuatum *porum* diuidi semper in duos, quorum alter supra pylorum (ita loquitur) sit imperitè iactat. 8. De *liene* non meliùs sentit, quàm cœcus de colore. Vide Tract. modò laudatum. 9. In distributione tam *cauæ* quàm *portæ* multa sunt σφάλματα. Non pauciora in *arteriis mesaraicis*. 10. In *renum* situ breuior esse poterat. Dicat verò, quæ sint diuersa illa vasa, quorum alia attractioni seruiunt, alia expulsioni? Vnde sit bilis illa, ob quam vrina flauescit? Credat ne ipsus, *renum substantiam* tam densam esse, ne sanguis, vna cùm sero attractus, excidat, & renes alimento destituantur? 11. *Vreteras* ex renibus deorsum ad vesicam ire, numquam credere potui. 12. Diuersitatem ortus *vasorum spermaticorum* nemo meliùs exposuit Eustachio. Cæterum, an testium substantiam subeant in omnibus, dubitari video ab ipso VVinterio. Quò minùs certus est testium *vsus* is, qui vulgò creditur. An autem, & quomodo testes virilitatem præstent alibi exposui. 13. πυραμοειδεῖς κιρσοειδεῖς vocat, quos ἀδενοειδεῖς debebat: & contrà. De hac confusione questus sum in Physiolog. meis 14. Figuram Σ. Græci, & S. Latini esse eandem quis mihi persuadebit? Præter obliquam vreterum

insertionem

insertionem, adesse etiam valuutas, non credo. Non minùs ægrè credo, musculum *vesicæ* constrictorem promouere expulsionem vrinæ. Et cur in ano eiusdem nominis musculus non facit idem? 15. Rectè addit in margine, à Galen. secessionem faciens, *penem* ipsum esse corpus cauum, nec opus habere neruo alio. Debuit verò in illo quoque dissentire, quòd vnicum facit corpus: imò duo sunt. 16. De *hæmorrhoidibus* oportet valdè dubium fuisse. Sunt duplices, alteræ à vena caua, quæ externæ sunt: alteræ à portæ, quæ internæ. 17. De *vtero* multa inuergit, partim dubia, partim falsa. In posteriori censu sunt duo *sinus*, *tenuitas substantiæ* in prægnantibus, &c. 18. In fœminis τὴν ἐπιδιδυμίδα non esse, falsum est: verum est τὸν παραστάτην κιρσοειδῆ in paucissimis esse, fortè in nullis. Verùm ille cum cornibus miserrimè confundit. 19. De *vasis*, per quæ menses fluunt, vel in cœlibe, vel in maritata, temerè soliciti sumus. Enim & de *acetabulis* frustranea cogitatio est. 20. *Hymenem* in omnibus intactis esse, nimis facilè credit 2. *Membranam farciminalem* in fœtu humano ne inuenerit quidem: vt neque τὸν οὐραχόν.

§. 3. Lib. II. 1. De *mammis* agendũ est post genitales partes siquidem actionum affinatatem spectamus, vt par est. 2. *Musculorum thoracis* tam laxa descriptio huius temporis non est. In vsu dissentio ab ipso. Neque enim *liberam* respirationem facit solum diaphragma: sed cum illo musculi, tam intercostalium, quàm abdominis. In *coacta* duo sunt gradus, pro gradu caloris. Is si mediocris sit, assumuntur tantùm intercostalium superiores: si maximus, etiam scapularum & narium, cum vehementi abdominis concussione. 3. Cor an habeat medium Mathematicum in thorace? inutilis in praxi quæstio est. Videtur in sinistro esse propter vnicam causam, pulsum. Vergit in sinistrum, non cor totum, sed mucro ipsius. 4. Pulmonis (in homine) diuisio in lobos commentitia est. Quamobrem cadit vsus quoque lobi quinti, quem è Gal. manu accipit noster. 5. Ortus τῆς ἀξύγου in puncto, superstitiosus est. Variat enim Natura. 6. Relinquit nos in suspenso, quo loci *Vena caua* diuidatur: in thorace, an extra illum?

illum? 7. In *retis mirabilis* ſtructura ſimpliciter Gal. Dixi ego ſuprà. 8. In *muſculis hyoidis* videtur fauere motui tonico. 9. In *neruis recurrentibus*, quos aſperæ art. vocat, fruſtrâ operoſus eſt, alieniſſimo ſcil. loco, inter cordis vaſa. 10. *Venam arterioſam*, & *Arteriam venoſam* pro dignitate non deſcribit. Quin vſum Galenicum nudè proponit, fortaſſis, quia id promiſerat tantùm. 11. *Motum cordis* explicaturus, cauſam eius non attingit, quia nec Gal. auſus fuit. 12. In *laryngis muſculis* talis eſt, qualem ſinebant illum eſſe tempora illa. 13. *Gurgulionis* vſum ex Gal. tradit, quem ab experientia refutari dixi ſuprà. 14. De *incremento dentium* cantillat veterem fabellam. De *ſenſu eorundem* inconſideratus eſt. 15. In *muſculis labiorum* deficit πλάτυσμα μυώδες Gal. deſcribit quidem, ſed non nominat. Debebat autem feciſſe, ſi legentibus conſulere voluiſſet. 16. In *frontis inciſione* errat cum Veſalio inſignitè.

§. 4. Lib. III. 1. Valdè cupiam ſcire, quomodo diſtinguere velit ligamenta cranij à dura matre. Hæc enim per ſuturas elabens fungitur vicem ligamenti. 2. Tres tantùm numerare illum *ſuturas*, admiratione non caret. Vt enim de aliis non dicam, Cur omittit *temporales*? 3. Nec *ſinuum*, nec *ductuum* vllus hic vel numerus, vel deſcriptio: quin confundit. Sed neque ſcit, qua parte *Torcular*. Herophili ſit. 4. In diſtantia *duræ matris* à pia quam luculenter fallitur! Hoc deduco in Phyſiolog. cap. 200. 5. In *motu cerebri* quàm miſerè decipitur & decipit! Hoc vel Mundinus illum docuerit. Vide Com. in 8. vſ. p. 6. extr. 6. Quàm infans eſt in obtemperando Gal. qui perſuaſerat illi, à Cerebro quidem eſſe *neruos molles*: à Cerebello autem *duros*! Diſtinctio ipſa neruorum in æternum falſa eſt. *Ortus ſpinalis medullæ* ex ſolo Cerebello, contra oculorum fidem eſt. *Diuiſio Cerebri* in dextrum & ſiniſtrum talis, qualis Cerebri à Cerebello, vt leniſſimè dicam. 7. *Ventriculos* per totum cerebrum diſperſos eſſe, quî capiam. 8. *Venas* deſcendere, *arterias* aſcendere, docuiſſe illum potuit Gal. 9. vſ. p. 5. vbi videri poſſunt Com. noſtra. Ego verò ad ſenſum prouoco, qui dicit mihi longè aliud. 8. Eoſdem ventriculos inſpiratio-

nem

nem, exſpirationémque (ita enim ſcribendum fuiſſe cenſeam) moliri *ſpiritus* in ſeipſis elaboratos ad Cerebellum mittere, tum credam, cùm ætheria illa corpora ibi generari poſſe perſuaſerit mihi, vbi excrementorum conflues eſt. Nam hoc concedit. 9. At *facultates principes* ſedibus differre tum credam, cùm de nocte Sol lucebit. 10. Nunquam conſentiam vidiſſe illum cerebrum vel vitulinum! Non enim dixiſſet, *proceſſum vermiformem* eſſe partem Cerebri, cùm Cerebelli ſit. Multò minùs, *proceſſum dictum* tegere quartum ventriculum. 11. Sed neque credam, vidiſſe illum *ſinum Cerebelli*, vt loquitur. Hunc enim inter noſtros primus aperuit Arantius. Vno verbo: eſt confuſio cum quarto ventriculo, cuius reum quoque egi Gal.Com.in 8.vſ.p.11. num.613. 12. Quid dicam verò? Vidiſſe illum *anteriores cerebri ventriculos* degenerare in *neruos opticos*, credámne? Sed ita eſt: ſcribit Inſtitutiones ex ſententia Gal. Ab hoc iam quæro, ſi ortus illorum anteriùs eſt propè nares, qua ratione duobus principiis orti vniuntur, & rursùm à ſeipſis diuelluntur? 13. Secundum par neruorum durum eſſe, vnde ſcit? Idem volo dictum de ſeqq. duritie. 14. Propè hoc cùm oriatur tertium, quî poteſt ortum habere ibi, vbi cerebrum cum cerebello iungitur? 15. Quibus perſpicillis vſus, ex fundo medij ventriculi vidit duos canales in palatum ire? Ah! non intellexit Gal.9.vſ.p.3. vbi videat, qui volet. Par ceſpitatio eſt in iis, quæ ſequuntur de *infundibulo*, & *glandula pituitaria*. Par in iis, quæ de *Reti mirabili*, quod confundit cum plexibus χοροειδὴς, qui ſunt in ipſis ventriculis, cùm rete dictum ſit extra duram matrem. Et quid opus eſt exciſione oſſis ſphenoidis? Eſtne rete illud intra os dictum? O ſomniatorem! & quidem pro Medicinæ candidatis! quæ ſcire fas eſt dupondios noſtros? 16. *Septimum in oculo* (humano) muſculum quis illi demonſtrauit? 17. *Retiformis tunica* dicta, ſi eſt cerebri ſubſtantia, & non tunica, quomodo eſt ex *nerui viſorij* ſubſtantia, quæ triplex eſt, &c. Reuerà ſcribit, non quæ vidit, ſed quæ ex lectione Gal. imaginari ſibi potuit. Quò libentiùs abſtineo ab iis, quæ lib.4. conquirit & falſa & manca.



CAPVT CXVI.

Contra Bauhinum.

§. 1. NOn dubito fore, quibus temerarium videbitur, desiderari aliquid in opere toties recuso, & iamiam Larario digno! Ego verò nullum magnum nomen horreo, certus, non dari vni omnia. Sed nec pietas in præceptorem retrahere me potuit ab instituto, cùm contra personam nihil dicturus sim.

§. 2. De *definitione nominali* quid sentiam, dixi suprà: *essentiali* quid opus est? Mos morum pessimus est ponendi in ipso libri frontispicio, sine vlla προθεωρία, tales, de quibus quid iudicet Gal. alibi dixi.

§. 3. Si benè habet distinctio partium Hipp. 6. Epid. 8. text. 19. à Gal. explicata de *Spiritibus*, *Humoribus*, *& Partibus solidis*: quorsum assuitur noua illa, *Pars definitur aut genericè, aut specificè*?

§. 4. Quid in *definitione Fernelij* desiderari possit, iam suprà exposui cap. 8. modò illud repeto, Non videri mihi patronos istos assequi mentem clientis sui. Quorsum enim addidit illud, *vsúmve*, si partes tantùm dissimilares, & actiuas intellexit?

§. 5. *Partes omnes simul generari*, nunquam probabit vlli bono sapientíque. Experientia enim, in ouis gallinaceis habita, secùs nos docet, vt alia iam omittam. Nec satis mirari possum, munire illum ἀρχαῖον hoc dogma autoritate Philosophi! Vide 2. Gen. hom. 21. Sed nec hilum valet distinctio, *Ex semine* masculo fieri simul & semel stamina prima omnium partium, quibus successu temporis *ex sanguine* addatur subtegmen. Ex semine nihil tale fit, ex sanguine omnia, &c.

§. 6. Totus ille calculus, *Sex in lacte dies*, &c. vitiosus est.

§. 7. De

§. 7. De *partibus similaribus*. Quid hoc rei est, ô vir magne? *Anatomica* promiseras. Ab his autem differre doctrinam *de similaribus* tam benè nôras, vt peculiari scripto id testatus sis. Huius confusionis reum te facis, quoties in Theatro scribis, *De Venis in genere*, *&c.*

Basileæ 1592. vbi f. 487. dicitur, properasse ad nundinas Francofurtenses.

§. 8. In *numero denario* displicet mihi ordo: vellem enim cum Natura progredi ab humiditate ad siccitatem. Sed nihil sit hoc: cur tradit definitionem, quæ iis duntaxat conuenit, quæ reuerà tales sunt? Et cur omittit *Tendines cum Musculis* suis? In oculo v. g. annon musculi cum tendinibus sunt pars oculi similaris?

§. 9. Diuisio *partium similarium* ratione materiæ, vt & hinc dependens diuisio *in spermaticas & sanguineas*, inanissima & futilissima est. Et quàm ab omni Philosophia alienum est illud, *In semine principium materiale est paucisſ. effectiuum validisſ. in sanguine contrà*? Sed tempero mihi.

§. 10. De *partibus dissimilaribus*. Hîc *primum* offendiculum reperio, partes similares dici à Philosopho *Partes*: dissimilares *Membra*. Vbi? (inquam ego) & quibus vocibus Græcis vtitur? *Alterum* est, quod approbat distinctionem Fuchsij, *Quædam sunt instrumenta, sed non partes instrumentales*. Breuiter, partes, quæ similaribus opponuntur, sunt dissimilares. Illæ sunt vel reuerà, vel ad sensum, vt suprà distinxi, &c. At vetus est illa, eadémque ambagiosa, *Instrumenta* esse *quatuor generum*, *&c.* sed & ideò abiecta est, quia excludit humores & spiritus.

§. 11. In omnibus dissimilaribus esse *quatuor partium genera*, erroneum est. Neque enim omnes habent perfectam actionem, qualem oculus: sed multæ illarum agunt κατ' ἐντελέχειαν, vt suprà distinxi cap. 23. §. 2. & 3.

§. 12. Frustrà *principatum partium* dispescit in *Necessitatem* & *Dignitatem*. Quæ enim pars maximè necessaria est, illa etiã dignissima est, v. g. Cor. Pariter *frustrà diuidit* principium φύσεως à principio διοικήσεως. Nulla pars fit ex altera; sed omnes per se subsistunt: tamen sæpè dicimus oriri hanc ab illa, cùm διοίκησιν intuemur. Vide in Physiolog. nostris, cap. 11. Reliqua sunt παρέργα.

§. 13. *Principia* esse vel *Naturalia*, vel *Vitalia*, vel *Animalia* accipio ex Gal. quia arti nostræ non nocet: at de rei veritate longè aliter sentio. Vide suprà, cap.13. §.12.

§. 14. De *abdomine*. Hîc pro μικρολογία habeo tot nominum aceruum. Vno verbo, Tota anterior regio, vel Epigastrium est, vel Hypogastrium: latera sunt Hypochondria.

§. 15 Qua fronte agitur hîc de *Cute, Cuticula, & Membrana carnosa*? præsertim quia Cutim inter similares partes habuit? Qua item de *Membrana musculorum propria*? Si *propria* est, quomodo simul *communis* est? & si est pars musculi, cur non relinquitur ibi? Qua iterum de *Musculis* in genere? Quia nesciebat partem similarem esse.

§. 16. *Musculorum abdominis* tam fusa descriptio inutilis est instituendo nostro: quin non capit. Eadem est *Peritonæi* ratio.

§. 17. In censu *partium nutrientium* cur non illæ quoque sunt, quæ excrementa abducunt, licèt nonnisi per accidens sint? Vesica v.g. fellea, & lien? quatenus hic post coctionem chyli sui, excrementi melancholici sedes est? Cur *intestina* solis excrementis dicantur, cum vasa Mesaraica reperiant.

§. 18. Falsum est, *venas Mesaraicas* tribuere chylo sanguinis rudimentum: falsum est in *radicibus venæ portæ* fieri sanguinem, siquidem radices vocat, quæ analogia nos iubet dicere: sin radices in hepate collocat, iam hepar facit sanguinem, non venæ.

§. 19. Falsum non minùs est, *bilem esse duplicem*, tenuem & crassam. Locis enim in præf. ex Gal. laudatis, nihil tale est.

§. 20. Veriss. est, quod scribit, & repetit posteà bis, de *vsu lienis*, & est mea prorsus sententia in tract. peculiari, sed falsiss. est, excrementum lienis ire per vas breue ad ventriculum, & per tota demum intestina deuolutum, ad anum venire tandem. Quin rectà it ad subiectum Colum.

§. 21. Verum est, *renes trahere* non solum serum, sed sanguinem serosum: addendum tamen est, sanguinem attractum in maribus perfectis non renibus alendis tantùm seruire, sed materiam etiam præbere semini.

§. 22. Velim

§. 22. Velim audire quæ ſit *vis* illa *prolifica*, quam teſtes tribuunt? Cor enim tribuit. Velim quoque intelligere, quis ſit *humor* ille *oleaginus* à ſemine diſtinctus? Commentum eſt.

§. 23. Commentitia quoque eſt, *conſeruatio caloris* quam arteriis tribuit, ſiquidem vita à nutritione diſtincta eſt.

§. 24. *Vaſa* gigni *ante viſcera*, mera coniectura eſt. Hiſtoria enim ouorum incubatorum aliud nos docet.

§. 25. *Vmbilicalem* eſſe radicem *venæ portæ*, alia coniectura eſt, contraria hiſtoriæ iam dictæ. Quin vmbilicalis eſt germen portæ, poſt σύστασιν fœtus exſiſtés, vt alibi probaui.

§. 26. Quæ eſt *commiſtio* illa apud Vet. τ̃ χορίου cum hepate vterino hodie dicto? Imò χορίον erat illis, quod nobis *Hepar vterinum* eſt.

§. 27. *Pinguedinem* in mediis redire in ſanguinem, & iam ſanguinem nutrire, non pinguedinem, fabula apud me eſt nec Æſopo digna.

§. 28. Qui ſunt *vapores* illi *lenti* & ſanguinei, qui in imo ventre in pinguedinem denſantur? Imò pinguedo fit ex optimo, & ferè arterioſo ſanguine.

§. 29. *Tota* illa *congeries* venarum & arteriarum Meſaraicarum ad inſtituendos non pertinet.

§. 30. *Bilem*, in inteſtinorum initium delatam, ad fæcum excluſionem facere, vt non valdè nego: ita ad alimenti diſtributionem conferre quid, ἄτοπον apud me eſt. Ea propter ſilere Bauhinum credo.

§. 31. *Cæcum inteſtinum* dici ait ab obſcuro vſu: ego, quia peruium non eſt. In homine ne meretur quidem inteſtini nomen, cùm notæ gratia tantùm ſit.

§. 32. *Venæ cauæ*, & *arteriæ magnæ*, per abdomen ſparſarum hiſtoria non videtur pertinere ad hominem noſtrum.

§. 33. Renum *venter externus* apud me nullus eſt.

§. 34. Seminis *materia proxima* in arterias ſpermaticas deriuatur ex renibus, non autem ex toto corpore.

§. 35. In *paraſtatis* & *proſtratis* errat bonus vir communem errorem. *Paraſtatæ* ſunt ἀδενοειδεῖς: *Proſtatæ* κιρσοειδεῖς. Interim cum varicibus ſunt *glandulæ* etiam nonnullæ, à quibus deceptio. *Varices* verò à veſicis non differunt.

§. 36. *Testes*, quà testes, augere calorem robúrque addere corpori, vulgi est sapientia. Ex Iacchino enim longè aliam causam attuli alibi.

§. 37. *Vreteras* vesicæ implantari non credo, quin ex vesica ortos sursùm ire, dixi suprà. Hos valuulam habere in vesica non credo.

§. 38. Ineptè hepar deriuatur ἀπὸ τῆς ἠπανίας, *à defectu*. De vsu huius quæ dicit, non intelligo. Quæ enim est *irradiatio* illa? sine corpore, puto. Imò accipit à corde spiritum copiosum, cuius beneficio sanguificat.

§. 39. *Partes genitales fœminarum* cur tot interiectis paginis seiungit? Earundem testes producere semen γόνιμον, credam vbi argumentis fidelibus conuictus fuero. Nam vel discrimina, quæ ponit, aliud persuadent, ne dicam de causæ efficientis absentia.

§. 40. *Tubam* Falloppij esse *vas deferens*, probatione indiget. Visum fuisse in illa humorem quendam oleaginosum, non nego: semen fuisse pernego.

§. 41. Parum cautus fuit in eo, quod de *Processibus peritonæi* in fœminis locutus, posteà de *Cremasteribus* agit: Vide suprà cap. 41. §. 8.

§. 42. *Vteri membranas* proprias duas esse, vix credo. Et loquitur quidem hîc satis clarè: at in Theat. cùm vnam dixisset, addit, *Quæ duplex est*.

§. 43. De *Thorace*. Huius ἔτυμον imperitè deducitur ἀπὸ θωρῶ, quod *salio* significet. Hoc enim θόρω est, vel θορέω. Est primitiuum, & inde est τὸ θωρίζω, & θώριξις, non autem θώρηξις, quamuis Foësius consentiat in eam scripturam.

§. 44. Si *mammæ virorum* vix habent glandulas, quî facere possunt ad tutelam cordis in iisdem? Imò habent *glandulas*, quibus faciunt ad *vsum* hunc *secundarium*. At conformatio in papillam est σημεῖον χάριν.

§. 45. *Clauiculæ* ad manus pertinent, omni iure.

§. 46. Thorax in mulieribus depresѕior est, quia frigidiores sunt.

§. 47. *Liberæ respirationis* vnũ esse instrumentũ, diaphragma, sensus euertit. Quis sit sensus loci Hipp. 1. de Morb.

mul.

mul. ignoro: hunc esse, quem dicit Bauh. noster demonstrari mihi volo.

§. 48. *Humoris in pericardio* contenti, originem dixi suprà: at à potu esse, quî credam? *Destillare* aliquid potûs per parietes asperæ arteriæ verum est, nec opus est experimento Hipp. de sue: sed enim propagines *Arteriæ venosæ* rapere illud, & huc traiicere, παραλογισμὸς est: Tam enim irrationale est, quàm alterum illud, eandem *Arteriam venosam* solam rapere aërem attractum, & in sinistrum ventriculum deponere: Imò verò longè irrationabilius est.

§. 49. *Adipem cordis* prohibere Calidi natiui dissipationem, inimaginabile est.

§. 50. *Dextrum cordis ventriculum* factum esse propter pulmonum nutritionem solam, tum patiar mihi persuaderi, cùm mula pariet. Sed habent ventriculum illum sola animalia, quæ respirant? Habent: sed habent propterea, vt sanguis ibi præelaboretur, & in itinere refrigeretur, priusquàm in sinistrum incidat. In foueis excoqui ait in Theat.

§. 51. *Motum cordis* esse ex visceris substantia dicere, est nihil dicere. Quæro enim: *Vnde est illa visceris proprietas*, ob quam solum cor perpetuò mouetur? & respondeo, Quia *Calidi natiui sedes* ibi est, quia *Anima actu* ibi est, &c.

§. 52. Dic mihi, ô vir magne, si sanguis per poros & cauernas tuas, quas in septo cordis vidisti, de dextro in sinistrum transudat; quid obstat, quò minùs è sinistro in dextrum resudet? itaque fiat commistio cōtentorum, quam tantoperè reformidas? Nec te dignus est stimulus ille plumbeus, quem in Theat. iactas, *Sed hæc philosophantibus relinquimus*. Si enim philosophari tibi non libet, licet tibi esse ἀφιλοσόφῳ. Indignior est alter, quem tacitè in aliter sentientes torques: Est ἀῤῥωστία τῆς δυνάμεως. *Vidi enim*, &c. Vidi ego quoque non semel in corde bubulo optimè elixato, & viderunt vnà mecum aliquot melioris notæ iuuenes: sed, quod tu vidisti, videre non potuimus.

§. 53. Si in *dextro* quoque *ventriculo* sanguis elaboratur, quod ter h. l. dicitur: quomodo non in illo etiam est *Calidum*

natiuum?

natiuum? quomodo in sinistro solo est? vt disertè loquar, *Quomodo sine efficiente est effectus*?

§. 54. Si *Vena arteriosa* in fœtu nondum edito fungitur vicem arteriæ: cur in edito non fungitur? *Quia nutrit pulmonẽ sanguine venoso*, inquies. Sanguis venosus quî dici potest, qui iam in dextro ventriculo, per te etiam, elaboratus est, acceptis quibusdam πλεονεκτήμασιν, vt Gal. loquitur? Dico igitur. *Vena arteriosa* in edito etiam fœtu habet officium arteriæ. Quomodo? Quia exportat. Propter enim hoc officium habet substantiam arteriæ. At quam tu caussam dabis substantiæ tam solidæ? Ne alimentum facilè excidat. Rideò! Ergóne arteria venosa iam est inepta nutritioni pulmonum, quam tamen nutritionem ne Gal. quidem illi adimit? Nescio equidem annon Bauh. ipse riserit, cùm aliò conuersus ait, *Ne per cæcos eius meatus aër in dextrum ventriculũ deferatur: sed vt sinister solus refrigeretur*. Pulcerrimè!

§. 55. Si *Arteria venosa*, in fœtu nondum edito, fungigitur vicem venæ: cur in edito non fit idem? Dico ego, *Funfiitur omnino*. Importtat enim. Sed quid? Aërem dicunt. Ego verò sanguine video illam occupatam esse, & quidem è vena arteriosa deriuato, non aliunde. *Imò aliunde* (dicit Noster) *ex sinistro ventriculo*: ideò valuulas tantùm duas habet. Credam in ipsius gratiam, si dixerit mihi, Quî possit hoc vas aëri ferundo aptum esse, cùm tam tenue sit, vena quippe substantiâ: contra, cur *Vena arteriosa* aëri accommodata non sit, cùm substantia sit arteria? Addo, Quî fit, vt aër cœcos *Arteriæ venosæ* meatus tam facilè offendat: *Venæ arteriosæ* non offendat? Ex his quis non videt, esse ista omnia vigilantium somnia?

§. 56. *Arteriam magnam* ante Cor fuisse, ô amice! quis dixit tibi? Sensus in ouis incubatis docet, Cor fieri primùm, deinde appendi illi vtrinque & venam cauam, & Arteriam magnam. Quid vis ampliùs?

§. 57. *Pulmones* præparare aërem, antequam ad cor eat, credam tum, cùm probatum fuerit, *Aërem bronchiis semel elapsum redire in alias angustias*, Arteriam venosam, & ex hac denique in Cor abire. Scire etiam volam, quomodo

præpara

præparatione illa non incaleſcat aër, fiátque refrigerando ineptus? Quin dico aperta fronte, Aër in ſubſtantia non ingreditur cor.

§. 58. *Ligamenta* cartilaginum aſperæ arteriæ eſſe muſculos, & χιασμὸν facere, ad inſtar intercoſtalium, à quo ſerpente Epidaurio obſeruatum fuit?

§. 59. De muſculis œſophagéis tam timidè loqui virum, miror vehementer! Et quid obſtat, quò minùs deglutitio ſit merè animalis actio?

§. 60. De *Capite*. Cerebrum à corde tam longè abeſſe ait, ne ratio, quæ in cerebro eſt, turbetur à corde, in quo τὸ ἄλογον. Mira & inaudita Philoſophia! Certè, ſine corde cerebrum non ratiocinatur, apud Gal. quoque. Ergóne irrationale iunctum rationali, facit rationale? Mihi ſubolet, voluiſſe exprimere ſententiam Ariſt. quam ego olim peculiari Diatribâ expoſui.

§. 61. In deſcriptione *ſinuum duræ matris*, tepet homo. Diſtinguit quidem vaſa, quæ in ipſam, quà *membrana* eſt, diſſeminantur, ab iis vaſis quæ *Sinus* ſubeunt: ſed non dicit, quid fiat de his poſterioribus. Ego hîc aurem peruello iis, qui agglutinant ſe Fallopio, negantes, Arterias ad *ſinus* ire: ſi non vidiſſet Bauh. non ſcripſiſſet.

§. 62. Nunquam potui concoquere illud, Cerebrum in capite eſſe propter oculos. Imò, Cerebrum tam longè à corde abeſſe dico, ne calor cordis officiat ſenſibus tam internis, quàm externis. Quiete enim perficit Cerebrum actiones ſuas. Dico igitur, Vt ſenſoria cætera in capite locata ſunt propter viciniam cerebri: ita oculi quoque.


§. 63. De *vſu ventriculorum* cerebri, vellem liberiùs locutus eſſet. Reuerà enim nec ſpiritus generantur in illis, nec aſſeruantur: ſed mera ſunt receptacula excrementorum pituitoſorum, illorum, inquam, quæ in medulla cerebri dicta gignuntur. Huius rei argumentum infallibile eſt, quod (ipſo etiam Bauh. docente) ventriculi ſunt continui cum infundibulo, quod glandulæ pituitariæ extra cerebrum ſuperincumbit, è qua in palatum deiiciuntur.

§. 64. De *motu cerebri* vellem etiam dixiſſet, quod res eſt. Dum enim animalem illi negat, naturalem dat, ſub

nube latet. Interim censeam Galeno illum non adstipulari, cùm aëris, ad spirituum generationem necessarij, non meminit, sed clarè edicit, *In substantia cerebri spiritus gigni.* In hanc autem quî penetret aër?

§. 65. *Processus cerebri mammillares* minimè gentium sunt similes neruis. Imò alia est substantia processuum, alia neruorum odoratoriorum.

§. 66. *Nerui ipsi* nequaquam distincti sunt in *molles*, qui sensui famulentur: & *duros*, qui motui. De Artubus nihil.



CAPVT CXVII.

Contra Bartholinum.

§. 1. SÆpè apud amicos stomachatus sum in noua ista nomina, αὐθρωπολογία, αὐθρωπογραφία, ψυχολογία: tum verò, μυολογία, ἀγγειολογία, ὀστεολογία, & nescio quæ alia, ipsâ nouitate terribilia. Et quid ψυχολογίαν intrudimus? Volumus etiam Animam secare? Reuerà onerant hæc artem; non iuuant.

§. 2. *Anatomia* non est pars Physicæ: τρόπῳ enim ἐπιστήμης differunt. Et si saperemus Medici, relicta Anatomia illa *Speculatrice*, accingeremus nos ad *Medicam*, vtilem iam olim quoque dictam. Satis enim Medico est, nôsse hominem, *quatenus Ars vult*.

§. 3. Noua est distinctio *Partis* in latè & strictè dictam. Prior enim tantùm habet hîc locum, & capta est à diuisione Hipp. εἰς ἴσχοντα, &c. Fernelij definitionem non intelligi ab istis, pronuper dixi. Quamobrem frustraneæ sunt omnes illæ conditiones Barth. Quin ignorat ipse quoque, *Vitam* à *nutritione* non differre.

§. 4. Rectè ille de tribus fontibus, ex quibus vsus fluit, loquitur: rectiùs facturus, si ad autorem suum retulisset, Gal. 1. vs. p. 9. rectissimè, si accuratiùs obseruasset hoc discrimen. Proximè enim artem contingit.

§. 5. *Omnes*

§. 5. *Omnes partes* simul generari, nimis ἀρχαῖον est, ab Aristot. quippe refutatum. Et reuerà est quæstio Logica, Physico dignior, quàm Medico.

§. 6. Mirabilis sermo, quasdam partes esse *Necessitatis*, quasdam *Commoditatis*, quasdam *Ornatus*. Mirabilis: quia nouus. Fuisset potiùs contentus bimembri veterum diuisione: Quædam sunt πρὸς τὸ ζῆν, quædam πρὸς τὸ εὖ. Et sub hoc posteriore *Ornatus* est, qui dat nobis *Cosmeticam artis partem*.

§. 7. Quasdam partes à Naturâ condi sine vlla necessitate, concedam, illas, inquam, quæ sunt σημείου χάριν, *notæ gratiâ*: at carnem simplicem esse talem, quî probabit? Imò tam est necessaria, vt de animalis essentia sit. Et cur tam subitò abrumpit?

§. 8. *Definitionem partis similaris* quomodo accommodabit numero suo denario? Scio vnde is sit: & dixi quid possit obiici. Et quorsum tam fusè hîc, quæ Arist. quæ Gal. quæ Auer. quæ Piccolominus? Hunc rectè damnat vt nouatorem. Post hæc omnia, tradere distinctionem similarium in reuerà tales, & ad sensum, nimis serum est. Quâ verò fronte dicere potest, os similare esse simpliciter & verè, cùm definitio non conueniat illi? Scio, quid argutator aliquis dicere possit. Hac ratione venæ quoque pars digitum lata, vena esset. Non est: quia vsum non præstat. At carnis pars tantilla, est caro: quia sentit.

§. 9. De *imo ventre* lib. 1. Inanis hîc quoque est accurata illa partiũ abdominis diuisio: quin non vna partefalsa.

§. 10. Quorsum tam copiosè hîc illa, quæ cap. 2. 3. 4. & 5. quorsum cap. 6. tam fusa *musculorum abdominis historia*?

§. 11. *Cæcum intestinum* vocasse veteres priorem *Coli* partem, probari mihi volo.

§. 12. *Colum* ἀπὸ τοῦ κολάζειν esse, non credo: quin κῶλον primitiuum est. At κόλον Poëticum.

§. 13. Vbi agnouit Galen. *duplex excrementum biliosum*? Psittacus est Bartholinus.

§. 14. *Scrutari renes* in Sacris quid sit, discas licet, ô Bartholine, à studiosis linguæ Hebraïcæ.

§. 15. Inscitè carpit Arist. qui scripserit, Naturam semper velle marem, & fœminam esse πήρωμα. Rectè enim explicat Philosophum Gal. 14. vs. p. 6. *In hoc defectu seu imperfectione esse perfectionem fœminei sexus.*

§. 16. Error est, pro duabus *distinctis* testium *tunicis* habere ἐρυθροειδῆ, καὶ ἐλυτροειδῆ. Est enim vnica, & sola hæc posterior scriptio vera.

§. 17. Mirificè vanum est, distinguere *Parastatas*, seu ἐπιδιδυμίδα, à vasis præparantibus! Vanum & illud est, *Parastatas* hos non esse continuos cum vasis præparantibus! Vaniss. verò *Prostatas* dictos differre à Vesicis seminariis! Nec nego ego, glandulas quoque adesse. Duo enim hæc corpora habent idem nomen. Quòd contentus in his humor oleaginosus, sit diuersus à semine, nec ipsi Galen. credo.

§. 18. Valdè cautus est, cùm dicit, Testes fœmineos elaborare *semen*: dicat etiam γόνιμον, probétque.

§. 19. In *Tuba* vteri describenda, & pro vase deferente venditandi; simúlque Fallopium accusandi, ingeniosus est: ἀλλ' ἐγὼ μὲν ἐπέχω, vel ideò, quia de via ipse dubitat hac voce, *Quòd si verum est.*

§. 20. Quæ disputat de *vtero*, quatenus vel delectetur odoratis, vel auersetur fœtida, non satisfaciunt mihi. Dico: Benè odoratis offenditur, quia turbant vapores, non discutiunt: fœtida etiam discutiunt: Sunt enim in longè crassiore & durabiliore substantia, quàm odorata.

§. 21. Quæ de hymene tam fusè disputat, sordent mihi: Adolescentibus enim saliuam mouent, ne quid dicam grauiùs. At quæ cap. 32. 33. 34. & 35. tenebris etiam digna sunt, propter causam dictam. Quæ de fœtus historia sequuntur, altioris sunt indaginis, & ad hanc ætatem non pertinent.

§. 22. De *medio ventre* lib. 2. Quorsùm tam fusa ἐξήγησις opinionum de ortu humoris in pericardio? Mihi Iasolini sententia placuit suprà, licèt illius esse ignorârim.

§. 23. Quàm frigida defensio est Aristot. & Gal. circa cor *pinguedinem* non esse! στέαρ, inquit est: non πιμελή. Ego malo dicere, Constitisse illis parùm de τὸ ὅτι.

§. 24. *Motus*

§. 24. *Motus cordis* qualis sit, & vnde? iuxta cum ignorantissimis scit. Vsum explicat quidem ex Galeno: seipsum autem non intelligit. Quid enim est *Vita*, & *Vitalis facultas*?

§. 25. De *vsu dextri ventriculi* cordis, & qua via transferatur in sinistrum sanguis, satis illi est locutum esse cum illo, è quo omnia describere solet.

§. 26. *Pulmonis* motum à thorace esse, quàm pulchrè probat!

§. 27. Ad *vocis conformationem* quid faciant testes, quàm eruditè definit?

§. 28. De *supremo ventre*, lib. 3. De *Pilis* rideo hominis temeritatem. *Causa materialis ex qua*, inquit, *&c.* Falsum ergo. Vnde est hoc, *Ergo*? Quin totum hoc ad partes similares pertinet.

§. 29. Falsiss. est, *duram matrem* tam latè à cranio abesse, quàm pericardium à corde. Huius consequens est, falsum etiam esse motum, quem cerebro tribuit, diuersum, inquam, ab arteriarum motu.

§. 30. *Vsum cerebri* Aristotelicum refutauit Gal. si refutare est contradicere illi, quem nunquam intellexeris. Noua verò Bartholini sententia quàm solida est, quàm fortibus fulta rationibus! Oh pudeat ineptiarum, quibus adolescentes irretimus!

§. 31. Hoc ipsum quoque dictum esse volo de loco *generationis spirituum* nouo, quarto vulgò dicto ventriculo, & quidem ex noua Varolij sectione. Ego talia portenta non attingerem, nisi promisissem, me iuuenes præmoniturum, ne falsas opiniones imbibant.

§. 32. Hoc repetere cogor propter vsum *glandulæ pituitariæ* recentem, *Claudere infundibulum, ne spiritus animales excidant in palatum.* Atqui tu ipse negaras modò, quin posteà probas alteram opinionem tribus argumentis, Ventriculos anteriores non posse esse officinas spirituum, quod sint excrementorum conceptacula? Cæterùm, seruire hic vsus poterat illi, qui negabat periculum esse effusionis spirituum, propter foramen in palatum. Saltu superant dicebat. *Ia, vvie der haan über die glüendte kohlen.*

§. 33. De *facie*. In fibris *frontis* errat Vesalij errorem.

§. 34. *Palpebram inferiorem* ex ſe quoque moueri, vel dux Bauhinus homini perſuaſerit. Et quî aliter fieri poteſt, ſiquidem muſculus orbicularis adeſt?

§. 35. Ταρσὸν turpiſſimè confundit cum *Cilio*, cartilaginem cum pilis, cartilagini infixis. Nimirùm, vt patet ex ſuperioribus, *Cilia* voco, non *Palpebras ipſas*, ſed pilos palpebris infixos.

§. 36. Non minùs turpiter confundit *foramen oculi orbitæ inſculptum*, in nares deſinens, cum puncto lacrymali, vt loquitur ineptè. Τρήματα enim ſunt Galeno quoque 10. de vſu part. 11. vbi accuratè diſtinguit ab vno illo foramine.

§. 37. Quid differunt ſordes flauæ & amaræ in *Aluearia* contentæ ab humore bilioſo & viſcido in *Meatu auditorio*?

§. 38. Ex muſculis hyoidis nemo ſe expedierit, niſi *Motum tonicum* agnoſcat.

§. 39. In *linguæ fræno* inconſultò impugnat Bauhinum.

§. 40 Linguam eſſ *muſculum*, auſim pertendere.

§. 41. De *Artubus*. Nodum in ſcirpo quærit, cum Manum diuidit in Brachium & ſummam manum: ſed mox ſubdiuidit brachium in brachium & cubitum.

§. 42. *Muſculorum* farrago incondita locum hîc non habet.

§. 43. De *Venis*. Quæ contra Ariſt. de origine venarum obblaterat, foliis leuiora caducis ſunt. Vide Phyſiol. cap. 11. Totum negotium pertinet ad doctrinam ſimilarium. Et alioqui præſtat dicere in ſingulis partibus, quas venas habeant. Arteriarum eadem eſt ratio.

§. 44. De *Neruis*. Miror hominem dicere audere, Nouam eſſe opinionem de numero denario neruorum cerebri: Facile eſt numerum hunc inire: ſed audacis eſt nouationem inſtituere, quam & Galen. repudiabit, & Veſalius & plerique alij. Et quæ Sapientia in eo eſt, Nerui non oriuntur ex cerebro, ſed ex medulla cerebri? Λογομαχίας iſtas odi cane peius & angue. Si quid grauiùs dictum eſt, Veritatis culpa eſto.

SECTIO



SECTIO V.


De humoribus.

CAPVT CXVIII.

Homonymiæ distinctio.

§. 1. ΥΓΡΟΝ, ὑγρότης ὑγρασία καὶ ὑγρηδὼν, *Humor*, vel *Humiditas* est. Apud Arist. etiam τὸ ἰκμὰς est, vbi *Vaporem* malè vertit Gaza. Vox vsurpatur tripliciter, aut κοινῶς, *latè*: aut ἰδίως, *strictè*, & *propriè*: aut ἰδιαίτατα, *propriissimè*.

§. 2. *Communiter* seu latè *Humores* vocantur in corpore humano etiam quædam quæ ampliùs fluida non sunt, v. g. humores oculorum. Hæc significatio huius loci non est. *Strictè* seu *propriè* Humor est pars corporis illa quæ apud Hipp. μόριον ἰσχόμενον est, & opponitur τοῖς ἴσχουσι καὶ ἐνορμῶσι, *Solidis & Spiritibus*. Quare per negationem definitur, *Humor est corpus, quod nec pars est solida, nec spiritus, siue id coctionem primam tantùm sit perpessum: siue secundam, & tertiam quoque: siue sit id, quod Natura per coctionem intendit: siue sit excrementum*. Et hæc significatio hîc expetitur, cuius etiam respectu scinditur hoc negotium in tres partes, quarum *prima* agit de chylo: *secunda* de sanguine: *tertia* de Excrementis sanguinis. *Propriissimè* accipi volunt de *Humoribus alimentariis*, qui *quatuor* sunt, sanguis, pituita, bilis flaua, & melancholia. Verùm quia hæc doctrina abducit nos à Philosophia Peripatetica, ipsáque rerum natura, relinquimus illam suis doctoribus.



PARS PRIMA.

CAPVT CXIX.

De Chylo.

§. 1. ΧΥΛΟΣ, & Atticè (nisi mauis, Ionicè) χυμός, 1. Simpl. 16. modò vnum, modò diuersa significat. Vtplurimùm τὸ χυμὸς *saporem* denotat: τὸ χυλὸς, *succum quemuis*. Interim alterum pro altero positum

positum inuenias. Aliquando vtrumque succis tribuitur; sed ὁ χυλὸς adstringitur ad plantas: ὁ χυμὸς ad animalia, 1. Hum. 1. si modò Gal. sunt Com. illa. Qui μικρολογίαις delectantur, ex 3. vs. p. 3. & 4. venantur hanc differentiam, quòd ὁ χυλὸς quidem sit succus ille, de quo acturi sumus, qui inquam, in ventriculo fit: ὁ χυμὸς autem ille, qui, è ventriculo elapsus, sugitur iam à vasis Mesaraicis, & ad Hepar, lienémque transponitur. Nos, cum plerisque omnibus, quà Physicis, quà Medicis, τὸ χυλὸς acceptamus vel ideò, quia ciuitate quoque Latinâ donatum est.

§. 2. Huius *materia* duplex est, *Cibus & Potus*. Cum enim, quod infrà fusiùs explicabitur, *coctiones*, quæ in animali fiunt, aut *Elixationes* sint, aut *elixationi similes*: debuit *Cibo* affundi *Potus*, cuius beneficio dometur, non secus ac carnes aliáque in culina coquimus. Cæterùm, cum non tantùm coqui deberet, sed ita coqui, vt ἐκχύλωσις ἢ ἐξικμασμὸς, *exsuccatio*, seu *melioris à deteriori separatio excipere coctionem possit*: oportuit ante omnia in partes minimas diuidi, ceu in plantis faciunt οἱ φαρμακοποιοὶ. Hanc adeò ob causam instituta fuit à Natura ἡ μάσησις, *Masticatio*.

§. 3. Hoc est, quod Arist. scribit 3. Part. 3. *Cibi in parua diuisio faciliorem præstat coctionem, quæ fit à calore.* Veruntamen *masticatio* non fit, nisi subinde à *Tonsillis*, *Gargareone*, *vicinisque linguæ glandulis aliis subministrata saliua*. Quamobrem, saliuam quidem comparâris cum fermento: potum autem cum aqua, quam pistores affundunt.

§. 4. Hæc res quia iam attingit causam Chyli *efficientem*, oportet in illam diligentiùs inquirere. Hæc est τὸ θερμὸν ab Arist. in loco allato dictum, *Calidum natiuum* nobis. Scio qui huic se opponant: ego verò stabilio definitione *Concoctionis*, 4. Meteor. 2. & ita induco, *Cùm Calidum natiuum in vnoquoque animali* (de his enim solis loquar) *reuerà sit distinctum quid à materia, in quam agit*: quî dici possit, Materiam solam agere, & agere in seipsam? Et alioquin in tota rerum natura agens reapse est distinctum à patiente.

§. 5. Sed quis est *Calor* ille, siue *Calidum*? & vnde? Dubium non est, è corde influere. Verùm, quia plus agere non potest, quàm recipiens admittit; ventriculus autem frigidus est: ideò suprà, cap. 27. extr. vocaui in auxilium viscera vicina, præcipuè hepar, & lienem, ídque Gal. autoritate. Hoc verò ab Arist. hausit, qui 3. Part. 7. idem scribit, sed addita insuper ratione, *Quia sanguinea sunt hæc viscera.* Et ne tu hæc generalia dicas, 4. Part. 3. ait τῇ κοιλίᾳ παρακείμενον ἧπαρ συμπέττειν, *hepar ventriculo adiacens promouere coctionem ipsius.* Hanc ob causam in lobos diuisum esse Gal. scribit in de vs. p. l. c.

§. 6. Vlteriùs quæritur, Quid calor præstet cibo & potui, in ventriculum demisso, vt chylus fiat? Paucis, Tamdiu alterat, donec quasi in prima elementa redigantur. Quare ex iis, quæ alij proponunt, duo mihi sufficiunt, ἀλλοίωσις καὶ ἀναστοιχείωσις, quorum terminus est πέψις, *coctio*, quæ est *liquatio*, *colliquatio*, *resolutio talis*, vt vasa Mesaraica possint inde accipere, quod suum est.

§. 7. Amplius

§. 7. Ampliùs quæritur, Quî fiat, quod alia animalia conficiant alios cibos? Docet id Turnebus lib. de Calore natiuo, *Varietas Calidi natiui in modo substantiæ causa huius rei est.* Quia igitur struthiocamelus, v. g. Calido donatur tenuissimæ substantiæ, potest illud penetrare, atque, vt ita dicam, perterebrare ferrum, quod crassior substantia non potest. Huc respicit proprietas caloris, quam Rubeus proponit apud Hollyngum lib. de Chylosi. Fortassis Cæsalp. quoque huc tendit, 1. Quæst. Med. 5.



CAPVT CXX.

Quid fiat de Chylo? quò eat? per quas vias?

§. 1. C*Hylus*, hoc modo ἀναστοιχειωθεὶς, paulatim incipit è dextro ventriculi orificio, quod πυλωρὸν vocauimus suprà, elabi in intestina, quæ substantiæ ratione nihil aliud sunt, quàm ventriculus in longum productus, & in spiras contortus. Ad hæc, vt suprà comprehensum, hiant innumeræ, tam Venæ, quàm Arteriæ Mesaraicæ dictæ, quæ chyli partem meliorem ἀτμοειδῶς, *sub vaporis specie* attrahunt, sursumque vehunt ad officinas sanguificas. Hinc Plato in Timæo, Arist. 2. Part. 3. 4 Part. 4. Gal. 4. vs. p. 1. ventriculum comparant *vel* præsepi, è quo animalia bruta pabulum capiunt, *vel* terræ, è qua plantæ succum suum hauriunt.

§. 2. Sed, itne chylus per *solas Venas*? ad *solum hepar*? Ita quidem vulgaris habet opinio: ego verò (quod ad priorem controuersiam attinet) ostendi Tract. de vsu lien. cap. 5. vt & θ. de vsu vas. Mesar. ire per *Arterias* quoque. Sed itne ad *solum hepar*? quod alterum propositorum est. Hoc est illud quod facit, vt quidam, contra manifestam sensus fidem, negent, *Arterias trahere Chylum.* Verumenimverò, qui prudentiores sunt, concedunt quidem arterias Mesaraicas idem agere: sed dubij sunt, quò deponant.

§. 3. Horum quidam ad *Cor* eunt, quibus duo obiici possunt. *Alterum*; obstant ingressui *tres valuulæ* in orificio arteriæ magnæ. *Alterum*, Chylus non est ἀνάλογος cordi, vt ita loquar ex Hipp. lib. de Corde. Quod ita expono, Naturæ consilium hoc fuit, liberare in abdomine chylum ab excrementis, & facere inde sanguinem, qualem potuit. Hic verò sanguis demum est analogus cordi, quippe ex quo facit τροφὴν illam ἡγεμονικὴν Hipp. dictam.

§. 4. Mihi visum fuit θ. de Vasis Mesaraic. iam laudatis, & animaduerti posteà mecum esse velle Illustr. Dom. Bauhinum,

1.Fabr.16.1.Theat.16. *Chylum arteriosum ad lienem ire.* Huc veni ductu Hipp. l. c. Docet enim chylum, ab arteriis tractum, & in truncum suum dorso incumbentem depositum, quia Cor, ob dictas causas, ingredi nec potest, nec verò debet: ἀνακωχεῖν, καὶ ἐν πάλῃ εἶ), *fluctuare q. procella agitatum.* Hinc ita infero, Si arteriæ Mesaraicæ trahunt chylum, & in truncum suum deponunt; is verò neque cor contingere potest, neque regredi: oportet ad lienem eat, cum aliud diuerticulum non habeat. Quemadmodum igitur, dum *ramus Venæ-portæ Mesentericus* est in eo, vt chylum suum deponat in hepar, superuenit *ramus splenicus*, & partem eius αὐτοπαστί, vt Philosophus loquitur, *diuertit ad lienem:* ita tum *Aortæ truncus* chylum suum ad cor efferre vult; cor autem non admittit illum, superuenit *Arteria Cœliaca* dicta, & materiam ibi iactatam, non secus ac nauis, quæ in anchoris stat, horsum rapit ad lienem. Rides? Non me, sed Hipp. rides.

ABERRATIONES.

§. 5. Admodùm miror Fuchsium lib. 1. s. 4. c. 4. de humoribus alimentariis (sic illi loqui solent) agentem, immiscere illis chylum, nec verbo innuere, quam affinitatem cum humoribus illis habeat! Ampliùs miror, illum negare quidem ventriculum chylo verè nutriri: assuere autem *nutritionem* (vt simiæ illius loquuntur) *quantitatiuam, palliatiuam, refocillatoriam, lasciuam*, &c. Reuerà, somnium hæc est, natum ex neglecta actionum distinctione in publicas & priuatas. *Actio ventriculi publica* est χύλωσις, seu *prima* vulgò dicta *Coctio: priuata* est *nutritio*, qua sibi consulit, qua sibi alimentum conficit, hoc est attrahit, retinet, alterat, & excrementa relicta expellit. Vide suprà, cap. 21. §. 6.


§. 6. Idem Fuchs. interrogatus, Quî fit, quod assumpto cibo statim sedetur fames, si ventriculus non nutritur chylo? O respondet! sedatur *fames animalis, non naturalis*. Diu ego multúmque cogitaui; adhibui etiam in consilium mortuos: sed nemo mihi opem tulit. Consistit autem difficultatis solutio in proposita iam distinctione. Ventriculus sumpto cibo conquiescit, siue, quod idem est, fames sedatur, quatenus ventriculus officium habet publicum. Cum enim ventriculus sit agens naturale, & nunquam ferietur: si non

habet

habet materiam, in quam agat, agit in se. Tu verò, ne in scopulum feratur nauis tua, ita habe. De ventriculi actione cum loqueris, oportet accipere hoc totum, quod χύλωσιν præstat. Præstat autem, vt audiuimus, non tam ventriculi corpus, quàm *hepar accubans*, vt Aristotelem loqui diximus. Ergo cum nihil est in ventriculo, hepar os ventriculi, quod q. amplexatur, calore suo offendit, & quia copia neruorum ibi est, dolere facit. Et hæc est fames animalis, à nemine, quod sciam, satis cognita.

§. 7. Dixi *Satis:* noster enim de hoc ipso negotio agens iterum, sect.7.cap.5. Propriæ ventriculi substantiæ (quam accipio de *Modo substantiæ* nuper dicto) addit circumiectos lebeti huic ignes, cordis, hepatis, lienis, omenti, &c. Verumtamen errat in eo Fuchsius, quod ex 3. Fac. nat.7. astruit *qualitatem* suam, prædicata etiam Gal. religione. Pertinent enim huc potiùs loca illa duo, quæ suprà in scenam produxi 5. Aph.39.14.vs.p.6. Videsis Physiolog. nostra cap.289.

§. 8. Attingit rem Sennertus quoque lib.1.cap.9. dum χύλωσιν fieri ait à *Propria ventriculi substantia*, adiuuante tamen nonnihil calore partium adiacentium. Vbi τὸ *Nonnihil* sublatum velim. Reuerà enim partium vicinarum potior hic est ratio. Vellem etiam in seq. eiectum τὸ *solùm*. Cum enim (vt rectè dixit mox) ventriculus verè nutriatur sanguine, quid opus habet chylo? Tantò magis, quod & appetitus animalis, & χύλωσις, totius corporis gratia fiunt: propter autem appetitum naturalem, nutritionémque adsunt venæ, quæ sanguinem ipsi aduehunt, ceu loquitur.



PARS ALTERA.

CAPVT CXXI.

De sanguine.

§. 1. QVID αἷμα, quid *sanguis* sit, videri volunt nôsse omnes: at essentia ipsius quæ sit, pauci ex Philosophis etiam nôrunt.

Sciunt quidem illi tantùm, quantùm lanij: at plerique omnes dubitant, sitne vna & simplex substantia? an potiùs ex quatuor composita, sanguine speciatim sic dicto, pituita, & bile vtraque? Item, Nutriátne solus ille specialis sanguis? an cum illo tria etiam dicta excrementa? Item, solúsne sanguis venosus nutriat? an simul arteriosus quoque?

§. 2. Controuersias esse antiquissimas, & ante Hipp. agitatas, constat. De *sanguine arterioso* seorsim mihi dicetur: de *sanguine venoso* iam. Scribit Gal. 2. Elem. 2. *Non posse nos in hac difficultate æquè benè ad veritatem aspirare, quod vtraque pars habeat aliquid ad persuadendum aptum.* Et mox cap. vlt. ait, *Laudandam esse sententiam illorum, qui solum sanguinem acceptant, ὡς εἰκότα γινωσκόντων, tanquam qui probabilia dicant:* ipse tamen cum Hipp. alteram sententiam acceptans, ducem suum fuisse ait φυσικώτερον, *propiùs ad rei veritatem accessisse.*

§. 3. Ego verò, post diligentem aliquot annorum meditationem & lectionem, censeam, *Posse nos in hac lite tantò faciliùs ad Veritatem peruenire, quò vicinior sensibus est sanguis quàm Elementa.* Nec verear dicere, Non *probabiliorem* tantùm esse Arist. opinionem, sed & *probiorem, solum sanguinem nutrire.* Quin eò tandem prouectus sum, vt damnare sim ausus librum 1. de Nat. hum. Hipp. tributum, simúlque omnia, quæ Gal. in illum commentatur. In his enim latent semina monstrosi illius dogmatis.

§. 4. Vt rem aggrediar, si sensibus fides est habenda, vtique facile nobis scitu erit, an in bono & laudabili sanguine sit v. g. *bilis flaua*? Amarissima enim cum sit, non facilè fefellerit gustum. *Sanguis* verò cum sit *dulcis*, de confessione omnium: verior certè erit sententia illorum, qui negant bilem in sanguine esse.

§. 5. Et quæ *peritia Physica* est, qua Aristotelem superat Hippocr. si omninò sinamus esse ista Hipp. Ego aliam hactenus offendere non potui, quàm illam, quam Gal. iactat, *Tam diuersas partes ab vno sanguine nutriri non posse.* Eia verò! proptereáne excrementa huc accersenda sunt? Tantùm non ἀφιλόσοφον est hoc. Cæterùm fallunt & falluntur omnes, qui similitudinem actualem in sanguine quærunt, cum sufficiat potentialis. Quam cum suprà, Aberrat. in cap. 36. exposuerim, exemplo accersito à plantis, non ego nunc immorabor. Hoc duntaxat addam, Galenum, 2. Fac. nat. 3. prorsùs idem docuisse. Et alioqui, quàm crassum est hoc, *partem crassam indigere sanguine crasso pro sui nutritione*? Imò verò contrarium est verius. Quò enim pars crassior est, eò tenuiore indiget sanguine, qui in intimas partis particulas se penetret.

§. 6. Hac in re ne φορτικὸς, *agrestis* videar, tria propono consideranda. I. Cum dico, sanguinem solum alere, loquor non tantùm de homine exquisitè sano, cuius sanguis dulcis est, & ab excrementis benè purgatus; sed & de illo, qui aliquomodo declinat. Quæ enim vt dixi

suprà,

supra, latitudo sanitatis est profectò immensa: ea etiam sanguinis est. Hinc omnes quidem nutrimur: sed alij feliciùs, alij infeliciùs, vsque dum eò procedat res, vt ægrescamus, tandémque moriamur.

§. 7. II. Id nutrit, quod Natura per conceptacula sua in id condita, per totum corpus didit, At verò, quamdiu benè habet, præéstque rebus suis, solum sanguinem per venas & arterias in vniuersum corpus ablegat. Et hæc Naturæ actio principalis est, & per se: quæ sequitur, per accidens est.

§. 8. III. Id non nutrit, pro quo Natura fecit peculiaria instrumenta, in quæ colligatur, & tandem extra corpus feratur, At verò pro excrementis facta sunt talia instrumenta. Hinc adeò Aristot. 4. Part. 2. excrementa facit alimento contraria: quare? Quia differunt λόγῳ, *seu definitione essentiali,* adeoque re ipsa. Quo igitur modo eundem vsum habere possunt?

§. 9. Et hæc quidem de primo: de altero paucis me absoluo, vsus validiss. argumento, aduersarij testimonio. Eius verba sunt 3. Fac. nat. vlt. *Partium corporis alias præstare nutriri sanguine puro, tenui, halituosóque: alias crasso & turbido.* Hìc si quis restitare volet, eum ducam ad 4. vs. p. 15. vbi ad hunc locum se referens, ait, *Omnia, quæ nutriuntur: trahunt ad se ex proximis vasis alimentum. Et ex arteriis quidem probabile est trahi tenuius: ex venis autem crassius. Nam & tunica arteriarum, &c. quæ vide.* Si nondum persuasus es, veni mecum ad 6. vs. part. 17. & audi, *Quod non oporteat eodem alimento ali omnes corporis partes, id discrepantium vasorum vsum declarabit. Si enim vnicum esset duntaxat sanguinis vas, simili partes omnes nutrirentur alimento. Quo quid dici potest, obtusius atque absurdius, quam vt similem ad sui nutritionem postulent sanguinem, hepar v. g. viscerum omnium grauissimum densissimúmque, & pulmo leuissimus, rarissimúsque? Proinde* (addit) *ritè à Natura factum est, vt non arteria modò, verùm etiam venæ in corporibus animantium essent, &c.* Vide Θ. nostras de problemate, *Cur natura fecerit duo vasa sanguiflua?* Tribus his locis præmunitus iubeo eos, qui satis refutatum me esse putant, si contraria loca attulerint, docere, *Causam suam meliorem esse meâ.*



CAPVT CXXII.

Quo modo sanguis nutriat.

§. 1. HIc cogitat animus humanus: Si omninò ita est, vt dicis, *quomodo fit nutritio?* Scio quosdã tam crasse considerare rem,

vt putent fieri, quomodo in figlina ex duobus argillæ manipulis fit vnus: ita ex parte alenda & sanguine fiat vnum quid. Quin per vapores agitur res in Philosophia Peripatetica. Imò apud Gal. quoque 1. Sem. 11. extr. & 2. Fac nat. 3. (si locum per locum explicare fas est) primum omnium allabitur sanguis partibus δροσοειδῶς, *ad instar roris*: mox resoluitur & ἀτμοειδῶς, *sub vaporis specie* partium particulis intimis se insinuat, à quibus dum substantificè alteratur, acquirit demum similitudinem illam, quam imperiti quærunt in ipsis venis.

§. 2. Sed ab *vtro sanguine* magis fit? Si de *materia* quæras, plus eius dat venosus, quia fibrosior & crassior: si de *forma*, plus tribuit arteriosus. Interim, dum in maioribus vasis per mutuas ἀναστομώσεις miscentur, & inuicem temperantur, quod ex vasis capillaribus excidit, est mistum quid ex vtroque. Hoc in aliis atque aliis partibus fit, vel paucioribus, vel pluribus intercedentibus alterationibus. Et hoc modo sanguis est vltimum alimentum, hoc est, *commune*, vt rectè explicat Thom. à Veiga. Quod si in quibusdam partibus, antequam substantificè iungatur parti, exhibet candoris quid, non ob id, vel sanguis non est, vel semen, vt crassè loquuntur quidam: sed sanguis reuerà, vt Albertus Magnus ratiocinatur.



CAPVT CXXIII.

Sanguinis temperamentum

§. 1. VI hæc cognouit, proculdubio dispicere secum incipit, *Qualis sit sanguis ille, qui omnibus partibus alendis commodus sit*? Huic ego fortassis respondebo, *Qualis est illa aqua, quæ rigandis omnibus in horto Medico plantis sufficit*? Sed agamus cominus.

§. 2. Qui certi quid cognôsse hîc volet, *primùm* omnium seorsim ponat sanguinem hominis temperati, qui idem optima, perfectáque vtitur sanitate: seorsim illius, qui quoquo modo inter sanos degit. Oportet enim hîc regula quædam sit, non secus ac in Temp. fuit, cuius respectu sanguis dicatur vel calidior, vel frigidior, & sic de cæteris.

§. 3. *Deinde* considerare par fuerit, Quæratúrne hîc temperamentum actuale, quod pertinet ad duos libb. priores de Temp. an potentiale, quod ad tertium? Eadem quæstio est de excrementitiis humoribus. Profectò res est difficilior, quàm credunt Salacones nostri. Dico paucis, quod mihi in mentem venit. Consideramus sanguinem, bilem vtramque, pituitam, lac, serum, *aut* quatenus sunt partes corporis

viuentis:

viuentis: *aut*, quatenus à corpore viuente separata, adhibentur alij corpori, alimenti, aut medicamenti loco. *Prima consideratione*, citra dubium sunt actu talia: *secunda, δυνάμει, potestate.*

§. 4. Ergo, qualis est sanguis, consideratus in corpore nostro? Si intuearis loca Hipp. Arist. Gal. aliorum, inuenies *Temperatum* esse, *Calidum, humidum* esse: *Frigidum, siccum* esse. Hîc multi conantur multa. Ego statim amandandos video esse eos, qui calere putant *ex se*. Habent enim Hipp. lib. de Corde, extr. inimicum: habent Arist. 2. Part. 3. & 9. 3. Hist. 19. habent Celsum lib. 4. c. 3. *Reuerà calet sanguis, μὴ καθ' αὑτὸν, non per se*: sed κατὰ πάθος, *per associationem*, vt Arist. & Interp. ipsius loquuntur. Calet igitur, *quatenus cum corde cohæret, & ab ipso calefit.* Quamobrem calor etiam definitionem ipsius ingreditur. Nec est sententia hæc odiosa Galen. qui fine 1. Temp. disertè ait, *sanguinem à corde accipere calorem suum.* Quin, vbicunque Cor *caloris fontem* esse dicit, idem dicit.

§. 5. His præsuppositis, pro Arist. dico cum Bonamico 1. Alim. 6. Considerat ille sanguinem *dupliciter*, *modò* vt formatum, *modò* vt informem. *Forma* sua instructus est calidus, κατὰ πάθος: forma sua destitutus ex prædominio terreus est, hoc est, frigidus & siccus. Concrescit enim. Ergóne, inquis, calet per accidens? τῷ καθ' αὑτὸ duo oppaguntur, κατ' ἄλλο, καὶ κατὰ συμβεβηκός. Cum propriè loquimur, calet *per aliud*: cum impropriè, *per accidens*, Vulgò enim non sumus accurati.

§. 6. Sed quid pro Galen. cui modò *temperatus* est, modò *calidus & humidus*? Id, quod Augenius in Epist. *Temperatum* certo quodam modo, est vnum cum *calido & humido*. *Modus* is est, vt tam calor, quàm humor sint in æquilibrio. Quamprimùm enim alterutrum vincit alterum, in vitio est.



CAPVT CXXIV.

Sanguinis differentiæ.

§. 1. QVEMADMODVM in doctrina temperamentorum id, quod *Æquale* dicebatur, norma erat, & quasi *Canon Polycleti*, iuxta quem iudicabantur reliqua omnia: ita hic *sanguis* naturaliter se habens præbet nobis indicia differentiarum præternaturaliter se habentium.

§. 2. *Bonus sanguis* substantia debet esse lentus & viscidus, non tamen cum frigore, vt in pituita, sed cum calore. *Illud* quidem, vt in substantiam partium alendarum transire possit: *hoc* autem, vt vehiculum habeat, in intima peruadendi. Lentor ille pendet à fibris sangui-

neis.

neis, quæ quò copiosiores, eò felicior nutritio esse solet: contrà, si pauciores sint. Hoc in sanguine, per sectam venam emisso, etiam apparet. Facilè enim concrescit, qui fibrosus est: difficulter, qui serosus, vt in ceruis & damis.


§. 3. Huc pertinet *Modus substantiæ*, quem quidam seorsim ponunt; sanguis dicunt, aut crassus est, aut tenuis. Vtrumque vel à caliditate, vel a frigiditate est. *Sanguis crassus calidus*, qualis taurinus est, homines robustos facit, moribúsque taurinis. Hoc ferè euenit iis, qui perpetuò vescuntur carnibus bubulis. *Sanguis tenuis calidus* homines facit iracundos, litigiosos, inconstantes. *Sanguis crassus frigidus*, qualis asininus est, homines facit asininos. *Sanguis tenuis frigidus*, qualis ceruinus, leporinus, facit quoque homines tales. Quo loco de Melancholicis quibusdam moneo, credi vulgò habere sanguinem crassum, cum tenuem & aqueum habeant.

§. 4. Idem sanguis in qualitatibus primis *Temperatus* est. Fit autem vel calidior, vel frigidior duabus de causis, *Efficiente* & *materia*. Si enim calidum natiuum sit fortius, v. g. in tertio gradu, sanguinem etiam faciet talem. Contrarij eadem est ratio. Ita ex cibis calidioribus fit sanguis calidior: ex frigidioribus contrà. Eadem est ratio cæterarum rerum nonnaturalium. Vbi moneo eos, qui sermonis proprietatem amant, Debere nos in his terminis stantes, calidum sanguinem vocare, qui calidus est, & sic de cæteris, non autem subitò nomine excrementi vti, sanguinem biliosum, pituitosum, melancholicum. Magnæ enim confusionis nos reos facimus.

§. 5. Idem sanguis Græcis est ἐρυθρὸς 3. Hist.10. & 16. 1.in 3.Epid. 16. Lat. *Rubeus*, seu *Rubicundus*, non autem *Ruffus*. Credo eundem esse φοινικοῦν ἢ πορφυροῦν, *purpureum*. Ab hoc colore vergit *modò* versùs atrorem, vt in leonibus: *modò* versus flauedinem (qui color ὑπέρυθρος est,) & (si fides Illust.Casaubono, ἢ οἰνερευθής) ita tamen vtrumque fit, vt ne excidamus τοῦ ἐρυθροῦ. Est enim sanguis quidam *flauus v. g.* sed in suo genere, comparatus cum sanguine, non cum bile. Ita sanguis arteriosus apud Gal. flauus est collatus cum venoso, 2.Fac. nat.8. 4.Simpl.10. 4.san.tu.4. 2.Temp.3.

§. 6. Idem sanguis est *dulcis*, 2.Fac.nat.8.4.Simpl.10, 4.san. tu.4. 2.Temp. 3. *Dulcedo* autem est à moderato calore, 3.Histor.19.4.Part.2. Ab hoc sapore vbi exciderit, & amarus, salsus, aut aliûs saporis factus fuerit, in vitio erit.

CAPVT



CAPVT CXXV.

Excursus in primum sanguificationis instrumentum.

§. 1. SI vestigia Arist. legeremus, paucis defungi poteramus. Is enim nôrat 1. *actionem* esse *compositam*, quæque non edatur ab vno instrumento, sed à pluribus, omnibus agentibus κατ' ἐντελέχειαν. 2. *nutritionem* fieri, non ab vno sanguine solo, venoso, inquã, sed & ab arterioso. At verò cum Gal. actionem simplicem faceret, in vno quidem hepate quæsiuit partem principem, 4. vs.p.12. sanguinẽ autẽ arteriosum aliò ablegauit, vt dictũ mihi suprà est, Aberrat.cap.36. Vltra hunc qui sapere voluerunt, & venis hoc transcripserunt, frustrà & sibi & aliis negotium facessiuerunt.

§. 2. Ne longum faciam, *Cor* est, aut potius *Calidum natiuum* in Corde hospitans, est primum illud sanguificationis instrumentum, seu, vt aliàs loqui solemus, *pars princeps* huius tam nobilis actionis. Hoc docuisse Hipp. & Platonem, autor nobis est Gal. ipse 8. Sent. Hippocr. 7. cum ait, Calidum natiuum esse αἰτιώτατον πάντων τῶν φυσικῶν ἔργων. Quæ ipsa verba sunt 1. Aph. 14. nisi quod αἴτιον ibi legatur. Quæ vocula si mutur in priorem illam, vtrobique fiet hic sensus, *Calidum natiuum esse primam principémque causam omnium operum naturalium.* Et ne tu dicas vniuersalem esse propositionem, sequere legendo, & disces ad sanguificationem contrahi. Idem fit expresse 2. Fac. nat. 9. Hoc ipsum est, quod Philosophus ait de Long. & breu. 5. nec non de Iuv. & sen. 4. τὸ φυσικὸν θερμὸν esse τὸ πρῶτον πεπτικόν, de quo ipso ait, ἐργάζεσθαι καὶ πέττειν τὴν τροφήν, *conficere, & coquere alimentum.*

Idem loquẽdi modus est 4. in 6. Epid. 14.

ABERRATIONES.

§. 3. Cum Pseudo-Hipp. l. 1. de Nat. hum. crucem nobis fixisset de quatuor nouis Elementis, cum additione dictis *Animaliũ sanguineorum*, & verò Gal. in immensũ ampliâsset: omnes ferè Medici insudârunt hactenus in eo, vt conferruminarent, quæ cõferruminari non possunt. Inter hos Fuchs. est l. 1. s. 3. c. 1. vbi acceptatis Elementis istis, concedit quidem sanguinẽ liberari ab excrementis suis: verùm nunquã

tam exactè, vt non remaneat aliquid, dicíque adeò possit, corpus nostrum nutriri non vno sanguine, sed quatuor humoribus, quamuis interim sub sanguinis nomine veniant omnes. Hæc siquis, sepositâ laruâ Hipp. & Gal. accuratiùs intueatur, proculdubio septicipitem Herculis serpentem ante oculos oberrantem videbit. Vt hinc incipiam, Annon inertis artificis nomen debetur Naturæ, quæ voluit quidem seorsim in suis vasis ire sanguinem, seorsim in suis conceptaculis colligi excrementa: non potuit autem scopum attingere. Annon hoc est confundere κατορθώματα Naturæ cum eiusdē ἀποτυχήμασι? Annon hoc est miscere tenebras luci? id, inquam, quod nutrire non potest (& quidem ex propria confessione) cum eo, quod potest? Annon hoc est compingere contraria in vnum corpus? ex albo facere nigrum, ex nigro album? Sed & ex ipsis appellationibus statim elucet absurditas. Estne vnum quatuor, & quatuor est vnum? Et quæ non opinionum monstra hinc exstiterunt, quæ collegi olim l. de Humor. c. 12. Arist. sermo simplex est, & verus, *Solus sanguis nutrit omnes partes.* Quæ sequuntur apud Fuchs. cap. 2. 3. & 4. partim ex dictis iudicabuntur, partim ex dicendis.

§. 4. Sennertus l. 1. c. 9. à Fuchsio institutus, non minùs incautè loquitur quàm *nonnulli* illi, quos carpit. Hæc enim permittunt verba ipsius, *Licet sanguis ab excrementis suis purgatus sit: tamen superest illi aliquid excrementosi:* Nec quidquam subleuat illum heterogeneitas sanguinis, quam Fuchs. exemplo vini latè declarat: subitò enim deuoluitur ad bilem vtramque, & pituitam. Multò minùs iuuat distinctio inter bilem v. g. & sanguinem biliosum: concedit enim in vestigio, *Sanguinis partes calidiores facilè abire in bilem.* Cui oppono, Si cum caliditate sit humiditas, tolletur facultas illa. Et alioquin abominabilis apud me est illa limitum artis seditiosa transpositio, cùm vid. partem sanguinis quandam vocare volumus bilem, quæ sanguini opponitur contrariè. Quo habito, nondum decisa est quæstio, *An in venis actu sint alij quoque à sanguine humores?* Sanguis enim cum omnibus suis partibus est sanguis, neque

vlla

vlla tolerat appellationem contrarij sui. Et quàm bellum est illud, *Sanguis biliosus facilè abit in bilem.* Multò minùs decisa est altera, *An corpus nostrum alatur quatuor potiùs humoribus, quàm vno sanguine?* Autoritas Hipp. & Galen. nihil huc facit. Ratio à similitudine non concludit. Non enim opus est similitudine actuali, vt dixi. Quàm pulcra verò conclusio est, *Nos, quâ ratione humores excrementitij nutrire possint, non videmus: sed solum sanguinem pro corporis alimento habemus?* Si enim non tota bilis expurgatur, sed remanet aliquid, quod cum bile excrementitia idem est, quî dici potest solus sanguis? Summa, *sunt velitationes de nominibus.*

§. 5. Liddelius lib. 2. cap. 8. occentat nobis humores suos alimentarios: sed nimis nudè. Prodit enim rem, cùm negat, sanguinem ex tribus factum, fore temperatum, sed frigidum. Quin rectè affirmat, ex his perfectam mistionem fieri non posse. Mox ostendit, quàm parùm Logicus fuerit, cùm ita concludit, *Ratio ostendit, alias partes crassiore alimento vti, &c. Quare apparet, quatuor esse humores alimentarios, &c.* Vnde enim est illud *Quare*? Sed & fatetur ipse, conclusionem necessariam non esse, quoniam nutritionis ratio à sola materia non pendeat, &c. Nihilominus, addit: sed iam miseret me hominis.

§. 6. Ab Heurnio lib.4. c.1. hoc solum intelligere cupiam, Quomodo nutrire possit, quod partibus constet toto cœlo à se distantibus? sanguine inquam, temperato: bile vltra mediocritatem eunte: pituita, infra eandem subsistente: melancholia ex coctione subsidente? Reuerà, monstrum horrendum est. Quò magis libet mihi aliò ire!



PARS TERTIA.

CAPVT CXXVI.

De excrementis in genere.

§. 1. HIc ab initio illud moneo. Latinos tam felices in hac appellatione non esse, quàm Græci sunt. Quod enim hi

dicunt ὑπόλειμμα τῆς τροφῆς, 1.Gen.18. τὸ περιττὸν ἢ περίττωμα τῆς τροφῆς: id illi *Excrementum alimenti* vocant, quasi necesse sit excerni, quidquid huius generis est. Tu verò his attende mentem.

§. 2. Duplex est τὸ ὑπόλειμμα, ἢ περίττωμα apud Aristot. l.c. *vtile & inutile. Inutile* est, à quo Natura (quod ad nutritionem) nihil ampliùs commodi expectat: imò, quò diutiùs in corpore hæret, eò peius est, & rectè *Excrementum* nominatur. *Vtile* contrà, à quo Natura habet commodi quid, siue in indiuiduo, siue in specie. Quod *speciei* seruit, rectè quoque *Excrementum* dicitur, quia debet suo loco & tempore excerni: quod *indiuiduo*, non rectè, quia manet in corpore.

§. 3. Idem Arist.3.Part.5.cúmque eo Gal.caus.morb.6. Diff.sympt.6. 2.Diff.febr.vlt. 3.caus. sympt.2. & 4. 6.san.tu.1. *Vtile* sola quantitate dicunt esse *Excrementum: inutile, qualitate*. Habet enim *Vtile* qualitatem à corpore non alienam, & posset Natura illo vti ad nutritionem, nisi copia impediret: *inutile* contrà, qualitatem habet à naturâ alienam, & ad nutritionem ineptum est. Hinc, vt dixi, Philosophus *alimento contrarium* vocat. Porrò, *Inutile* subdiuiditur in *Vniuersale* & *Particulare*. Rursus vniuersale in *Proprium* & *commune*.

§. 4. *Vtriusque* origo vt sciatur, hinc ordiri oportet. Cum animalia, non minùs ac plantæ, nutriri deberent humore puro, defæcatóque; animalia autem non ita adhæreant terræ vt plantæ, & proinde non possint attrahere *suum*, seu proprium duntaxat alimentum: debuerunt habere varia instrumenta, quibus alimentum, per os acceptum, purificent, indéque alimentum præparent, quod substantiæ vniuscuiusque animalis nutriendæ quàm aptissimum sit. Et hoc iam est *Sanguis*, de quo egimus: à quo, dum fieret, quod recisum est, *Excrementum* inutile est.

§. 5. Sanguinis iam facti quod superest, & ad necessitatem indiuidui, cuius sanguis est, non pertinet, hoc iam est *Excrementum vtile*. Loquor autem de necessitate, quæ ad nutritionem propriè dictam facit. Cum enim (vt orationem ad hominem transferam) sanguis illius deberet esse temperatissimus, & ab excrementis inutilibus (quæ sunt excessus quidam) quàm liberrimus, & tantumnon totus in totam substantiam partium absumi posset: quidquid in perfecta ætate (ita loquor) non absumitur, sed superfluit, id iam est *Excrementum* vtile.

§. 6. Huius quod *indiuiduo* seruit, ὑπόλειμμα tantùm est. Non enim excernitur. *Quod* speciei, & ὑπόλειμμα, & *Excrementum* est. Vt enim dixi, excerni debet suo loco & tempore.

§. 7. Iam hinc descendendum est ad numerum, tam *Vtilium*, quàm *Inutilium. Vtilium*, quæ *ad speciem*, duo sunt, si rectè consideres. *Alterum*, semen masculum est. *Alterum* sanguis menstruus. Ibi sequela orationis ducit nos ad substantiā quoque illam albam, quæ in quibusdam

fœminis

fœminis ſemini proportionata eſt. Hîc ad *Lac*, quod *ſanguinis fratrem* vocat Hippocr. vt audiemus. De *Sero lactis* & *Coagulo* non dico, quia pertinent ad doctrinam pharmaceuticam. Quæ *ad indiuiduum*, pariter duo ſunt, *Alterum*, pinguedo eſt: *alterum* medulla oſſium.

§. 8. *Inutilium* vniuerſalium propriorum numerum hoc modo inire oportet. Cum, ceu dixi, animalibus quærendus eſſet cibus, vel ex plantis, vel ex animalibus; illa verò minimum habeant ſubſtantiæ illius, quam ſanguis deſiderat, neceſſariò inſtituit Natura certa *inſtrumenta*, per quæ ſucceſſiuè abſcinderentur heterogenea. Vocantur hæc inſtrumenta communi nomine *Concoctoria*, ſeu *Nutritoria*, 5. vſ. part. 14. De his Philoſophus agit 2. Part. 3. & 10. 3. Part. 14. Sed diſtinctiùs Galen. 4. & 5. vſ. part. vbi diuidit in tres ordines. *Primus* eſt eorum, quæ vel alimentum præparant in ore, mediante maſticatione, & per gulam demittunt in ventriculum: vel coctum in ventriculo diſtribuunt. *Prius* faciunt os, dentes, lingua, palatum, gula & ventriculus: *poſterius*, inteſtina & vaſa Meſaraica. *Secundus* eſt illorum, quæ ſanguinem, vel coquunt, vel diſtribuunt. *Hoc* præſtant *Vena caua*, & *Arteria magna*: *illud*, *Hepar*, *Cor*, *Lien* ex parte. *Tertius* illorum eſt, quæ excrementa, in confectione ſanguinis oborta, vel in ſe recondunt, vel euacuant, vel vtrumque agunt, *Veſica bilaria*, *Lien* ex parte, *Inteſtina* ex parte.

§. 9. Verumenimuerò quia hinc excrementorum horum numerus nullus prodit, oportet inſpicere *Coctiones*, *quà coctiones*. Harum vulgò tres ſunt, quarum *prima* fit in *Ventriculo*, accepto vocabulo latè, vt includat Inteſtina: *ſecunda* in *hepate & liene*: *tertia* in *omnibus partibus*, ſeu in toto habitu, quatenus nutritur. Sed enim quia in *Corde* quoque fit *Coctio* quædam, & ſecernuntur ibi quoque excrementa quædam, fas eſt nos addere *quartam*. In vnaquaque harum (dico iterum, *Quà Coctio*) fit duplex genere excrementum, *Tenue* & *Craſſum*. Cum enim ſanguis ſit mediocre quid; vltra autem hoc ſit duplex exceſſus, vel parùm coqui, vel non coqui: neceſſariò gignitur duplex tantùm excrementum.

§. 10. In *prima* igitur coctione, dum *vaſa Meſaraica* rapiunt ex inteſtinis, quod homogeneum eſt, relinquunt quod heterogeneum: *Craſſum* quidem excrementum fit, quod in alimento aſſumto prorsùs terreum fuit, & conſtituit magnam partem *Fæcum alui* dictarum; *Tenue* autem quod Pituitam naturalem. Hanc boni à malo ſeparationem comparat Gal. 4. vſ. p. 1. & 3. cum prima ſeminum Cerealium, quæ in horreo fit, purgatione.

§. 11. *Secundam* coctionem hepati ſoli tranſſcribit Galen. & aſſeclæ ipſius, cum dicunt, *Veſicam* quidem *bilariam* rapere inde, quod *Tenue* eſt, & *Bilis* dicitur: *Lienem* autem, quod *Craſſum*, & *Melancholia* vocatur. Quod de bile aiunt, rectè habet: quod de

melancholia, nonnisi cum distinctione. Vt enim in Tract.de vsu lien. demonstraui, Lien attrahit partem chyli lutosiorem, quam *conficit*, hoc est, bonum à malo separat, vt hinc quidem *sanguis* restet laudabilis: illinc autem *Melancholia*. Hanc defæcationem comparat Gal. l.c. vt & 2.Fac.nat.9. cum musto feruente, in quo fæces quidem subsidentes Melancholiæ respondent: spuma autem, seu flos vini Bili.

§. 12. Huic coctioni vt meritò submittenda est illa, quæ fit in *Corde*: ita mentio quoque facienda est excrementorum eius. *Crassum* reuerà, non autem phantasiâ, est *Fuligo*, quam Gal. quoque per respirationem & pulsum abire fatetur. Sed *Tenue* quod statuemus? Ego hactenus eius opinionis fui, *Contenta vrinarum* esse. Quam qui infringere volet, sentiet se opus aggredi amplum, immensum, varium, obscurum, perdifficile, in cuius inquisitione laborârint plurimi, nemo dum perfectè assecutus sit, vt ferè loquitur Vlmus 3.Vrin.1.

§.13. *Tertiæ* vulgò dictæ *coctionis* excrementum *crassum*, est *Fuligo* pariter dicta. *Tenue* caret nomine, & est lentum illud ceroma, quod in balneis abstergimus. Et hæc quidem singularum coctionum excrementa sunt vniuersalia propria, quæ accidunt, *quà coctiones* sunt, vt pridem locutus sum.

§. 14. His accedit *Vniuersale*, *Commune*, dictum *serum*, hac occasione natum. Cum coctio ventriculi sit *Elixatio* quædam: opus profectò fuit, vt aqua illa, in qua fit, expurgetur. Nutrire enim non potest, 4.Vs.p.5. Rursùs, cum nec chylus in *hepar* & *lienem* ferri; nec sanguis, vel in *cor* ascendere, vel inde per pulmones in sinistrum ventriculum transdari possit, nisi benè dilutus: quiuis videt necessitatem illius, quod ὄχημα τῆς τροφῆς vocat Hipp. fine l.de Alim. Huic verò purgando tam ex venis, quàm ex arteriis, fabricauit Natura *renes* & *vesicam vrinariam*. Ex habitu corporis subinde etiam vacuatur, modò insensibiliter, modò sensibiliter per *sudores*.

§. 15. Vniuersalibus adnumerare oportet *Ichoras*, de quibus Mercurialis olim in Variis, *Versari frequenter in Medicorum ore, at qui sint illi, paucos omninò intelligere.* Fiunt, vt breuibus me expediam, cum sanguis vel minus coquitur, vel colliquatur.

§. 16. Supersunt *Particularia*, quæ sunt, vel *Capitis*, vel *Oculorum*, vel *Aurium*.

CAPVT



CAPVT CXXVII.

De excrementis vtilibus, & primùm De semine masculo.

§. 1. APVD Græcos tria sunt vocabula, σπέρμα, γονὴ ἢ γόνος, καὶ θορὴ, ἢ θορὸς, quæ modò distinguuntur, modò confunduntur. Inter σπέρμα καὶ γονὴν, neque ante Aristotelem Hippocr. neque post hunc Gal. distinxit. At Arist. 1. Gen. 18. γονὴν vocat τὸ ἀπὸ τοῦ γεννῶντος, *quod à patre est:* σπέρμα, τὸ πρῶτον μῖγμα ἐκ θήλεος καὶ ἄῤῥενος, *prima coniunctio seu mistura seminis vtriusque*, quod in plantis quidem κύημα est: in ouiparis autem ouum fœcundum.

§. 2 *Materia* seminis huius est residuum illud sanguinis, quod in perfecta ætate non absumitur in corporis alimentum. Non est autem necesse, vt à toto corpore decidatur. Sanguis enim quia iam habet aptitudinem illam, vt in singulas indiuidui sui partes abire possit; indiuiduum autem non indiget omni illo: abutitur Natura residuo ad productionem alius indiuidui.

§. 3. *Efficiens* est *Calidum natiuum*, è corde ad partes generationi dicatas amandatum, vt materiam iam dictam concoquat in substantiam talem, quæ sit apta facere id, quod dixi.

§. 4. *Forma* est temperamentum *Calidum & humidum*, paulò supra sanguinem, ob copiam spirituum, à toto corpore confluentium. Vide 1. Gen. hom. 10.

§. 5. De *fine* vt rectè iudicari possit, ita est habendum. Duo hîc sunt, λόγος, καὶ ὄγκος σπερματικός. De λόγῳ σπερματικῷ consensus est, habere rationem τοῦ ὅθεν ἡ κίνησις, *efficientis:* de ὄγκῳ σπερματικῷ antiquissima est controuersia, quam Arist. 2. Gen. 3. ita proponit. *Si*, vult dicere, *in iis, in quibus mas semen in vterum fœminæ immittit, corpulentia seminis non absumitur in partes fœtus, adeóque ex illa non fiunt aut partes quædam, aut omnes: quò vertitur?* Illius sententia negatiua est, quam ita etiam confirmauit, vt mirum mihi visum semper fuerit, & olim, & hodie de mente ipsius dubitari! quin tantumnon ostracismo dignam videri!

§. 6. Quò magis decet nos operam dare, ne vel Gal. ἀρχαίως πάνυ, *valdè ruditer*, rem explicanti, aures vaciuas demus: vel Arist. inauditum damnemus. Quæ enim ratio fuit, *Cur veteres corpulentiam hanc, tanquam materiam, subiecerint partibus?* Quia non potest verti in nihilum. Quibus ego, *Non propterea in partes mutatur.* Expressè enim dicit Philosophus

Philosophus, *Eo modo* διαλύεως καὶ πνευματώσεως, *quomodo coagulum in caseos, seu fermentum in panes.* Perítne coagulum? perítne fermentum? Hac in re confirmat eos audacia & temeritas Gazæ, qui maluit Galen. sequi nudo capite, quàm ad orationis sequelam attendere. Quamobrem, ô viri Medici (de Philosophis non loquar) consideratiùs inposterum agite, ne qua Veritati vis inferatur. Quid igitur fit de ὄγκῳ seminis dicat aliquis. Constituit? *Calidum natiuum.* Hoc quia prolixè alibi exposui, satis mihi sit meminisse hîc tantùm.

§. 7. *Seminis fœminei* (illius, inquam, quod in vasis spermaticis conficere creduntur fœminæ) naturam & vsum explicabo ἁπλογικῶς. Cætera pete ex 4.Gen.hom.

ABERRATIONES.

§. 8. Quàm rectè Sennertus lib. 1. cap. 10. confirmat *Traducem* ex Epicuri (tu vide plures apud diuiniss. Lipsium 1. Manud. Stoicæ, 9. è quo nos 1. Gen. hom. 10.) sententia: tam sinistrè agit, cum *semen masculum* subire vult locum duarum causarum, *Efficientis* & *Materiæ*. Scio Galeni sententiam esse: sed addo, Si vllibi, certè hîc prodidit ille suam in Philosophia infantiam, quod ante me conquesti sunt optimi quique. Sed quid dicit Noster? *Si in plantis & animalibus ex ouo natis, &c.* Oh, iam satis habeo! Téne, ô vir amice, tam malum esse Physicum, qui confundas perfecta cum imperfectis, plantas cum sexu distinctis! Téne ignorare, in plantarum etiam seminibus esse quid, quod semini masculo in sexu distinctis proportionatum sit? Téne scire nolle, in ouo iam esse duo principia, *actiuum* & *passiuum*, *semen galli, & materiam gallinaceam*, quorum illud rationem *efficientis* habeat, hæc *materiæ*? Et quis Genius tibi persuasit, in *ouo* (fœcundo) semen quoque galli præbere materiam partibus? Quî ignotum potest tibi esse principium illud Physicum, tanto studio ab Arist. assertum, *Vnum, quà vnum non agit in se? Imò, experientia testatur*, inquit, *rem ita se habere. Abortum enim primorum dierum materia est alba instar seminis & lactis.* Quid inde? *Membra enim solida, &c.* Oh, scio quid velis! Fac argumentum, & videbimus

bimus dolum. *Cum semen*, (vult dicen.) sit apta materia partibus solidis,&c. Scio heic quoque quid in animo habeas. Semen quia habet rationem efficientis, non potest simul habere materiæ, per principium illud inconcussum, *Vnum, quà vnum.* Propterea dici nullâ fronte potest, *Semen masculum esse aptam materiam.* Atqui, *Nihil aut parùm sanguinis, &c.* Vnde scis? *Atqui Hipp. in infami ista psalteria vidit sanguinem!* Atqui Gal. docere te poterat à semine in vterum recepto attrahi sanguinem! Nec opus est vasis vmbilicalibus ante αὔξησιν, cum toto συστάσεως tempore semen ipsum trahat. *Si conceditur, matris semen, &c.* Hoc obstat, *Vnum quà vnum.* Sed, *Quo fine retinetur semen?* Vt formet. *Quid verò de illo fit tandem?* Calidum natiuum. *Atqui Arist. &c.* Tu, non minùs quàm Gal. Aristotelem nunquam intellixisti. *Non nocet mihi* tandem vult dicere, *tuum illud, vnum quà vnum. Non enim secundum idem est principium actiuum & passiuum, &c.* Vide 3. Gen. hom. 2. & seq.

§. 9. Idem Sennertus in seq. *pro semine fœmineo* pugnat his argumentis. 1. *Natura nihil facit frustrà, At fœminæ habent eadem instrumenta genitalia.* Dico *ad Maiorem*, Non est frustrà, quod habet vsum secundarium. Sed neque illa sunt frustrà, quæ seruiunt vnitati Naturæ. *Ad Minorem*, Non sunt prorsùs eadem, quod oculorum fide constat. Sed & si sint, vbi est causa efficiens? dicit Gal. 2. *Libidine tentantur.* Est ab affluxu calidi sanguinis. Sed sit à semine. Non est id γόνιμον, propter defectum præcipuè efficientis. 3. *Bruta certo tempore ὀργῶσι: at constrata nihil tale patiuntur. Hoc* non est perpetuum: *illud* non est satis, vt iam dixi. Et hæc quidem ego breuiter repetere volui: qui plura volet, redeat ad Aberrat. cap. 42.

§. 10. Liddel. lib. 2. cap. 9. proposita nominum mirificâ confusione, modum generationis non minùs confusum affert. Mox, datâ definitione seminis non valdè artificiosâ, ad *sanguinem menstruum* deuoluitur. A quo subitò resiliens ad *vim plasticam*, vt ego vocare soleo, eiusdémque

instrumentum, *Calorem*, loquitur de vtroque semine (quin & de sanguine mēstruo) quod scil. vtrumque habeat vtramque causam *efficientem* & *materiam*. Pax!

§. 11. Heurnius lib. 5. cap. 1. cum de *quatuor humoribus* aliquammulta dixisset, duplicem seminis definitionem struit, quam etiam fusè explicat, oratione tam obscura, & rerum inani, vt ex fide mea esse putarim, monere adolescentes, cauete!



CAPVT CXXVIII.

De sanguine menstruo.

§. 1. ITa vocare libet *semen muliebre*, ab Arist. dictum, quod Græci etiam vocent ἔμμηνα, ἐμμήνια, καταμήνια, ἐπιμήνια, ab euentu illo, qui docet, *In fœminâ perfectæ ætatis, cum vel non habet in vtero, vel non lactat, singulis mensibus se ostentare.* Hinc etiam *Menses* & *Menstrua* dicuntur. Hoc ipsum enim ostendit, excrementum vtile esse.

§. 2. Hoc è sede suâ penè excidit, præ importunitate *seminis muliebris* vulgò dicti. Sed reuerà fit illi summa iniuria. Nam quo tempore mares habent semen: eo in fœminis ostendit se hic sanguis. Tum verò in vtroque sexu præcedit mutatio corporis quædam in voce, in pilis, in odore, in aliis. Quòd verò maximè stringit, Non fit conceptio, nisi sanguis hic adsit. Facta etiam conceptione, non ostendit se ampliùs, & tamdiu quidem, quamdiu infans & in vtero est, & lactet. Argumento firmissimo, sanguinem hunc præbere fœtui, tam vt fit, quàm vt alatur. Quod si corporatura seminis dat materiam, cur absque hoc sanguine conceptio non fit? Nimirum ita est, vt docet nos Arist. Semen maris dat formam: semen fœminæ materiam.

§. 3. Sed qualis est sanguis hic, collatus cum sanguine masculo? Non est difficilis ratio, si acceptemus principia Aristot. Galeno quoque acceptata: *Vir est calidior fœmina; ideò sanguis fœminæ est crudior & frigidior*, eum *in finem, vt iterum coqui possit.* Et hoc est, quod Aristot. ait, 1. Gen. 20. Menses esse αἷμα οὐ καθαρὸν, *sanguinem non purum.* Sed qualis ἀλλὰ δεόμενον ἐργασίας, *qui indiget vlteriori elaboratione.*

ABERRATIONES.

§. 4. Propter Sennertum lib. 1. cap. 10. hoc moneo, Rectè quidem ait ille, sanguinem hunc esse *materiale principium* tantùm: sed intelligit partes *sanguineas solas. Spermaticas* enim dictas à semine maris deducit. Idem de Liddelio dictum volo. Heurnius crepat stultum illud argumentum, captum ex problemate, *Cur partes spermaticæ non regenerentur.*



CAPVT CXXIX.

De Lacte.

§. 1. SI lac est *frater sanguinis*, vt ex Hipp. deducit Gal. 14. vs. p. 8. non potest de illo agi alio loco, quàm hoc. Quæritur, Quæ causa sit huius fraternitatis? siue, cur institutus sit hic ordo, vt lac habeant s. n. nonnisi illæ, quæ pepererunt? Vt fœtus extra vterum alatur penè eadem materia, quâ alebatur in vtero. Sed vnde est consensus ille vteri cum mammis? Per vasa in rectis abdominis musculis concurrentia. Interim materiam præbent vicina quoque vasa thoracis.

§. 2. Lac, quod ad *substantiam*, debet esse medium inter crassum & tenue, idémque æquabile: sapore dulce: colore album: odóre alimentario.

§. 3. Constat *tribus partibus*, Caseo, butyro & sero. Quarum duæ cum sint frigidæ, vna tantùm calida: fortassis rectè colligit Massaria, *Lac esse frigidum.* Sed reuerà opus est distinctione. Cum caleat κατ' ἐπίκτητον, non minùs quàm sanguis: quandiu actu calet, *calidum* dici potest: posteà *frigidum*, aut potius tepidè calidum.



CAPVT CXXX.

De Pinguedine.

§. 1. VErum est, siue rationes spectes, siue autoritates, pinguedinem videri accensendam partibus esse: & est ita, si partem

genericè accipias, vt Hippocr. in diuisione εἰς ἴσχοντα, &c. At, si eam Medicis distinguas *Partes* ab *Humoribus*, huc potius pertinebit quàm illuc. Est enim ὑπόλειμμα non minùs quàm hactenus dicta, cum modò adsit, modò absit, &c. Quod ipsum prohibet illam esse inter partes solidas.

§. 2. Tria sunt apud Græcos nomina, quibus totidem Latina respondent, πιμελὴ στέαρ καὶ λίπος, ἢ λιπαρὸν, ἢ λιπαρώτης, *Pinguedo*, seu *Pinguitudo*, *Adeps*, *sebum* seu *seuum*. Picto, posterius hoc esse genericum: reliqua duo specifica, quæ distinguit Arist. 3. Hist. 17. 2. Part. 5. & Gal. 11. simpl. c. prop. Apud Interp. si certi quid quæras, deceptum te esse comperies: ego, citra μικρολογίαν, *Pinguedines* vocabulo vtar.

§. 3. *Materiam* pinguedinis esse partem sanguinis tenuem, oleosam, aëriam, in confesso est.

§. 4. De *efficiente* lites sunt penè ineffabiles inde ortæ, quod de *Calore* quidem res sit extra dubium: Gal. autem dicat, *Non concrescere, nisi allabatur ad partem frigidam.* Sed ita est. Distinguere oportet *modum generationis* à *modo concretionis*. Tum verò non oportet decurrere ad *frigus positiuum*: sed consistere in *calore mediocri*, comparato cum excessiuo, vt ita loquar. A maiori enim calore fit: à minore coït.

§. 5. Sed nondum satis est. Videmus enim pinguedinem esse, non tantùm circa *partes frigidas*, quales sunt in corpore viuente membranæ: sed & circa *calidas*, quales sunt Cor & Renes. Vt paucis me expediam, *Pinguedo* est duplex, alia à *Conditoris prouidentiâ*, quæ ob id consistit intra terminos suos, vt in corde: alia est à *certo caloris gradu*, sine certâ lege & circumscriptione.

§. 6. *Temperamento* est Calida & humida, sed in vlteriori gradu quàm sanguis. Hoc autem accipere oportet de pinguedine, quæ adhuc in animali est, vel de illâ certè, quæ recens extracta est: Alioqui facile rancescit, præsertim si in loco calido sit.

§. 7. *Vsum* pinguedinis rectè exponit Gal. 16. vs. p. 2. humectare & delinire corpora sicca tenuiáque. Et hoc videntur mihi velle ij, qui dicunt, fomentum esse caloris natiui. Qui verò dicunt, In casu necessitatis redire in formam sanguinis, & verè nutrire, contra Philosophiæ principia insurgunt. Addendum verò est, Fieri hoc, quamdiu intra mediocritatem est. Hanc enim quamprimùm excesserit, noxia est.

CAPVT CXXXI.

De medulla ossium.

§. 1. TAntam cum pinguedine cognationem habet, vt in quibus πιμελὴ est, in iis etiam medulla sit πιμελώδης : in quibus στέαρ, ipsa quoque sit στεατώδης, 7. Hist. 20. 2. Part. 6. Quo loco quia dicitur, μυελός ἐστι τῆς αἱματικῆς τροφῆς, εἰς ὀστᾶ μεριζομένης τὸ ἐμπεριλαμβανόμενον περίττωμα πεφθὲν, quæritur, *Quis sit loci sensus?* & *Quo respectu medulla sit ossium alimentum?* Certè Gaza turpissimè se gessit. Sed parco verbis : sensus videtur mihi hic esse, Quod medulla vulgò dicitur, non est naturæ simplicis, imò duplicis est. *Partim* enim excrementum sanguinis est, partim sanguis ipse, qui ibi continetur pro nutritione ossium. Græca ita verbo, *Medulla est excrementum coctum, quod in se continet alimentum, in ossa diditum.* Nutriuntur igitur ossa medulla, quatenus sanguinem in se continet. Alioquin eadem difficultas est, quæ de pinguedine, Regreditúrne, & fit iterum sanguis? Neutiquam? Ergo si sanguis nutrit, cui bono est pinguedo ipsa? Vt præbeat sanguini vehiculum.

§. 2. Quæritur, quatenus sit eiusdem cum pinguedine *temperamenti?* Hîc subitò aliud se insinuat, Cùm alia sit ratio generationis, alia coïtionis; illam autem habeat à calore : vnde hanc habet? Dicunt à duritie ossis habet. Credo ego à coctione potiùs habere. Huc me deducit illud φαινόμενον, Non liquescit à calore : sed ampliùs coit. Hinc adeò pendet cognitio illius φαινομένου, Cur in emolliendo medullæ præstent pinguedines? Quia sunt tenuiores & elaboratiores.

CAPVT CXXXII.

De excrementis inutilibus singularum coctionum, & primùm

De primæ coctionis in genere.

§. 1. PRimam *coctionem* voco hîc *Chylificationem*, quæ fit in ventriculo, accepto vocabulo in eâ significatione, qua intestina quo-

que includit. Vide, ſis, 4.Vſ.p.1.3.& 9. 2.Sent.Hipp.8. 3.Cauſ.ſympt.2. 1.Alim.1. Hæc animaduerſio ſubitò tollit inanem illam quæſtiunculam, An excrementa, de quibus inſtituimus agere, fiant in ventriculo? Fiunt, ſiquidem pro toto hoc accipias.

§. 2. At verò ſi diſtinctè procedamus, dicimus 1. *Chylum* in ventriculo coqui quidem: ſed in inteſtinis accipere perfectionem ſuam. 2. Ventriculi hanc vnam eſſe *actionem*: inteſtinorum inſuper duas alias, Chylum quidem diſtribuendi, excrementa autem pellendi. 3. Ventriculum hoc tantùm agere, vt homogenea ſint diſtincta ab heterogeneis *potentia*: inteſtina, adhibito miniſterio vaſorum Meſaraicorum, præſtare diſtinctionem *actualem*. Quamobrem, quia ſtatim atque excidit
4.Vſ.p.17. chylus ventriculo, incipit fieri diſtinctio realis, quæ continuatur vſque ad finem inteſtinorum: rectè dicitur, *Excrementa primæ coctionis inchoari in ſuperioribus* (naturæ ordine) *inteſtinis: abſolui in inferioribus.*

§. 3. In his Naturæ actionibus maximè actiua eſt δύναμις καθεκτικὴ, *facultas retentrix* Gal. dicta, qua præcipuè ope fibrarum tranſuerſarum: quarum in vtraque parte inſignis eſt copia, fit. Hæc quia ferè agit cum motu locali, Galenus multis locis vtitur voce Eraſiſtratéa, quæ eſt περιστολὴ, καὶ δύναμις, ἢ κίνησις περισταλτικὴ, ἀπὸ τοῦ περιστέλλειν, *amplecti*. Huius officium eſt, In ventriculo quidem chylum tamdiu retinere, quàm diu opus eſt, vt ἀναστοιχείωσις dicta abſoluatur, poſteà in inteſtina detrudere: in inteſtinis autem ſucceſſiuè deorſum pullere. Et hoc opus naturale eſt: at verò ſi ab inferioribus ſurſum fiat, præter naturam eſt, & cauſatur vomitus periculoſus tam ciborum, quàm excrementorum. Hac de re Laurent.agit 1.Anat.quæſt.20.ex Gal. 3.Fac.nat.4. 4.Vſ.p.9. Diff.ſympt.4. 4.Acut.33. 5.in 6.Epid.27.

§. 4. *Hæc* ipſa *facultas* promouet etiam depoſitionem *Excrementorum alui*, vt vulgò vocantur: ſed non facit totum. Cùm enim ſit actio miſta, facultas dicta præbet id, quod *Naturale* hîc eſt: muſculi abdominis, thoracis, præcipuè diaphragma, laryngis, id quod *animale*, vt ſuprà ſcripſi. Habent tamen hîc partes ſuas muſculi quoque ani, præſertim ſphincter, quatenus prohibet, ne excrementa hæc inuitis nobis elabantur.

§. 5. Hoc loco ignorare non oportet. Quæ hîc vocamus *Excrementa alui*, non eſſe primæ coctionis tantùm, ſed ſecundæ quoque, vt dicetur. Interim vnum habent nomen, modò genericũ, modò ſpecificum. In genere à loco dicuntur, per quem exeunt, ὑποχωρήματα, ὑποχωρήσεις, διαχωρήματα, ὑποστήματα, ſemper cum additione τῆς κοιλίας. Vno verbo etiam περιττώματα vocantur, κόπρος, ἀπόπατος, ἀφόδευμα, & aliter. In ſpecie περιττώματα τῆς τροφῆς, & diſtinctiùs τῆς ξηρᾶς, ad differentiam *vrinæ*, quæ eſt περίττωμα ὑγρόν. Quod verò mireris, nomen ipſum τροφὴ, σῖτος, σιτίον, βρῶμα non raró illis datur: verùm vt ſubintelligatur, τροφὴ ἐξικμασμένη, & ſic de cæteris. Vide Foëſ. in Oecon.

§. 6. Vt

§. 6. Vt ad finem veniamus, *Tenue* quidem huius coctionis excrementum *Pituita* dicitur: *Crassum* autem caret nomine.



CAPVT CXXXIII.

De Pituita.

§. 1. ΦΛέγμα, *pituitam*, distinguere ante omnia oportet ἀπὸ τῆς βλέννης, à *Muco*, seu *Blenna*, adeóque omni illo, quòd è capite in subiectas partes destillat. Abigere etiam oportet latam illam significationem, quæ comprehendit omnem *humorem frigidum, modò albus sit*, 2.Diff. febr.6.7.Aphor.46. Tum verò simul abit pituita illa, quæ in venis it, & œdemata facit, olim *Crudus humor* vocata. Manet igitur illa tantùm, quæ in ventriculo fit, cum suis dependentiis, vt sic dicam.

§. 2. De hac statim ingens est difficultas, *Generetúrne in omnibus hominibus, & in quouis victu*? Qui affirmant, paulò minùs quàm fatui sunt. Quin scribit Gal. expressè 1.Nat. hum.39. 2.Fac.nat.9. 5.vs.p.4. 8.Sent. Hipp. 6. & alibi, Fieri hoc tum tantùm, cum cibi ingeruntur vel multi, vel frigidi, præsertim visceribus refrigeratis. Vno verbo, *Ex necessitate materiæ.*

§. 3. *Altera* difficultas est, Facessâtne in inediis in sanguinem? Si verum est, Naturam pro vacuanda illa struxisse peculiarem machinam, de quî dicetur cap.de Bile:ne verissimilis quidem est assertio illa. Quin certus sum, totum hoc commentum ortum habere ex confusione pituitæ cum *Crudo humore* iam dicto.


§. 4. Is est, vt paucis me expediam, crudior pars sanguinis, quæ in solutiori victu gignitur in quibusdam, & desinit tandem in *Cachexiam & Leucophlegmatian.* Vide tract.de Humor.cap.38.

§. 5. Intelligitur ex his, quæ sit causa *efficiens* huius pituitæ? Debilis calor, siue per se, siue per accidens. *Per se*, in temperatura frigida, in senibus, in aliis. *Per accidens*, siquis vel moretur diutius in aëre frigido, noctu non benè tectus sit, statim post cibum exercitia obeat, &c. Intelligitur etiam, quæ sit *materia*? Cibi humidi, frigidíque, potus aquæ in non assuetis, &c. Vnde clarum fit, in contrario victu, vel non gigni, vel nonnisi parcissimè.

§. 6. *Vsus*, seu potiùs abusus, apud Medicos quadruplex est. *Primus* est ille, quem negaui, alere scil. *Secundus* est, præstare intestinis quasi armaturam quandam, contra acrium humorum influxum. Quam ob causam tam arctè illis adhæret, vt videatur constituere peculiarem tunicam, quam *Crustam carneam* Anatomici vocant, putántque excre-

mentum

mentum esse non primæ, sed tertiæ concoctionis. Hæc cum ab acribus humoribus arroditur, & exeunt ξύσματα, *ramenta*, dant nobis pathognomonicum dysenteriæ signum non autem deiectio sanguinis, quæ longè pòst succedit. Hæc ipsa ξύσματα fallunt nonnunquam Practicos, vt putent, interiorem tunicam intestinorum abire, cuius rei exempla noui. Hanc adeò excrescere posse, vt obstruat tota intestina, credo Fernelio 6. Pathol. 9. Ea in re valdè me confirmat casus, quem de τῷ θαυμαστωτάτῳ Lipsio memorat Heurnius, Præf. op. suorum. De hac accipio illud Hippocr. 4. de Morb. cum *lumbricum latum* vocat ἐντέρε ξύσμα λευκόν, *intestini ramentum album*. Huc spectasse videtur Arist. qui 5. Hist. 19. scribit, solum ex lumbricis latum ita adhærere intestino, vt adnatus videatur & aliquando defluere ex illo aliquid, quod *semini cucurbitarum* simile sit. Nimirum, vt hoc quoque addam, *Cucurbitini* dicti non constituunt peculiare vermium genus, sed pertinent ad latos, quod Manardus deducit, 4. Epist. 1. *Tertius* abusus est ad feliciorem fæcum alui expulsionem. Nisi enim humida & lubrica sint intestina, difficilis excretio est. Huius rei necessitatem intelligimus ex quibusdam Colicis, quorum intestina clysteribus, fomentis, medicamentis omnis generis ita excoximus, vt corij instar sint. In his aluus non facit officium, nisi πρὸς ἀνάγκην, vt Hipp. loqueretur. In horum numero erat Excellentiss. D. Saxonia, Doctor olim meus. *Quartus* longè nobiliss. est ad *salinæ* generationem, qua de re mox.



CAPVT CXXXIV.

Species pituitæ.

§. 1. QVam modò descripsi, *Naturalis* ferè dicitur, accepto vocabulo in secunda significatione, pro eo, quod quoquo modo naturam sequitur, lib. de Maras. 2. Dicitur verò à Gal. etiam φλέγμα ἄποιον ἢ γλυκύ, *Insipida* quidem, quia nullum saporem præ se fert: *dulcis* autem eo sensu, quo aquam potabilem appellamus dulcem, vt distinguamus à medicatis, seu thermalibus, 2. Fac. nat. 9. 4. simp. 16. 4. Acut. 13.

§. 2. Hæc cum acorem acquirit, constituit secundam speciem, quæ *Acida*, ὀξεῖα, dicitur. Hæc ipsa cùm, diutina in ventriculo mora, ita orbatur omni (vt sic loquar) sero, vt vitri fusi in modum tenax & crassa appareat, *Vitrea*, ὑαλοειδὴς à Praxagora dicta fuit, vt Gal. non vno loco ait.

§. 3. Eadem cum vel putrescit, vel miscetur ei salsum serosum quid, iam dicitur *Salsa*, ἁλυκὴ ἢ ἁλμυρώδης. Et hæ quidem quatuor pituitæ species sunt, vt Medici loquuntur.

§. 4. Quæri

§. 4. Quæritur, Annon sit superaddenda *Lenta*? Non. Est enim eadem cum *Vitreâ*. Grauior quæstio est, Annon seorsim sit ponenda *Flatulenta*? Respondeo paucis, Pituita, quæ nihil passa est, non est *flatulenta*. At si contingat misceri illi spiritum vaporosum, 3.Loc.aff.ob conatum eiiciendi: id iam accidentarium est. An, ne pituita quidem est, sed mucus è capite? Atqui τὸ πνεῦμα φυσῶδες est de essentia pituitæ, 1.Alim.2. Loquitur de *crudo humore*, qui in vasis est, vt dixi.

§. 5. Grauissima quæstio est, Quomodo concedi possit Gal.1.Nat. hum.30.Diff.morb. 12. 2.Diff.febr.4.& 6. 2.Fac.nat.9.pituitam omnem esse *frigidam & humidam*, cum salsa sit acris & erodens? Estne species extra genus suum? Dico iterum, & quidem autoritate Thom.à Veiga in 3.Loc. aff.7. Pituita, quæ nihil passa est, est frigida & humida: at quæ putruit, aut cui mistum est serum salsum, cur non sit alius temperamenti?



CAPVT CXXXV.

De Saliua & Sputo.

§. 1. QVia *Saliua* aut *Saliuum*, soboles est *Pituitæ naturalis*, adeoque ex genere pituitæ, 3.Fac.nat.7.3.Loc.aff.7. quia *Sputum* etiam ex genere eiusdem pituitæ est: de vtroque agam, ὡς ἐν παρόδῳ.

§. 2. *Saliua* Græcis est σίαλος, σίελος, σίαλον, σιαλίς. Hinc σιαλοχόοι sunt *Saliuatores*, & ἀδένες σιαλοχόοι sunt *Tonsillæ*. Nimirùm, apud Gal.5. in 6. Epid. 3. saliua est ex numero eorum, quorum generatio instituta prouidè à Natura est. Hæc prouidentia exponitur. 7.vs.part.17. & alibi, hoc ferè sensu: In *Tonsillis* generatur humor quidam, madefaciendis partibus vicinis, præcipuè linguæ, aptus natus. Quare, hoc in magnis caloribus, post diuturnum vsum Guaiaci, aliis occasionibus, absumto, neque loquelæ, neque masticationi, neque deglutitioni sufficiunt partes illæ. In cæteris partibus omnibus, cum serum functum est officio suo, seruit madefaciendis illis. Et hoc Platerus me docuit. Vide infrà 42.8.

§. 3. Sed vnde *materiã* habent *Tonsillæ*? Ego suprà succenturiaui tonsillis *Gurgulionẽ*, & hoc feci ψήφισμα, *Tonsillas* quidem materiã habere ex ventriculo: *Gurgulionem* autem ex cerebro. Hoc nunc explico. Ex *ventriculo*, per tunicam interiorem, ascendit pituitæ naturalis pars serosior, quæ in tõsillas translata, substantificè ibi alteratur, & per foramina, quæ, obseruatore Fall. habent, tanquam per vasa propria, eructat. Ex *cerebro*, per eandem communem tunicam, descẽdit blennæ pars tenuior (nisi tu

mauis, ſerum, alimenti vehiculum, quod aliàs quoque ſeruit humectandis partibus) quæ hîc quoque, ſubſtantificè alterata, implet vſum, quem dixi. An, quia *gurgulio* non minus fungoſus eſt quàm tonſillæ, ſimilia quoque habet foramina? Vide tract. de Humor. cap. 41.

§. 4. *Saliuæ* peculiarem *vſum* tribuit Cæſalp. 1. Quæſt. Med. 3. de quo dixi in chylo. Et hæc de saliua.

§. 5. *Sputum* aliud *legitimum* eſt, aliud *ſpurium*. *Legitimum* eſt, quod fit aucto nimiùm humore illo, qui in tonſillis & gurgulione gigni dictus eſt. Quamobrem vel ex ventriculo eſt hoc, vel ex cerebro. Ratio diſtinctionis eſt. Quod deſcendit è cerebro ferè ſine ſonitu eiicitur, ſolo labiorum motu: quod aſcendit ex ventriculo, cum ſcreatu eſt, frequens iis, qui calidiora habent viſcera, vt alibi ſcripſi. *Spurium* eſt, quòd è pulmonibus aſcendit, & ſemper cum tuſſi exit. Quâ in re ne putes me quid nouare, audi Iacotium, Com. in Coac. docentem, Hipp. nominibus etiam diſtinguere hæc, & πτύαλα quidem ἢ πτύελα vocare illa, quæ in pectore aceruata ſunt, item ἀναχρέμψεις, ἢ ἀποχρέμψεις, quod non ſine violento colli & thoracis motu expectorentur: πτυελισμὸς autem ἢ ἀποπτύσματα, quæ è ventriculo & cerebro ſunt. Hoc obſeruatum Foëſio non fuit. Alia nominum diſtinctio Gal. eſt 1. Criſ. 5. In morbis πτύελα eſſe illa, quæ iam coctionis notas habent: πτύσματα, quæ cruda adhuc ſint. Cæterùm, vt ſputa ſunt varia: ita pleraque omnia inclinant ad pituitam, & φλεγματώδεα dicuntur.

§. 6. Quærunt, An homo benè ſanus ſpuat? Non: ſputum eſt in latitudine ſanitatis tantùm, cum, vt dixi, humor ille in glandulis dictis nimis augetur. Hinc de Perſis Herodotus ſcribit, in illâ victûs frugalitate, & exercitiorum frequentia, non ſpuiſſe. Intelligit ex his, qui non planè puer eſt, quæſtionem inſtitutam eſſe de ſputo legitimo. Qui autem ad ſpurium etiam extendunt, quod dicunt eſſe excrementum tertiæ coctionis pulmonum, non rectè faciunt.



CAPVT CXXXVI.

De Innominato primæ coctionis excremento craſſo.

§. 1. 
VALE ſit *hoc excrementum*, non poteſt meliùs intelligi, quàm facta collatione cum *Pituita*. *Hæc* enim cum ſit alimenti pars ἑτεροχροῦς illa, quæ tenuitate & cruditate ſua reſpondet aquæ, ideoque longiùs abeſt à moderata ſanguinis natura, quàm ut in illum abire poſſit: *illud*, de quo agere inſtituimus, quippe ex aduerſo

aduerso illi oppositum, quod crassitie sua respondet terræ, ob eandem causam sanguis fieri non potest. Vacuatur igitur per aluum non minùs quàm *Pituita*.

§. 2. Verumenimverò, quod suprà attigi, non hæc duo sola huc eunt: sed duo etiam alia secundæ coctionis excrementa, *Bilis* & *Melancholia*. Quin, hac quoque tendit *Excrementi communis* seu *Seri* pars quædam, quæ *Elixationi* in ventriculo factæ seruiuit, 1. Fac. nat. vlt. 4. Aph. vlt. Hæc simul capta vocamus *Excrementa, seu Fæces alui.*

§. 3. Cùm igitur sit colluuies, vt pridem dixi, ex quinque natura distinctis excrementis, in vnam hanc cloacam corriuatis: quis de temperamento cogitet? quis de vsu, abusúve?




CAPVT CXXXVII.

De Excrementis secundæ coctionis in genere.

§. 1. SEcundam *coctionem* appello *Sanguificationem*. Repetò autem, quod suprà aliquoties dixi, Sanguificationem esse, non vnam & simplicem, vt vulgus credit: sed duplicem, quarum altera in *Abdomine* fit, prima & rudior; altera in *Thorace*, secunda & perfectior. Et quia vtrobique excrementa duplicia fiunt, non ego quidem turbabo ordinem trium ab omnibus receptarum coctionum: sed seorsim agam de excrementis rudioris sanguificationis, seorsim de perfectioris. Et quia naturæ ordine prior est illa hâc, proponam etiam primo loco illius excrementa.

§. 2. Quo loco par est admoneri iterum adolescentes nostros, ne se dedant vulgari errori, qui est, Vtrumque rudioris & imperfectioris sanguinis excrementum fieri in hepate: quin imò alterum fit in hepate, alterum in liene. Hæc enim duo viscera, ceu comprehensum est, obeunt primam *Sanguificationem*. *Tenue* igitur, quod *Bilis* est, fit in *hepate*: *Crassum*, quod *Melancholia*, in *liene*, vt fusè demonstraui in tract. de vsu lien. toties iam laudato.



CAPVT CXXXVIII.

De Bile.

§. 1. Χολή, *bilis*, simpliciter dicta, non laborat vlla homonymiâ: at verò cum opponitur melancholiæ, πικρὰ, *amara* vocatur.

Hinc πικροὶ ἢ πικρόχολοι, *biliosi* dicuntur, qui multum illius colligunt. Oportet autem hos distinguere ab iis, qui cum additione πικρόχολοι ἄνω *biliosi per superiora* vocantur. Sunt autem illi, qui ante cibum vomunt biliosa, nî faxint, nullam inueniunt requiem, antequam bilem cum cibo reiiciant. Hoc accidit propter malam conformationem meatus illius bilarij, qui ex vesica bilaria in duodenum it. Si enim altiùs quàm par est, implantetur adeóque πυλωρὸν dictum contingat, facilè regurgitat bilis in ventriculum. Idem accidit, si natura pro vno meatu faciat duos, quorum alter rectè atque ordine eat, alter ad πυλωρὸν repat. Vide 2. Temp. 6. 2. Acut. 29. & 31. 1. Alim. 1. quibus locis inueneris etiam τὰς κάτω πικροχόλας. Redi ad cap. 35. §. 7.

§. 2. *Materia* bilis huius non est aliena à natura sanguinis, vt fuit duorum dictorum excrementorum: sed est pars sanguinis calidissima & dulcissima, 2. Fac. nat. 9. Quamobrem copiosior eius prouentus est, si, qui natura calidiores sunt dulcibus vescantur & pinguibus. His enim suprà modum excalefactis, amarescit pars tenuior, & fit bilis, 4. Simpl. 19.

§. 3. Intelligitur ex his *efficiens*, Calor fortis, amburens & quasi superassans tenue & igneum id, quod alimenta dicta in se habent. Quare etiam temperamento *Calida & sicca est*, adeóque in calidis regionibus, annique temporibus vberior ipsius prouentus est, 1. Nat. hum. 40.

§. 4. Gignitur igitur in ipsâ hepatis substantiâ, in quâ etiam sanguis, quem ne conspurcet, imposuit Natura simis hepatis *Vesicam bilariam*, quæ hinc quidem, immissis in hepar meatibus bilariis, bilem prolectat vndique: illinc autem per vnum solum ad intestinum duodenum mittit, vt dictum est.

§. 5. *Abusus* hic quoque est quadruplex. *Primum* dicunt esse, vt aliquando alat. Hoc apud me ridiculum est. Cum enim sit aliquid supra sanguinem (vstum, inquam) quomodo redire potest in sanguinem? Natura enim prorsùm it, non retrorsum. *Alter* ex Platone, quo dicitur mordicatione sua abstrahere hominem à nimio voluptatum vsu, ridiculus est. *Tertius* ex 5. vs. p. 3. valdè nobilis est, Promouere distributionem chyli. Non minùs nobilis est quartus, ex eod. de vs. p. 4. Irritare intestina ad expellendam pituitam, in ventriculo genitam. Ego de vtroque latè dubito, cui videre est lib. de Humor. cap. 56.



CAPVT CXXXIX.

Species bilis.

§. 1. Qvæ delineata hîc est, *Naturalis* dicitur perinde vt pituita dicta. Tamen de appellationibus ipsius sunt ambages longiusculæ.

giusculæ. Præter enim allata nomina, tria alia habet à calore à quo dicitur, vel ὠχρὰ, *pallida:* vel ξανθὴ, *flaua:* vel πυῤῥὰ, *ruffa.* Hunc enim ordinem statuo inter tria hæc, & ita explico, vt *Pallida* quidem sit imus gradus, sicut in vrina quoque, quem *auro Rhenensi* comparant: *Flaua* autem proximus, quem *Arabico: Ruffa* denique supremus, ad ignem accedens, ἀπὸ τ πυρὸς puta. Ex his argutant quidam, allatísque Gal. locis pertendunt, tres esse distinctas bilis species. Ego paucis me absoluo, Est latitudo quædam coloris huius, quemadmodum in tota sanitate. Cuius causas si reddere vult alicubi Gal. non propterea diuersas species fecit. Sed fecerit: vtitur ille suâ quâdam, libertate, in artibus concessâ, sicubi non obsit fini. Et hæc I. species est:

§. 2. II. est *Vitellina*, λεκυθώδης ἢ λεκιθώδης (vtrumque enim inuenio, & non satis scio, an citra errorem) à similitudine in substantia cum *vitellis ouorum crudorum*, lib. de Atrab. 2. Hæc pituitæ vitreæ similem generationem habet. Fit enim flauâ spissescente, quod est, si flaua nimis diffletur, 5. in 6. Epid. 14. 2. Fac. nat. 9. Hîc monendum est, Apud Arabas longè aliam esse *Vitellinam*, cum bili flauæ miscetur pituita crassa. Contra hanc quæ disputantur huius loci non sunt.

§. 3. III. *Æruginosa*, ἰώδης, cum, subitaneo incidente calore, bilis flaua ita amburitur, vt accipiat primum nigredinis gradum, qui *Viror* est, vnde etiam *Viridis* dicitur, 12. Meth. 8. 5. Aph. 1. Hæc bilis eadem est cum *Zanaria*, seu *Zinaria* Arabum, quod docuit me amicus, huius linguæ quodammodo gnarus. Hoc loco præterire non oportet insignis vsus animaduersionem, cum infantes vel vomunt vel excernunt herbacea, si non adsint signa caloris euidentis, non subitò prouolandum est ad hanc bilem. Quin est χυλὸς πυώδης, factus ex lacte crudo & aquoso. Aquæ enim corruptio est in virorem, quod videmus in tegulis, dicebat Scherbius. Monendum verò pariter est, Apud Arabas bilis *æruginosæ*, seu *Zanariæ* generationem esse longè aliam, non, inquam, ex flauâ vstâ, sed ex *Porraceâ*, de quà dicetur. Hoc an illis dandum sit? quærunt quidam. Resp. Ita. Non enim hoc tantùm in morbis fieri potest, sed multa alia.

§. 4. IV. est *Glastea*, ἰσατώδης, cum viror adeò intenditur, vt cum nigredine sit, qualis in glasto, brassicâ, daturâ, aliis herbis est. Hanc ego putem eandem esse cum τῇ κυανῇ, *cæruleâ*, quippe quam Gal. non non semper numeret, satis habens comprehendisse sub isatode. Eandem dici eidem φαιὰν *mustellinam*, valdè credo. Item μέλαιαν, modò simpliciter, modò καὶ ὀρφνώδη, *nigram*, *obscuram*. Tu verò nigredinem intellige de vltimo in hoc genere gradu.

§. 5. V. Ab his omnibus diuersa est πρασίνη ἢ πρασοειδής, *Porracea* dicta. Cum enim prædictæ species omnes in vasis fiant, hæc in ventriculo fit, & quidem ob errorem externum, ex comesto porro, allio, cepâ, brassicâ, & his similibus aliis herbis calidioribus: Hoc addo, quia quod in ventriculo fit ex corruptâ lactucâ, betâ atraplice, malua, &c.

est potius χυλὸς ποώδης, vt modò locutus sum. Ab hac, vt sic dicam, bile factos vomitus quomodo oporteat distinguere ab aliis, vide apud Gal. 2. Temp. 6.

§. 6. Quæritur, Detúrne bilis quoque *rubra*? Certè Galen. lib. de Atrab. 2. ex veterum autoritate affert. Ita est: sed subitò se explicat, vocasse illos hoc nomine *Ichorem mitem* mihi dictum in Collect. de Ichoribus. Sed cur? Quia non concrescat vt bilis.

§. 7. Ἐπεισάγματος loco addo, Omnes has calorum differentias esse inter τὸ ἐρυθρὸν, *rubrum*, qui sanguinis est, & μέλαν, *nigrum*, qui Melancholiæ, ad quam orationis sequelâ iam deuenimus.



CAPVT CXL.

De Melancholia.

§. 1. Distinctio hìc est vetustissima duplex, *altera* inter μελαγχολίαν καὶ μέλαιναν χολὴν: *altera* inter μελαγχολίαν, *humorem*, & μελαγχολίαν *morbum*. Apud Latinos, tam de humore, quàm de morbo, *Melancholia* est: *Atrabilis* de solo humore, quamuis ἡ μέλαινα, simpliciter, & humorem p. vel f. n. & morbum, ex humore illo factum etiam denotet. Quod ad rem nostram, *Melancholia* est excrementum *crassum* secundæ coctionis, quatenus illa in hepate & liene obitur, & est humor f. n. *Atrabilis* est humor p. n. factus, vel ex Melancholia f. n. vel ex bilis flauæ specierum p. n. aliqua, vel ex sanguine, vel ex pituita, vt dicetur. Et hoc seruiat elucidando Foësio.

§. 2. Hoc excrementum Pseudo-Hipp. quidem 1. Nat. hum. 4. 18. 19. & seq. vocat μέλαν ἢ μέλαιναν χολὴν: at Hipp. ipse lib. de semine, & 4. de Morbis ὕδωρ, καὶ ὕδρωπα, *aquam*. Sed mittamus nomina: quam causam esse putabimus, cur vetustas tam diuersis nominibus vsa sit? Dedi causam tract. de vs. lien. 2. & 13. nec muto nunc quidquam. Imò dico, cur morbi Melancholici tam raro curentur, causam consistere in heterogeneitate partium huius humoris.

§. 3. *Materia* huius est aliena à natura sanguinis, *Terra* quippe, seu *cinis*. Vtriusque huius indomita natura cum nota esset Conditori nostro, illius ergo struxit lienem, in cuius reti verè mirabili (vt sic loquar) conficeretur & domaretur terrestris chyli pars, vt in superioribus ostendi.

§. 4. *Efficientem* esse calorem, dubium non est. Sanguineus enim cum sit lien, diceret Aristot. coquere potest. At verò inter hepar & lienem hæc differentia est, quod hepatis quidem effectus est calidus, quia materiam habet domabilem: lienis autem frigidus, ob contra-

riam

riam materiæ dispositionem. Veruntamen non oportet hoc ita simpliciter accipere, sed vt Galen. explicat. 3. Caus. symp. 3. Melancholia est frigida, *vt cinis*. Hinc Valles. & Thom. à Veiga dicunt, Est frigida ὑποκειμένῳ, *subiecto*. Habet enim ἐμπύρευμα, vt cinis.

§. 5. Et hæc quidem de Melancholia: de *Atrabile* longè seciùs se habet res, quamuis non æquabiliter de omni. Ex *Melancholia* enim facta *Atrabilis* ἐμπύρευμα habet longè fortius: fit enim per putredinem, quæ facit, vt quò fortior est putredo, eò maior sit calor. Ex *flaua bile* facta atra, omnium deterrima est, & iam planè ignea. Ex *sanguine* mitissima est, quæ fit crassefacto potius illo, quàm adusto. Ex *pituita* ferè eadem est ratio.

§. 6. Hinc patet responsio ad quæstionem, Quod sit temperamentum, tam Melancholiæ, quam Atræbilis? *Melancholia* non est simpliciter frigida & sicca, quamuis Gal. id dicat multis locis: sed vt se explicat in de caus. symp. *Atrabilis* omnis habet ἐμπύρευμα, de quo dictum est: sed alia magis, alia minùs, pro discrimine humoris, è quo fit.

§. 7. Patet inde quoque, quid dicendum sit, si interrogetur, Qui inter homines facilius fiant Melancholici? siue, qui præcipuè laborent morbis melancholicis? Hîc primùm omnium distinguere oportet Melancholicos eos, qui reuerà sunt, ab iis qui videntur: & rursùs eos, qui sunt, discernere oportet, Talésne nati sint, an demum facti? *Videntur* melancholici, sed non sunt, certè ab initio, pituitosi quidam, qui pigri sunt, tristes, somnolenti, taciturni, ad instar Melancholicorum quorundam. *Sunt*, & nati sunt melancholici, qui plurimùm melancholiæ naturalis colligunt, quâ in atram bilem vstâ, ostendunt se symptomata melancholica. *Sunt* sed facti sunt denique, trium generum homines vt Gal. nos erudit 3. Loc. aff. 7. Quidam *impensè rubri*, qui sanguinei sunt: quidam *nigri, macri & hirsuti*, qui *Biliosi* sunt in summo gradu: quidam *flaui*, qui & ipsi biliosi sunt. Ergo, si quæstio sit, Qui sunt illi, qui verè sunt melancholici, morbísque melancholicis obnoxij? Súntne, vt vulgus determinat, frigidi & sicci? Sunt, & non sunt. *Sunt*, si de melancholia naturali loquare: *non sunt*, si de bile & sanguine.

§. 8. *Abusus* melancholiæ; traditus à Gal. 5. vs. p. 4. commentitius est. Iter per ventriculum ad anum, imaginarium. Quin imo ex liene vasa eunt in subiectum colum, quæ sine ambagibus præstant id officij. Vide lib. de Liene cap. 19. & 20.

Et hæc de excrementis secundæ coctionis, vulgò dictæ.

CAPVT



CAPVT CXLI.

De Cordis excrementis.

§. 1. SCio, monstri loco esse apud nostros vtrumque, & coctionem quandam fieri hîc & excrementa quædam esse: ego verò quietus sum, qui noui & probaui abundè lib. de Humor. cap. 67. Galenum vtrumque docuisse.

§. 2. Hoc loco quia summatim ago, nudè propono sententiam Gal. rerum Naturæ conformem, quâ docet, Respirationis & pulsus communem vsum esse, expurgandi *Fuligines* in corde conceptas. Has verò esse excrementum, ausit ne negare quis? Reuerà sunt, & quidem crassum, vt suprà innui. His superaddo pro tenui *Contenta vrinarum*, vel ideò, quia hactenus non inuenerunt locum inter coctiones certum. Qui φαινόμενα velit, petat ex lib. de Humor. cap. seq.



CAPVT CXLII.


De tertia coctionis excremento vtroque.

§. 1. NOmine quidem caret vtrumque: sed licet nobis distinguere ex rei natura, quæ persuadet, *Crassum* quidem esse terreum & igneum illud (vno verbo, *Fuliginem*) quod per poros cutis insensibiliter abit: *tenue* autem aquosum, quod in plerisque nobis constituit *sordes*, quas in balneo abstergimus.

§. 2. Verumenimverò quia simul & semel vacuatur vtrumque, & verò pro diuersitate indiuiduorum, modò hoc præualet, modò illud: liceat mihi hanc in nominibus quoque diuersitatem facere. *Sanguinei* habent ferè ἀτμὸν, *vaporem aqueum*, qui facilè putrescit, facitque vt tales perpetuò hircum oleant. Qui *pituitosi* sunt, vicini quidem sunt his: sed tamen καπνὸν potiùs habent, *vaporem* quidem, sed *frigidiusculum*, qui difficulter putrescit. Qui *biliosi*, præferunt λιγνὺν, *fuliginem*, eámque satis acrem, quâ, obstipatam cutim, retentâ, facilè febriunt tales, cuius rei exempla aliquot, præcipuè Primigenis Gal. affert 5. san. tu. 11. Qui *Melancholici*, αἰθάλην habent, *fauillam*, seu *cinerem ignitum*, qui, per poros cutis exiens, semper facit pruritus, vt quamuis scabiosi non sint, subinde tamen cogantur scalpere modò hanc, modò illam partem.

§. 3. In

§. 3. In his vacuandis quò superstitiosiores erant olim, quà Græci, quà Romani: eò ignauiores sumus nos, & vel ideò infeliciùs viuimus.



CAPVT CXLIII.

De excremento communi omnium coctionum, Sero, in genere.

§. 1. QVam ob causam ventriculus quidem indigeat aquâ; chylus autem & sanguis eadem, licet non nutriat: ex superioribus clarum esse potest. Et quamuis non negem, aquam illam diuersas subire alterationes; & propterea dici posse diuersam, propter diuersas coctiones, quibus seruit: tamen quia necesse illam vacuari, πληρώσασαν τὴν χρείαν, vt Gal. loquitur, habebo pro vnâ & eadem, & ὀῤῥὸν. *Serum* vocabo.

§. 2. Sed quis est vsus ille? Molestus es. Iam enim dixi, duplicem esse, ventriculo scil. præstare, vt officium *Elixationis* obire possit: visceribus, vt alimentum de loco in locum transferri. Et hoc posterius est celebre illud τροφῆς ὄχημα, ex Hipp. tantopere celebratum.

§. 3. Absolutâ igitur *primâ* in ventriculo coctione, pars eius quædam innominata cum *excrementis alui* dictis abit, 1. Fac. nat. vltim. 4. Aph. vlt.

§. 4. Absolutâ etiam *secundâ* in hepate & liene, multò maxima eius pars ex venâ cauâ per *Emulgentes* (non sine tamen sanguine, vt dictum fuit suprà) ad *renes* alit, indéque per *vreteras* ad vesicam, & tandem extrà corpus effertur.

§. 5. Absolutâ illâ quoque, quæ in corde, magna iterum pars per arterias *Emulgentes* ad renes transfertur, & eâdem viâ vacuatur. Hinc intelligitur, quid sit respondendum ad locum Gal. 3. caus. sympt. 2. vbi *venarum triplex excrementum* esse dicitur. Cum enim dicimus, *Omnis coctionis duplex esse excrementum*, accipimus cum reduplicatione Aristot. ᾗ αὐτὸ, *quatenus ipsum*. At serum accidit. Hinc illud pendet corollarium, vrinam & hepatis & cordis excrementum esse.

§. 6. Absolutâ tandem *tertiâ* quoque in singulis partibus, præsertim extimis, vacuatur ferè insensibiliter per *poros cutis* nonnunquam, accedente causâ violentâ, sensibiliter per *Sudores*. Sudor igitur excrementum est quidem tertiæ coctionis: sed ita, vt viscera subinde suppeditent materiam.

§. 7. Ex his patet, quid sit habendum de prolixâ illâ disputatione, *An vrina & sudoris eadem sit materia*? Est omninò. Hæc materia nihil

aliud est quam aqua, cui permistæ sunt plurimæ exhalationes terreæ. Hinc vrinæ salsedo est. Ex his ipsis sine negotio intelligitur, quamuis id huius loci non sit, *Quod sit temperamentum seri*? Frigidum, & humidum, vt aquæ ipsius: veruntamen cum acredine manifestâ, propter iam dictas *exhalationes*.

§. 8. *Abusum* seri, in habitum corporis translati, primus aperuit Platerus præceptor meus, humectare membranas, præcipuè musculorum, ne in perpetuo illo motu exsiccentur. De vrinâ & sudore in specie pertinet ad semiotica.



CAPVT CXLIV.

De Ichoribus.

§. 1. VEl pipulum illud Mercurialis debebat excitare *los grandes* nostros, ne perpetuò in tenebris palpent parietes. Vocis ὁμωνυμίαν non explico: sed ex Collect. de Ichor. θ. 12. hoc moneo tantùm, τὸ ἰχὼρ tam esse vicinum τῷ ὀῤῥὸς, vt sæpè alterum pro altero ponatur. Addo verò, quod sæpè Notis in Gal. Voculam quidem Græcam esse retinendam: contemnendam autem *saniem*, *Cruorem*, *saliuam*, *sudorem*, *alia*, quamuis, à magnis autoribus profecta.

§. 2. Retineo etiam distinctionem, in iisdem Coll. propositam, ex Arist. 3. Histor. 19. 2. Part. 4. in *Ichorem mitem & acrem*, & breuiter decurro.

§. 3. *Ichor mitis* est. vt Arist. definit, *sanguis crudus*, eâ cruditate, quæ coctioni opponitur, ídque vel ob *efficientem*, vel ob *materiam*. Hunc sanguinem veterum quidam appellabant χολὴν ἐρυθρὰν, *bilem rubram*, vt in superioribus comprehensum est. Meliùs Gal. 5. Loc. aff. 7. sanguinem vocando pituitosum, crudum, semicoctum, refert ad diminutam hepatis actionem. Est enim, vt se explicat 8. κ. τόπ. 6. quasi *prima sanguinis delineatio*, quæ accidit, vt exponit ipsus, cum hepar nondum ad insignem adeò debilitatem perductum est, vt planè non coquat: sed coquit debiliter. Hunc affectum prisci vocabant *Hepaticum*, & eos, qui ita affecti sunt, *Hepaticos*, vt est in de κ. τόπ.

§. 4. Prodit se hic affectus, vt 3. Caus. sympt. 2. scribit Gal. deiectionibus, loturæ carnium recens mactatarum similibus. Dixi, *Prodit*. Ab initio enim hoc tantùm fit: sed posteà succedunt crassæ, fæci vinariæ nō dissimiles. Hæ ipsæ deiectiones sunt in censu Dysenteriarum cruentarum, vt est, & in de Loc aff. & in de caus. sympt. & præterea 4. Art. 40. Aliquando talis sanguis etiam mingitur, ob renum debilitatem, 6. Loc. aff. 3. Aliquando in fœminis est, & dicitur *Profluuium muliebre*, 6. Loc.

aff. 5.

aff. 5. 3. cauſ. ſympt. 4. Aliquando facit *ſudores ſanguineos*, Hiſt. l. cap. 3. Part. 5.

§. 5. *Ichor acris* itidem eſt ſanguis crudus, ſed ea cruditate, quæ opponitur corruptioni. ἀπόῤῥωσιν enim explicat per διαφθοράν. Hanc rem nemo meliùs explicuit Galeno, eod. de cauſ. ſympt. vbi fieri ait, διὰ ἀναστοιχείωσιν, *quaſi Redementationem*, quam *Colliquationem* etiam dixeris, & *Reſolutionem*. Hæc contingit, vt ib. docetur, vel in habitu corporis, vel in vaſis. Contingit autem non pituitæ, bilíve alterutri: ſed toti maſſæ ſanguineæ, qua modò ſanguinea eſt, modò bilioſa, &c. Hinc ſunt differentiæ ichorum acrium, vt quidam boni ſint, hoc eſt, minùs mali, quidam χαλεποὶ, *difficiles*, 2. in 6. Epid. 38. Ex hac colliquatione, ſeu ex his Ichoribus fit nonnunquam *Hydrops calidus*, cuius deductionem, vt & reliqua, quæ huc faciunt, vide in d. Coll. à ϑ. 93. vſque ad finem.

ABERRATIONES.

§. 6. 1. Intolerabile eſt, Fuchſium ne meminiſſe quidem diſtinctionis excrementi in *vtile* & *inutile*! Sed credo fuiſſe de tribu illâ, quæ, audito duntaxat nomine *Excrementi*, tota manu ſtringit nares. Hi deponerent nauſeam, ſi vel vno oculo inſpicerent Græcum ὑπόλειμμα. 2. Intolerabile non minùs eſt, quod lib. 1. ſ. 5. cap. 13. recenſitis vtriuſque ſexus inſtrumentis gignitiuis, nec mentionem facit ſeminis alterutrius, nec quid conferat ad generationem, &c. Errat in eo quoque, παραστάτην κιρσοειδῆ ſuperius collocat, ἀδενοειδῆ inferius, cum contrà deberet. Nec refert, quod Veſalium ſecutus eſt. 3. Grauiter errat, quod l. 2. ſ. 5. c. 31. *Sanguinem menſtruum* in fœminis comparat cum *hæmorrhoidibus virorum*, vacuationem naturalem cum præternaturali. Sed nec hoc inſuper habendum eſt, quod non dignatur ſanguinem hunc honore ſuo, qui eſt, eſſe *principium materiale hominis*. Eadem culpa in eo eſt, quod *lactis* etiam non facit mentionem. 4. *Pinguedinem*, ſola Gal. autoritate ductus, inter partes ſimilares ſolidas habet *Medullam oſſium* nec verbo attingit. 5. In agendo cenſu partium nutritioni famulantium, vt loquitur l. 1. ſ. 5. cap. 12. quàm miſerè confundit *viſcera* ipſa *ſanguificantia* cum

visceribus excrementa, vel *separantia*, vel *efferentia* ! Quid dicam ? *Excrementa*, his partibus debita, iam s.4. c.2.& 3. numerauerat, tam rudi vsus Mineruâ, quàm possit vllus hominum. Quod rei caput est, Cum & *bilem* amaram esse concedat, & *melancholiam* acerbam, tamen *humores naturales* vocat. 6. *Pituitam* ἄποιον esse concedit: *dulcem* vocandam esse concedere non vult. Quid igitur de *aqua dulci* dictâ ab omnibus causabitur. Eidem, Gal. autoritate affirmat, non fuisse destinatum à naturâ locum, in quem reponatur. Non opus fuit alio quàm intestinis, vt neque alteri primæ coctionis excremento. 7. De *bile flaua* solâ loquitur, quasi *Vitellina*, *æruginosa*, *&c.* nulla foret. 8. *Atram bilem* cum *Melancholia* confundit. Sed nec dicit species *Atræ bilis*. Quod ait, lienem expurgare hepar ab humore melancholico per ramum splenicum (hunc enim intelligit, quamuis non nominet) falsum est. Non enim attingit hepar. Quo loco si quis intercedere velit pro illo, quod cap. 4. & 5. seorsim ponat *humores naturales* & *nonnaturales*, huic dicetur. 9. Grauare hæc illum vel maximè. Vide suprà Aberrat. ad cap. 122. 10. *Vrinæ materiam* lib. 4. sect. 3. cap. 1. nonnisi per nubem vidit. *Contenta vrinarum* cum cap. 1. tribuit *tertiæ coctionis*, cœcutit 11. *Sudoris* materiam cap. 21. pariter nonnisi obscurè agnouit, ex vnico quippe Gal. loco. Tu, qui hæc legis, vide quæso quàm miserè raptentur & disiiciantur, quæ pulcro ordine disposuit Natura!

§. 7. Ab hac culpâ vtinam liber esset Sennertus noster! 1. Nuspiam offendo distinctionem excrementorum *vtilium* ab *inutilibus*, quæ profectò digna est homine Philosopho. 2. Non puto, quod, postquam lib. 1. cap. 7. pauca de *similaribus* & *dissimilaribus* partibus aspersit, cap. 8. subitò venit ad *facultates* & *actiones* animæ. 3. Multò minùs probo, quod sub *actionibus* abscondit tam *instrumenta*, quàm *instrumentorum obiecta*. Distincta enim his debetur doctrina. Verùm age sinamus. 4. Quàm ἀφιλόσοφον est illud lib. 1. cap. 10. *Semen* (*maris*) *& efficientis & materiæ rationem habet*! Ab hoc pendet *alterum*, non alio elogio dignum. *Prima membrorum*

corporis

corporis formatio fit ex semine. Vide Aberrat. ad cap. 124. 5. Quàm puerile est, quod mox Aristot. obiicit 1. Gen. 18. *Semen non esse excrementum*! 6. Quàm odiosum est, quod in quæstione, *An semen sit è toto*? suspensum relinquit lectorem suum? 7. Quàm insidiosum est illud quoque, *semen ab vtroque prouenire*! Quid vocas *semen*? Vide suprà Aberrat. ad cap. 42. §. 18. & 24. 8. *Lac* quia ad generationem concurrit, cur non fit eius mentio hoc loco. 9. *Pinguedinem* & *Medullam ossium* neque inter partes similares habet, neque inter humores. Vide Aberrat. ad c. 9. §. 6. 10. *De excrementis* (inutilibus) *primæ coctionis* agens lib. 1. cap. 9. sepiæ atramento se inuoluit. Non enim distinctè docet, ex quibus & quot excrementis constent Fæces alui dictæ: multis verbis proponit, quod paucioribus poterat, *Est actio mista*: sub nube latet, cum materiam potulentam distinguit à sero, nec satis scit quid Gal. docuerit, 4. vs. p. 5: in errorem manifestum abit, cum pituitam, in ventriculo genitam, pro tertio excremento habet, ignarus distinctionis excrementorum in propria (quà coctiones) & commune, &c. 11. Hæc ipsa ignorantia coniecit illum in pedicas, quas gestat de *excrementis secundæ coctionis*. *Bilis* enim debetur huic coctioni, quà coctio, hoc est, proprium est secundæ coctionis excrementum: at vrina est *excrementum commune*, vt probaui. Ad hoc absurdi descendit, quod, admissa sententia mea de vsu lienis, non videret, qua ratione *Melancholiam* hepati tribueret. Non oportet nos cogitare de hepate, sed de sanguificatione, quæ vna actio fit à duobus visceribus, quomodo seri abductio à duobus renibus, visio à duobus oculis, & sic de cæteris. Ideò Arist. hepar & lienē ἐπαμφοτερίζειν ait, &c. Hâc in re hoc dubij relinquit Sennertus, quod dicere non potest, cuius coctionis excrementum sit *Melancholia*. 12. De *tertiæ coctionis* excrementis rectè statuit, duo esse: sed *crassum* vocat, quod phantasia tantùm tale est, non autem reuerà. Et vicissim tenue. 13. De sero, seu communi omnium coctionum excremento est, vt dixi, Nō assequitur vel Arist. vel Gal. mentē. Breuiter, Aliud est, vrinam esse (loquar enim cū illo) aliud vrinæ aliquid inesse.

Vrinæ esse, seu vrinæ materiam constituit id, quod aqueum est in alimento, & nutrire non potest, quia incrassari non potest, vt ipsemet loquitur. Hoc ipsum est ὀργασία illa, quam ὄχημα τῆς τροφῆς vocat Hipp. quod ὀῤῥὸν, *serum*, vocant omnes boni. Vrinæ seu sero insunt *exhalationes* terreæ & siccæ, quæ ipsæ salsæ & nitrosæ sunt, & præbent materiam calculi, vt ipsemet in Praxi docet, & habent originem à calore coquente, vt ostendi in Patholog. quà de calculo. Et, per Hygiéam, vnde est *serum illud* sanguinis, contra distinctum ab aquâ epotâ, vt Vallesſ. loquitur lib. de Vrinis? Quid verò insolentius, quàm serum, quod ex prædominio aqua est, vocare *Salem, Nitrúmve*, quæ terrea sunt.

§. 8. Hucusque profectus, cum cogitarem, quæ mala in Pathologicis quoque causetur ista omnium rerum confusio, cœpi ex indignatione volumen Sennertianum abiicere. Cum fortè fortunâ aperit se. l. 2. part. 2. cap. 3. quà de *plethora* & *cacochymia*, vniuersalibus morborum causis. De his cum satis scirem quàm simplex & breuis sit veritatis confessio; quàm tortuosa contrà, & confragosa Mendacij luxuria videre libuit, si quid singulare habeat hîc Noster: Verùm ἄνθρακες ὁ θησαυρός. *Plethora* est, dicit prisca sapientia, cum sanguis bonus in vniuerso corpore abundat: *Cacochymia*, cum vitiosus, ísque vel biliosus, vel pituitosus, vel melancholicus, vel serosus. Ille verò 1. Humores sunt vel *alimentarij*, vel *excrementitij*. Hi iterum, vel *naturales* sunt, vel *præternaturales*. Illi *naturales* sunt, & sub formâ sanguinis, licet sub nomine excrementorum veniant. Quot hic inaniæ? quot distinctiones? quot λογομαχίαι? Vide Aberrat. ad cap. 122. 2. In *plethora* vel solus sanguis abundat: vel vnus & alter reliquorum, vt ὁμοτίμως omnes. Hîc quis non agnoscit *Plenitudinem duplicem*, Fuchsij lib. 2. s. 5. c. 1. Verùm vbi illa fundata est? Scio esse latitudinem quandam, nec subitò dici *Cacochymiam* (nota) cum aliqualis transgressio est: sed quid hoc ad rem? Profectò in *Plethora* istorum hominum est *Cacochymia*, & contra. Hoc vt declinet, 3. ait, In *Cacochymia* non adest id, quod adesse debet, in sua proportione, sed in maiori, cum prauitate & quali-

tate. Si *praua qualitas* adest, eadémque constituit *Cacochymiam*; ea ipsa verò qualitas in *Plethora* etiam adest, sed minor, quî effugiet, ne in *Plethora* sit *Cacochymia*? 4. Frustrà laborat in diuersa sede *Plethoræ* & *Cacochymiæ*: frustrà in vtriusque duplicitate: frustrà in causis, siquidem stabilire vult, quæ de *Cacochymia* speciebus tradit in seq. 5. *Pituitam* miserè confundit cum sanguine pituitoso. Pituita enim cum sit primæ coctionis excrementum tenue cum crudiore sanguinis parte (iam enim ita sinam) nihil commercij habet. Quinimò rectè docet, non *Pituitam*, sed *Crudum humorem* veteribus vocatum fuisse id quod in sanguine crudius est. Quas verò ille species dat pituitæ, non sunt sanguinis, qui *Cacochymiam* facit: sed *Pituitæ* iam dictæ. In ventriculo enim & intestinis aliquando acescit: aliquando *Vitrea* fit: aliquando salsescit. Interim *salsæ pituitæ* nomen tribuitur etiam *blennæ* cuidam: quin fieri potest, vt pituita quædam ex intestinis in habitum corporis rapiatur, & causum faciat, Leucophlegmatian, Cachoxian, aliaque mala. 6. *Bilem* quàm fastidiosè diuidit in *alimentosam naturalem* & *præternaturalem*: Alimentosa nulla est. Et est inanis fuga, quam contra Valleriolam meditatur: *Naturalis* datur eo sensu, quo dixi, & est, quam *Flauam* vocat. *Præternaturales* sunt species illæ, quas numerat postea. Harum vnam si contingat effundi in habitum (tu puta, post diuturnum calidorum vsum) homines fiunt decolores, adeò iam non est *plethora biliosa*, vt Fuchsius vult, sed *cacochymia biliosa*. 7. De Melancholiâ quia canit eandem cantilenam, iisdem etiam indiget redargutionibus. 8. De *seri origine* videtur etiamnum dubius esse. Interim ex 2. Fac. nat. 9. docet id, quod nuper docui ego.

§. 9. Liddelius lib. 2. cap. 8. sublatâ manu collaudat prædecessorum suorum ψηφίσματα, ne seditiosus videri possit. Horum vnum valdè egregium est, quod ex non intellecto Gal. 4. san. tu. 4. 2. in 6. Epid. 38. tot seri genera facit quot sint humores alimentares. Loquitur Gal. de totâ massâ sanguineâ de Ichoribus potiùs, quàm de sero.

§. 10. Ex Heurnio lib. 3. c. 3. hoc solum videtur rubricâ dignum,

dignum, quod præter *porraceam* in ventriculo etiam gigni putat *æruginosam* bilem, *glasteámque.*

§. 11. Apud Riolanum lib.4.cap.3. hoc reperio κειμήλιον, Hippocratem non negare solum sanguinem nutrire: sed aliis humoribus commixtum.



CAPVT CXLV.

De excrementis particularibus, & primùm De Cerebri excrementis.

§. 1. DE his agens Galen.9.vſ.p.1. docet, Naturam fecisse vtrique de industria proprias vias, *Crasso* quidem, seu *fuligini* sursùm per suturas, & ossa ipsa σπογγοειδῆ, *cauernosa: tenui* autem deorsùm per *os sphenoides* (& *ethmoides*) Et addit, Tantò magis necessarios fuisse Cerebro proprios exitus, quod excrementa habeat, non sua tantùm (à tertia coctione) sed & aliena, à partibus subiectis effumantia.

§. 2. Per *Suturas* præcipuè quia vacuantur *fuliginosa* excrementa, si contingat illas deleri, siue obliterari, quod fit in senibus quibusdam, necesse est varia symptomata sequi, capitis dolores, apoplexias, &c. Per dicta duo ossa quia exeunt *pituitosa*(hinc *metropolin pituitæ* cerebrum vocat Hipp.) si non descendant, periculo res proxima est.

§. 3. Hîc ad nominum distinctionem fas est nos venire. Hipp.quia excrementum tenue *Pituitam* vocat; quia Gal. 3. Loc. aff. cum eadem confundit: videtur nobis integrum esse idem faciendi. Sed non est. Idem enim Gal.2. Fac. nat.9. expresſè ait, Non rectè ita vocari Idem 7.vſ.p.7. appellat non φλέγμα, sed ὀῤῥὸν τοῦ φλέγματος, *serum pituitæ* Hinc nata videri possit Latinorum *Pituita nasi*. Idem Gal.8 vſ p. μύξαν, *mucum* Rec.vocatum fuisse ait: Hinc κελομυξοι sunt 6. Meth 3. In eod.vſ.p. vt & 2.Sem.6. βλένα, ἢ βλέννα (ἢ βλαμ'ὰ) est. Vnde *Blenni* apud Plautum. Hoc excrementum alicubi *Crassum* vocari, vt & alterum *Tenue*, non nego. Aliud enim est cum vulgo loqui, aliud ex rei veritate.

§. 4. A nominibus ad distincta loca transire nos tantò magis necessarium est, quò ignauiores sunt alij. Vtrinque vacuari, per *os* & *nares*, vulgus quoque scit. Sed nesciunt Medicorum etiam non pauci, vbi colligatur, & quando per *errhina* purgari debeat, quando per *apophlegmatismos*, quando per vtraque. Per *Errhina*, adeoque per *os Cribriforme* duci

duci debet illa blenna, quæ colligitur in ſpatio illo, quod eſt inter *dextram* & *ſiniſtram* cerebri partem & detruditur eò ex *cortice cerebri* dicto 9. Ex. Anat. 3. Per *apophlegmatiſmos*, & ſic per *os ſphenoides* extrahi debet illa, quæ in *Ventriculis*, in hunc vſum factis, coaceruatur, & pellitur illò, ex *Medulla cerebri* appellatâ. Vide Com. noſtra in 8. & 9. vſ. part.



CAPVT CXLV.

De oculorum excrementis.

§. 1. CRaſſum & *fuliginoſum* tam eſſe hìc copioſum volunt quidam, vt conſtituat *nigrum vuea calorem*. Hoc crederem, ſi non permiſſi eſſent alij quoque colores, quos dixi ſuprà. Quin pendere illos à prouidentia Creatoris, certus ſum.

§. 2. *Tenue* & *aqueum* in maxima hìc eſſe copiâ perſuadet Naturæ conſilium, quò voluit vacuari partem eius per nares, facto in oſſibus orbitæ foramine & ſuperimpoſitâ carunculâ, *encanthide* dictâ, vt in ſuperioribus comprehenſum fuit. Nimirùm abutitur hìc natura ſero illo ad humectandos oculi muſculos, cum in perpetuo motu ſint. Hoc ipſo fine & *glandulæ* hìc ſunt, & *multa pinguedo*, &c.

§. 3. *Tenuis* huius *excrementi ſoboles* eſt λήμη, & per πρόσθεσιν γλήμη, & Doricè γλάμα, *Lema*, *glama*, & euphoniæ gratiâ, *grama* & *gramia*, *Pituita* quibuſdam, aut *Pituita craſſa*. Accipitur verò pro ipſo quoque morbo *lippitudine*, ſed tum ferè in formâ diminutiuâ effertur, λημίον (λημία) λημύδριον. Galen. quidem 1. Progn. 10. ait, Eſſe *Excrementum alimenti ſemicocti* in oculo: ego verò puto eſſe *Ichoras* illos, qui ab affectâ parte defluunt, & ab externo aëre incraſſantur. Hoc ſenſu accipio id, quod Grammatici dicunt, λήμην τὸ δάκρυον παχυνθὲς, *lacrymam incraſſatam*.



CAPVT CXLVI.

De Lacrymis.

§. 1. HIc agendum eſt de *lacrymis*, ſiue illæ ſint *cerebri* excrementum, ſiue *oculorum*, ſiue vtriuſque. Vox ipſa indubitatò eſt à


Græco δάκρυον. Nam, vt ex Festo scimus, veteres etiam *dacrymas* scribebant. Hinc duo fiunt certa, apud quosdam incerta. *Alterum*, debeátne admitti aspiratio, *Lachrymæ*? Non debet. *Alterum* debeátne scribi per i, *Latinum*. Non debet. Neque probatur mihi ratio illorum, qui vocabula in Latinam ciuitatem recepta Latinis quoque litteris scribi debere aiunt.

§. 2. Sed *cuius partis* excrementa sunt? Quia per oculum vacuantur, adeoque facta sunt in eum finem *puncta* dicta *lachrymalia*, non videtur locus esse dubio. Sed & hoc obstat. A prudentia Naturæ longissimè abest, alterius partis sordes ducere per aliam, & quidem tam nobilē. Ex *altera* parte dici potest, Quî fieri potest, vt in oculi spatio tantillo occulatur tanta aquæ copia, quanta sæpè per aliquot dies & noctes continuas fluit? Sed sit spatium: quî possunt esse excrementum oculi naturale, cum neque in omnibus hominibus sint: neque stata sua tempora elabendi habeant, vt reliqua excrementa: neque fluant, nisi accedente causa externa. Mihi placet distinctio D. ab Aquapendente, *lacrymæ*, vel *veræ* sunt, vel *spuriæ*. *Illæ* excrementum oculi sint: *hæ* cerebri. Differunt, quòd *veræ* sint *salsæ, limpidæ, lentoris expertes: spuriæ insulsæ, turbidæ, lentæ, instar blennæ.* Hunc tu vide in explicatione problematum quorundam.

Histor. oc. cap. 13.

§. 3. In causarum inquisitione meritò rapimur in admirationem omnes, *Quomodo idem effectus exsistere possit a contrariis causis*? Antequam respondeatur, præstruere oportet illud, *Lacrymas* esse duplices, *voluntarias*, seu spontaneas, & *inuoluntarias*, seu inuitas. Est autem hîc *voluntarium* & *inuoluntarium* id tantùm, quod volumus aut nolumus cum certa ratione, seu cognitione boni, malíve? Et hoc ipsum dupliciter. Aut enim ἁπλῶς nolumus, vt, cum ceparum vapor lacrymas nobis ciet: aut πῶς, cum aliud agentibus accidit, vt, cum nimiùm ridemus.

§. 4. Hac ratione acceptæ lacrymæ *causas* habent, vel remotas, vel propinquas. *Remotæ* iterum subdiuiduntur in *remotas* & *remotissimas*: *Propinquæ* pariter. *Propinqua* est vna & sola, spirituum in oculo agitatio: *propinquissima* itidem vna, hanc agitationem sequens *apertio meatuum.* Nam quia solus homo vehementissimè cietur ab affectibus: in solo etiam homine s. n. disposito, videntur esse *lacrymæ veræ*. Vide de toto negotio Sal. Albertum ϑ. de lacrymis.



CAPVT CXLVII.

De Aurium excrementis.

§. 1. DVplicia hîc quoque esse, ratio quidem suadet: duplici autem via vacuari, per *palatum*, & *meatum auditorium*, sensus conuincit.

conuincit. *Hoc ego Fuliginosum*, crassúmque facio, κυψέλη, ἡ κυψελὶς Græcis dictum: *illud Pituitosum, tenuéque*, quod ἀνώνυμον est, diu quippe ignoratum. His olim consensi: nunc de auditorio meatu ἐπέχω.

§. 2. Quod ad *prius*, ὠτὸς ῥύπον, *aurium sordes*, vocabulo generico, vocant prisci. Hoc dubium faciunt quidam, *Cerebri an aurium sit*? Ego hoc tantũ examino, quod dicunt, *Aurem frigidam & siccam non esse aptam gignendo huic excremento amaro & adusto.* Quod inuerto, Quò auris frigidior & siccior, eò calidiori & sicciori indiget sanguine, tu putà, vt in intimam substantiam penetrare possit. Ab hoc multam esse fuliginem dubium non est, ne apud aduersarios quidem, cum excrementum hoc amarum & adustum appellant, Sed lentum est? Lentor autem nonnisi ab aqua est. Non nego misceri aliquid excrementi tenuis: denominatio autem ab eo est, quod præpollet. Quod ad loca Gal. quæ afferunt, puto me obtinere posse loqui illum de *abscessibus aurium*, qui iam p.n.sunt. Hic subitò illi, *Non desunt eiusdem Gal. loca, quibus probare licet, purgationem cerebri per aures esse p. n.* Et quis de cerebri purgatione per aures cogitat hoc in loco? Agimus de propriis aurium excrementis in statu s. n. vbi quidam, Quî fieri potest, vt per *Tympanum* egrediatur hoc excrementum? Fieri potest, vaporis scil. specie. Et credat quis, *blennam*, quam emungunt ij, qui humidioris cerebri sunt, elabi è cerebro per os ethmoides tam grandibus bolis? quàm exspuunt quidam, talem venisse per os sphenoides?

§. 3. Quod ad *posterius*, Canalem ex conchâ auris in palatum primus ostendit Eustachius, è quo ferè describunt alij. Per hunc vacuari excrementa pituitosa, quæ Illust. D. ab Aquap. in interioribus cauitatibus vidit, dubium non est, & vidi ego in praxi non semel.

SECTIO VI.

De spiritibus & calido innato.

CAPVT CXLVIII.

§. 1. VT facilè intelligit quiuis, spiritus esse tertium membrum, quod in diuisione *partium Hipp.* superest, τὰ ἐνορμῶντα μόρια, *partes*, inquam, *illæ*, quæ vulgò *Impetum facientes* dicuntur: ita intellectu facile non est, cur *Calidum innatum* allinatur?

§. 2. Sed ita est, vt alibi fusè demonstraui, Differunt hæc duo vt *Causa & Effectus*, adeoque posito vno ponitur alterum. Hinc consuetudo inoleuit in schola Asclepiadéa, quæ mansit in πρώτῳ quoque, vt

altera vox pro altera ponatur. Interim differunt reuerà, & *Calidum natiuum*, in corde stabulans, est *causa efficiens spirituum*, in toto corpore vagantium: *spiritus* sunt effectus ille, qui sequitur actionem *Calidi* in sanguinem. Hinc *spiritus*, definitore Galen. est *ἀναθυμίασις, euaporatio* sanguinis boni, 6.vs. p.18.

§. 3. Huic vicina est *altera consuetudo*, apud eosdem obseruata, vt non referat, θερμὸν *calidum* dicas, an θερμότητα ἢ θερμασίαν, *calorem* vel *caliditatem*, licet prior vox sit substantiæ, posterior accidentis.



CAPVT CXLIX.

De Calido innato.

§. 1. CVm τὸ θερμὸν sit duplex, ἔμφυτον καὶ σύμφυτον *Innatum, & Connatum*, tantò diligentiùs fas est nobis obseruare discrimen, quò neglectius apud vulgus nostrum est. Dico igitur, *Calidum* in corpore animato vel est *Materiale*, vel *Formale*. *Illud* σύμφυτον dicitur à curiosis, & est *portio seminis*, seu *sanguinis materni*, qui materia est partium omnium, portio, inquam, elementorum calidorum, & siccorum. *Hoc* ἔμφυτον vocatur, & est, vt Aristotelici loquuntur, à *corpore elementis nobiliore*, quod proportione respondet *quinto elemento*, seu cœlo, vno verbo, à *semine paterno*, sedémque habet in *Corde*, in quo & respirat, & pulsat. Hic *duplex calor*, constituit *duplex temperamentum* apud alios, qui alterum vocant *Proprium*, alterum *Commune*. Distinctos esse hos calores, ita docetur. *Mors* est exstinctio *Caloris* ἐμφύτου, seu temperamenti communis: post hanc superest ὁ σύμφυτος, seu temperamentum proprium, quod *Putredo* tandem dissoluit.

§. 2. Ex his intelligitur obiter origo *Calidi innati*, nusquam à Gal. disertè explicata. Ego, qui alibi id feci prolixè, facio nunc breuiter. Apud Aristot. in rei veritate, *materiam* generationis *fœmina* præbet: *formam*, seu animam *mas*. Materia illa vt est in semine materno, ceu dixi: ita forma in semine paterno. Hoc semen quamdiu generat, est & dicitur *semen*: postquam iam absoluta est generatio, & forma introducta, mutata, σχέσει, vt Bonamicus loquitur, dicitur *Calidum innatum*.


§. 3. Ex origine hac pendet solutio quæstionis, *An alatur, perinde, vt aliæ partes*? Nullo modo: sed durat tamdiu, quamdiu illi licet per causas tam internas, quàm externas, 1. Sanitu. 2. Pendet & & illius, *Quando sit in ἀκμῇ*? Primo natiuitatis die, 2. Natur. hum. 12. Pendet & tertiæ, *An seipsum perdat*? siue, vt aiunt, an calor agat in humorem suum? Quî possit per rerum naturam? cùm sit

vnum

vnum τόδετι? *Vnum, quà vnum, non agit in se*, dixi suprà aliquoties. Atqui Hippocr. dixit? Imò, Galen. ipse negat dixisse, lib. de Maras. 3. extr.

§. 4. Hìc monere oportet, *Quid sit calor ἐπίκτητος, acquisititius, qui apud Hippocr. opponitur huic nostro?* Non est numero alius, sed hic ipse, factus acrior quàm fuit, siue in latitudine sanitatis, siue in febribus. *In latitudine sanitatis, calor acquisititius* tribuitur iuuenibus & viris: quia calor illorum non iam ita mitis est, vt in pueris: sic etiam *in febribus*.

§. 5. Sed quod est temperamentum ipsius? *Calidum & humidum*, vt semen, sed ita, vt inter hæc duo, inter ὄγκον καὶ λόγον (vti loquuntur) συμμετρία sit exactiss. quæ nec scribi, nec dici à quoquam potest.



CAPVT CL.

De Spiritibus.

§. 1. HIc antè omnia delere ex animo oportet *spiritus insitos* Fernelij. Sapiunt enim *Causam continentem Stoicorum*. Quo facto, manent ἐπίρρυθοι, *Influentes* (subintellige, ex corde) duntaxat. De horum substantia nemo quæstionem instituit: at de numero omnes. Dico cum Peripateticis, *vnus est tantùm*: quia vnum *Calidum natiuum*. Interim si vsum in arte respiciam, concedere possum tres esse, vel *quatuor*. Tres, si indiuiduum considerem: quatuor, si speciem quoque.

§. 2. Hoc ita explico. *Hepar* calorem σύμφυτον magnum habet, & quidem in modo substantiæ denso, in quo receptus spiritus *vitalis* Gal. quasi ignoscit, hoc est, accipit maiorem sanguificandi vim. Hinc qui effluit per venas in singulas partes spiritus, *Naturalis* dicitur Gal. imitatione Stoicorum, qui *Naturam* ab *Anima* distinguebant.

§. 3. Contra, *Cerebrum* calorem habet valdè remissum, in quo receptus spiritus *vitalis* Gal. & substantificè alteratus, quasi refrigeratur, aptúsque fit edendis sensibus & motibus. Hinc qui exit per neruos spiritus, *Animalis* vocatur, Gal. imitatione iterum Stoicorum.

§. 4. *Cor* quia sedes est *Calidi innati*, quod ipsum est *proximum animæ instrumentum*, ideò emittit ex se, quasi accensum suum, spiritum *Vitalem* Gal. dictum, cuius beneficio omnia agunt, quæ agere nata sunt. Et hoc est *temperamentum commune* nuper dictum.

§. 5. His addere fortassis licet spiritum *Genitalem*, seu *Gignitiuum*, qui cum semine masculo transfusus in vterum fœminæ, orditur, quin perficit etiam, opus naturæ omnium maximum, *Generationem*.

 §. 6. In

§. 6. Intelligit, credo, hinc quicumque malus non eſt, facere me ſpiritus non ἄλλως, *alios:* ſed ἀλλοίως, *diuerſos.* Hac in re ἀμετάπειστος ſum.

§. 7. Non minùs *immobilis* ſum in illo, Ad ſpirituum conſtitutionem aëris externi ſubſtantiam non requiri. Vide 3. Thor. 7. Apolog. pro Gal. lib. 2. cap. 331.

ABERRATIONES.

§. 8. Fuchſio lib. 1. ſ. 8. incipienti agere de *ſpiritibus* grandem ſcribo dicam, quod ne mentionem quidem fecerit *Calidi natiui*! Abſque enim hoc quis intelligat vel eſſentiam, vel generationem *ſpirituum*? Interim, de *eſſentia* quidem dicit aliqua multa, quæ exigui momenti ſunt: de *generatione* autem occinit nobis ἀρχαῖον illud, quod inter apertè falſa habeo, vel ideò, quod ipſemet ſub finem lib. 1. ad *ſpiritum naturalem*, reliquorum fundamentum, aërem non requirit. Idem in numero ſpirituum valdè ieiunus eſt, recenſendo tantùm, quid alij ſentiant. Ideò ſino illum in pace.

§. 9. Cautior paulò Sennertus eſt, lib. 1. cap. 5. ſed labitur in quamplurimis. 1. Quid illud eſt, quod *Calidum innatum* diſtinguit ab *Humido radicali*? Dici enim non poteſt iunxiſſe συνώνυμα cum *Humidum* ſit illi domicilium animæ mediatum: *calidum* immediatum. Reuerà ita ſe habet res, Quod Græci θερμὸν ἔμφυτον, à potiori qualitate vocant: id Arabum Interp. nominant *Humidum radicale*, à ſubiecta materia, vti reor. 2. Quorsùm tam multa de difficili *Calidi* cognitione? Niſi pluris apud nos eſſet vagum Gal. ingenium, quàm ſtricta Ariſt. breuitas, non eſſet difficultas vlla. 3. Quid dicam de repudiata diſtinctione *Calidi* in ἔμφυτον, καὶ σύμφυτον? Ipſemet enim agnoſcit *calorem miſti, quà miſtum*, eſſe diuerſum à *calore animati, quà animatum*, adeoque mortem eſſe interitum huius, non illius. Diſtincti igitur quia in naturâ ſunt, cur diſtincta illis negamus nomina? Quod qui facit multiplicátne entia? 4. Quanti eſt admonitio illa! *Calidum* hoc non eſſe nudam qualitatem? Diceret potiùs, priſcis in more poſitum fuiſſe, etiam qualitatis

nomine

donare. 5. Valdè obſcurus eſt, cum dicit, *Per calidum innatum duo comprehendimus*;&c. Proponeret potiùs ita, *Calidum innatum* conſiderari vt τόδετι, in quo *Calor* quidem habeat rationem *formæ: humor* autem *materiæ*. Aut ita, Quemadmodum in ſemine duo ſunt, λόγος καὶ ὄγκος σπερματικός: ſic in *Calido* hoc,&c. 6. Verùm ille eò nondum peruenerat: ideò in obſcuritate pergens, *ſpiritum inſitum* eundem eſſe cum *calido innato*, ait. Diceret potiùs, Quod veterum alij θερμὸν vocant: id alij πνεῦμα dicunt. Et hoc voluit Illuſt. Scaliger in Exerc. non quiduis aliud. 7. Quo habito, quàm bella eſt diſtinctio inter *ſpiritus influentes*, & *ſpiritum* hunc *ingenitum*? Tantò magis, quod in hoc ipſo veſtigio, tam ex Ariſtot. quàm ex Gal. probat, τὸ θερμὸν, καὶ τὸ πνεῦμα eſſe *vnius rei* nomina. 8. Quo iterum habito, cui bono eſt, repudiare τὸ θερμὸν Medicorum, acceptare τὸ πνεῦμα Ariſt. Et, annon τὸ θερμὸν agnoſcit Hipp. 1. Aphor. 14. ne alia loco producam? 9. ἀλλότριον eſt, quod de *ſpiritu naturali* Gal. incúlcat. 10. εὔηθες eſt quærere, *An humidum primigenium pertineat ad eſſentiam Calidi innati*? Si conſtituunt vnum τόδετι, quomodo abeſſe poteſt alterum? 11. Scutica digna ſunt, tam illa, quæ ex Fernelio afferuntur, quàm illa, quæ de propriè & impropriè loquentibus. 12. Confragoſa eſt diſputatio, *Elementare, an cœleſte ſit hoc calidum* apud Ariſt. Et rectè reſpondet, *Elementare eſt*, ſed analogum cœlo. Hac de re quæ fuſiſſimè deinceps diſputat, altiora ſunt, quàm vt in Inſtit. tractari debeant. 13. Sed nec ipſe Sennertus par eſt huic negotio. Cum enim conceſſiſſet, *Elementare eſſe*, quî poteſt ab Elementis diſcedere in *occultis proprietatibus*? Huc enim tandem res peruenit. Ego verò alibi oſtendi, occultas has proprietates non minùs pendere ab elementis, quàm *qualitates manifeſtas*, quatenus quædam actiones pendent à *Tota ſubſtantia* Gal. dicta. Et hæc eſt forma illa nobilior & & ſpecifica, hæc eſt ὕλη illa οἰκεῖα, quam crepat, non vlla vis cœleſtis. Quod enim analogum eſt cœlo, non eſt cœleſte? Αντιδιηρημένα ſcil. hæc ſunt. 14. Tandem cum ait, *Ad ſeminis naturam pertinere hoc calidum*, rem quidem dicit, ſed non ita eloquitur, vt animus acquieſcere poſſit. Tantò

minùs

minùs, cum collocat, non *in solo corde* quod solum distribuit omnem calorem! sed in *omnibus partibus spermaticis* dictis. Cui assertioni quàm bellè consonat illud, *In omnibus quidem spermaticis esse, sed plurimum in corde?* Summa: Quid est protrudere cruda studia, & quidem cum tanto verborum apparatu, si hoc non est?

§. 16. Idem Sennertus statim initio cap. 6. implicat se mirabiliter. Cum enim seruanda illi esset hypothesis, *Calidum natiuum non esse in solo corde, sed in omnibus partibus:* iam cogitur dicere. *Calidum natiuum partium opus habere Calido natiuo cordis.* 2. Hoc absurdum subitò gignit aliud, *Spiritus alios esse insitos, alios influentes.* Apud me spiritus insiti semper fuerunt *ein hültzen schüreissen*, vt Scherbius iocari solebat. Si enim sunt *spiritus*, non sunt *insiti*, seu *fixi*: si fixi, non sunt spiritus. Ad hoc malum adigit illos confusio τῆ θερμῦ ἐμφύτυ καὶ συμφύτυ, *caloris formalis & materialis*, vt nuper locutus sum. 3. Ex hoc altero statim emanat tertium longè maximum, *Animam totam in omnibus & singulis partibus esse totam.* Ergo, inquit Cæsalpinus, abscissa v. g. manu, abscinditur pars animæ? Quo quid obtusius? Falsissimum est, in omnibus partibus esse animam, non minùs, quàm in corde. Imò, in solo corde est *radicaliter:* in reliquis omnibus *participatiuè*, seu *commutatiuè*. Falsiss. iuxta est, facultates ab anima fluere per simplicem emanationem: quin vtitur anima *spiritibus* tanquam proximo instrumento. Propterea etiam rectè dicitur, *Emanationem illam simplicem tollere totam de spiritibus doctrinam.* 4. Atqui facultates ab anima inseparabiles sunt? Sunt. Et quid inde? *Duplex absurdum*, inquit, *&c.* Duplex λογομαχία, inquam ego. Solum cor est animatum eo modo, quo dixi. Et omnes partes sunt animatæ eo iterum modo, quo dixi. Interim absurdi nihil est, Cor vti quibusdam partibus tanquam principibus, tu puta, spiritum è corde in alias partes transmissum, in iisdémque substantificè alteratum, agere quid peculiare. Est enim, quod alibi deducitur, regimen hoc *animale* simile statui *Monarchico*, in quo omnia quidem pendent à Monarchâ, verùm qui ipse non agit omnia, sed

quædam

quædam per miniſtros. Totum ergo hoc redit ad litem verbalem, *Impropria locutio eſt, cum dicitur, facultates influere, facultates lædi, &c.* 5. De ſpiritu *naturali* paulò aliter philoſophandum eſt. Principio, cur Gal. de illo dubitat, 12. Meth. 5. Quia aërem externum ad hepar deducere non poterat. Cur 1. Loc. aff. vlt. vſum illius agnoſcit nullũ, adeóque acceptat emanationem, de qua dixi? Immemor eſt hypotheſeos ſuæ, *Hepar eſſe ſedem animæ vegetatiuæ.* Deinde dico, Quatenus hepar ſanguificat beneficio cordis, accipit à corde ſpiritum, cuius ope & ſanguificat, & ſanguinem factum diſtribuit. 6. De vitali ita ratiocinandum eſt, *Quatenus cor eſt ſedes proxima & princeps animæ vegetatiuæ, ſpiritu hoc ſuo & coquit & diſtribuit.* Facit autem hoc poſterius ope pulſus, cuius vſus ſubinde etiam communicatur venis, mediantibus ἀναστομώσεσι, quæ ſunt inter arterias & venas. Quo loco interſandum illud eſt, Sennertum fieri noſtrum, concedendo circulationem ſanguinis per pulmones. 7. De *animali* obiter hoc quoque monendum eſt, Nullam hîc eſſe neceſſitatem, vel aëris attracti, (motus enim cerebri talis nullus eſt) vel coctionis in plexibus arteriarum Labyrinthéis: ſed ſimpliciter fieri in corpore, ſeu ſubſtantia cerebri, è quo in neruos appenſos proficiſcitur. Quâ de re non inſuper habendum eſt, quod approbat hîc Sennertus ſententiam illorum, qui ſpiritus concedunt eſſe partes, quanus determinantur in partibus: ſed alibi negat, eſſe de eſſentia partium. Non enim conſideramus partes vt in macello væneunt: ſed quatenus actiuæ ſunt.

§. 11. Liddel. lib. 2. cap. 5. in multis paria facit cum Sennerto: ego paucis contentus ero. 1. Rectè quidem diſtinguit *calorem* ἔμφυτον à συμφύτῳ: ſed turpi ignorantiâ ſeparat ἔμφυτον *ab Influente.* Vt enim *Calor* & *ſpiritus*, ipſo docente, ſunt vnum: ita *Calor innatus* & *influens*, Innatus, inquam, cordi: Influens, è corde aliis partibus. 2. Non minùs turpis ignorantia eſt, cum *Calorem innatũ* & *Calidum innatum* pro diuerſis habet. 3. Similis prioribus, cùm omnibus partibus inſitũ & complantatũ eſſe vult. Imò ſoli cordi inſidet, & inde in partes reliquas dimanat. 4. *Facultatũ* diuiſio in *proprias*

& *communes*, quàm pinguis est! 5. *Spirituum diuisio* in *Insitum* & *Influentem*, & huius iterum subdiuisio in *vitalem*, *naturalem* & *animalem* (hoc enim vult) quàm concinna! Talia cum sint omnia, quæ sequuntur, manum tollo, confisus dexteritati illorum, qui superiora cum curâ legerunt.

§. 12. Heurnius lib. 2. cap. vlt. & iterum lib. 3. cap. 1. *Calidi natiui* ὕπαρξιν rectè constituit *in semine*: non rectè, cum à corde desciscit ad omnes partes. Rectè docet, Hippocr. in Epid. vocasse hoc calidum *Animam*: non rectè, cum diffundit se in definitionem *Animæ*, *Naturæ*, &c. Rectè *Calidum* hoc *Naturam* vocat: sed imperitè definit. *Calor* enim *innatus*, & *spiritus viuificus* sunt idem. Et cui bono probabit, in vnâ natiui caloris substantiâ inesse tria illa, *Humidum primigenium*, *spiritum* & *Calorem*? Sed iam me pœnitet temporis iuxtà & operæ!



SECTIO VII.

De Facultatibus & Actionibus.

CAPVT CLI.

§. 1. APVD Gal. 1. Fac. nat. 2. tria sunt, essentialiter inter se apta, ἔργον, *opus*, v. g. Sanguis: ἐνέργεια, *actio*, quà mediante sanguis fit: δύναμις, *facultas* seu *potentia*, à quâ, tanquam efficiente, fit. In superioribus quia opus omne vnà cum instrumentis suis explicitum est, restant duo reliqua, quæ non magis à se inuicem separari possunt, quàm yara à vibia, vt prouerbium habet apud Ausonium. Cæterùm, cum tres numero *Facultates* sint, singulæ illarum, aut vno nomine, à principaliori ducto, vocantur: aut distinctè numerantur actiones, quo modo hîc instituemus rationes nostras.

§. 2. Ergo, quod ad *Abdomen*, quemadmodum *Partes*, seu *Instrumenta* ibi fuerunt duûm generum: ita duplices sunt *Facultates*, duplicésque *actiones*.

§. 3. Quod ad *Partes* illas, quæ seruiunt indiuiduo, *Facultas* quidem est ἡ αἱματοποιητική, *sanguificatoria*: *Actio* autem ἡ αἱματοποίησις, *sanguificatio*. Veruntamen, quia in Thorace quoque sanguis fit, sciendum est, *Abdominis* quidem *sanguinem* (ceu dictum fuit non semel) rudiorem

esse & inelaboratiorem, quem Aristot. comparat pani συγκομίςῳ, *quo famulitium vescitur: thoracis* autem *perfectiorem* & mundiorem, quem idem confert cum pane similagineo, quo paterfamiliàs: Ad hoc opus (sanguinem) partes aliæ plus conferunt, aliæ minùs, omnes autem agunt κατ' ἐντελέχειαν. *Plus* conferunt, & quasi principatum habent, hepar, & lien, quia per se necessariæ sunt: *minùs*, & per accidens necessariæ sunt, quæ excrementa abducunt: *medio modo* se habent, quæ seruiunt distributioni. Quamobrem *actiones* quoque magis aut minùs nobiles sunt, & diuiduntur in *publicas* & *priuatas*. *Publicæ* sunt Masticatio, deglutitio, chylificatio ipsa, distributio, & tandem excrementorum abductio. *Priuatæ* sunt Attractio alimenti, retentio eiusdem, alteratio, & expulsio. *Vtræque* fiunt à quatuor facultatibus Ministris vulgò dictis, Attractrice, Retentrice, Alteratrice & Expultrice.

§. 4. Quod ad *illas*, quæ speciei famulantur, *Facultas* quidem est ἡ γεννητικὴ, *generatrix: Actio* autem γένεσις, *generatio.* Et hæc quidem princeps est facultas, actióque: *Ministræ* autem, ἀλλοιωτικὴ, καὶ πλαστικὴ, *alteratrix, & formatrix*, quemadmodum, & ἀλλοίωσις, καὶ πλάσις, *alteratio & formatio.* Sciendum autem est, facultatum quatuor *Ministrarum* hîc quoque suas partes esse.

§. 5. *Thoracis*, vt alibi deduxi, pariter duæ sunt *Facultates*, duæ *Actiones*: imò *tres. Prima* harum princeps est, πρὸς τὸ εἶναι τοῦ ζῶου, *ad essendi continuitatem*, vt cum Illustr. Scaligero loquar, apud Arist. de Resp. 11. Hæc sola quidem, quatenus sanguinem facit nobiliorem illum, quem τροφὴν ἡγεμονικὴν, *alimentum principale*, vocat Hippocr. est αἱματοποιητικὴ, vt in abdomine: sed iuncta cum αἱματοποιητικῇ abdominis (sic explico Aristot.) θρεπτικὴ, *nutritoria*, seu *nutrix, nutritiua*, ἡ φυτικὴ, *vegetatiua* appellatur, quemadmodum actio ipsius, θρέψις, *nutritio.* Qui enim in his duabus officinis elaboratur sanguis, is demum est is, qui commistus inuicem nutrit. Quod cùm concedere nollet Galen. *Venoso* quidem dicto sanguini, seu hepatico nutritionem commendauit: *arteriorioso* autem seu cordiali, vitam, quasi *nutritio* & *vita*, θρέψις καὶ ζωὴ, non sint idem, vt iam toties dictum est. Hîc attexenda est ἡ δυνάμις αὐξητικὴ, *facultas auctrix*, quæ & duplici illo sanguine vtitur, & pro Ministris habet quatuor dictas. Huius proprium est, partes similares augere secundùm trinam dimensionem. Ita enim explico locum Gal. 1. Fac. nat. 7.

§. 6. *Altera* thoracis facultas, (ζωτικὴ, *Vitalis* Galen. dicta) quæ est πρὸς σωτηρίαν τῆς καταψύξεως, *vt animalis ignis perpetuò refrigerari, seu ventilari possit*, ministra quidem est, sed duplex, eodem de Resp. loco. *Quatenus* enim sanguinis motus sursùm est in pulmones, in quibus fit illa sanguinis circulatio, de qua dixi, facultas est ἀναπνοικὴ, quamuis à nemine-dum ita vocata, *respiratoria*, ad morem actionis ab omnibus dictæ, ἀναπνοὴ, *respiratio: quatenus* idem deorsùm est ad partes nutriendas, *facultas* est σφυγμικὴ, *pulsatoria*, vt Medicè loquar, *actio* σφυγμὸς, *pulsus.*

Hanc si quis Medicus scindere velit in διαςαλτικὴν, *dilatatoriam*, καὶ συςαλτικὴν, *contractoriam*, quemadmodum actionem in διαςολὴν, καὶ συςολὴν, *dilatationem & contractionem*: cum eo Physicus pugnare non debet. Quo loco negligendum non est, Quemadmodum *Respirationis vsus primarius* trahit secum expurgationem *Fuliginum* (quæ sunt excrementum crassum coctionis, quæ fit in corde) per os & nares sensibilem: ita *Pulsus vsus* distributio alimenti, à tergo habet euacuationem *Fuliginum* (quæ sunt excrementum crassum tertiæ vulgò dictæ coctionis) per vasa cutanea insensilem, quam ἄδηλον αἰσθήσει διαπνοὴν vocant Græci.

§. 7. *Duabus* his vulgò notis addo ex eodem de Resp.20. τὴν πήδησιν, *Saltum*, quæ constituit τὸ θυμικὸν ἢ θυμοειδὲς, *Irascibile* Platonis. Hoc complectitur *Affectus animi* omnes, quibus alioqui Medici peculiarem rubricam in *Rebus non-naturalibus* tribuunt. His omnibus superaddo, & respirationis & pulsus *tres* esse *causas continentes*, vt sic dicam, Facultatem, Vsum & Instrumenta.

§. 8. *Capitis* vt (propriè sumitur pro Cerebro, & ad Cerebrum pertinentibus partibus, suprà cap. 55.) facultates, (ἡ ψυχικαὶ Galen. dictæ, *Animales*) & *actiones* sunt itidem duæ ἡγεμονικαὶ καὶ ὑπηρετικαὶ, *rectrices & famulæ*, 2.Progn.6. Harum *illæ* fiunt per se, hoc est, immediatè in Cerebro, nec opus habent instrumento alio: *hæ* mediatè, per aliud, per certa instrumenta, quæ *sensoria* appellantur, Oculus, auris, &c. 2.Loc.aff.9.L.

§. 9. *Principes* apud Arist. fortè etiam Gal. (siquidem admittantur παραμυθίαι quædam) tres sunt. *Prima* est ἡ λογικὴ, *Platoni*, quæ διανοητικὴ Arist. dicitur, *Ratiocinatrix*, seu, vt hodie loquimur, *Discursatrix*. Vocatur vno etiam verbo, λόγος, νοῦς, γνώμη, διάνοια, *Ratio, Mens, Animus, Intellectus, Discursus*. Nam τὸ διὰ significat transitum ab vno ad aliud: *Altera* est ἡ μνημονευτικὴ, *Memoratoria*, vt μνήμη, *memoria*. *Tertia* est ἡ φανταστικὴ, *Imaginatoria*, vt φαντασία, *imaginatio*. *Famulæ* seu *Ministræ*, (αἰσθητικαὶ, *sentientes* Gal.) sunt quinque sensuum externorum (ita dicuntur respectu trium internorum, seu principum) Visoria, auditoria, odoratoria, gustatoria, tactoria, quorum sensoria sua etiam habent nomina, quæ nota sunt, vt & *Actiones* ipsæ.

§. 10. Iam, triplicem hanc animam, φυτικὴν, αἰσθητικὴν, λογικὴν, sequitur triplex ὄρεξις (3.de Anima, 9.t.42.) ἡ ἐπιθυμία, *appetitus* seu *concupiscentia*, & ideò triplex facultas ὀρεκτικὴ ἢ ἐπιθυμητικὴ. Vulgò ad numerum binarium redigunt, facientes *Appetitum sensitiuum & rationalem*. Ex vtroque pendet ἡ κίνησις κατὰ τόπον, *motus & facultas locomotiua* (eodem 3.de Anima, 10.princ.)

ABERRATIONES.

§. 11. Hic bellum fortaſſis mouebit mihi quis ex Sennerto lib.1.cap.8. *Cur non de Animâ potiùs inſcripſerim, quippe* quæ ſecundùm Ariſt. eſt ἐντελέχεια σώματος φυσικοῦ ὀργανικοῦ, *actus ſeu forma ſubſtantialis, per quam corpus animatum, reuerà tale eſt, &c.* Hunc talem manu prehenſum ducam ad c. 4. §.1. quo docui, *Animam Medicam longè aliam eſſe*, quàm illam, quam Ariſt. definiuit: eſſe videl. nihil aliud quàm *Temperamentum*. Hoc enim ſeruato, ſeruat Medicus animam. Imò, ſi verum amamus, *Medico, quà Medicus, ignota eſt Anima.* Vide Com.in 7.vſ.p.num.466. Phyſiologica, aut ſi ita vis, Apologiæ pro Gal.lib.2.cap.351.

§. 12. Hinc ego occaſionem captabo; infringendi vlteriùs id, cuius memini ſuprà eiuſdem cap.4. §.6. *Aliter non licere loqui Philoſopho & Medico, atque adeò dici non poſſe, Aliam eſſe veritatem Philoſophicam, aliam Medicam.* Imò verò licuit, ſemperque licebit: quin τρόπος ἐπιστήμης id vult. Falſum eſt in Philoſophia, *animam eſſe temperamentum:* verum eſt in Medicina, &c. Hoc confirmo iam ex hoc ipſo Sennerti loco, quo docet, *Aliter conſiderari facultates animæ à Philoſophis, aliter à Medicis.* Nimirùm, ſcire vult ille hic agere. Medicus enim, vt ferè loquitur ipſus, non tam conſiderat facultates, quæ non læduntur: quàm inſtrumenta, quibus vſæ illæ obeunt actiones. Obeuntur autem, vt hoc addam, ferè temperamento. Pars enim agit hoc, agit illud, quatenus ita temperata eſt. Dico *Ferè*, ob cauſas alibi explicatas.

§.13. Minimùm, inquiet alius, in hoc te peccâſſe fatebere, quod non attuleris definitionem *Facultatum*, ſi non eſſentialem, certè nominalem, ídque autoritate Fuchſ.l.1.ſ.6.c.1. Ego verò huic loco ſatis dixi, cùm *Efficientem* propoſui in ipſo veſtibulo. Hæc enim eſt δύναμις illa δραστική, ἡ ποιητική, quam Fuchſ.proponit. Hæc ipſa nihil aliud eſt, quàm *Temperamentum*, aut, ſi ita vis, *Temperamenti proprietas*, 5.Loc.aff.7.P.Q. de Pleth.3.C.1.Præſ.pulſ.4.2.Præſ.pulſ.8.C. Synopſ. pulſ. 31.A. ſi omninò loca ipſa deſideras.

§. 14. Fuch. inuenio, primò quidem vti tribus nominibus Platonicis, τ̃ λογικȣ̃, τ̃ θυμοειδȣ̃ς, κ̀ τ̃ ἐπιθυμητικȣ̃: deinde explicare fusiùs, ferè ad mentem meam. Errat autem in his, 1. quod cum Gal. 9. Meth. 10. *Vitam* nimis latè accipit pro *Anima*, vt fit apud alios quoque autores. *Pressè* enim & propriè θρέψις est nutritio. 2. quod *sensum communem* Gal. explicat de Imaginatrice. Ego enim ex 1. Caus. sympt. 8. persuasus sum, *Cerebrum* esse sensum illum communem. 3. Quòd in *Animalium* facultatum censu, cordis nulla fit mentio. 4. Quòd *Vitalem facultatem* Galen. tam facilè recipit, quâ de re egi suprà. 5. Quòd in *Naturalibus* non habetur ratio sanguinis arteriosi. Hinc manat 6. error, Quòd harum instrumenta statuit solas fibras; quæ triplices sint, &c. Pulsus enim heic magna prærogatiua est. 7. Quòd facultates solis temperamentis dispescit. Hoc ipso enim impingit in scopulum Gal. qui omnes eiusdem dignitatis esse vult.

§. 15. *Verum* est, quod ait Sennertus, lib. 1. cap. 8. quæstionem Logicam esse, (ita enim interpretabor) siue vna sit anima, siue plures: sed *falsum* est, Animam rationalem esse specificam, cui reliquæ subordinentur, nisi accipiat eo sensu, quem ipsemet affert, Animam rationalem hominis instructam esse facultatibus inferiorum. Quâ præbitâ occasione, dicam tria verba de Zabarellæ, & Auerroistarum quorundam sententiâ, quæ est, *In homine tres esse animas formaliter distinctas*. In rerum quidem vniuersitate sunt tres illæ *formæ*, plantarum, animalium, hominis: at in vno supposito, vt Philosophi loquuntur, v. g. homine, non est nisi vna forma, prædita duabus etiam inferioribus. Hanc monstrosam formarum commistionem qui nuper defendere voluit, sub titulo τριψυχία ἀνθρώπινος, ferulâ dignus erat: Grammatici enim docere illum poterant, quemadmodum totum diuiditur in substantiam & accidens; ita verba alia substantiarum esse, alia accidentium. Ita apud Gal. 8. Vs. p. 4. Oculus, auris, cerebrum, cor, pulmo, sunt nomina substantiæ. Tale cùm sit quoque ἡ ψυχὴ, quâ fronte τριψυχία erit triplex anima? Plura non dico nisi hoc, *Post rerum confusionem, imminet verborum quoque.*

Zabarella lib. de facult. animæ, c. 5. & seq. Huic respondet Scheiblerus, 1. Metaphys. 22. punct. 3.

§. 16. Quæ

§. 16. Quæ sequuntur apud Sennertum, confusanea sunt, & à me suprà suis locis disposita. Quæ idem habet lib. 3. de facultate *Vitali*, refutabuntur in Semioticis.

§. 17. Liddelius lib. 2. cap. 3. longam orditur orationem, 1. de *Anima*, profectò citra necessitatem, imitatione scil. Fernelij, Riolani, aliorum, qui non distinguunt ἐπιστήμην, καὶ τρόπον ἐπιστήμης. 2. de *Facultatibus*, quarum diuersitatèm ex Arist. & Gal. exponit. Ego verò velim fateatur, animæ accuratam cognitionem Medico necessariam non esse: de facultatibus idem statuat. Reuerà enim ita est, vt dicit ipsemet, *Considerat illas Medicus, vt in corpore, veluti subiecto perficiuntur.* Quod ego ita explicabo. Quia Medicus curat instrumenta, non facultates ipsas, satis ferè illi est tantùm nominalis facultatum cognitio, vt ego proposui. 3. In hoc de *facultatibus* discursu mirum accidit mihi, si, quod disertè ait, *Vitalis* nullam animati speciem constituit, quî possit Aristoteli præferre Galenum? Et quid hoc dictu est, *Quanquam anima tota, cum omnibus suis facultatibus, radicaliter est in corde: nulla tamen peculiariter in corde perficitur, aut manifestatur, excepta vitali?* Quomodo potest excipere illam, quæ in rerum naturâ non est? Sed sit: quæ verisimilitudo est, Omnes debere in corde perfici? Hoc ipso enim fine, in homine, de quo loquimur, qui plures debuit habere facultates, plura sunt instrumenta, à quibus demum facultates illæ perficiuntur. Quod si verum est, quomodo simul verum esse potest, quod suprà etiam vrsi, *Animam totam totam esse in singulis partibus!* Nec quidquam valet similitudo, abs insitione plantarum sumpta. Ab imperfecto enim ad perfectum progressus non est. Quod cùm agnoscat ipsus, miror quî putet se in vestigio stare!

§. 18. Idem Liddelius, ab vniuersalibus ad particularia progressus, de *naturalibus* ipsi dictis nimis fusus est capp. 6. 7. 9. & 10. Et quâ audaciâ interponit facultatibus *historiam partium*, cap. 4. quâ *Calidum natiuum & spiritus*, cap. 5. quâ item *Humores*, cap. 8. Summa, chaos struit nobis Scotus hic.

§. 19. Pro

§. 19. Prolixior quoque eſt in *Animali* facultate, & quæ illi adhærent. Quamobrem mihi, qui Medicinæ res ago, ſola litura ſatis ſit. Nempe enim ſufficit arti vel ſola nomina ſciuiſſe, poſtquam (puta) inſtrumenta didiceris.

§. 20. Heurnius, qui totum librum tertium inſumit in hoc negotio, Fernelium ſuum ſecutus, eodem contemtu dignus eſt. Multò verò magis Riolanus, qui lauream in hoc muſtaceo (commentatione in Fernelium) quæſiuit.



CASPARI



INSTITVTIONVM MEDICARVM LIBER III.

In quo Pathologica, ſeu Ætiologica.

CAPVT I.

Ratio Ordinis.


§. 1. SI rectè Hipp. dixit, à Phyſiologiâ in arte noſtrâ ordiendum eſſe: dicam ego, poſt Phyſiologiam omni iure agendum eſſe de Pathologia. In hac quia agit de *Morbo:* agendum eſt omninò de *Sanitate* quoque. Vt enim Ariſt. docet in Poſtpræd. 1. extr. *Contraria* (ea, quæ *Aduerſa* dicuntur) ſunt ſub eodem vel genere, vel ſpecie: ita tamen, vt non ſimul eſſe in eodem indiuiduo poſſint. Contingat v. g. Socratem valere: eodem tempore Socrates non ægrotabit. Hinc *Sanitas* & *Morbus* contraria ſunt, & quidem ἔμμεσα, *mediata*, quod intelligetur ex ſeq.

§. 2. Dicitur παθολογία, quatenus πάθος ſignificat omne id, quod p. n. eſt, 1. in 1. Epid. 23. B. Diff. ſympt. 1. F. K. M. 3. Præſ. pulſ. 1. A. dicitur αἰτιολογία, quatenus ſingulorum p. n. *cauſæ* heic redduntur.

§. 3. Vt conſenſus eſt, Rerum ſ. n. eſſe ſeptem: ita p. n. tres eſſe, Morbum, νόσον, ἢ νόσημα, & Ionicè νοῦσος, ἢ νούσημα; *Cauſam morbi*, αἴτιον καὶ πρόφασιν; σύμπτωμα, quod retineo, licèt Interpr. Gal. *Accidens* velint. Dicitur & ἐπιγένημα, *ſuperueniens*, ſed rarò, Diff. ſympt. 1. A. Ordior à Morbo, quia is primùm in oculos incurrit, & iubet nos inquirere in *Cauſam*. Symptoma ſequitur vtrumque horum.

§. 4. Diuidam

§. 4. Diuidam totum negotium in duas partes, in quarum primâ vniuersaliter de tribus iam dictis rebus p.n. in altera de morbis particularibus, quorum causæ & symptomata explicabuntur.



PARS PRIMA.

CAPVT II.

Quid sanitas? quid Morbus?

Vide quid obiici possit, in Cecropiâ Meursij, c.10. & 14.

§. I. ORdiar à nominibus, vt clarior res sit. Ὑγίειαν, *Sanitatem*, Mythologi dicunt Mineruæ filiam esse, è cerebro Iouis natæ, significare volentes, tam Medico, quàm cuiuis bono viro opus esse prudentia. Qui hanc Æsculapio coniugẽ faciunt, ἀειπάρθενον seruare Palladem volentes, collineant eódem. Et hoc illud est, quod alibi (scio) ex ore Scherbij, τ̃ δαιμονίε, retuli, *Medicinam aut esse prudentiam, aut non sine prudentiâ*. Hæc tantò magis necessaria est, quò certius est, in decies millibus vix inueniri vnum, qui fruatur εὐεξίᾳ seu sanitate καθ' ἕξιν, (habeo enim pro iisdem, licèt contra sentiat Gal.l.ad Trasyb.7.A.) cùm reliqui omnes sani sint κτ̄ σχέσιν, *in habitudine*, vt vulgus Medicorum loquitur. Hanc diuisionem esse antiquissimam, elucet ex eo, quod Hipp. scribit 6.Aph.2. quosdam ὑγιαίνειν ὑγιεινότερον, *valere melius*: quosdam νοσηρότερον, *peius, & morbo propinquius*. Hi posteriores laborãt *Intemperie naturali*, 3.Meth.9.B. *Intemperie sanitatis*, 2.Temp.4.F. *Morbosa corp. constitutione*, 6.san tu.2 & seq. *Excessibus paruis, qui ad ὑγιεινὸν pertinent*, 7.Meth 11.extr. Summa, hæc est *Latitudo sanitatis*, quam Gal. meritò opposuit *Neutro statui* Herophili. Vide Patholog. nostra, cap.10.

5.san.tu.4. A.ad quem locum se refert 8. Meth.3.F.

§.2. Νόσος ἡ, ἢ νόσημα, τὸ, aliquando latè patet, & significat apud Hipp. l.de Flat. *quidquid Naturæ molestum est*: aliquando presse, cùm opponitur τῷ πάθος, ἢ πάθημα. Tum enim νόσος quidẽ significat διάθεσιν ἢ κατασκευὴν παρὰ φύσιν, πρώτως τ̃ ἐνέργειαν βλάπτουσαν, *dispositionem, constitutionem, aff. ctum p. n. primò lædentem actionem*, vt iam dicetur vberiùs, & præsupponit factum quid, firmum & stabile: πάθος autem & πάθημα, quod in fieri est, nondúmque firmatum. Vide Foës. in πάθος, & inde disce, non semper obseruari apud autores hanc accurationem. Quo ipso retunditur audacia Argenterij, aliorúmque temerè Gal. insultantium.

§.3. Iam, vt propiùs ad rem veniatur, cur coniungis *Sanitatẽ & Morbũ*? Modò ex Arist. audiuisti: si vis ex Gal. etiam, accipe hunc vnum locum, 1.Meth 7.C. vbi ait, *Si sanitas est hoc, hoc est, dispositio secundùm naturam, vtique morbus erit hoc, hoc est, dispositio præter naturam*. Cur? *Quia contraria sunt, de quorum naturâ est sub eodem genere esse*. Hac determinatione, quia

gradum

gradum feci ad vtriusque definitionem, qualiscunque etiam sit, persequenda fuerit. De hac cogito, non quòd scabie laborem Ramisticâ, quæ subitò & in ipso limine ponit definitiones essentiales: sed vt persuadeam hominibus nostris, priscam docendi, scribendíque rationem longè aliam fuisse. Videatur Gal. 4. Diff. puls. 2. F. & iterum fine eiusdem libri, quà de duobus adolescentibus.

§. 4. Cùm definitio sit duplex, ὀνοματώδης καὶ οὐσιώδης, *nominalis & essentialis*, vtra præcedit? Arist. 1. Post. 10. nominalem præmittit, & ait, esse λόγον τοῦ τί σημαίνει τὸ ὄνομα, *oratio, quæ dicit, Quid sibi velit nomen*? v.g. Qui de *Officio* vult scribere, debet ante omnia se explicare, Quid per *Officium* intelligat? Et hoc est, quod Cic. vult in principio operis sui, *Omnis, quæ à ratione suscipitur tractatio, à definitione proficisci debet, &c.* Hoc inter recentiores, primus, quod sciam, obseruauit Hotomannus in Instit. Dialect.

§. 5. Hoc institutum obseruat Gal. in præsenti negotio. Acturus enim in l. de Diff. morb. hac de re, statim initio desiderat bis τὴν ὁμολογουμένην ἀρχὴν, *principium, quod apud omnes in confesso sit.* Quod illud verò est? Omnes homines dicunt se ægrotare, cùm non possunt præesse rebus suis. Ergo, vult dicere, quod s. n. est, ponunt in συμμετρίᾳ quadam: quod p. n. in ἀμετρίᾳ. Quid hoc aliud est, quàm quærere definitionem nominalem? Huc cogit nos τὸ ὁμολογούμενον.

§. 6. Recitas? 1. Meth. 5. B. tractans eandem rem, ex libris de demonstratione (quos non habemus) docet, vnde ordiendum sit ei, qui morbos curaturus sit? πῶς οὖν, ἔφη, ἐξευρήσομεν τοῦτο ὀρθῶς μεθόδῳ; πῶς δ' ἄλλως, ἢ τῆς ἐννοίας ὁμολογηθείσης, ἧς χωρὶς οὐχ οἷόν τε ἐστὶν εὑρεθῆναι τὴν οὐσίαν τοῦ προκειμένου πράγματος; αὐτὴν δὲ τὴν ἔννοιαν ὁμολογουμένην ἅπασιν ἐλέγομεν χρῆναι, ἢ οὐδ' ἂν ἀρχὴν δεόντως ὀνομάζεσθαι. *Quo igitur modo inueniamus id, quod quærimus, methodo? Quo alio quàm inuentâ notione omnibus hominibus confessa, absque quâ essentiam propositi negotij nemo inuenerit? Hanc autem notionem dixi oportere omnibus confessam esse, alioqui ne principium quidem futurum.* Hinc enim sensus est, non ille, quem Linacer infert.

An igitur verum genus Logicum est ἀμετρία? Est omninò. Morbus enim est τῶν πρός τι. Abeat igitur *Dispositio illa*, quæ nihil aliud est, quàm *Transcendēs* Morbus est *Aliquid*, quod lædit actiones.

§. 7. Heic inprimis vrgeo oppositionem τῆς ἐννοίας καὶ τῆς οὐσίας. Hæc enim rectè nos ducit ad id, quod volo, Galenum nihil aliud quæsiuisse, quàm definitionem ἐννοηματικὴν, ab Interp. Arist. dictam, cui opponitur ἡ οὐσιώδης. Confirmat rem, quod Cic. τὴν ἔννοιαν explicat per πρόληψιν, quæ est *anticipata & confirmata de re aliqua opinio.*

§. 8. Ex his quia liquidum est, Galenum ne cogitasse quidem de alia, quàm de nominali definitione, quid frustrà & nobis, & aliis molesti sumus in extundendâ essentiali? Hoc spectauit vnicè inde Diff. morb. vt & 1. Loc. aff. 3. C. At verò cùm de diff. sympt. 1. A. addit τὸ πρώτως, ἢ κατὰ τὸ ἑαυτοῦ λόγον, *primò, & ratione sui*, vt explicat ibid. c. 8. C. ad differentiam Causæ & Sympomatis: cùm alibi requirit βλάβην αἰσθητὴν ἢ σαφῆ, *læsionem sensibilem, seu euidentem*; cùm alibi μόνιμον quoque, *stabilem*; ad differentiam τοῦ πάθους, vt deduxi in Pathol. c. 10. & 11. voluit quoq; cōsultū τοῖς φιλοσόφοις.

 Neque

Neq; enim tã infans erat in Logicis theoriis, vt crederet, ex definitione nominali, additis modò his, modò illis voculis, atque ita quasi ex arenâ contexto fune, confieri posse essentialem. Huius animi fuisse probo ex de Diff. sympt. 1. I. vbi ait, αὐτάρκη ἐστὶ, *sufficere Medico futuro* hãc definitionem, licèt, quod ego addo, minimè ad leges Logicas exacta sit. Si vis (dicere vult) definitionem, hem tibi nominalem! Si satis non est, adde τὸ ἀνθρώπος: Si ne hoc quidem, adde reliqua quoque vocabula, & habebis definitionem essentialem, quæ ad vsum satis est. In hunc modum loquentem si fingas tibi Gal. (debes autem velle, vt defendas illum ab accusatoribus) crederéne simul pótes, seriò illum cogitasse de definitione essentiali? Logica, inquam.

§. 9. Hoc ampliùs stabilio. 1. Si hoc iuisset, vel vno loco meminisset τῆς οὐσίας. 2. Si hoc voluisset, τὸ *Morbus* habuisset pro genere synonymo, quod non est. Esse autem genus homonymum, seu vocabulum ab vno eruditè ostendit Pacius, Com. in 1. Meth. vnde ego transtuli in Patholog. cap. 3. 3. Si hoc cogitâsset, proculdubio διάθεσιν suam desumsisset, ex prædicamento *Qualitatis*. At verò longè aliter se res habet, vt probaui ex eodem Pacio in iisdem Patholog. cap. 6. In quo ergo est? *In Relatis*, sed suo quodam modo, *Ratione fundamenti sui*, hoc est, corporis ita dispositi, vt ib. cap. seq. doceo. 4. Si tale quid meditatus fuisset, assumsisset etiam subiectum. Scio, quid pro defensione illius hac in parte molitus sim, d. operis, cap. 12. Sed reuerà non exhaurit difficultatem. 5. Si vel somniasset essentiam, non actionis læsæ tantùm meminisse debebat, sed & reliquorum duorum symptomatum. Vide iterum d. operis cap. 10. Sed desino plura.

An eruditius, quàm verius? Ἀμετρεία enim est verũ Morbi genus, vt iam innui.

§. 10. An hoc obtento, defungi nobis licet vno momento Comitis Montani labore morosissimo, (quippe intra 25. annos confecto) &, quæcunque inde dependent, scriptis magno numero? Hoc si placuerit bonis viris, tenebris damnabo ea quoque, quæ in fauorem Gal. comportaui in toties iam laudatis Pathologicis. Si enim Galeni consilium hoc non fuit, non opus etiam habet patronis. Quidquid futurum sit, concludo: Definitio nominalis vtriusque est, *Sanitas est dispositio corporis humani s.n. quâ aptum natum est edere actiones animæ suæ conformes. Morbus est dispositio p.n. actiones has lædens.* Idem docet Gal. Diff. sympt. 1. F.

ABERRATIONES.

§. 11. Communis Fuchsio lib. 3. s. 1. cap. 3. cum reliquis error est, quòd definitionem *nominalem* habet pro *essentiali*. Communis & alter est, quòd *sanitatem* ex dignitate non explicat, sed verbo meminit tantùm. Proprius

est,

est, quòd in Institut. Argenterium tam latè refutat. Alius omninò sunt ista & loci & temporis. Proprius est ille quoque, quod morbum quendam vult esse substantiam. Refutauit quidem latè Com. Montanus lib. 5. de morbo, c. 5. & seq. meo autem instituto hoc satis sit, *Calculus v. g. non est morbus: sed calculus in renibus, vesicáue latens, facit dispositionem illam morbificam, ob quam mictio impeditur.*

§. 12. De Sennerto perquàm mirum accidit mihi, quòd, cum disertè dicat lib. 3. initio, *Sanitatem & Morbum esse contraria, adeóque sub eodem genere*: de sanitate tamen agat in physiologicis! Idem frigidam pro Gal. affert excusationem, definitionem morbi esse causalem, non formalem. Neutra est: sed nominalis tantùm. Si vrserit τὸ πρώτως, repetam, quod superiùs, *Definitio Medica est, quæ sub leges Logicas cogi non potest.* Idem pertendere vult, *Morbum esse qualitatem.* Cupio ego hoc vnum tantùm ab illo discere, Morb. in numero v. g. qua fronte qualitas dici potest? aut, si ita vult, quâ ratione ad qualitatem redigitur? *Quatenus*, inquit, *pars inepta redditur ad munus suum.* Cui ego, quæ verò hæc qualitas est? Confunduntúrne prædicamenta? huius consectarium est, Διάθεσιν Gal. multis parasangis abesse à διαθέσει Arist. Idem negat, Morbum simpliciter esse inter *Relata*: sed *aliquo modo*. Quo verò, sodes? *Quo virtutes & vitia*, inquit. Atqui Arist. expresse, adeóque simpliciter virtutes & vitia habet inter relata, quatenus in hoc, illóve subiecto sunt. Vide Patholog. cap. 7. Cæterùm, neque examen argumentorum Argenterij huc pertinet, ceu dixi, neque definitio formalis recèns excogitata, cùm sufficere possit Gal. illa, qualis qualis etiam sit.

§. 13. Lidd. initio lib. 3. c. 1. mirabilem habet de sanitate & morbo discursum: interim hoc bene habet, quod vtrumque sub vno genere habet, contraria quippe. At in definitionem morbi qua fronte intrudit *Corpus viuens*? autoritate, si Diis placet, Fernelij! quâ admittit distinctionem τοῦ *Præter & Contra naturam*, ex myrothecio eiusdem. Quâ componere potest *corpus suum illud* cum *Vsu*? Profectò non intelligunt isti auum suum: quâ de re mox.

 §. 14. Apud

§. 14. Apud Heurnium l. 6. c. 1. egregia inprimis eſt Morbi illa etymologia; *Morbus eſt* μοῖρα βίȣ, *fatum vitæ*. Cætera penè Liddeliana ſunt, quæ dicam me non intelligere, inprimis illud de *Corpore viuente*, & *vſu*.

§. 15. Horſtium inprimis miror, qui *Sanitati* & *Morbo* peculiares tribuerit diſputationes! Tantò magis, quòd cum Sennerto Sanitatem adſcribat Phyſiologiæ, Morbum Pathologiæ! Profectò, Phyſiologia non conſiderat corp. hum. vt ſanum: ſed ſimpliciter quale ſit in tribus illis conſtitutionibus, è quibus pendet triplex morbus. Hoc ipſus tacitè concedit, cum diſput. 4. θ. 2. ait, *Sanitatem non eſſe propriam ſubſtantiam, ſeu naturam, ſeu temperamentum*, vt egó explico? at hanc ſubſtantiam, naturam, temperamentum inquirit Phyſiologus. In θ. 4. quid ſit *Sanitas propriè dicta* audire cupiam. Eſtne *Sanitas* quædam *impropriè dicta*? & *quæ eſt illa*? An latet heic *Corp. viuens*, de quo mox? Pariter diſcere velim; *quomodo Promptitudinem* ſuam iungere velit cum *diſpoſitione Gal.* Diſp. 5. θ. 3. recto ſtat talo, cùm pro ſubiecto morbi habet *Corp. humanum*: ſed claudicat, cùm θ. 5. diuertit ad *Corp. viuens* Fernelij. Quod ſi probarit mihi ex 1. Loc. aff. 1. pro viro habebo.



CAPVT III.

Quod ſit Sanitatis & Morbi ſubiectum?

§. 1. PRocul omni dubio *Corp. hum. totum*: ſed hoc ſatis non eſt hominibus quibuſdam ſubtilibus craſsè errantibus. Abdicatâ enim amplitudine ternariâ Hipp. tribuunt τοῖς μορίοις ἴσχȣσι, *partibus continentibus*, ſeu *ſolidis* tantùm. Quid dico verò? de morbis ſolis garriunt: de ſanitate in ſuâ latitudine, ne verbo quidem ſoliciti ſunt. Ab horum nullo hactenus intelligere potui, Si (quod dicunt ipſimet) Medicina pro ſubiecto habet *Corp. hum. totum*, cur non omnes eius partes habet? Intelligis autem loqui me de partibus tribus Hippocraticis. Ampliùs, ſi (quod modò tetigi.) Medicina rectè diuiditur in ὑγιεινὴν καὶ θεραπευτικὴν, de hac ſolâ cur loquuntur, de illa ſilent? Curat enim morbos non minùs quàm θεραπευτικὴ, & quidem magnis etiam remediis, quatenus magni morbi futuri ſunt, niſi præcaueas.

§. 2. Quum

§. 2. Quantum videre licuit hactenus, pro scuto habent solùm Fernelium, qui immeritissimo suo tantus est. Is cùm *Partem* definiisset *Corp. viuens*; & subiectum morbi quæsiuisset in solidis tantùm: sufficere hoc rati illi, sequuntur demisso capite, tanquam arietes Phryxæi. At verò, ô vos tales! si dux vester per *Corp. viuens* intellexit *Agens*, quatenus opponitur illi, quod *vsum* præbet, cur *vsum* quoque admisit in definitione? Hinc ita argumentabor. Si illæ partes, quæ non agunt, sed agentibus subseruiunt, partes sunt: cur in *Humoribus* & *Spiritibus* (si omninò vsum habent tantùm) non æquè subsistit morbus, ac in *Solidis*? 2. Physiol. 2 2. Pathol. 3

§. 3. Quamobrem exclamo cum Montano, *Vbi viuens hoc corpus à Gal. aut dictum, aut scriptum est?* Vt meritò ipsa nouitate sordere debeat. Sed seponamus Gal. *Estne rationabile, esse in corpore viuo, aliquid quod non viuat?* Vt cominùs agam, *Spiritus cùm sint proximum animæ instrumentum; Humores cùm tantùm caleant, quantum caloris à corde habent: cur non viuant?* Et quid respondebitis mihi ad hoc? Febres quædam sunt, & dicuntur à vobis quoque *Humorales*: in his verò quod aliud subiectum est, quàm humores? Sed & Gal. concedit, in humoribus morbos esse. Videte, si mihi non creditis, 3. Loc. aff. 5. bis, 3. Progn. 37.

ABERRATIONES.

§. 4. Sennertus l. 2. c. 1. commendans nobis *corpus Fernelianum*, hoc videtur velle, Quia morbi essentia consistit in læsâ actione, profectò aliâ parte quã viuente læsâ morbus consistere non potest. Heic ego manu prehensum virum, si liceret, ducerem ad cap. 5. subsequens, in quo de morbis compositionis hæc sunt verba, *Etsi verò non parua est partium in organis differentia, & vna pars præcipua est, quæ actionem perficit, reliquæ saltem vsum præbent: tamen omnes ad actionem necessariæ sunt, & propterea, &c. Sed etiam reliquis, actio vitiari & impediri potest.* Hæc posteriora quomodo non destruunt *Corpus viuens*? Si vrges, quæ sequuntur, quanquam toti instrumento transcribunt actionem: dicam, Ita fore, vt morbi tantùm, sint instrumentarij. Alioqui Gal. diff. morb. 6. disertè id docet, & comprobant musculi oculorum, de quibus Sennertus ipse. Huc tendit resolutio quæstionis, eod. cap. 5. *An dentur morbi in vsu?* præcipuè verba illa, *siue à partis vsum præbentis malâ dispositione?* Qua in re longè latéque exspatiatur ille præter vsum. Quâ voce ne iniuriam videar

dear illi fecisse, veniat incorruptus aliquis mecum ad l. 3. quà de diff. sympt. f. 271. ed. secundæ, & agnoscat, *Lædi actionem læsis illis quoque, quæ ab errore externo sunt*, hoc est, vt ego explico, à causis tam sine quibus non, quam illis, cum quibus meliùs. Quæ ipsæ cum accidentales sint, quid dicet iam pro suo *corpore viuente*? Contra hoc validum tormentum est, quod ibidem habet ipsus. *Ad actionem edendam omnia sunt necessaria: vt actio lædatur, satis est si vel vnum deficiat, &c.*

§. 5. Verùm, vt ad cap. 1. redeam, mox proponit egregium σκέμμα, in officina Capiuaccianâ natum, *Si* inquit, *humores & spiritus lædantur, est illud ab errore externo*, 3. Caus. Symp. 1. C. *Cùm*, inquam ego, *error ille externus sit triplex, vt quidem Gal. proponit, quò refers læsionem hanc*? Proculdubio ad excrementa ventriculi. Atat, dico, *Qua ratione ad* τὰ ἔξωθεν *trahis humores & spiritus, cùm sint partes corporis essentiales? Quia*, inquis ex Rudio 3. Pract. 1. *in substātiâ partis non inhærescunt.* Pulchrè! Ergóne contentum fit externum quid? si non confunditur cum continente suo? Alij dicunt, cùm pars non habet ab humoribus & spiritibus, quod habere per naturam debet, vtique ab externo læditur. Quibus ego: sed quid opus est afferre illa, quæ omnes nôrunt, & vident?

§. 6. Mox propositâ sententiâ Altimari & Massariæ, finit illam cum fulmine Salmoneæo, *Reuerà sanitas & morbus tribui debet parti viuenti*, vt Arist. docet. Vbi autem? Indicet Mass. librum de Sensu, 1. vbi hæc sunt verba: οὔτε ὑγίειαν, οὔτε νόσον οἷόν τε γίνεσθαι τοῖς ἐστερημένοις ζωῆς. Heu mihi, quod magni etiam viri pronuntiant, non antè inspecto loco! Philosophus in genere loquens de animatis, & inanimatis, sanitatem & morbum dat solis animatis: & quid hoc ad rem? Accommodetur partibus animatorum, & credam fortè. Ita loquor: certus enim sum, τὴν ζωὴν heic nihil aliud esse quàm τρέφειν, *nutritionem*. Nec tenet me, quod eludere vult locum Aristot. 3. Hist. 19. vbi est αἷμα ὑγιὲς καὶ νενοσηκός, *sanguis sanus & morbosus*, locutionem esse generalem, qualis illa quoque apud Hipp. heic c. 2. §. 2. Vt enim de Hipp. non pugno: ita

de Arist. nego & pernego. Loquitur enim toto capite, de ſanguine, eiúſque p.n. diſpoſitionibus. Et quid? Si ſanguis vel calidior, vel frigidior fiat, cur non ſit intemperies calida vel frigida? Et ita de cæteris intemperiebus. Intemperies autem ſunt morbi, ſpecialiter accepto vocabulo.

§. 7. Interim Sennertus, confiſus rebus ſuis, repetit ſententiam deciſiuam: *Quibus nulla ad agendum potentia data eſt, illis nulla ad agendum impotentia tribui poteſt.* Atqui tu ipſe docuiſti, ô bone, læſis partibus ad vſum tantùm factis, lædi actionem: quid reſpondes? Sanguis autem (concedam enim) hunc in animali vſum habet, vt ſit materia alimenti, & vitiato alimento hoc, vitiatur nutritio: quidni igitur laboret morbo? Excrementa ſanguinis an vllum in corpore abuſum habeant, nunc non quæro: hoc mihi adimi non poteſt, affectis iis p. n. non febres tantùm exſiſtere, ſed multos alios morbos. Quid ſi verò obtineam, ſanguinem, non minus quàm partes ſolidas, viuere & agere? Calet enim à calido natiuo: quin & Gal. & Ariſt. tribuunt illi, quòd mores formet.

§. 8. Et hæc quidem de humoribus: ſpiritus, vt dixi, cùm ſint proximum animæ inſtrumentum, cur morboſi fieri non poſſint? Doctrina Gal. eſt, *Actionem nonnunquam lædi, aut potiùs impediri, ſi propriè loqui velimus, nullatenus læſo organo*, v.g. oculo: ſed defectu ſpirituum; tum verò quid dicemus? Profectò videtur Sennertus dare manus, cùm negat Capiuaccio, ad errorem externum reduci poſſe. Interim nihil definit, ſuo more: imò implicat ſe, cùm ſpirituum diffuſionem comparat cum radiis Solaribus, qui corporei ſunt minimè. Planerus, cuius ſententiam nudè proponit, totus eſt meus, niſi quòd bonam cauſam non ſatis dextrè agit, ceu probaui in d. Patholog. cap. 13. Ad extremum ait, Confundi indicationes curatorias cum præſeruatoriis, niſi humoribus cauſas morborum tranſcribamus. Dico breuiter, In ὑγιεινῇ, cùm veriſimiliter timetur morbus magnus, quid facimus? Venam ſecamus, purgamus. In θεραπευτικῇ, cùm morbus magnus iam adeſt, quid facimus? Venam ſecamus, purgamus.

§. 9. Lidd.lib.3.cap.1.acceptatâ bellâ illâ Fern. distinctione inter præter & contra naturam, Corpus viuens pariter proiicit in medium: tum addit, Humores non possunt esse subiectum morbi, quia sunt instrumenta actionum. Vt Ramistam agam, ita formabo argumentum. Quæcunque sunt instrumenta actionum integrarum, ea sunt subiectum morbi, At solidæ partes tantùm sunt instrumenta actionum, Ergò. Rursus, Quæcunque instrumenta actionum non sunt, non sunt etiam subiectum morbi, At humores non sunt instrumenta actionum, Ergò. Nego ego maiorem vtrobique. Vt enim ex Gal. & Senn. probaui modo, Etiam iis læsis, quæ non agunt, sed agentibus subseruiunt, læditur actio, At humores (loquor cum ipsis) seruiunt partibus nutriendis, Ergò iis læsis lædi potest actio. Quod ipsum cùm seruire vult Lidd. abigendis hinc humoribus, ineptus est. Si quæram, Sit ita de humoribus: quid fit de spiritibus? iam non potest subsistere in vestigio, sed ait, Accensendos esse partibus solidis, quatenus ab essentiâ illarum non separantur planè, sed actionem determinant. Rideam, an doleam pertinaciam? Reuerà enim est libera hæc confessio, Spiritus esse partes. Hac ipsâ vtar quoque pro Humoribus. Non enim possunt ab essentiâ partium separari, quatenus nutriunt illas. Nutritio enim pertinet ad τὸ ζῆν animalis, adeóque cum vitâ est eadem, vt nuper dixi.

§. 10. Heurnius lib. 6. cap. 1. argumentatur quomodo prædecessores, Morbus, quia actionem lædit, reponendus eâ in re fuerit, quæ actionem edit; Ea est pars corporis. Dico ego, Et humor est pars corporis, autoritate Hipp. Aristot. &c. Si respuis, Quia competit ei definitio partis, *Quidquid totum complet.* Quin nec Fernelius repudiat per illud, *Vsúmve*, vt iam dixi. Atqui forma agit? Nego: totum agit, pars, inquam, humoribus & spiritibus turgida.

CAPVT

CAPVT IV.

Sanitatis differentiæ.

§. 1. HÆ præcipuè quidem petuntur ex triplici corporis nostri constitutione, de quâ cùm alibi, tum 6.San. tu.9.Galenus: obscuriùs autem Arist. 3. Part.1. Res est. *Prima* harum constitutionum fit ex quatuor elementis, è quorum inter se temperie & misturâ fiunt partes similares tam solidæ, quàm liquidæ, vt cum Arist. loquar. *Secunda* fit ex similaribus, quatenus illæ constituunt dissimilares seu organicas. *Tertia* est totius corporis, quatenus constat ex similaribus & dissimilaribus. Vide, si placet, in Patholog.c.17.

§. 2. Vt ergo corpus nostrum dicatur sanum, satis non est, vt iustum adsit temperamentum, quod partium est similarium: opus præterea est duobus aliis, Partium scilicet rectâ organisatione, vt sic dicam, quæ in dissimilaribus sita est: & tandem vtrarúmque vnione.

§. 3. Heic tu primùm excusa Gal. si fortè audias illum actiones omnes tribuere vni temperamento, quod vel *Facultatem* vocat, vel *Facultatis substantiam*, vel *Naturam*, vel *Animam*. Reuerà enim prima illa compositio est principalis, & sequitur mors ad illius corruptionem solam immediatè, ad reliquarum duarum non nisi mediatè.

§. 4. Noli etiam offendi, si alicubi inueneris vocare illum *Facultatem*, non temperamentum singularum partium proprium: sed commune illud, quod ex partibus principib. influit, quâ de re suprà, lib.2. cap.3.§.7.& iterum c.4.§.2.

§. 5. His præhabitis, considerare fas est temperamentorum & multitudinem & latitudinem, vt proposui eodem l.2.cap.5. §.3. Cùm enim Herophilus, omnium subtilitatum magister, latitudini sanitatis substituisset *statum neutrum*; ille verò pateat maximis difficultatibus: necessitas ipsa imposuit Galeno hanc legem, vt reduceret latitudinem illam, cui præcepta τ̃ ὑγιεινῆς incumbunt. Nimirùm, quod alibi deduxi, Cùm alij meliùs valeant, alij peiùs, rari quidam optimè, &, quod in prouerbio est, athleticè seu pancraticè: omnes tamen sunt sub ὑγιεινῇ, omnes valent, omnes dicuntur sani, quamdiu sunt ὀρθοστάδιοι. Hinc τ̃ ὑγιεινῆς tot sunt subdiuisiones, adeóque tot sunt sanitatis differentiæ, quot lib. 1. cap. 4. §. 3. proposui, vt & in Patholog. cap. 10.



CAPVT V.

Morbi differentiæ.

§. 1. SI, quod suprà comprehensum fuit, morbus sanitati est contrarius: tot vtique fuerint morbi, quot sanitatis fuerunt differentiæ. Et est ita, si de essentialibus loquare. Vitiatâ enim primâ constitutione, quæ *Temperies* est, fit prima morbi species, quæ *Intemperies* dicitur. Vitiatâ secunda, quæ *Organisatio dicta* fuit, fit *Morbus organicus.* Vitiatâ tertiâ, fit morbus tam similaribus, quàm organicis communis, qui *solutio continui vel vnitatis.* Hi ipsi iam subdiuiduntur.

§. 2. *Intemperies* vel nudæ sunt, seu sine affluxu substantiæ: vel cum substantiæ affluxu, quæ *Tumores p.n.* vocantur. *Nudæ* vel salubres sunt, vel morbosæ, qua de re cap. 10. §. 2 Eædem vel simplices sunt, vel compositæ. *Simplices* quatuor, Calida, frigida, humida, sicca. *Compositæ* etiam quatuor, Calida & humida, Calida & sicca, Frigida & humida, Frigida & sicca. *Cum affluxu substantiæ* pariter 4. sunt, quæ peculiaria nomina habent. A prædominio enim sanguinis fit φλεγμονὴ, *Inflammatio*: à bilis, ἐρυσίπελας: à pituitæ, οἴδημα: à melancholiæ, σκίῤῥος. Et hi quidem tumores exquisiti, seu legitimi sunt: si misceantur, fit vel *Inflammatio* ἐρυσιπελατώδης: vel *Erysipelas* φλεγμονῶδες, & sic de cæteris. Quæritur, An præter Intemperies ex *manifestis* qualitatibus iam dictis, sint aliæ ex *occultis*? *Sunt*, siquidem *occultæ qualitates seu proprietates*, sunt idem cum *Totâ substantiâ* Gal. *Non sunt*, siquidem *Tota* illa *substantia* non est aliena à *Temperamento* Gal. Quæritur etiam, An dentur morbi *formæ & materiæ* Fernelij! Non dantur. Superat autem res captum Instituendorum nostrorum. Qui tamen vult, abeat ad Pathologica nostra, initio facto à c. 37.

§. 3. *Morbus organicus*, quadruplex est. Alius enim est *in Conformatione*: alius in *Magnitudine* & paruitate: alius in *Numero*, vel aucto, vel imminuto: alius in *Situ*, seu, vt alij *positu* non naturali. Rursùs, quia Conformatio consistit in tribus, iam alius oritur in *Figurâ*, seu, si mauis, *Formâ* indecenti: alius in *Cauitatibus* vel clausis, vel nimiùm apertis: alius in *superficie* vel asperata vel læuigata. Ita enim loquor, vt intelligetur ex infrà dicendis.

§. 4. *Solutiones continui*, pro partium & causarum varietate, varia habent nomina, ἕλκος, τραῦμα, νῆγμα, ῥῆγμα, θλάσμα, σπάσμα, ἀπόσπασμα, ἄγμα, ἢ κάταγμα, &c. quorum explicatio ad Foësium spectat. Et hæ quidem differentiæ sunt essentiales simplices, quæ variis modis, cum inter se, tum cum aliis componuntur, copulantur, miscentur, quas tradere velle imperiti esset. Sequuntur differentiæ accidẽtales, quæ plurimæ sunt.

§. 5. Diui-

§. 5. Diuiduntur enim in *Priuatos* & *Communes*. Illos Græci vocant σποράδας ἢ σποραδικοὺς, & sunt ij, qui fundamentum habent in corporis vniuscuiusque constitutione natiua, ascititiáve, in victu tali vel tali, vnde hic laborat & moritur febri, ille dolore colico, & sic deinceps. An vocari etiam possunt ἰδιωτικοὶ? Ita ἰδιωτικῶς διάγειν apud Xenophontem, esset de communi aliquo, in quo alij aliter in valetudine se habent; quidam etiam moriuntur. Hos κοινοὺς, παγκοινοὺς, καὶ πανδήμους, vocant. Ita enim censeo cum Mass. Vide Mass. de Peste, fol. 8.

§. 6. Hi subdiuiduntur in ἐνδήμους, ἢ ἐνδημίους, ἐπιχωρίους, ἐντοπίους: καὶ ἐπιδημίους. Illi, regioni certæ, vrbíve proprij sunt, ideò *Patrij* vocantur, *Vernaculi*, *domestici*, *familiares*, *indigenæ*, v. g. Semitertiana Romæ ferè grassatur, quia omnibus anni temporibus, siue benè illa se habeant, siue malè, in quouis victu, sese ostendit. Hi in diuersis regionibus, certis anni temporibus, & à causa communi sæuiunt, dicunturque ab Interpr. *Vulgares*, seu *Populares*. Et de his sunt libri Epidem. Hipp.

§. 7. Hi ipsi iterum subdiuiduntur in *Epidemios* simpliciter dictos, & *Epidemios perniciosos*. Priorum idéa in eo consistit, vt multos quidem apprehendāt, paucioribus autē sint lethales. Talis erat catarrhus anni 1580. quē *Morbum arietis* vocabāt Itali. Talis est *Tertiana notha*, quæ iam vltra triennium in his regionibus sæuit. Posteriorum, vt plerísque fatales sint, vnde etiam *Pestilentes* dicuntur. Quo loco monendum est id, quod Mass. de Peste, f. 9. latè deducit, Pestem non esse nomen certi alicuius morbi, sed commune omnibus iis, quibus duo hæc accidunt, vt sint à causa communi, & plerosque omnes interficiant. Ita in obsidione Noribergensi anni 1632. publicè errabant febres bubonariæ, dysenteriæ, diarrhœæ, catarrhi. De febribus priuatim hoc tenendum est, Ab initio, antequàm contagiosæ fiāt, *Malignas* dici: cùm accedit contagium, *Pestilentes*: cùm multi etiam moriuntur, *Pestem*. Hinc fit, vt *febris pestilens* aliquando sit *sine peste*, quod pulcrè explicat laudatus modò Mass.

§. 8. Et *Sporadicis* & *Communibus* omnibus contingit esse vel εὐήθεις, *boni moris*, seu *benignos*, vel κακοήθεις, *mali moris*, seu *malignos*. Iisdem, ἐκ τῆς συναφείας φθοροποιοὺς, *Contagiosos* esse, & non esse.

§. 9. Quemadmodū sanitas quædam καθ' ἕξιν est, quædam κατὰ σχέσιν: ita morbus quoque. Illius essentia consistit in eo, vt δύσλυτος, *non facilè curabilis*, imò fortè nunquam: huius, vt εὔλυτος, *curabilis*. An vt sanitas καθ' ἕξιν vno verbo dici potest εὐεξία: ita morbus κατὰ σχέσιν καχεξία? In aliis licet: in Medicina non licet, cùm vox sit tradita vni & certo morbo.

§. 10. Morbi alij *breues* sunt, βραχυχρόνιοι, qui citò decurrunt quatuor sua tempora: alij *longi*, χρονικοὶ, qui per menses & annos durant.

§. 11. Breuium alij ὀξεῖς, *acuti* sunt: alij non sunt. Sunt autem *Acuti simpliciter* dicti, qui cū vehementissimis symptomatis ingruunt, ideò non sine periculo. Hi sunt, qui intra secundum septenariū, hoc est, diem 14. crisin sortiuntur. Hæc si imperfecta sit, iam dicuntur *Acuti* cū additione, ἐκ μεταπτώσεως, *ex degeneratione*, *seu decidentia*, & extenduntur ad sextū vsque

septenarium, hoc est, diem 40. Quo termino exacto, iam non amplius *Breues acuti* (sic enim appellem.) sunt, sed *Longi* seu *Chronici*. Rursus, *Acutorum simpliciter* dictorum, κατόξεις, *peracuti*, aut λίαν ὀξεῖς, *valdè acuti* vocantur, qui finiuntur intra primum septenarium. Quod tu intelligas ita, Qui vel intra paucas horas finem habent, vel intra biduum, triduum, & sic deinceps vsque ad 7. In hoc negotio mecum est solus Heurnius l.6.cap.2. procul dubio à Gal.rectiùs institutus.

§. 12. Morbi alij *Magni* sunt, seu *vehementes*, μεγάλοι, ἢ σφοδροὶ: alij *Parui*, μικροί. *Magnitudinem*, seu *Vehementiam* definiunt tria, 1. Si in propriâ essentiâ sit talis. 2. Si ratione loci affecti. 3. Si ratione moris, hoc est, si *Maligni* sint. Qui horum nihil habent, *Parui* sunt. Heic audebo audaciam inauditam, Morbi magni pertinent ad θεραπευτικὴν: parui ad ὑγιεινήν. Vide heic cap.2.§.1.

§. 13. Audebo verò aliam quoque, Morborum magnorum alij iam sunt, & pertinent itidem ad θεραπευτικὴν: alij futuri sunt, & pertinent ad ὑγιεινήν. Huic superaddam tertiam, Morbi iam facti sunt illi, quos appellat Gal. γεγενημένους, *in facto esse*: futuri, quos ἐν τῷ γίγνεσθαι, *in fieri*. Vbi tu ante omnia aduerte, *In facto esse* non pertinere heic ad morbum, quà morbus. De morbi enim essentiâ est habere factum quid, quo ipso contradistinguitur ἀπὸ τοῦ πάθους, vt dixi suprà cap.2. §.2. An ergo morbus futurus, seu fiens (non enim distinguo) est idem cum τῷ πάθει? Puto. Probo autem ita. *Habitum athleticum*, qui nihil aliud est, quàm *Plethora*, iubet Hipp. 1.Aph.3. soluere venæsectione, addita ratione hac Epilogisticâ, *Quia in melius tendere non potest, superest vt tendat in peius.* Potest verò addi & Analogistica, *Compertum fuit, pessimè quibusdam cessisse rem, qui distulerunt venæsectionem.* Et hoc est, quod Celso tribuitur, *Qui nitidiores solito sunt, suspecta debent habere bona sua.* Nisi enim præueniant, solet sanguis decũbere in partẽ aliquã principẽ, & vel subitò interficere, obortâ apoplexia, syncope cardiacâ, alio aliquo morbo subitaneo: vel causâ inflammatione partis alicuius principis, in vitæ periculum ducere. Confirmo id ampliùs ex 2. Aphor. 5. vbi dicitur, *Lassitudines spontaneæ morbos prænunciant.* Heic quis non agnoscit morbum futurum? Tamen monemur properare remediis, ne morbus fiat. Ergóne id, quod nondum est, indicat? Ita. Exemplum cape superius. Vbi vbi est plethora, succurrendum est. Laboret Socrates lassitudine spontaneâ, nec quidquam decedat alioquin ei in actionibus solitis: nisi tu venam seces, breui grauissimè laborabit. Cadat aliquis ex alto, etiamsi plethoricus non sit: tamen secabis venam, ne inflammatio in parte affectâ nimis increscat. Et hoc est argumentum Gal. contra illos, qui plethoram volebant esse adæquatum indicans venæsectionis. Ne fortè tergiuerseris, Inspiciamus Aphor.22. seq. vbi expressa mentio est morbi *fientis & facti*. Vtitur quidem Hipp. voce πλησμονῆς, quam *Repletionem* voco, vt ex opposito (vt & ex Aphor.17. præced. quin Gal.ipso) colligo, eandem esse cum *Plethorâ*: sed Gal. explicãs ait, Instituendam esse vacuationem

Heic quid sit de definitione Morbi? Est, & manet nominalis: Sed quomodo indicat, quod non est? Morbus nõ indicat, sed causa, vt iam dicam. Hæc enim est morbus ille facturus.

eo ipso tempore, quo morbus fit. Interim scio eundẽ Gal. 1. Loc. aff. 3. A. aliter describere morbũ fientẽ, quod videlicet ille sit, qui nondũ μόνιμον καταστάσιν habet. Ne hæsites, Aph. iam laudato F. secat venã plethorico, qui iã laborabat febri, intelligens de primo febris insultu, & subinfert rationẽ Analogisticam, modò à me tactã. An exculpare licet Gal. & ab inconstantiâ liberare? Loquens enim 2. Nat. hum. 1. C. de hoc negotio, cautè agit, Curationem indicare non solùm morbos factos, sed & causas morbificas. A quo sensu cùm excidat Interpr. mirum non est difficultates seri. Ita 2. Aph. 22. A. expressè distinguit causas à morbis, & ait, *Tam causam, quàm morbum indicare vacuationem.* Quod vt clarius euadat, ita iam corrigo locum, à variis tactum, vt est in Notis, ibid. οὐ μόνον τὸ γεγενημένον ὑπὸ πλησμονῆς, εἴπ μένει αὐτῆς, τοῦτο ἰᾶσθαι, κένωσις· ἀλλ᾽ ὅσα κατ᾽ αὐτὸν χρόνον, ᾧ ἐπιχειροῦμεν ἰᾶσθαι, γίνεται, κενώσεως δεῖται. *Non solùm, quod iam à plethora (πλήθει) factum est, si quid iam μόνιμον est, vacuatione opus habet: sed quæcunque superueniunt eo ipso tempore, quo curationem instituimus.* Quæ verò sunt illa? Quæ Aph. 17. F. dicuntur, grauitas corporis, tumor eiusdem, rubor, & alia plethoræ signa. Cacochymiæ eadem est ratio. Hinc erudiri possunt nostri, non morbum tantùm indicare, sed & causam, &c. Hoc expressè dicit Gal. 1. Loc. aff. 3. A. *Et à morbis factis, licèt* τὸ μόνιμον *nondum habeant, petenda esse signa: & à causis, quæ in loco affecto sunt,* τὰ διόδῳ μόνον αὐτοῦ χρώμενα, vti loquitur. Et hæc est sententia Ant. Mariæ Betti, apud I. B. Pellegrinum, f. 34. b. quanquam refutet illam ille Pellegrinus, verbis Fr. Angeli, editoris. Mihi nunc absurdi nihil est, *Morbum fientem esse morbum,* quamuis reuerà πάθος sit, adeóque definitionem Gal. quamuis nominalem tantùm, pertinere ad solam Therapeuticam. Quo enim modo aliàs defendemus Gal. qui præseruationis gratiâ venam secat, &c. Si enim ὁ ὑγιεινὸς hoc facit, quas habet indicationes? an ab eo, quod nondum est? Non sumitur à morbo, sed à causa. Hinc sunt præseruationes omnes.

§. 14. Morbi alij sunt per συμπάθειαν, *per consensum*: alij per ἰδιοπάθειαν, *per essentiam.* Alij malunt per πρωτοπάθειαν & δευτεροπάθειαν, quem loquendi modum improbat Gal. 1. Loc. aff 3. A.

§. 15. Alij sunt exquisiti, seu legitimi: alij spurij seu nothi.

§. 16. Alij continui sunt: alij paroxysmos habent. Præter hæc discrimina sunt alia, quæ vel ab ætate sumuntur, vel à subiecto, à cognitione facili vel difficili, à frequentiâ & raritate; item, quòd alij *natiui* sunt, σύντροφοι, alij non sunt; alij veteres & priscis cogniti, alij noui, & certo tempore exorti: quorum meminisse satis sit.

ABERRATIONES.

§. 17. Fuchsius, quod ad *Sanitatem*, partim in defectu peccat, partim in excessu. *In illo*, cùm triplicis corporis nostri

nostri constitutionis ne meminit quidem, licet l. 3. s. 1. c. 4. fundamẽti loco habeat trium morbi generum. *In hoc*, quòd l. 1. s. 1. c. 3. producit λεπτολογίας Herophiléas de corpore neutro, & aliis, quæ nullum in arte vsum habent. Accusandus verò vel ideò grauiùs est, quod agnoscit, Galenum, repudiato *statu* illo *neutro*, acceptâsse *sanitatis latitudinem*: Hac in re ad Com. se refert in l. de Diff. morb. 4. vbi paucis se absoluit, & tamen de *statu neutro* Herophili agit.

§18. In morborum differentiis l. 3. s. 1. cap. 4. pariter peccat, quòd fundamentum triplicis morbi non habet, triplicem, inquam, compositionem. Peccat in eo quoque, quòd, propositis eod. cap. differentiis, non ritè separat illas ab accidentalibus, quæ in seq. exponuntur. Quæ de *Acutis* habet multa & intricata, non sunt consona doctrinæ veterum, vt patebit conferenti. Inprimis reiicienda est subdiuisio τῶν κατοξέων, & ridendi *Perperacuti* illi. An vitium est in illo 1. Aph. 7. & pro περὶ τὴν πρώτην τετράδα, leg. est περὶ τὴν πρ. ἑβδομάδα? Certum enim est, mensem Medicum ire per septenarios. An errauit in iisdem Interp. quoque, cùm τὸ ἐξώτερον vertit, *Paulò vlterius*? Siue, vt Foës. habet, *vel paulò pòst*? Ne enim fiat confusio septenariorum, quod vltra primum septenarium est, iam pertinet ad secundum. Vertam igitur, *Aut paulò citiùs*. Hanc explicationem si non tolerat τὸ ἐξώτερον (puto autem tolerare) legam πρότερον. Vtrumque probo ex 3. Progn. 10. D. Ait enim ibi, τὸ κάτοξυ νόσημα non debere ἐξωτέρω τῶν ζ ἡμέρας ἰέναι, *Morbum peracutum non debere se extendere vltra 7. diem*. Eodem in loco quia τῷ ἐξώτερον substituiur τὸ πρωϊαίτερον, *maturiùs*, habeo rem factam.

§. 19. Sennertus l. 1. cap. 3. in *Sanitate* miserè fallitur. Hanc in rem repeto nunc vnicum illum locum, ex 1. Meth. 7. C. *Non oportet in alio genere collocare sanitatem, in alio morbum: Contraria enim sunt, &c.* Non minùs fallitur in essentiali & accidentali partium constitutione. Quod ad *essentialem*, quam ego accipio de actu primo, cur non explicat triplicem partium constitutionem, à nobis expositam, è qua triplex morbus? Quod ad *accidentalem*, ausítne dicere actus secundos esse accidentia? Visio v. g. accidítne

ditne oculo? Imò est perfectio ipsius, adeóque ἐπουσιώδης τι. Quàm puerile verò illud est, *Similaribus competere quædam, vt organicæ sunt*? Ignorat distinctionem similarium in eas, quæ & sunt, & dicuntur: & eas, quæ dicuntur tantùm. Sed parco. Redi ad l.2.c.10.§.6.

§. 20. Idem l.2. s. 1. cap. 11. in morbis componendis, connectendis, implicandis, separandis, &c. nimis diligens est. In *fientibus* falli illum, ex superioribus patere potest. Vtvt enim videatur variare Gal. tamen reuerâ illi sunt, qui nondum sunt, sed erunt, nisi præcaueantur. Ita *facti* sunt, qui μόνιμοι sunt, siue à causâ etiamnum pendeant, siue non. In iisdem peccat, cùm confundit cum *scheticis* & *hecticis*. Vt enim dixi, *Illi* sunt, qui adhuc mobiles sunt, & spem salutis non adimunt: *Hi*, qui iam immobiles, vno verbo, incurabiles sunt. Vide Foësium in σχέσις καὶ ἕξις. Vnde mihi hoc dubium nascitur, An Gal. vnquam instituerit hanc morborum differentiam? Interim sine violentiâ extundi posse ex 1. Loc. aff. 2. A. non me latet. Pertinet autem ad πρόγνωσιν. Cæterùm, cùm Sennertus τὸ μονίμον idem facit cum τῷ ἑκτικῷ, perspicuè fallitur. Fallitur etiam, cùm in morbis per consensum requirit proprium affectum partis illius, quæ per consensum laborat. Fit id quidem tandem: sed ab initio non est.

§. 21. Liddelius l.3. cap.1. rectè orditur doctrinam de morbis à distinctione differentiarum in essentiales & accidentales; rectè etiam essentiales seu specificas collocat in triplici corporis constitutione: sed peccat, quòd eandem non satis accuratè distinguit à sanitate. Rectè etiam, quòd & sanitatem & morbum definit, vt *Vocabula ab vno*: non rectè, partim, quòd temperiem & intemperiem tribuit etiam dissimilaribus, partim, quòd actiones vult initium capere à similaribus, perfici à dissimilaribus. Displicet etiam illud, *Quatenus similares*. Incidit enim in ignorantiam Sennerti, de quâ dixi. In magnitudine & paruitate nimis fusus est: interim omittit *Malignitatem*.

§. 22. Heurnius l. 6. c.2. in morbis per consensum mirificè delitiatur. Legat, qui volet. Idem c.3. magnitudinis

tribus causis addit quartam, quam non capio. Et hæc de Sanitatis & Morbi essentia.



CAPVT VI.

Sanitatis & Morbi causæ.

§. 1. AITIA, ἡ, & αἴτιον, τὸ, *Causa*, in Medicina est *id, quod partem effectus alicuius sibi deposcit.* Apud Gal.sæpè per excellentiam *Efficiens* habet id nomen. Hinc τὸ αἰτιώτατον est illud, quod maximam effectus partem penes se habet. Huic æquipollet aliquando apud Hipp. teste Gal.1.in 1.Epid.10.ἡ πρόφασις:aliquando strictiùs sumitur pro *causa manifesta* tantùm, ea, inquam, quam remouere debet Medicus, antequam ad veræ causæ indagationem procedat: aliquando, vt vulgus, pro *Prætextu.* Cum sumitur in secunda significatione, ferè additur τὸ φανερὰ, ἢ τὸ ἐμφανὴς, ἢ τὸ μικρὰ, *Manifesta, euidens, leuis*, cui opponitur τὸ ἰσχυρὴ, *Fortis, vehemens, grauis.* Vide Foes. ἡ ἀφορμὴ, *occasio*, aliquando est idem cum προφάσει. Vide eundem.

§. 2. Cæterùm, nisi à proposito nostro declinare voluerimus, non minùs de *Sanitate* heic cogitandum fuerit, quàm de *Morbo.* Vt enim rectè Lidd.4.Instit.2. *Quia contrariorum contraria sunt efficientes, causæ morborum contrariæ erunt causis sanitatis, & vice versa, atque ita ex se mutuò cognoscentur.* Venustè quoque idem ibid. *Definitionem morbi* (accipio ego de demonstratione Medica, quæ positu terminorum differt à definitione) *aut sanitatis ei oppositæ* (hoc enim addere oportet) tum fore perfectam, *si fiat per causam propriam, quæ restringat affectum ad suum subiectum, & immediatè sequentia symptomata explicet.* Hoc si exspectes à definitione Gal. post multas molitiones tandem deceptum te animaduertes, quod Comiti Montano, Pacio, I. Alexandrino, aliisque abundè accidisse dixeris.

§. 3. Huius, siue definitionis, siue demonstrationis, quæcunque futura ea est, initium erit hoc, *Omnis causa aut per se agit, aut per accidens:* Huius causæ notio quia incomprehensibilis, non potest etiam de illa agi. Relinquitur ergo causa per se, quæ quadruplex est apud Arist. *Efficiens, finis, materia, & forma.* Huius consequens est, vt dispiciat definitor ille, sitne eadem ratio causarum in sanitatis negotio & morbo? Non est. Vt enim sanus sit homo, oportet concurrant omnes quatuor causæ: vt morbo laboret, sufficit sola *Efficiens.* Hoc probo. *Finem* quis quærat heic? in morbo, inquam, qui p.n.est? Finis enim cùm habeat rationem boni, quod illud erit in priuatione boni, *Sanitatis*? *Formam*, cùm sit θεῖόν τι apud Arist. quomodo quis societ cum eo, quod θεῖον illud destruit? De

Quatenus hoc verum sit, vide c.8. §.9.

Materia lites sunt, quas tollo hac distinctione. *Materia* est duplex, *Ex quâ*, & *In quâ*. De illa ausitne cogitare quis, cum *Morbus sit accidens*? Hanc si quis obtruserit nobis, dicetur illi, nisi prior ipse confessus fuerit, non differre à *Subiecto*, homine seu partibus hominis. Hoc verò quid causat, agitve? Imò est passiuum, quatenus scilicet morbosum est. Restat igitur *Efficiens*, quam Gal. cum Platone suo *Causam simpliciter* vocare solet.

§. 4. Sed quid tu hoc loco de definitione? Vt moneam, Et sanitatem & morbum esse *vocabula ab vno*, seu *Æquiuoca*, nec posse sperari vllam definitionem, quippe quæ *Vniuocorum* est. Cur verò idipsum heic? Vt dicam, Morbi non posse esse aliam, quàm *Causalem* definitionem, & quidem à sola *Efficiente*. Hæc quotuplex sit, si rectè determinatũ sit, structa iam est definitio. Hac in re subitò se ostendunt magnæ tenebræ, quas breuiter stringam.

§. 5. Vetus est distinctio, ab Athenæo profecta, 2. Nat. hum. 1. C. Caussarum morbificarum aliæ sunt προκαταρκτικαὶ ἢ προκατάρχουσαι, *præincipientes*, seu, vt vulgus Medicorum nostrorum, *primitiuæ*: aliæ προηγούμεναι *prægressæ*, seu *antecedentes*. Hæ appellationes cum obscuriores essent, siue primus Gal. id fecerit, siue alij ante ipsum, priores quidem dictæ sunt *Externæ*; posteriores autẽ *Internæ*. Si vis legere apud Gal. hem tibi loca, 1. san. tu. 4. A. 2. Nat. hum. 1 C. 1. Meth. 8. D. 1. Caus. puls. 1. C. 3. Præs. puls. 7. extr. Verùm, heic subitò ingens cuneus est, si *causæ externæ* sunt illæ, quæ dictæ sunt, quei potest Gal. dicere, Vigilias, mœrorem, iram febres accendere, tanquam causas procatarcticas? sunt enim intra nos? Non longè abiero: satisfacit enim Illust. Sennertus l. 2. p. 2. c. 1. Non rectè (vult dicere) vel αἱ προκαταρκτικαὶ dicuntur *Externæ*, vel αἱ προηγούμεναι *Internæ*. Cur? Non eodem respectu sunt causæ. Αἱ προκαταρκτικαὶ non dicuntur causæ respectu corporis, extra vel intra quod sint: sed respectu morbi, quẽ si excitent è longinquo (ita ego loquar) excitatis τ̃ προηγουμέναις, satis est, nec refert vbi sint, extra vel intra corpus. Αἱ προηγούμεναι contrà, non dicuntur causæ, respectu morbi, sed corporis, quod si ita affectum sit, vt τῶν προκαταρκτικῶν impetum frangere non possit, satis est, siue intra, siue extra corpus sint.

§. 6. Ex his intelligit (credo) quiuis, Quæ sint *Causæ remotæ*, quæ *propinquæ*? *Propinquæ*, προσεχεῖς ἢ συνεχεῖς, ἢ συνεκτικαὶ, *Continuæ*, *Coniunctæ*, *Continentes*, sunt illæ ipsæ προηγούμεναι, *Antecedentes* dictæ: *Remotæ*, magis minùs, sunt αἱ προκαταρκτικαὶ, *Præincipientes*. Hui, dicet aliquis, audebisne tu hoc? Audebo, dicámque denuò, *Causa coniuncta* vulgi nostri, nihil aliud est, quàm προσεχὴς ἢ συνεχὴς Gal. *Causa continens* eiusdem vulgi est συνεκτικὴ Gal. cùm ex aliena, non ex propria sententia loquitur. Eadem ratio est, cum res, quæ sunt in fieri, pendere ait à causis continentibus. Hoc qui latè deductum velit, adeat Pathol. nostra, c. 24. & seq. Vt concludendum sit, Cum nihil peccatur in sex rebus nonnaturalibus dictis, *Sanitas* est: cum peccatur, *Morbus*. Id ipsum latiùs explicare oportet.

ABERRATIONES.

§. 7. A Fuchs. l. 3. s. 1. c. 2. ante omnia velim audire, quid sibi velint ista, *Primitiuam* (τὴν προηγουμένην) *ita esse vocatā, quod Præcedēs* (ἡ προκαταρκτική) *ab ea fiat, & originē trahat*? Quo enim modo illa gignere potest hanc? Ita est, verba sunt Gal. in illo 2. Nat. hum. sed sine sensu. Ideò cogitandum nobis fuerit de vitio loci. Ita ergò succurro Gal. ἐφ' ᾧ δ' πάλιν αὐτὰ ταῦτα τὰ προηγούμενα γίνεται αἴτια νόσων, ὅταν ἐμπέσῃ αὐτοῖς τὰ προκαταρκτικά τε καὶ προκατάρχοντα καλεσάμενα. Dixerat, *Curatio igitur debetur etiam causis morbificis, non solùm morbis iam factis. Has causas* (addit) *si quis proprio nomine vocare velit, appellarit cum Athenæo* προηγουμένας. His rectâ cum ratione subiicit. *Viciſsim hæ ipsæ* προηγούμεναι *fiunt causæ morborum, cum incurrerint in illas,* (*siue intra siue extra corpus*) *causæ* προκαταρκτικαί. His tandem subiici possunt illa, *Ciborum enim copia, cruditates, exercitia non suo tempore obita, &c. producunt causas morborum antecedentes.*

§. 8. Excusatio Gal. quam Fuchs. meditatur pro causis *internis* & *externis*, locum non habet. Proinde substituere oportet Sennerti illam, aut si quis prior illo inuenit. Contrà, expositio illa, quod hæ προηγούμεναι sint eædem cum τῷ προσεχεῖ τε καὶ συνεχεῖ, *quas Coniunctas* vocant, planè acceptanda est. Planissimè item & apertissimè disputat contra *Continentem Stoicam* (quam alij rebus fientibus tantùm applicant) hoc solo demto, quod res sit altioris indaginis, quàm Instituendis conuenit. Quod addit de *Causa sine qua non*, quam *Concausam* seu *Adiutricem* appellitat, ita est accipiendum. Arist. nos docuit, sicubi illa est, accidentibus accensere oportet. Dictum putà, tam iis, sine quibus non fit, quàm iis, cum quibus meliùs fit, vt suprà locutus sum.

Vide Pathol. cap. 54. E.

§. 9. In Sennerto l. 2. part. 2. cap. 1. κεῖσιν desidero, qui Argenterij somnia huc intruserit. Eiusdem distinctio causarum in *principales* & *instrumentarias*, parum vtilitatis habet. Cupio autem scire, *Internum*, an *externum* instrumentum

mentum velit? *Internum*, quod est *Materia in quâ*, seu *subiectum*, quomodo habere possit rationem causandi seu agendi, cum habeat rationem patiendi, quatenus morbosum est, vt nuper locutus sum? *Externum*, v.g. Milonis gladius, quomodo facit huc? Imò facit, dices, lædit actionem partis vulneratæ. Dico ego, Est causa προηγουμένη, *proxima & immediata*. Quid enim inter gladium & vulnus est? Huic sententiæ adstipulatur definitio τῆς προηγουμένης. Corpus enim nostrum adamantinum non est. Locus Arist. 2. Phys. t. 29. prorsus huc non facit. Est enim de fine, & iis, quæ ad finem. At finis, consentiente Sennerto quoque, locum heic non habet. *Causam sine qua non* quatenus recipere oporteat, docebit ipsus l. 3. quà de diff. sympt. f. 272.

§. 10. Ad *causas morbificas* vbi ventum est, non minùs obstupesco, quàm ad Medusæ conspectum. Quorsum enim duplex illa consideratio? Si *Causas* ad sanitatem & morbum, tanquam causata & effectus, relata vult, quorsum tendit consideratio absoluta, quæ Physica est, quam qui amplectitur heic, transcendit de genere in genus? Et alioqui, relatione institutâ, cur seorsim ponere vult relationem ipsam, seorsim fundamentum? Et hæc quidem vna est stuporis mei causa: altera, quod subitò quidem diuidit causas suas in proximas & remotas: remotas autem subdiuidit in προκαταρκτικὰς & προηγουμένας. Ego enim ita institutus sum, non esse hanc geminam diuisionem, sed vti dixi, *Proximas* esse easdem cum τῶν προηγουμέναις: *remotas* cum τῶν προκαταρκτικαῖς. Nec quidquam refert, quod allinit τὰς συνεκτικάς. Cùm enim facit Gal. longè alio consilio facit, & non ex propriâ sententiâ, vt dixi in Patholog. laud.

§. 11. Sed eamus cominùs. Rectè ille, cùm (vt suprà dictum est mihi) causas *Antecedentes* definit potentiâ efficiendi: at minùs rectè, cùm in *plethorâ* & *cacochymiâ* tantùm admittit. Idem enim est ac si dicerem, *Causas antecedentes in soloesse morbo futuro*, adeóque τὸ ὑγιεινὸν tantùm de illis præcipere. Sequetur hoc etiam absurdi, dictos duos affectus, pertinere ad partes quoque corporis, non autem ad habitum tantùm, quod Fuchsius rectè docet. Quâ in re si quis

restitare volet, ille respondeat mihi ad hoc, Fiat aliquis pleuriticus ex descensu humorum ex cerebro: annon humor ille est causa antecedens? Atqui per te, ô Sennerte, causa antecedens non nisi in *plethora* est & *cacochymia*, quarum neutra heic præsupponitur! Vulneretur aliquis, & accedat inflammatio, fuitne hic necessariò vel *plethoricus*, vel *cacochymicus*? In summâ, poterat fieri syllabus morborum ingens, in quibus causa antecedens vel *plethora* vel *cacochymia* non est. Imò verò, si Veritatem amamus, nullus morbus à causâ procatarcticâ cieri potest, nisi corpus inueniat dispositum, quamuis vel *plethoræ* vel *cacochymiæ* nec vola, nec vestigium.

Vide c. seq. §. 6.

§. 12. Crassissimus igitur hic error est: non minùs crassus (non Sennerti, sed aliorum) est ille, quem subitò taxat, *Causam antecedentem coincidere cum interna seu abdita.* Quia, vt rectè loquitur, Antecedens dicitur respectu morbi, siue is internus sit, siue externus. Hinc Milonis gladius est causa antecedens, quantumuis extrà sit. Hoc verò minus rectè Noster, quòd contradistinguit *Antecedentem* & *Coniunctam.* Nam ἡ προηγουμένη est eadem cum τῇ προσεχεῖ ἢ συνεχεῖ. Cum hac concurrit ἡ συνεκτικὴ, vel ipso vocabulo ἔχω volente, 1. Caus. sympt. 5. C. vbi (vt & etiam alibi) est τὸ ὅτι. Propterea dico apertâ fronte, *Omnis causa continens est coniuncta*, & *Omnis causa coniuncta est continens*, & *Tam continens, quàm coniuncta nihil aliud est, quàm Antecedens.*

§. 13. In *Continente* priuatim miracula facit Sennertus, vt omnes ij, qui fouent & tollunt hoc monstrum. Postquam disertè asseruit, ex numero *Efficientium* esse, mox distinguens, *Non esse in omnibus morbis*, ait, *sed in fientibus tantùm.* Cui si negem, veram esse descriptionem fientium, quam affert ipsus, & dicam, hac ratione ne quidē futurum, cum morbus fiens nondum sit morbus: quid faciet? Sed inueniat rimam: Si est efficiens, quomodo quadrant exempla duo de *Inflammatione* & *obstructione*? Sanguis nimirum & humores pertinent ad fundamētum morbi, quod ipsum quam habet rationem efficiendi, cum ad materiam spectet? Hoc fatetur ipsemet paulò pòst, cùm ait, *Continentem reperiri*

riti in omnibus morbis, qui cum materia coniuncti sunt, & ab ea fouentur. Vbi quæro, An tales morbi dici possint fientes? præsertim, si de naturâ huius causæ est, tamdiu durare, quamdiu materia ibi stagnat? Certè, *durare* est factorum, & non fientium. Vno verbo, Sanguis & humores in duplici hoc casu, non sunt ampliùs causæ, quia non causantur: sed sunt effectus, & fundamentum huius *δυσκρασίας*, sunt pars morbi iam facti. Propterea totum hoc iam fit lis de nomine, vt eruditè inter alios ostendit Langius 1. Epist. 15. At Gal. agnouit etiam hanc causam? Iam dixi obiter, quatenus agnouerit: tota autem res pertinet aliò. Quæ affert pro defensione Gal. friuola sunt. Non meminit: quia sciebat non esse in rerum naturâ.

§. 14. Eia, inquit, tu confundis causam *antecedentem* cum *continente*, adeóque simpliciter dicis esse eadem, quæ aliquo modo tantùm sunt. Quo verò modo, inquam ego, ô bone? Sanguis ad inflammatã partem ruens est causa antecedens: sanguis parti impactus est continens. Non possum abstinere à risu! Tu continentem fientium esse dixeras: at iam factorum esse concedis. Quin tua verba hæc sunt, *Continentes causæ sunt, non tam quibus res fiunt, quàm quibus exsistunt.* Et hoc quantum abest à contradictione?

§. 15. Quod contra Fuchsium ait, *Sumere illum pro confesso id, quod in quæstione est*, infirmi est iudicij. Rursus enim à morbis fientibus transilit ad factos, in quibus causâ fouente opus non est. Infirmioris, cùm rerum permanentium duo constituit genera. Id enim quod ait fouere, non habet rationem causæ, sed effectus. Infirmissimi, quòd causam continentem commendat, *Facilè curari morbos illos, qui habent: non facilè, qui non habent.* Contrarium enim verius est. Obstructiones v. g. quæ habent profundè impactos humores, súntne curatu faciles? Vt non possim non condolere bono viro, qui heic nimis quàm homo fuerit? Quid dico autem? Condoleamus adolescentibus, qui tam miserè decipiuntur!

§. 16. Ad extremum, cùm meminit duplicis causarum distinctionis, In causas per se, & per accidens, In positiuas

ſitiuas & priuatiuas: iterum homo eſt. Quod ad illas, laternam geſtat à tergo. Quod ad has, fruſtrà nobis moleſtus eſt. Quid enim plura dicam? Vide cap. 8. §. 9.

§. 17. Liddelij inſtitutum probo, quatenus l. 3. cap. 2. de cauſis in genere prælibare vult quædam: non probo, quatenus præſcribit Morbos, quibus in ipsâ tractatione *Sanitatem* iungit. Probo etiam, quod, propoſitis ex Ariſtot. quatuor cauſarum generibus, excuſare tentat Gal. qui plura ponit: ſed doleo, quod finem ſuum non aſſequatur. Videtur aliquid dicere, cum diſtinguit finem internum, qui ſit ὁ σκοπὸς Galat. ab externo, qui ſit ἡ χρεῖα: ſed, quod prouerbium habet, ſub cultro nos relinquit, cum non dicit, cur *formam* omiſerit? cur *inſtrumentum* addiderit? quæ ſit cauſa illa, quam καθ' ὃ vocat? Abi ad l. 6. c. 12. Com. de Vſ. part. In ſpecie cupio hoc doceri, *ſi partes viuentes tantùm ſunt ſubiectum morbi, quei dicere poſſit in veſtigio, Humor materia morbi non eſt, ſed efficiens propriè*! Eſt materia in quâ, non minùs quàm partes ſolidæ. Si hoc, quomodo efficiens? & quidem propriè.

§. 18. Verum eſt, quod ait, Medicinam agere de ſolis cauſis efficientibus. Inprimis ſi hoc *Præcipuè* rectè intelligatur. Puto autem hoc velle, quatenus *Materia in qua* non eſt cauſa, ſi propriè loquaris. Quæ verò de tribus efficientium conditionibus ſubinfert, ſubtiliora ſunt, quàm Medicus requirat.

§. 19. In diuiſione cauſarum efficientium deficit, quod procatarcticas omnes vult vocare *Euidētes* & *Externas*. Nec quidquam valent rationes ipſius. Deficit in hoc quoque, cùm euidentium ſeu procatarcticarum illas, quæ pendent à ſex rebus non-naturalibus, tribuit τῷ ὑγιεινῷ tantùm, quaſi ὁ θεραπευτὴς non æquè vtatur illis! Quæ cauſa eſt, cur in Therapeuticis iterum inculcet. Proh pudor!

§. 20. Quid obiici poſſit ſubdiuiſioni *Internarum* in προηγουμένας καὶ συνεκτικάς, ex ſuperioribus patere poteſt. Vnum hoc repeto ex Patholog. citat. *Cauſam continentem* de Gal. mente non dari. Quin Lidd. ipſe prodit rem, & ad caſtra aduerſaria fit profugus, cùm bis concedit, *Eſſe partem eſſentiæ morbi*

morbi. Si pars est rei constitutæ, quomodo causa esse potest essentiæ constituendæ? Vnde cadit illud quoque, continentem quandam esse antecedentem, illam videlicet, quæ cum morbo manet. Quod manet, quod iam à causa contradistinguitur, Effectus, vno verbo, non amplius est causa. Quo quid clarius?

§. 21. Heurnius l.7.cap.1. recensitis quatuor causarum generibus: *Nos*, inquit, *efficientem propiùs persequemur: nam illa propriè corpus immutat.* Quid est obscuritates sectari, si hoc non est? quid sunt illa *Propiùs* & *Propriè*? Agítne Medicus de aliis etiam causis? éstne præter efficientem alia, ὅθεν ἡ κίνησις? Sed sit res plana: Estne res tam certa, vt ille putat, *Externas*, cum Procatarcticis esse easdem? *Internas* cum Proëgumenis? Vnde verò est distinctio illa, Liddelio etiam accepta, Internas diuidi in Antecedentes & Continentes? Quin, vnde est illud, Antecedentes esse in humoribus (ita enim loqui debebat, si lucem amâsset) quatenus in vasis sunt: continentes in iisdem, postquam vasis exciderunt? Quorsum verò assuitur vetus illa distinctio, in ea, quæ assumuntur, &c. quibus sex res non-naturales postea ad latus ponuntur? Quin satis est, si sex illæ res ordine explicentur, non tamen hoc loco. Reliqua non attingo.

§. 22. De Horstio disp.6. hoc solùm moneo, stabilire illum §. 10. causam continentem ex Gal. cuius loca procul dubio non aspexit, aut certè oculo sinistro. Videat Patholog. nostra, c.24.



CAPVT VII.

Quot modis Sanitas quidem conseruetur, Morbus autem generetur?

§. 1. ACcipio heic, quod omnibus in confesso est, *Sanitatem quidem, adeòque vitam tamdiu constare, quamdiu benè nutrimur:*

Morbum autem ingruere, mortémque instare, cùm vel malè nutrimur, vel prorsùs non nutrimur. Rursùs, accipio hoc quoque, *Nutritionis materiam esse sanguinem*, (non quatuor humores alimentarios vulgò iactatos) *pro cuius bonitate vel malitia, nutritio vel melior fiat, vel deterior. Et hinc esse sanitatis latitudinem illam*, de quâ dictum est. Qui enim sanguine vtuntur optimo (si cætera respondeant) sanitate fruuntur καθ' ἕξιν dicta, quæ vno verbo εὐεξία appellatur. Is vel temperatus est, vel certo gradu calidus, humidúsque. Qui sanguinem habent deteriorem, sanitate sunt κατὰ σχέσιν dicta, eáque rursùs multiplici. Aut enim declinat sanguis in vnâ qualitate tantùm, v. g. caliditate, & nomine caret: aut in duabus, caliditate & siccitate, & sic de cæteris tribus combinationibus, & dicitur, vel sanguis simpliciter, vel cum additione, biliosus, melancholicus, pituitosus, serosus. In his consistunt nouem temperamenta suprà descripta, cum quibus omnibus sanitas esse potest, nisi excessus sit nimius: at verò si valdè intendantur, verisimiliter morbus metuitur.

§. 2 Quæris, Vnde est tam insignis varietas? Vel à natiuitate, vel ab vsu sex rerum non-naturalium dictarum. Qui sanitate fruuntur natiuâ, de illis dicitur, *Gaudeant benè nati*: qui coguntur obseruare præcepta sanitatis, hi dicunt, *Vt quimus*. Et de his est dicterium illud, *Medicè viuere esse pessimè viuere*. Et hæc est latitudo sanitatis, in quibus totum corpus, seu omnes partes æqualiter sunt temperatæ: non minor, imò maior est in iis, quorum partes inæqualiter sunt temperatæ, v.g. ventriculus frigidus, hepar calidum, & sic de cæteris. Horum vt est infinitus numerus: ita illorum vix totidem, quot

Thebarum portæ, seu diuitis ostia Nili.

Omnes & singuli provt vel rectè vtuntur sex rebus non-naturalibus, vel malè: ita sanguinem gignunt meliorem, deteriorem. Res illæ sunt, *Aër*: *Cibus & potus*: *Somnus & vigiliæ*: *Motus & quies*: *Excreta & retenta*: *Affectus* seu *perturbationes animi*.

§. 3. Quo loco notandum est, Rerum, quæ nos alterant, duos esse ordines. Aut enim necessariò id faciunt, aut non necessariò. Quæ numeratæ sunt sex res, necessariò & ineuitabiliter mutant corpora nostra, nec quisquam est, qui carere illis possit. Quare, si quis benè natus sit, & contingat illi genus vitæ tale, in quo spontis suæ sit, vt Celsus loquitur, & prudentia locum habeat: ille diutissimè viuet & sanus. Contrà si malè natus sit, in quocunque vitæ genere sit, oportet à primâ statim iuuentute obseruet, quid prosit aut obsit sibi, modò velit diu superesse rebus suis. Et hi sunt illi, qui inuertere possunt illud, *Medicè viuere esse optimè viuere*. Quicunque autē quocunque modo malè natus, gulæ, venerique indulget, de illo verum est alterum dicterium, *Qui viuit vt vult, curatur vt potest*. In triplici hoc hominum ordine regnant sex illæ *Res non-naturales* dictæ, ideò quòd medio loco sitæ sint inter *Res s. n.* quas Physiologia tractat: & *Res p. n* quas Pathologia. Has profitetur & ὑγιεινὴ & θεραπευτική, instituendo vnicuique

Victum

Victum, vt loquimur, qui indiuiduo illi idoneus sit. Et hæc sunt illa, quæ necessariò nos alterant, & nisi secundùm naturam eant, perniciem nobis minantur: his opponuntur, quæ fortuitò nos afficiunt, quorum pleraque prudentiâ auertere possumus, verùm nullâ methodo comprehensa sunt, neque verò comprehendi possunt, v.g. ne quis vulneretur, aut occidatur, ne venenum capiat, ne cadat ex alto, ne periclitetur in aquis, à carnifice, &c.

§. 4. Iam, quæ differentia est (oportet enim ad specialia venire) inter nouem dicta temperamenta, vt vnum ex illis sit *Æquale* seu *Temperatum*, reliqua omnia *Inæqualia* seu *Intemperata*: ea differentia est inter duas primas Naturæ aberrationes. Si enim contingat hominem *Temperatum* gignere plus sanguinis quàm indiuiduo conueniat, dicitur affectus πλῆθος, ἢ πληθώρα, *multitudo*, seu *plenitudo*. Et fit duobus modis, vt aiunt, Aut πρὸς ἀγγεῖα, *ad vasa*, cùm sanguis in tantâ copiâ est, vt venæ & arteriæ continendo illi non sufficiant. Et hanc quidam vocant *Plethoram* κατ' ἐξοχὴν. Hac enim voce Erasistrateâ vtar. Aut πρὸς δύναμιν, ἢ ἰσχὺν, *ad vires*, cum plus sanguinis adest, quàm Natura subiecti ferre possit. Ego enim nonnisi priorem accepto, hac motus ratione, *Vbi facultas debilis est, non potest generari plus sanguinis, quàm par erat.* Substituo igitur aliam: Aut enim consistit in puro sanguine, meróque, qui certos illos caliditatis, humiditatísque terminos non excedit, & dicitur *Plethora simpliciter.* Aut leuiter declinat versus bilem, pituitam, melancholiam, & dicitur cum additione, *Plethora biliosa, pituitosa, melancholica.* Hæc quidem doctrina est Gal. 2. κ. τόπ. 1. H. de Pleth. 11. D. explicat autem 2. Aph. 17. exemplo aceti. Quemadmodum (vult dicere) vinum, quod vappescit, non dicitur acetum, quamdiu in eo statu est, vt ad naturam suam redire possit; dicitur verò acetum, cùm iam corruptum est: ita sanguis dicitur facere *Plethoram*, quamdiu talis est, vt sanitas indiuidui constet. At verò cùm eò peruenit, vt febricitet aliquis, iam non *Plethora*, sed *Cacochymia* est. Hinc iam discere possunt Medici nostrâtes, quid apud Gal. reuera κακοχυμία sit, non, inquam, semper simplex quædam qualitatum mutatio, sed & *Totius substantiæ* (vt Gal. loqui solet) corruptio. Quamobrem, alicubi quidem contentus est voce κακοχυμίας, cùm (vti reor) res illi est cum morbis εὐήθεσι, *benignis*: alicubi mutet in διαφθορὰν, 3. Meth. 2. aut σηπεδόνα, *corruptionem*, *putredinem*, cùm agit de morbis κακοήθεσι, *malignis*. Hinc intelligunt boni, quatenus Fuchsio concedi possit (sunt enim qui in vniuersum damnent) κακοχυμίαν esse corruptionem illam, quæ à Gal. aliàs dicitur à *Totâ substantiâ*. A quâ quia pendent *Occultæ proprietates*, *occultique morbi*: iam illi quoque fuerint à *Cacochymiâ*. An licet mihi audere hanc quoque audaciam, & dicere, *Lassitudinum* triplex genus illud, de quo fusè Gal. 4. San. tu. & alibi, esse à plethorâ tantùm, non ab vllâ cacochymiâ, *Tensiuam* quidem, à plethorâ simpliciter dicta: *Vlcerosam* etiam à Plethora, sed biliosa: *Inflammatoriam* denique ab vtraque? Huius assertionis fundamentum duplex pono. 1. Gal. In Institut

agit de illis in lib. de San.tu. in quibus *Cacochymia* illa insignis locum non habet. Sed & de Caus.sympt. agit de illis. Opus illud commune est τῇ ὑγιεινῇ καὶ τῇ θεραπευτικῇ. 2. Omnes concedunt, lassitudines contingere τοῖς ὀρθοστάδιοις, *qui adhuc ambulant*. Id verò stare non potest cum cacochymiâ tam insigni. Ita enim loquor, quia puto, Galen. non eodem semper modo vti vocabulo: sed aliquando pro insigni vitio capere, aliquando pro leuiori, qualis est *Plethora biliosa*. Proptereà caueant cautiores, ne decipiantur. Dabo enim tibi loca, quibus *Plethoram biliosam* vocat *Cacochymiam biliosam*, & sic de cæteris. Hoc dum fit, dico illum loqui impropriè: propriè autem, cùm paruum excessum bilis, *Plethoram biliosam*, & sic de cæteris. Poterit ergò his quoque locupletari Foësij Oeconomia. Sed de plethorâ satis.

§. 5. Si contingat *Intemperatorum* aliquem tam latè delabi è statu suo, vt humor, quem naturaliter cumulat, increscat per totum corpus, iam dicitur κακοχυμία. Et hoc est, quod Gal. ait 13. Meth. 6. B. tum fieri *Cacochymiam*, ὅταν ἤδη τὸ σῶμα μεστὸν γίνεται, ἢ τῆς ξανθῆς χολῆς, &c. Quæ ita explico ex superioribus, *Cùm in bilioso aliquo*, (eadem est ratio reliquarum intemperierum) *ita augetur bilis, vt totum corpus superfluat, iam est Cacochymia biliosa*. Fiunt igitur tot eius species, quot sunt (veluti dixi) temperamenta inæqualia. Atque vt non facilè dubium incidit de temperamentis compositis: ita de simplicibus siquis hæsitet, illi dicam, Et rara esse talia, & subitò accedere alteram quoque qualitatem. Hinc erudiri possunt homines nostri, qui subitò atque vident corpus aliquod intemperatum, clamant *cacochymum* esse! Non est, nisi valdè increuerit malum. Erudiri etiam possunt & debent ij, qui, vt plethoras agnoscunt particulares: ita cacochymias quoque. Non est, dico iterum. *Plethoræ* istæ & *cacochymiæ* partium sunt *Intemperies cum affluxu substantiæ*, & nomina habent peculiaria à suis humoribus, *Inflammationis*, *Erysipelatis*, *Oedematis*, *Scirrhi*. Hoc probo ex 2. κ. τόπ. 1. H. de Pleth. 11. A. & F. Nec aliò spectat definitio *Plethoræ*, eodem cap. de Pleth. B. & I. vt quidem Eustachius vult, lib. de Multit. 13. ext. *Est* πλεονεξία *humorum* (sanguinis) *in toto corpore*. De cacochymia idem dicitur loco illo Meth.

§. 6. Ex his nullo negotio intelligitur, quem respectum causæ procatarcticæ habeant ad proëgumenas? Siue, quæ corpora quibus morbis faciliùs aut difficiliùs prehendantur? Temperatus, nisi plethoricus, non facilè afficitur, siue à calore, siue à frigore, nisi illa præualida sint. Sin plethoricus, facilè ab vtroque, quamuis non intenso. Intemperatè calidus facilè febricitabit, si vel sub Sole diutiusculè sit, vel in balneo, &c. Contrà, intemperatè frigidus, non facilè ab alterutro afficietur, nisi excessus sit valdè insignis, qui ipse etiam morbum faciet periculosiorem. Ita senex febricitans, & quidem grauiter, in mortis periculo est. Eadem ratio partium est. Prout enim vnaquæque vel fortior, vel debilior est, eò feliciùs vel infeliciùs coquit, eò promptiùs excrementa vel extrudit, vel recipit alicundè.

ABERRA-

ABERRATIONES.

§. 7. Fuchsium miror & demiror; qui lib. quidem 2. s.5. cap.1. agat de *Redundantia*: de morborum autem causis demum lib.3.s.1.cap.2. Tanta enim distantia adimit nobis omnem respectum inter causam & causatum. Nec minùs miror, illum plethoræ & cacochymiæ superaddere πλησμο-νὴν, quam de *satietate nimia* exponit! Vox enim πλησμονὴ, 2. Aph. 17. est ibi *plethora*, quæ ad vasa pertinet secundæ & tertiæ regionis, non autem ad ventriculum, primámque regionem. Quamobrem vellem diligentiùs distinxisset nomina, quod Eustachius nobis præstitit 1. de Multit. 3. neutiquam Foësius, à quo maximè requiras. Multò magis miror, cùm *Plethoram* fecisset quadruplicem, (rectè, si rectè intelligas) quòd non *Cacochymiam* quoque distinxerit in suas species! maximè, quia locum illum Meth. præ oculis habebat, in quo etiam *serosæ* fit mentio! Non miror, sed oculis pariter, auribúsque abominor proportionem illam quatuor humorum alimentalium. Est enim fabulæ anili similior, qnàm sententiæ viri grauis, vt alibi demonstraui. Res est, sanguine aluntur partes omnes, qui tamen in latitudine quadam est secundùm latitudinem octo temperamentorum, de qua in hoc vestigio. Hanc ipsam quia Gal. tot locis, quot dici non possunt, quà tacitè, quà expresè docuit: quid obstat, quo minùs illud repudiemus? Neque patiar ego hos per illos explicari, hoc est, cœnum olidum infundere fragrantissimo vnguento. *Sanguis venosus non est purus*, inquit ex l. de Pleth. 10. F. Imò est in homine temperato: in reliquis talis est qualis esse potest. *Fieri non potest*, *&c.* Imò potest fieri, & fit in eodem temperato, in quo bilis omnis exquisitè secernitur, humor quippè noxius, 2.Fac.nat.2.B.Vide lib. sup.c.120.

§. 8. Non possum non hoc loco iterum producere distinctionem Sennerti, suprà c.5.§.9.excussam, & rogare bonos viros, dicant mihi: *Quomodo Physica fundamenti sanita-*

tis & morbi consideratio heic intrudi poßit? Cur, cùm priorem distinctionis partem latè deduxisset, posterioris ne mentionem quidem faciat ampliùs? Sed transeat: Cur reuocat *Causas internas & externas*, alitérque ac suprà explicat? Quid istuc verò est? Ipsus confitetur, *Res non-naturales* non posse dici causas externas. Idem dixerim de alterâ distinctione in *Euidentes* & *Abditas*. Quorsùm numerat ex 1. San. tu. vlt. quatuor illa, quæ vel necessariò vel non necessariò alterant nos? vel ideò, quia *Res non-naturales* solæ huc pertinent? Quorsùm denique *Res* illas satis fusè explicat, facturus id dènuò lib. 4. p. 1. Sed cur ὑγιεινῷ soli tribuit, cùm ὁ θεραπευτὴς ademtum sibi nolit?

§. 9. Sed sint hæc omnia protinus alba: Quei capiam, quòd *Spiritus* & *Humores* inter causas morbificas externas habet? Tantò magis quòd concedit, Intemperie laborare posse? Si intemperie, cur non morbo? Quei capiam, dico iterum, Partes corporis morbosas affricare sanis morbos suos? Scio, morbum parere posse morbum: sed hoc ille non vult, cùm præfractè neget, Morbi subiecta esse posse

Procem. l. 7. extr. *Humores* & *Spiritus*. Mihi nunc subit illud Plinij, Leonum feritas inter se non dimicat; serpentis morsus non petit serpentes: & herclè hominis partibus ab hominibus partibus plurima sunt mala! Sed ita est, ἕρμαιον illud debemus ingenti Fernelio, qui Iatricen scripsit & occubuit.

O! fugite hinc, iuuenes, fugite hinc, latet anguis in herba.

§. 10. Fortassis igitur sic ordiri debuit orationem suam Sennertus. Quandoquidem Hipp. constituit corpus nostrum ex tribus, *Spiritibus, Humoribus*, & *Partibus solidis*, quæ in statu s.n. hunc habent inter se respectum, vt *Spiritus*, pars nobilissima, sint proximum animæ instrumentum, quatenus sunt euaporatio sanguinis benigni, vti Gal. ipse cogitur loqui, 6. Vs. p. 17. Sanguis (ita lòquor ex proprio sensu) sit materia nutritionis, quæ nutritio pari cum vitâ passu ambulat; *Partes solidæ* actionibus præsint: procul dubio, quamdiu hæc œconomia sibi constat, constabit *Sanitas*. Hac verò, vel ob non dextrum Rerum non-naturalium vsum, vitiatâ, hoc est, ordine in confusionem verso: non potest non mor-

bus,

bus adesse. Sed quia trium dictarum partium non eadem est conditio: nec morbi erunt eiusdem conditionis. *Spiritus*, quia sunt boni sanguinis soboles, non nisi affecto sanguine afficientur, erunt, inquam, calidiores, & consequenter actiuiores: frigidiores & pigriores: crassiores, tenuiores: copiosiores, pauciores, & si quæ sunt alia. Quibus modis affecti cùm satis esse nequeant rebus suis: quis neget morbo laborare? *Sanguis*, quia, pro commodâ aut incommodâ Rerum non-naturalium vsurpatione, melior, peior est: quis non colligat inde, non nutritionem tantùm, sed & actiones reliquas omnes fore meliores, peiores? *Partes solidæ*, &c. Ad rem nostram, Sanguinis duæ inprimis sunt affectiones, *Plethora* & *Cacochymia*, &c.

§. 11. In his quoties cespitat Sennertus noster? Priora non repeto. 1. Sanguini substituit humores suos alimentarios, quos ait *sub forma sanguinis manere, quamuis excrementorum nomine dici possint*, *&c.* Egregia sapientia! 2. Excusat, & ait, *Partes illas, quæ à mediocritate nonnihil declinant, non facere quo minùs sanguis sit, sed facere vt sanguis sit vel biliosus, &c.* Multò egregior! Sed ita est, *Mendacium quò magis fucaueris, eò fit conspectius*! Simplex oratio est hæc, Sanguis habet latitudinem, vt ipsa sanitas, & quidam est temperatus, quidam est intemperatus, vt modò dixi. Si satis non est, vide suprà l.2.c.120.& 124. *Temperatus* si nimis augeatur, fit πληθῶρα. *Intemperatus*, si itidem nimis augeatur, sed intra latitudinem naturalem, etiamnum fit πληθῶρα, sed cum additione, biliosa, &c. *Intemperies* si valdè intendatur, vltra, inquam, latitudinem dictam, fit κακοχυμία, quæ iam ad θεραπευτικὴν spectat, &c.

§. 12. Debebam fortassis heic quiêsse, reuerentiâ tanti viri! Imò verò non debeo. Quia enim semel Mendacij hostem me professus sum, quò contentiosiùs illud asseritur, eò firmiorem decet esse me in vestigio. Tantò magis, quòd quotidiè interpolatur, & nouis accessionibus exornatur, adeóque tanta est hominum credulorum stupiditas, vt, quæ non intelligunt, neque vt intelligant operam dant, ea quouis sacramento veriora esse

perten

pertendant: quin in manifestâ falsitate deprehensi, ne erubeant quidem, quia Sennertus dixit. Hæc ne frustrà perorâsse videar, audiant, qui audire volunt. 1. Frustra occinit nobis vir eximius, Gal. illud ὁμοτίμως. Est enim somnium illud de 4. humoribus alimentalibus, cuius me pœnitet, pigétque. Huic pro defensione Gal. oppono loca illa, in quibus vel disertè sanguinem ponit nutritionis materiam, vel optionem tibi relinquit accipiendi hoc vel illud. Posterius hoc videtur committere ipsus, cùm proportioni suæ addit, *vel si solus sanguis*, *&c.* 2. Frustra defensionem suscipit Augenij, qui neglecto Gal. temerè nouitates quærit. 3. Frustra etiam pugnat pro Fuchsio (ita enim censeo) cacochymiam consistere, non in qualitate tantùm, sed & in quantitate. 4. Frustra est, cùm plethoram & cacochymiam locis distinguit. Vtraque est in venis. In genus carnosum si se penetrârit malum, καχεξία est 5. Frustra est in cacochymiâ (& plethorâ) particulari. 6. Frustra distinguit vtramque in exquisitam, & non exquisitam. Rem ipsam nôrant veteres: verbis ipsius opus non est. 7. Frustra est quatuor capp. de Pituitâ, bile, &c. Ad humorum enim doctrinam hæc pertinent. 8. Frustra est in Chymicorum humoribus, siquidem verum est, nomina tantùm esse mutata. 9. Quæ de humore melancholico appēdit, cur nō tractauit c. 6. Desinunt autem tandem ista in sententiam meam, quam in de Vsu lienis exposui. 10. ἀλλότρια sunt illa de Calculis & Vermibus, & satis erat dixisse, *Cacochymiæ soboles esse.*

Fol. 205. ed. secūdæ.

§. 13. Liddelius f. 212. à confusâ causarum doctrinâ accessurus ad applicationem earundem, longè maius instituit chaos. Primò enim vim facit diuisioni partium Hipp. cùm *Spiritus* ter ad *Contenta* refert. Deinde in *Solidis* valdè ieiunus est. Posteà in *Contentis* nouitates habet intolerabiles. Harum non minima est, quòd in quantitate illorum constituit exsuperantiam & penuriam. Maior, quòd Plethoram simpliciter dictam dici vult propriè. Ita de cacochymiâ. Tandem, in causis, tam plethoræ, quàm cacochymiæ, quàm sibi similis est? Viderint alij.

§. 14. Horstius f. 11. & seq. videtur arâsse vitulâ Liddelij.

§. 15. Heurnius

§. 15. Heurnius l. 7. ita se gerit, vt abortum agnoscas, quamuis ille nunquam fassus esset! Et quis ante eum plethoram & cacochymiam retulit inter Res non-naturales? Et si omninò habitissima (rideo!) athletarum constitutio periculi plena est, an propterea s.n. est? Si eadem causos facere potest, an propterea causus est inflammatio? O, quantum in rebus inane! Hæc quoque de causis.



CAPVT IX.

De Symptomatis.

§. 1. AVTHOR est Gal. de diff. sympt. 1. A. K. quod hodie *σύμπτωμα* est, aliquibus dictum fuisse *ἐπιγένημα*, subintellige, vtrobique *τοῦ νοσήματος*, *q.d. aliquid, quod post morbum factum succedit, & veluti succrescit:* Verùm non valdè frequentatum fuisse. Idem ait ibid. *πάθος ἢ πάθημα*, *passionem, affectionem, seu affectum* quoque dici. Idemmet ait 1. Meth. 9. D. *τὸ συμβεβηκὸς* in sanitate esse id, quod *σύμπτωμα* in morbo. Hinc ausi sunt quidam dicere, duo hæc vocabula *ἰσοδυναμοῦντα* esse. Inter hos sunt Interpr. Gal. plerique, qui *τὸ σύμπτωμα*, *Accidens* vertunt, alij *Casum*, quod in *Concasum* mutant illi, qui accuratiores videri volunt. Ego, cum bonis penè omnibus, retineo *Symptoma*, & adolescentibus meis dico, esse *ἀπὸ τοῦ συμπίπτω*, quod est *Coincido*. Verùm cùm nec veteres semper accurati fuerint in nominibus, sciendum est, ex eodem Diff. sympt. K. M. quosdam accepisse vocabulum pro tribus p. n. rebus, *Morbo, Causa, Symptomate.* Quosdam non minus latè, pro eo, quod tria hæc sequitur. Hoc explicabo per exemplum. Intemperies ventriculi frigida *morbus* est, quem immediatè, & veluti vmbra corpus (ceu omnes loquuntur) sequitur *symptoma*, coctio infelix, quæ est *actio læsa.* Eadem infelix coctio si accidat propter *Errorem externum,* 3. Caus. sympt. 1. est symptoma, non *Morbi*, sed *Causa,* v.g. si ego vorem tantum, quantum Milo, aut ea, quæ ventriculus humanus coquere non debet, semina videlicet Cerealia, acinos vuarum, ossa cerasorum, &c. *symptomatis* symptoma est, cùm infelicem ventriculi coctionem sequuntur flatus, ructus, fluctuationes, &c. Nos heic accipimus de *Morbo* tantùm.

Ita niger color, Æthiopũ erit *συμβεβηκὸς*, non *σύμπτωμα*.

§. 2. Vbi statim locum inuenit monitum Galen. Diff. sympt. 6. extr. Distinguendum esse, inter *Opera natura* illa, quæ ad salutem animalis machinatur illa, v.g. sternutationem, tussim, vomitum, oscitationem, pandiculationem, mensium in fœminis fluxum, &c. & inter *Symptomata* morbi, de quibus heic agimus. Interim fieri potest, vt hæc quoque

induant naturam Morbi, tum scilicet, cùm vel intempestiuè fiunt, vel non intra modum consistunt, atque ita vires deiiciunt. His operibus accensere oportet ea, quæ sæpè in latitudine sanitatis fiunt, v.g. hæmorrhagiæ, diarrhœæ Criticæ, sudores, &c. Quia enim fiunt non simpliciter a Naturâ, sed à *Natura irritatâ* à causâ morbificâ; iure merito symptomata dixeris. *Sed quot sunt?*

§. 3. In numerum ternarium vt omnes consentiunt: ita quo modo inter se nectantur, haud facilè dixeris. Mihi varia conferenti loca Gal. præcipuè ille in de Differ. sympt. 2. A. proprius scil. molestus fuit. Cùm enim vel ad primum intuitum vitiosus sit, quid facias? Post longas ambages visus mihi fuit ita concinnandus esse. ἔστι δὲ καὶ τούτων τριττὴ ἡ διαφορά. Τὰ μὲν γὰρ τῶν ἐνεργειῶν βλάβαι. Τὰ δὲ διαθέσεις εἰσὶν αὐτοῦ τοῦ σώματος ἡμῶν, οἷον αὐτίκα οἱ ψόφοι ἐν τῷ ζώῳ συνιστάμενοι, ὥσπερ καὶ αἱ ἄλλαι ἅπασαι αἰσθηταὶ ποιότητες. Τὰ δὲ ἀμφοτέροις ἑπόμενα κατὰ τὴν ἀμετρίαν τῶν ἐκκρινομένων τε καὶ ἐπεχομένων, hoc est, *Symptomatum triplex est differentia. Quædam enim illorum sunt læsiones actionum. Quædam* διαθέσεις, *dispositiones sunt corporis nostri, qualis sonus est in animali consistens, aliæque omnes qualitates sensiles. Quædam vtraque iam dicta sequuntur, tum videlicet, cùm vel plura excernuntur, quàm debebant: vel cohibentur, quæ excerni debebant.* Hinc tria existunt symptomatum genera, *Actio læsa, Qualitas aliena, Exiens mutatum.* Et hæc sententia Fuchsij est: à quâ nonnihil discedit Horstius.

§. 4. De *Actionibus* hoc repetendum est, dici à Medico non illas tantùm, quæ reuerà tales sunt, *practicæ* vocatæ alicubi: sed & eas, quæ apud Philosophum sunt πάθη, *passiones*, receptiones quippe, vt visio. Singulæ harum tripliciter læduntur, *Diminutè, Abolitè, Deprauatè.* Visio v. g. diminuta est, cùm quis parùm videt: abolita, cùm cæcus est: deprauata, cùm gemina apparent alicui omnia. Rursùs, aliæ harum sunt *Naturæ*, aliæ *Animæ*, vt quidem Gal. distinguit de Differ. sympt. 3. A. *Animales* iterum duplices sunt: Aliæ enim sunt quinque sensuum exteriorum, visoriæ, auditoriæ, &c. quò pertinent Motoriæ. Oportet autem intelligere de motu locali, seu vniuoco: nam motus æquiuocus, qui per fibras omnium partium fit, & consistit in quatuor facultatibus Ministrantibus dictis, ad Naturam pertinet. Aliæ sunt trium sensuum principum, vt sic appellem, *Rationis, memoriæ, imaginationis. Naturales* pariter duplices sunt, quarum aliæ indiuiduo seruiunt, aliæ speciei. Naturalibus (vt hoc quoque subiiciam) accenset Gal. hoc ipso Differ. sympt. loco *Pulsum*, pro quo aliàs fabricat peculiarem facultatem, *Vitalem* dictam. Vbi quæro, Cùm *Pulsus* cum *Respiratione* tot habeat communia, vt alibi ex ipsomet Gal. probaui: cur *Respirationem* quoque non collocet huc, sed *Animalibus* adscribat? Reuerà præter rei naturam. Sed ita fit, cùm à viâ regiâ semel discessum fuit.

§. 5. Διαθέσεις, seu *Qualitates* mutantur quinque modis, pro numero quinque sensuum, Visibiles, Audibiles, Olfactiles, Gustatiles, Tactiles.

§. 6. *Exeuntia*

§. 6. *Exeuntia mutari* dicuntur, cùm vel non eunt ea, quæ ire debebant: vel non debito modo: vel prorsùs non.

§. 7. Mihi libet de primo ſymptomate, *Actione* læsâ, duo heic monere valdè neceſſaria, quorum alterum ad explicationem, alterum ad defenſionem Gal. ſpectat. Cùm dicit Ille, *Actionem non lædi niſi læsâ facultate:* intelligit per *Facultatem* partis naturalem conſtitutionem, præcipuè *Temperamentum*, quod *Animam Medicam* eſſe, ſæpè dictum fuit. Contrà, cùm dicit, actionem lædi, non læſo inſtrumento, ſed facultate: intelligit per *Facultatem* ſpiritus influentes. V. g. Viſio læditur aliquando illæſo oculo, tum videlicet, cùm ſpiritus viſorius non influit. Hoc aliis verbis dixeris, viſio læditur læſo temperamento vel proprio, vel communi, quâ de re ſuprà. Rurſus cùm dicit, *Actionem lædi, non læſo* alterutro temperamento, ſed per *Errorem externum:* per hunc vult ſignificare cauſas accidentales Ariſt. dictas, hoc eſt, tam cum quibus meliùs res fit: quàm ſine quibus non fit. Hoc nouum dogma quia comprobaui exemplo coctionis ventriculi in Pathol. c. 54. ſatis iam ſit meminiſſe tantùm.

ABERRATIONES.

§. 8. In Fuchſio l. 3. ſ. 1. cap. 9. hoc ſolùm ferè deſidero, quòd inter διαθέσεις ſeu qualitates non vult habere *Audibiles*, ſecutus vitiatum locum de Diff. ſympt. 5. A. Nec quidquam valet, quod in Com. eius loci dicit, *Non dari.* Quid enim ſunt οἱ ψόφοι, quorum cap. 2. mentio? Imò in c. 5. paulò pòſt fit mentio *Aurium*. Leg. igitur πάντη. Et vbi ſunt frequentiores errores in M S. quàm in numeris?

§. 9. Quæ in Sennerto l. 2. p. 3. ſ. 1. cap. 1. & 2. deſidero, pauca ſunt, non tamen inſuper habenda. 1. quòd definitionem ſymptomatis venatur, nec ſatis ſe explicat. Quod enim eſt *illud, quod extra conſtitutionē partiū eſt*? Suppleo ego ex ſ. 271. *Error externus*, eo modo quo ego iam explicui. 2. quòd latiuſculè explicet ſymptoma cauſæ & ſymptomatis, cùm expreſsè ad ſymptoma morbi ſe adſtrinxerit. 3. quòd in quæſtione, *An omne ſymptoma ſequatur morbum?* non diſertè dicat, Non, & addat, quod debebat, *Quoddam eſt ab Errore externo*, à quo ἀτυχία potiùs fit, quàm βλάβη, ſi accurati eſſe vellemus in nominibus. 4. quòd in diſtinctione *operum naturæ à ſymptomatis* nimis diu hæret, & quæſtionem


de nomine tantoperè agitat. 5. quòd deficit in defensione Gal. qui *Facultatem* aliquando dicat lædi, illæso instrumento. 6. quòd non satis lucis habet in distinctione Calidi natiui insiti materialis, vt ego appello: & Calidi natiui influentis formalis. 7. quòd benè quidem ingredi incipit, cùm causas læsarum actionum quærit etiam vltra *Corpus viuens*: sed deficit in viâ, cùm *Errorem externum* distinguit à Causis accidentalibus, sine quibus non, &c. Quæ sequuntur specialia, alîus loci sunt.

§. 10. Prurit in definitione constituendâ Lidd. quoque l. 3. cap. 4. Sed fatetur culpam, cùm ait, *Vocabulo impropriè se vti.* Addo ego: *Si bona esset, non opus esset tam latâ expositione*, vt neque illis f. 259. Et quàm vafer est ausus, velle tria symptomata applicare tribus partibus Hipp. Nō minùs vafer est ille, sensum communem adscribere velle externis sensibus! quin mox collocare medium inter internos seu principes, & externos! Rideo expresse conatū hominis, volentis defendere *Vitalem* facultatē Gal. Imò Galenum heic coëgit Adrastéa dicere vera. Et quàm pulcræ sunt voces istæ, *Nam propriè tres sunt functiones*, &c. Ostendat mihi in rerum naturâ, & habebo pro viro.

§. 11. In gratiam Horstij mei disp. 7. §. 11. cœpi diligentiùs intueri locum illum, iam §. 3. correctum, & comperi, Galenum ipsum conqueri de turbato ordine. Ait enim 1. Caus. sympt. 1. se in de Diff. sympt. egisse primo loco de læsâ actione: Et est ita. Verisimile autem est seruâsse eundem ordinem in proponendo & tractando. Nondum tamen verum est in vniuersum, Gal. semper præmittere læsam actionem. Vt enim hoc solùm dicam, cùm 12. Meth. 1. A. faciat: non facit 2. Meth. 3. B. Habet enim libertatem suam in his talibus. In §. 10. quæ dicit pro Liddelio, si probârit ex loco Gal. allato, habebo illum pro heroë. In §. 8. non intelligo, quod ait, *Catarrhus est* symptoma cerebri. Intemperies cerebri gignit materiam catarrhi: vis expultrix cerebri, facto morbo in viis laxioribus, detrudit materiam in inferiorum partium aliquam: recipit pars, quæ præ aliis debilitata fuerat anteà. Heic video catenam mor-

borum

borum, symptoma nullum video. In ϑ.7. homo est, cùm ab *Errore externo* profectas impotentias, vt loquitur, non vult vocare symptomata. Vocet blityri, aut scindapsum.



PARS ALTERA.

CAPVT X.

Ratio Ordinis.

§. 1. VT in omni Methodo *Vniuersalibus* debetur locus prior: ita in hac post illa poni *Particularia* fas, æquúmque est. In horum expositione si seruetur is ordo, qui traditus fuit suprà, cap.5. nemo, spero, indignabitur. Nimirum, ex ipsa rei natura, quæ est triplex corporis humani constitutio, eruti sunt tres morbi, *Intemperies*, *Morbus organicus*, & *Solutio continui*: quos par est in hac sua acie sitos sigillatim explicari. Tum verò si singulis *morbis* suæ subiiciantur *Causæ*; si singulis iterum sua *Symptomata*: nihil deerit doctrinæ Isagogicæ. Intemperies igitur quia primæ sunt inuentæ, eæque duplices, *Nudæ*, & *cum affluxu substantiæ*, *materiave* dictæ: de illis quidem priùs agetur, de his autem posteriùs.



SECTIO I.

CAPVT XI.

De Intemperiebus Nudis in genere.

§. 1. Δυσκρασίας, ἢ ἀκρασίας (sæpè enim apud Hipp. significare idem, contendo ex iis locis, quæ Foës. habet) significare declinationes temperamentorũ inæqualium à primo illo, quod ἴσον, μέσον, *æquale & medium* dicitur, extra controuersiam esto. Δυσκελσίας, voce Methodica, dici posse audebo affirmare. Vide Notas in Gal. 3. Meth. 2. Pacium, fol. 484.

§. 2. Duplices hæ sunt. Aliæ enim illarum ad τὸ ὑγιεινὸν pertinent, quatenus sanitatis latitudo quædam est: aliæ ad τὸ θεραπευτικόν. Sub illo

 sunt,

sunt, & curat illas ὁ ὑγιεινὸς, quamdiu homo est ὀρθοστάδιος, *rectâ ceruice*: sub hoc sunt, & tractat illas ὁ θεραπευτὴς, cùm homo fit Clinicus, vt alibi deduxi. Heic quæstio incidit, debétne tum ὁ θεραπευτὴς curare malum à fundamento, vt sic dicam? Non, inquit Gal. Restituat ægrum in locum illum, in quo fuit ante morbum: quo facto, corrigat intemperiem, quæ superest, si opus sit. Vide Patholog. c. 31.

§. 3. Hæ intemperies quatenus dicuntur *Nudæ*? Tribus verbis, Quatenus opponuntur illis, quæ sunt cum *Affluxu substantiæ*, & *Tumores p.n.* vocantur. Quare, si, pro more sæculi huius, definitionem postuler harum intemperierum, non possum spem alîus facere, quàm illius, quæ fit per remotionem oppositæ intemperiei. Quare dico, Quidquid intemperatum non est *Inflammatio*, non *Erysipelas*, non *Oedema*, non *Scirrhus*: est Intemperies nuda. Atqui, dicunt, quomodo appellatio illis conuenit, cùm in his quóque venam secemus, purgemus, omni ingenio humores alteremus, alteratos vacuemus? Non refert: ita vetus sapientia voluit, à qua cur discedamus, rationes non habemus. Quamdiu non adest inflammatio, &c. Vide Pathol. c. 32.

Vid. Path. c. 60. A. §. 4. Verumenimverò, ne φορτικὸς, *imperiosius* cui esse videar, afferam inde exemplum Melancholiæ morbi, qui procul omni dubio est *Intemperies nuda*. De hoc agens Gal. 3. Loc. aff. 7. H. affici in eo ait *Cerebrum*, vt est pars similaris. Ibidem mox causatur Gal. crassos humores, qui in cerebro abundent. Si parum hoc est, accipe, quæ de eodem scribit idem 2. Caus. sympt. 5. B. fieri aut ex nudis qualitatibus, aut disperso per cerebrum roris modo humore aliquo intemperato. Hunc humorem cap. 7. seq. ait esse frigidum. Huc pertrahi possunt, quæ de plethorâ biliosâ, &c. dicta sunt suprà. Vide etiam Physiolog. cap. 313.

§. 5. Hæ intemperies tot numero sunt, quot Temperamenta inæqualia recensita sunt suprà. Et quia diuidebantur in simplicia & composita: intemperies quoque nudæ vel simplices, vel compositæ erunt, & eæ quidem modò sub ὑγιεινῷ, modò sub θεραπευτῇ, vt pronuper tradidi.

§. 6. Hinc intelligitur, non agi heic de aliâ *Qualitate*, quàm de quâ actum est in doctrinâ de Temperamentis. Est autem non illa tantùm, quæ consistit in primis & manifestis qualitatibus: sed & quæ in *Totâ substantiâ* Gal. cui homines nostri nouum dant nomen *Occultarum proprietatum*, rati se rem nouam orbi Christiano importare. Hac de re actum est mihi fusè in Patholog. cap. 42. & seq. agetúrque heic etiam, quantum Sennertus volet. Inde exibit hoc πόρισμα. Symptomata esse duplicia, alia quatenus Intemperies est, v. g. calida: alia, quatenus huius partis. Intemperies suis cognoscitur signis, & vult contraria, modò in primis qualitatibus, modò in totâ substantiâ. Pars itidem suis signis, & vult similia, vt ex Gal. docui alibi. In hoc quantoperè sudet idem Sennertus l. 5. f. 1072. non est huius loci. Hoc verò est,

Non

Non acturum me heic de singularum partium intemperiebus naturalibus: sed infrà, cap. 27.

ABERRATIONES.

§. 7. Quàm doctè & eleganter Fuchsius l. 3. s. 1. c. 4. ratiocinatur de duplici intemperie, *Salubri & morbosâ*: tam ieiunus est in intemperie *Nuda*, & quæ illi opponitur, cum *Affluxu substantiæ*. Solo enim intento digito in Melancholiam morbum, euincam, intemperiem nudam non semper esse sine omni humore. Æqualis illa & inæqualis intemperies de quâ post Fuchsiũ multi τραγῳδοῦσι, nisi sit eadẽ cum morbo schetico, & hectico, equidẽ non video quid vtilitatis in arte habeat. Quod idem putat, contrarias intemperies, vno & eodem tempore, in vna eâdemque parte esse posse, apud me τῶν ἀδυνάτων est. De monstris morborum, *Materiæ & Formæ*, nolim solicitum esse instituendum nostrum. Habet enim iam anteà plus satis, quod agat. Cæterùm fallitur Fuchs. manifestè, cùm morbos hos Philosophiæ acceptos esse putat: imò sunt infra omnem rationem, vt ostendi in Reiectaneis meis. Habet eam Gorræus quoque in Δυσκρασία.

§. 8. Sennerto irascor seriò, quòd l. 2. part. 1. cap. 3. pedibus conculcat duplicem Gal. intemperiem, *salubrem & insalubrem*! Non minùs doleo, quòd in describenda intemperie cum & sine materia non consuluerit Galenum. Ea de re dicam ampliùs c. seq. De *intemperie æquali & inæquali*, apud me pax. In intemperie calida & humida friget Ille. Dixi ego sententiam alibi.

§. 9. Quàm rectè facit idem, quòd morbis *intemperiei* cap. 4. subiicit morbos *totius substantiæ*: tam sinistrè vocat *Aliud morborum genus*. Quod verò miror vehementissimè, *Audet dicere, apud Gal. non esse disertam mentionem illorum morborum*! Non est nunc meum cumulare loca, quod feci in Patholog. iam cit. cap. satis esto vnicus ille 13. Meth. 3. G. quem iubeo illum ruminare diligenter, vsquedum in chylum vertat. Non miror, sed obstupesco, cùm video illum

totius

totius substantiæ morbos subitò transferre ad morbos *materiæ & formæ*. Tantò magis, quòd exornat rem eleganti Fernelij argumento, de quo, quid Philosophi iudicent, dixi alibi. Stuporem meum auget, quòd Argenterium superinducit, ne minùs cognitæ sint Instituendo suo profundissimæ istæ ineptiæ! Tum verò quàm prolixus est in recensendis sententiis contrariis, nullibi interim firmus! Ne longior sim, rectè ablegat Fernelium illo argumento, *Non ideò quia tria sunt, &c.* Sed quo modo stabilit? *Sanitas & morbus non pertinent ad essentialem constitutionem, sed ad accidentalem!* Hui verò, sanitas partium, actus (inquam) secundus éstne accidens? Potéstne fieri, vt (quod suprà quoque dixi) id, quod perficit rem, accidat ei? Imò est ἐπουσιώδης τι. Eodem modo, morbus non est simpliciter accidens, quia perdit illud ἐπουσιώδες. Sed sit hoc parum: Siquidem essentia rei est veluti numerus, cui nihil adimi aut addi potest, quei fit, quod per te quoque, abscissâ v.g. manu, essentia tamen animæ manet integra? Et quid opus est firmissimo illo argumento pro morbis totius substantiæ? Dantur tales morbi, & Gal. nouerat: vos verò in alia omnia euntes, mare inferum miscetis supero. Hoc verò qui multis induceret, Æthiopem albaret. Quamobrem veritati studens aio, Vera est Capiuaccij sententia, *Qamuis dentur agentia à tota substantia: non inducunt tamen à temperamento alienas qualitates, quatenus*, inquam, *quædam ita temperata sunt, vt non agant sola v.g. caliditate, sed caliditate cum tali modo substantiæ*, vt Vallesf. loqui vult. Vtvt igitur concedam illis, quod volunt: manet mihi tamen hoc diuersum, id quod vrgent, est elementale, cui ego oppono elementale aliud, experientiâ cognitum, vt Gal. in Meth. loquitur. Venenum Gallicum vulgò dictum, non consistit in caliditate & siccitate tantùm insigni: sed in partium præterea tenuitate tanta, qua in intimas partium etiam densissimarum particulas sese insinuat, &c. Huic obiicio Guaiacum, Sassafras, alia, quæ non minùs calida & tenuia sunt, quàm venenum ipsum, quod venenum diutino, largóque medicamentorum illorum vsu vrgeo, pello, impello, disiicio,

F. 145. b.

vt vel tandem cedere cogatur. Nec quidquam iuuat aduerſarios, quòd venena τῶν ἰοβόλων tam ſubitò interficiunt. Hoc enim ipſum eſt à tenuitate ſubſtantiæ. Ita lactuca quoque integra comeſta alimentum eſt: ſuccus necat. *Ergo* inquiunt, *in venenis, adeóque omnibus tota ſubſtantia agentibus duplices agnoſcis qualitates?* Agnoſco vel Sennerto doctore, qui ſcribit, Venena habere duplices actiones, & quatenus res elementares ſunt, & quatenus venena. Hæc ipſa eſt Gal. doctrina, qualitates manifeſtas à tota ſubſtantia ſeparantis. Et quæ eſt illa *Principij petitio*, vt loquimur? Non ego dico, conſtitutâ iam ex qualitatibus manifeſtis re, ſuperuenire occultas: imò hoc totum fit ſimul. Arſenicum v.g. fit calidum ſimul, & corroſiuum. Nec dimouet me à propoſito Scaligeri autoritas. Vt enim cum ipſo loquar de Anima, quæ tamen huc non facit, Forma humana procudit ex ſe formã humanam (volentibus etiã ſacris literis) longè nobiliorem elementis: quia ipſa iam eſt nobilius aliquid elementis, forma ſcilicet ἔνυλος, *in materiam immerſa & intruſa*, quæque in συνουσιασμῷ rapit ſecum aliquid diuini ſpiraculi, facítque vt totus homo exſiſtat è toto homine. Hoc ſpiraculum ſi notum fuiſſet Ariſt. non ille laboràſſet tantoperè de τοῦ θύραθεν ἐπεισιέναι τὸν νοῦν, *rationem forinſecùs accedere*. Nimirùm, quod heic dicendum eſt, *In rerum generationibus non ſemper decurrendum eſt ad ipſa Elementa: quin ſubſiſtendum eſt in rebus iam factis, & ad perfectionem ſuam deductis adeò, vt ex ſe facere poßint ſibi ſimile.* Hoc ſi accidit in perfectè miſtis, in homine: in imperfectè miſtis, in adamante propoſito; quidni fiat? Licèt enim Natura non generet adamantem ex adamante: vtitur tamen in omni adamante eâdem miſturâ, ob quam fit vt adamas ſit adamanti ſimilis, agátque hic, quod ille. Heic quid opus eſt *quinta eſſentia*? Sed ſit: talis eſſentia eſt venenum viperæ, aſpidis, ſcorpij, canis rabidi, peſtis, non aliunde quàm ex elementis conflatum, ſed ſuo quodque modo. Puta, in hoc, cum manifeſtis qualitatibus, his illíſve, eſt modus ſubſtantiæ talis vel talis, qui operatur hoc illúdve, quod videtur ire vltra virtutem elementalem, vltra actum ſuum adæ-

quatum, vti loquuntur. Ex hac ratione, non ex manifestis qualitatibus solis, sed etiam ex ratione mistionis, educo vim Magnetis, Rhab. Pœoniæ, similium. Hæc ipsa mistio est forma, quæ dirigit actionem. Iam ergo consensum meum habet Sennertus, dari morbos totius substantiæ, qui curentur remediis totius substantiæ: verùm ita, vt neutrum se porrigat vltra elemēta. Et hoc Gal. vult, 2. Aph. 22. 1. Simpl. 16. 6. Loc. aff. 5. Vlteriùs si tendere volet, de nomine litigabit.

§. 10. Lidd. f. 185. valdè concisus est. Mihi libet hoc tantùm notare, quod cum Sennerto commune illi est, *Morbos materiæ Fern. dicunt esse organicos*. Hoc ego latè refuto in Pathol. c. 70. exemplo coloris corneæ in oculo.

§. 11. Heurnium meritò prædico, qui l. 6. cap. 1. morbos formæ vel totius substantiæ eos tantùm agnoscit, qui ex incerto, nobisque incognito temperiei gradu dependent. Interim hoc monendus est, si propriè loqui velit, formam huc non facere, propter rationem ab ipsomet datam, *Non recipit magis & minus.*

§. 12. Riolanus l. 3. s. 1. cap. 2. morbos materiæ Fern. de mente Gal. non vult esse morbos, sed effectus morborum. Quâ voce siquid aliud intelligit quàm symptoma, non intelligo. Sed & hoc ipsum falsum esse puto, vt est in Pathol. laud.



CAPVT XII.

De Intemperiebus Nudis, morbosis, calidis, tam simplicibus quàm compositis: & primùm de Febribus, quæ sunt intemperies cordis.

§. 1. Fretus iis quæ initio cap. sup. §. 3. dicta sunt, refero huc febres, quantumuis contranitentibus aliis. Dicuntur *Febres*, non à *Feruendo*, sed à *Februis*, Romanorum festo, vnde etiam *Februarius mensis*. Vt enim lustrabatur Vrbs tum ab omnibus piaculis: ita hi morbi

sunt

sunt quasi *Ignis purgatorius* corporum. Hic adeò Græcis quoque πυρετὸς est ἀπὸ τοῦ πυρ, *ignis*, quamuis apud Hipp. τὸ πῦρ peculiarem speciem significet, ceu videre est locis à Foesio in Oecon. allatis.

§. 2. Ex vtraque hac etymologiâ apparet, Quod sit genus febris? *Intemperies calida*. Verumenimverò obscurum adhuc est, Simpléxne sit, an composita? Distinguo, *Ephemera* dicenda est calida tantùm: *Hectica & Putrida* (ita enim loquar) calida & sicca. De Hecticâ vt nemo dubitat: ita velim nostros homines paulò attentiùs cogitare de naturâ *Putredinis medicæ*, inprimis in *Putridis* simpliciter dictis, quam Mercenarias in Dilucid. suis prodidit primus. Reuerà, si propriè loqui volumus, est potiùs σύγκαυσις, ἢ ἔγκαυσις, *Combustio*, *Incensio*, *Inflammatio*, cùm pro φλογώσει accipitur, quàm σῆψις, *putredo* Arist. vt infrà latiùs dicetur.

§. 3. Ex his statim meditor apologiam pro Gal. Credi sibi volunt οἱ σκαιοὶ, *malè instituti* quidam, aliud illum dicere quàm *Intemperiem calidam & siccam*, cùm 1. Aph. 16. A. 1. Acut. 18. E. febrim definit *Conuersionem calidi natiui in igneum*. Imò dixit idem. Hinc Cæsalp. alij, agnoscunt orationem hanc pro definitione, quod ego accipio de Medicâ. Sufficit enim vsui, licèt Logicum examen non sustineat.



CAPVT XIII.

De subiecto Febrium.

§. 1. IN traditâ definitione quia tactum est subiectum febris, fuerit id paulò latiùs explicandum. Cor (dixi alibi) esse vnum, non φύσει, *naturâ*, sed ἁφῇ, *contactu*. Hoc explico per exemplum. Vt ouum fœcundum constat ex duabus substantiis, quarum altera à patre, gallo, est, altera à matre, gallinâ: ita Cor è duplici conflatum est substantiâ, *sanguine materno*, è quo tanquam materiâ factum est, & *seminis masculi* parte illâ, quæ per substantiam sanguineam dispersa est, & iam mutato habitu dicitur *Calidum natiuũ*, vt ex Bono-amico deduxi alibi.

§. 2. Ex dictis nascitur mihi pro Gal. defensio, cùm aliis locis dicat, *Cor* esse febris sedem, aliis *Calidum natiuum* esse. Dico, *Cor* est, quatenus febris nulla consistit, nisi illo affecto: Calidum natiuum est, quatenus huius ope diditur calor p.n. in vniuersum corpus.

§. 3. Ex quo ipso dissoluitur inanis quæstio, Sitne febris morbus particularis, an vniuersalis? Reuerà est particularis, quatenus Cor semper afficitur: est vniuersalis, quatenus calor p. n. in corde conceptus, diditur in vniuersum corpus. Ex illo verò, non ex hoc, iudicatur morbus. Apoplexia v.g. epilepsia, conuulsio, &c. sunt morbi capitis, quia fiunt præcipuè capite affecto.

ABERRATIONES.

§. 4. Fuchsius l.3.s.1. cap. 10. vix satisfaciet definitoribus nostris, quòd non proposuerit genus proximum, *Intemperiem calidam.* Sed neque satisfaciet, quòd calorem illum à Corde deduxerit. Hoc enim in *Continuis* tantùm primò accidit: at in *Intermittentibus* alius focus prior est, ceu dicetur. Illud verò rectè, quòd non omnem p. n. calorem febrem vocat, sed illum tantùm, qui lædit actiones.

§. 5. Cum Sennerto l.2.s.1. cap.3. parum mihi conuenit, quòd in censu *Intemperierum* ne meminit quidem *Febrium.* Hac in re non inuenit excusationem, quòd transiliat totum negotium, *Quia nimis operosum.* An proptereà nihil de febribus scire debet Instituendus? Sed neque illud benè habet, quòd non explicat se, *Ad materialem, an immaterialem intemperiem pertineant*? Non dubito, materialem voluisse: sed longissimè fallitur.

§. 6. Liddelius l.3. cap.10. morbis cordis rectè accenset *febres*: rectè etiam dicit, esse *Intemperiem calidam*: sed non agnoscit, per venas quoque ire calorem in totum corpus. Quod addit, *Nisi impediat*, longas habet ambages, & præstiterat non attigisse vlcus. Quæ præmittit de intemperiebus cordis, de Calido innato, de modis, quibus laborare possit, &c. multis modis vitiosa sunt, & heic non expedienda. Peccat in eo quoque, quòd non ex fide explicat, quæ sint *Intemperies sine materia.*

§. 7. Heurnius l. 6. cap. 2. videtur aliquid vidisse, sed in obscura nube. Cùm dicit, *Intemperies vel cum materia est, vel sine materia:* statim subiungit, *Intemperies calida & humida est Inflammatio*, & sic de cæt. At de febribus quid fit, ô Heurni?

CAPVT



CAPVT XIII.

De differentijs Febrium.

§. 1. HÆ ſunt vel *Eſſentiales*, vel *Accidentales*. Illæ petuntur è tribus fontibus: hæ ex totidem, vt ego quidem numero.

§. 2. *Eſſentialium* prima & antiquiſſima pendet à ſubiecto, *Corde*, ceu dictum eſt. Hoc conſideratur, vt Scherbius, ὁ πάνυ, iocari ſolebat, non vt in macello: ſed vt in homine viuo, in quo triplex eſt ſubſtantia. Sunt enim 1. *Spiritus*, in quo *Ephemeræ* febres, ſeu *Diariæ*: ſunt 2. *Humores*, in quibus *Putridæ*, aut ſi diſtinctiùs loqui volumus, *ex Putredine humorum*: eſt 3. *Subſtantia* ſolida, in quâ *Hecticæ*.

§. 3. Harum ſingulæ habent iterum ſuas differentias. Ἐφήμεροι, aut potiùs ἐφημέριοι dicuntur illæ, quæ *vtplurimùm* vltra diem naturalem, ſeu 24. horas non extenduntur. Quo loco explicare oportet veterum mentem, qui, vt dixi, in *ſpiritibus* collocabant: reuerà ſunt potiùs in ſanguinis tenuiori parte. Hinc Gal. 1. Diff. febr. 5. A. & alibi, ait eſſe ζέσιν, *ebullitionem ſanguinis in corde*. Hæc ζέσις cùm fiat à pluribus quidem cauſis, quæ mox dicentur; magnam autem partem ἀπὸ τῆς στεγνώσεως, *ab obturatione pororum cutis*, quæ obturatio opponitur *Inſenſibili* dictæ *tranſpirationi*: ſi contingat illã non curari primo die balneo aquæ dulcis, Medicis nihil minùs quàm balneum cogitantibus, fiunt duæ quaſi παρεκβάσεις τῶν ἐφημέρων, *tranſgreſſiones diariarum*. *Altera* eſt, cùm deſinit quidem calor p.n. intra dictum terminum: ſed redit altero, tertio, & ſic deinceps die, vſque ad ſextum, verumtamen cum iiſdem prorſus ſymptomatis, ſiue vlla putredine, quæ ipſa prohibet nos *Intermittentibus* accenſere. Hæc ita dicitur, ἐφήμερος, ἢ πολυήμερος, ἢ ἐκτεταμένος, *Ephemera vel plurium dierum, vel extenſa*, & ſunt potiùs plures & continuatæ ephemeræ, quàm vna. *Altera* eſt, cùm non deſinit calor, durante ſcilicet στεγνώσει, 9. Meth. 3. ſed pariter in aliquot dies prorogatur. Hæc febris ab Hipp. poſterioribus Medicis dicta fuit συνόχος, quem ipſum in triplici eſſe differentiâ obſeruârunt. Aliquãdo enim calor decurrit æquabili tenore, qualis in Ephemerâ eſſe ſolet, & vocatur σύνοχος ὁμότονος, *quaſi æqualiter tenſa*: aliquando idem calor increſcit quotidiè, & dicitur σύνοχος ἐπακμαστικός, *increſcens*: aliquando tandem decreſcit, & vocatur σύνοχος παρακμαστικός, *decreſcẽs*. Toto hoc tẽpore ſi nihil mutetur in calore, pulſu, vrina, vſque ad finẽ, nominatur *Synochus imputris*: ſin mutetur quid & iam putredinem oleat, *Synochus putris*. Hæc omnia accidunt in plethoricis, qui quò rariores ſunt, eò febres ipſæ rariores ſunt. Sunt autẽ de *Cauſorũ* genere, 2. Criſ. 6. An de *Putri* tantũ accipere hoc oportet? Hæ ipſæ ſunt *febres ſanguineæ* Noſtrorum, de quibus illi tot bonas chartas perdũt. Apud Auic. fit etiam à Cruditate.

Tt 3 §. 4. Cæte

§. 4. Cæterùm, deſideret quis curioſior rationem nominis barbari, vti Gal. appellat 9. Meth. 2. A. τ σωόχος! Dicam breuiter. Ante Hipp. non erant cognitæ febres aliæ συνεχεῖς, *continuæ*, præter illas, quæ hodiéque opponuntur *Intermittentibus*: ideò ſola etiam hæc vox erat, Συνεχής. At poſtquam obſeruatæ fuêre hæ, ne carerent nomine proprio, Σωόχοι vocari cœperunt. At Latinos poſtquam deuoluta fuit Medicina, illas quidem *Continuas* vocârunt Interpretes, has autem *Continentes*. Et hæc de Ephemeris.

§. 5. Τῶν ἐκ τῆς τῶν χυμῶν σήψεως, *Putridarum prima* & potiſſima *differentia* petitur ex naturâ ſanguinis putreſcentis. Aut enim bilioſus eſt ſanguis, qui putreſcit, tu puta in latitudine ſanitatis: aut melancholicus: aut pituitoſus: aut fortè ſeroſus. Et ita loqui ſemper fas, æquúmque erat nos, qui ſanguinem ſolum nutrire volumus, quo etiam modo à multis difficultatibus immunes eſſe poſſumus. At verò quia in vſu artis nihil mutat, ſi loquar cum vulgo Practicorum, vt ſermo ſit conciſior, dicam, *In febribus putridis, aut bilis putreſcit: aut melancholia: aut pituita: aut denique ſerum. Vbi eſt ſanguis ſpeciatim dictus*, aiat aliquis? Non eſt, aiam ego, in rerum naturâ. Qui verò ſubſtitui illi poteſt ſanguis bonus à nobis vocatus, qui conſtituit *Plethoram ſimpliciter dictam* ſuprà: ille *Synochum* facit iam dictum, nec acceſſi debet huc. Ergo manent tres tantùm humores (ſerum enim excluditur ferè, quamuis iniuriâ) quibus putreſcentibus fiunt tres febrium ſpecies, *Exquiſitæ*, ſeu *legitimæ* dictæ, *Tertiana*, *Quartana*, *Quotidiana*: at ſi putreſcant duo ſimul, v.g. bilis & pituita, fit *Tertiana notha*, ſeu *ſpuria*. Ita de reliquis duabus ſpeciebus. Ita, ſi in diuerſis locis putreſcant, fit *Tertiana duplex*, *Quartana duplex*, *triplex*, & ſic deinceps.

§. 6. *Altera differentia*, & huic immediatè cohærens eſt à motu humorum. Aut enim calor eſt perpetuus, ab initio morbi vſque ad finem, & febris fit συνεχής, *Continua*, non σωόχος, *Continens*: aut non eſt perpetuus, ſed remittit modò de die bis, modò de tertio in tertium, modò de quarto in quartum, & fit *Intermittens*. De illis hoc habendum eſt. Aut æqualiter decurrunt, hoc eſt, ad ἀπυρεξίαν non perueniunt, & retinent nomen generis, *Continuæ ſimpliciter*: aut inæqualiter eunt, hoc eſt, ad ἀπυρεξίαν quidem non deueniunt, ſed tamen manifeſtas habent remiſſiones & intenſiones, & dicuntur *Continuæ cum additione*, τριταιοφυεῖς, τεταρτοφυεῖς, ἀμφημερινοφυεῖς. De his vulgo perſuaſum eſt hoc, Bilem quidem ſemper moueri de tertio in tertium: melancholiam autem de quarto in quartum: pituitam ſingulis diebus. Et hinc eſſe *Tertianas*, *Quartanas*, *Quotidianas continuas*.

§. 7. Quo loci præterire non oportet illud, *Iudicium de continuitate & intermittentia febrium non pertinere ad vulgus, ſed ad Medicum*. Non enim ſi ſingulis quis diebus febricitat, propterea continuâ febre laborat. Eſt autem triplex ordo febrium, quæ videntur continuæ, & non ſunt. *Primus* eſt ille, cuius memini, cùm ipſæ intermittentes

[illegible]

copulantur inter se, & fit *Tertiana duplex*, *Quartana duplex*, *triplexve*. *Secundus* est, cùm Intermittentium paroxysmi tam longi sunt, vt, antequam desinat hic, adsit alter. Et hoc vocant *per subintrantiam*. *Tertius* est, cùm Intermittenti alicui miscetur Continuarum aliqua, qualis est *Semitertiana*, de quâ postea.

§. 8. Heic cogitat animus humanus, *Quæ causa sit varietatis huius*? cur, inquam, febris quædam perpetua sit, quædam periodos habeat, seu paroxysmos? Vetus est sententia, & à Gal. multis locis inculcata, à Practicis nostris libenter acceptata, *Continuas esse intra vasa: Intermittentes extra illa*. Hæc cùm multis pateat instantiis; & verò Gal. ipse 9. Meth. 5. A. & iterum 11. Meth. 4. A. aliud doceat: quid faciendum? Expedio me paucis, *Continuæ* fomitem habent in ipso thorace; *Intermittentes* in abdominis viscerum aliquo.

§. 9. Cogitat etiam hoc, *Cur paroxysmus modò incidat singulis diebus? modò tertio, modò quarto*? Absque ambagibus, Accipio *primùm* pro vero, quod Galen. in genere docet, 2. Diff. febr. vlt. de dispositionibus rheumaticis, Tum cieri defluxiones, cùm tantùm humoris collectum est, quantum onerare potest naturam. *Deinde* in specie cum Capiuaccio dico, Tum exacerbari febres, cùm in foco febrili humoris copia tanta est, quanta naturæ molesta est. Verumenimverò moneo lectorem meum, Non tantùm esse tribuendum diebus, quantum tribuit vulgus Practicorum, quod asseueranter dicit, *Mouetur tertio die, Ergo est tertiana*. Quinimò symptomata propria vniuscuiusque febris sunt inspicienda, vt prudenter monet Simonius in Synopsi febrium, de qua suprà. Quare in Secretario Saxonico, de quo ille, Quartana latebat sub typo tertianæ. In tertiana nostra Epidemia, de qua dixi, sæpiculè vidi typos in declinatione quartanos. At verò quia symptomata non erant alia, quàm fuerant toto morbi tempore, iussi ægros esse securos. Et respondit euentus.

§. 10. Hinc pendet quæstio, *An dentur typi plures tribus toties dictis*? Audio Cæsalp. 1. Quæst. Med. 10. 2. Artis 15. cui manus etiam dat Sennertus noster, 2. Feb. 17. *non dari*: sed referri debere ad humorem illum, qui per symptomata sua se ostendit. Et hæc de Putridis quoque.

§. 11. *Hecticarum* vulgò triplex gradus statuitur, pro ratione triplicis alimenti apud Hipp. μέλλον τροφὴ, *futurum alimentum*, οἷον τροφὴ, *mox futurum*, τροφὴ, *iam alimentum*. Hac de re legatur laudatus modò Cæs. 2. Febr. 10. vbi in angustum cogit, quæ fusè docuerat 1. Quæst. med. 11. His ego addo, Cùm ad tertium gradum peruentum est, iam esse *Hecticam exquisitam*, quæ eadem est cum *Marasmo* περιφρυγεῖ, *torrido* dicto. Hæc essentialium differentiarum prima est, cum suis, vt ita dicam, subdifferentiis.

§. 12. Succedit *altera*, quæ est à modo inhæsionis, & pertinet ad prognosticum, vt puto. Quædam enim febris apud Gal. consistit ἐν τῷ τεθερμάνθαι, *in calefacto esse*, vt Hectica; quædam ἐν τῷ θερμαίνεσθαι, *in calefieri*, vt reliquæ duæ.

§. 13. *Tertia*

§. 13. *Tertia* est, quædam febris primaria est, quædam symptomatica. Nihil enim vetat nos ita loqui, licèt alibi aliter senserim. Illa est, de qua agimus, quæ est *Intemperies nuda*: hæc est, de qua non agimus, quæ pendet ab *Inflammatione* (latè accepto vocabulo) & habet ferè nomen peculiare, *Phrenitis, Pleuritis*, &c.


§. 14. Accidentalium differentiarum Prima est à *Caloris magnitudine & paruitate*. Est autem *Ephemera* quidem semper parua, ratione essentiæ suæ: *Hectica* autem contrà tantò vehementior, quò longiùs progressa est. *Putrida* tribus modis est magna, vt omnis morbus magnus, *Aut ratione* partis affectæ, *aut* propriæ essentiæ, *aut* malignitatis. Secunda subest primæ, & à more petitur. Hinc febris aut est ἠήθης, *benigna*, aut κακοήθης, *maligna*, sub qua *Pestilens* est. Tertia à tempore est. Quædam breuis est, & sine periculo, vt Ephemera: quædam breuis quidem, sed cum periculo, vt Putrida quædam biliosa, ὀξεῖα, *acuta* dicta. Quædam longa est, & cum periculo, siue illa à subiecto pendeat, vt *Hectica*: siue ab humore crasso & frigido, cachexiam & hydropem minante, vt *Quotidiana* & *Quartana*.

ABERRATIONES.

§. 15. Fuchsius l. c. nimis simplex est, cùm ita nudè acceptat *spiritus* pro subiecto Ephemerarum. Profectò opus est προσδιορισμῷ, quam dixi. Idem fallitur, cùm *Ephemeras plurium dierum* confundit cum *Synochis*. Idem imponere vult nobis, cùm ait, In putridis fieri putredinem vel intra, vel extra vasa, & subitò *Synochum* introducit. Vt enim dixi, nec negat ipsus, is degener Ephemera est, & à priscis nunquam huc tractus fuit. Idem nimis præceps est, cùm à putredine extra vel intra vasa sumit differentiam *Continuarum* & *Intermittentium*. Qui defendere illum volet, videat Saxoniam, præceptorem, 8. Pract. 6. aut potiùs Sennertum nostrum, 2. Febr. 16. In tribus Continuarum speciebus miserè fallitur, à Gal. sententia prorsùs deuius. In diagrammate, seu tabulâ quàm delirat, cùm *Synochum putrem & imputrem* tantoperè diuellit! Imò inter humorales dictos *Synochus* nunquam fuit. Qui autem ex Gal. 2. Diff. feb. 2. affertur locus in hanc rem, interpolatus est, vt ostendo in Patholog. cap. 294. In eodem diagr. cur contradistinguit *Marasmum ab Hectica*?

§. 16. Sennertus

§. 16. Sennertus heic quidem extra teli iactum est: Liddelius verò, quauis glacie frigidior est, contentus quippe vnâ solâ à subiecto differentiâ.



CAPVT XIV.

De causis Febrium.

§. 1. DVplices cùm sint, vt suprà comprehensum fuit, de vtrisque sciendum est, Galenum in genere quidem de illis agere, de Caus. morb. 2. A. in specie autem 1. Diff. feb. 3. B. vtrobique *παχυλῶς*, *crassâ Mineruâ*. Quare qui accommodare vellet, illum oporteret de singulis seorsim dicere, vt intelligat, quæ causæ quibus febribus ciendis idoneores sint.

§. 2. Quod ad *Externas* seu *προκαταρκτικάς*, quæ eædem *Remotæ* sunt, quinque constituit Gal. quas ita colloco.

§. 3. I. est *Motus*, qui duplex iterum est, *Corporis* & *Animi*. *Illius πόνους*, *labores* facit, siue quis studio sibi imperet, suæ spontis aliàs: siue in vocatione quisque suâ cogatur obire. Hi labores faciunt febres, cùm exercitio illo ita intenditur calor, vt ad Cor translatus ibi efferuescat, & læsio actionum sequatur. *Huius Affectus animi* dictos, quorum alij febrire nos faciunt eâdem illâ efferuescentiâ, siue primariò, vt in irâ, siue præuiâ concentratione, vt in mœrore: alij aliter fortè.

§. 4. II. Vicinia corporis calidi, vt siquis diu sub Sole sit, in thermis, ad ignem stet.

§. 5. III. Siquis edat calidiora, vt aromata, allium, cepe, bibatque vina generosa in copiâ.

§. 6. IV. Vt intelligatur, repetere oportet ex Physiologicis, Homini datam esse *τὴν ἄδηλον αἰσθήσει διαπνοὴν*, *insensilem per cutim transpirationem*, quâ prohibitâ, vel copiâ excrementorum tertiæ coctionis, vel frigore, vel natatione in aquis aluminosis, affectus fit, qui *στέγνωσις*, *adstrictio*, *cohibitio*, *obturatio pororum cutis* dicitur. Ab hoc affectu oritur febris, conculcato intùs calore, & per consequens ita accenso, ob denegatam ventilationem, vt homo non possit præesse rebus suis.

§. 7. V. *Σῆψις* est, *Putredo*, de quâ obseruandum est discrimen. *Aut* enim fit in Inflammationibus dictis, vnde febres symptomaticæ, quæ huc non faciunt. In his enim dum pus fit, febris & dolor, 2. Aph. 47. *Aut* fit in latitudine sanitatis, cùm sanguis gignitur vitiosus, in quo, accedente calore, *σύγκαυσις* potiùs fit, quàm *σῆψις*, vt in Patho-

log. distinxi. *Aut* denique fit in febribus malignis, contagiosis & pestilentibus, in quibus propriè σῆψις est. Atque vt σύγκαυσις est in *qualitatibus manifestis*: ita σῆψις est in *Totâ substantiâ* Gal. quæ à qualitatibus occultis Nostrorum non differt. Et hæc de Externis.

§. 8. *Internæ*, quæ & προηγούμεναι, & *Propinquæ*, sunt in sanguine, quem dixi modò, vitioso. Si enim copiâ peccet, quæ *Plethora* est *simpliciter* dicta, fiunt *Synochi*: si qualitate, quæ *Plethora est cum adiectione* vocata, fiunt febres *Putridæ*, eæque *Benignæ*: si tandem *Cacochymia* sit, quæ est διαφθορὰ, vt dixi, accidunt *Malignæ*, & *Pestilentes*. Et ita loqui nos iubet ipsa rerum natura: si verò quis concisiùs, moréque Medico proponere velit, ei sanguini bilioso licet substituere bilem, & sic de cæteris, ceu prædixi.



CAPVT XV.

De symptomatis Febrium.

§. 1. HEic præmonendum est illud, *Symptomata* dicere me heic, quæ in Patholog. *signa* vocaui. Nimirum, eius sum sententiæ, signa nulla dari, quæ non sint symptomata.

§. 2. Horum alia in genere febres indicant, de quibus iam: alia in specie, febrim hanc, de quibus postea. Ea, de quibus agimus, sunt triplicia, 2. Caus. sympt. 5. B.C.E. ad actiones læsas pertinentia.

§. 3. *Primum* est ἀνωμαλία, *Inæqualitas* quædam, orta ex tertiæ coctionis excrementis. De hac scribit Gal. Plerosque ante febres sentire tale quid, nec tamen explicare satis posse. Hic ipse affectus δυσαρέστεια, *displicentia* dicitur, 8. Meth. 3. A.

§. 4. *Secundum* est κόπος, *Lassitudo*, non partis vnius, sed totius corporis. Et est triplex. Aut τονώδης, *tensiua*, ex plethorâ sanguinea: aut ἑλκώδης, *vlcerosa*, ex plethorâ biliosâ: aut φλεγμονώδης, *inflammatoria*, ex vtraque iunctâ. Incidunt, vel spontè, vel postquam vehementius exercitium obiuimus. Vide 3. San. tu. 5. *Tertium* est Pandiculatio.

§. 5. Præter hæc sunt tria alia, quæ videntur differre à seipsis secundùm magis & minus tantùm, quamuis reuerà non sit ita, vt dicam, *Frigus*, *Horror*, & *Rigor*.

§. 6. Ψύχος τὸ, *Frigus* fit, cùm Calor natiuus, qui mediante pulsu in corpus didi debebat, non diditur. Hoc accidit, cùm Cor à vaporibus febrilibus ita vexatur, vt liberè agere non possit. Propterea est priuatiuum quid tantùm, & sine motu.

§. 7. Φρίκη, & poëticè φρίξ, *Horror* fit, cùm post impedimentum illud cordi allapsum, è corde in habitum seu cutim truduntur acres & stimulantes

mulantes vapores, qui *Membranam carnosam* irritantes, producunt motum leuiusculum, quem *Horripilationem* ex Apuleio vocant. Heic (meâ opinione) Duo distincta sunt, *Frigus* quidem priuatiuum: *vapor* autem positiuus, siue is calidus sit, siue frigidus, vt Gal. vult. Hæc qui confundunt, non possunt respondere ad problemata quædam.

§. 8. Ρῖγος τὸ, *Rigorem* ab horrore distinguunt vulgò causæ tantùm magnitudine. Ego verò longè aliter sentio, & dico, *Rigorem omnem esse conuulsionem quandam*, quæ non fiat, nisi translatis ad cerebrum, præcipuè quà neruorum principium est, vaporibus acribus copiosis, quibus in neruos receptis, & ad musculos detrusis, fiat id, quod videmus. Hunc ordinem persuadet mihi ipsa rei natura. Cùm enim rigor tam valida sit musculorum totius corporis concussio; in musculos autem alia via non sit, quàm ea, quæ per neruum: quis vitio mihi vertat, si huc diuertam?

§. 9. Quæris de tribus his symptomatis posterioribus, *sitne in omnibus febribus necessariò vnum ex illis?* Neutiquam verò. De *Ephemeris* negant penè omnes. Ad hos ita accedo, vt putem deceptos fuisse eos, qui dicunt vidisse se tale quid: Putridæ enim fuerunt. De *Hecticis* pariter negatur. Nam qui in iis ponunt, quæ Causos sequuntur, ludunt nos. An in iis accidere potest horum aliquid, quæ à destillationibus sunt? Restant ergò solæ *Putridæ*: sed quæritur, *Æqualiterne in Continuis & Intermittentibus sit?*

§. 10. Hoc antequam definiatur, opus est limitationibus quibusdam. Non est nunc sermo mihi, de quouis cutis motu: sed de insigni, eóque febrili. Non est etiam sermo de febrili illo, qui in declinatione febris salutaris est, & *Criticus* dicitur: sed de illo, qui in principio febris vniuersali apparet. Quo ipso excluditur ille, qui in febribus symptomaticis est, cùm vomica rumpitur. Item qui in catarrhis est. Moneo verò hoc quoque, Rigorem hunc ab autoribus non semper dici suo nomine: quin sæpè *Horrorem*, quemadmodum contrà *Horror* dicitur aliquando Rigor. Ita de *Frigore* quoque.

§. 11. His præhabitis quæro, *Estne verum, quod in triuiis auditur, vt in Intermittentibus omnibus semper est horum trium aliquod, adeóque est pathognomicum illorum signum: ita in Continuis nihil tale accidit?* Neutrum est verum. Quin, vt in *Intermittentibus*, aut nihil horum aliquandò est, aut leuiculum tantùm: ita in *Continuis* nonnunquam se exserit tale quid. Hac de re vt dubitarem, primus fecit diligentissimus Simonius in Synopsi laudatâ: vt diligentiùs inquirerem, Gal. ansam mihi præbuit, 1. ad Glauc. 5. A. Inquit enim, *Rigorem initio febris afferre tantùm* ὑπόληψιν, *suspicionem Intermittentis.* Et addit, *Rigorem ab initio paruum posse etiam Continuam signare.* Interim ignorare non possum, Gal. alibi *Continuis* negare, cùm loquitur ex alienâ sententiâ. Et viderunt in continuis Nostri. Propterea moneo, & claris verbis edico, Caueant adolescentes sibi à temeritate illorum, qui dicunt: *Venit febris cum frigore, horrore,*

rigore, Ergo est Intermittens: Venit sine his, Ergo est Continua. Imò longè pluribus est opus, vt res sit solida.

ABERRATIONES.

§. 12. Fuchsio minùs succenseo, qui non meminerit horum symptomatum, quàm Sennerto, qui bis (f. 304. b. & 424. a. Secundæ edit.) attulit, sed vtrobique satis nudè. De posteriore loco tantùm dicam. Cur *Inæqualitatem* omittit? Cur *Laßitudines* extremo digitulo tangit solùm? Sed & cur *Frigoris* mentionem non facit? Hic enim imus est gradus posteriorum trium. *Horroris* & *rigoris* eandem esse causam, nisi quòd huius vehementior sit, cui persuadebit, nisi pedaneo? Neque enim idem est cutim vibrari, & totos artus, quin totum corpus concuti. Quàm verò malè consulit sibi, cùm, repudiatâ sententiâ Gal. de motu Caloris natiui reciproco, quam profitetur l.de Trem.& palp.5. applicat se illi, quam habet 2. Caus.6.10. Meth.4. fieri rigorem, cùm irritata facultas expultrix vult expellere, & eiicere, quod noxium est. Vtraque enim æquè falsa est. *Prior*: cui enim verosimile sit, Calorem s. n. agere opera p.n. mouere, inquam, contra voluntatem? Scio magni nominis viros defendere: sed profectò parum consulunt honori suo. *Posterior*: quis enim nescit, expultricis motum esse insensilem, adeóque æquiuocum? at rigor est motus vniuocus. Ideò fit cùm vapor p.n. calorem s.n. mentiens, insinuat se in musculos, & causatur κλόνον illum. Sed & cui persuaserit, ad excitandum rigorem, in quo tota agmina musculorum impetuosè rapiuntur huc illuc, satis esse, si acre quid ad cutim feratur? Neque dicas mihi, musculos commoueri. Quæ enim communio membranæ carnosæ, musculis instratæ, cum musculis? De causis rigoris, à Sennerto datis, quid dicam? Sed dicant alij.

§. 13. Liddelius l. 3. cap. 8. de *Inæqualitate* vidit aliquid: de *Laßitudinibus* parum: de *Frigore* nihil, vt & de *Horrore* & *Rigore*.

§. 14. Heur

§. 14. Heurnio, qui l. 8. cap. 1. vult distinguere signum à symptomate, dico in aurem, *si symptoma est id, quod morbum sequitur, cur morbi signum non est*? Est enim ἐπιγέννημα ipsius, vt veteres loquebantur. Idem in definitione rigoris cap. 2. ridiculus mihi fit, cùm non dicit, qualis sit affectio caloris natiui. Et cur *Motum* tanto interuallo postponit? Qualia verò sunt, quæ de horrore dicit, qui sit semitertianæ proprius? Imò, qualia, quæ de originatione τ͂ ἡμιτριταίϐ? & quorsum hoc loco?



CAPVT XVI.

De symptomatis Febrium in specie: & primùm de Ephemera.

§. 1. LIbet heic rationem dare illius, quod suprà dixi, *Spiritus* non posse esse subiectum *Ephemeræ*. Subiectum febris debet esse stabile: at spiritus sunt in perpetuo motu. Imò, cùm ne sint quidem, sed in perpetuo fieri, quomodo affectus firmus possit illis imprimi? Interim non est agendum duriùs cum iis, qui ita loquuntur.

§. 2. Febrium hæc *omnium simplicissima* est, hoc est, paucissimis & securissimis comitata symptomatis. Hoc accipere oportet cum reduplicatione Arist. *Quatenus Ephemera*. Si enim non ritè soluatur τεχνωτῶς, (putà, si ab illâ sit) facilè abit vel in *Synochum*, vel in *Putridam biliosam*.

§. 3. *Primum & inseparabile* eius symptoma est, Calor quidem talis & tantus, qui lædat actiones: sed mitis, & is quidem ferè semper à causâ externâ. Hinc *pulsus* (2.) etiam aliam mutationem non subit, præter illam, quæ in magnitudine, & celeritate est, sine omni θλίψει, seu *inæqualitate febrili*. *Vrina* (3.) etiam nullam alterationem aliam ostendit, quàm quòd rubicundior est.

§. 4. *Vltimum* symptoma est in *Excretis*, quatenus sudor vel madorin declinatione subsequens, non est à naturâ simpliciter agente: sed à naturâ irritatâ à morbo. Hinc symptoma est, non opus naturæ.

CAPVT XVII.

De Hecticâ.

§. 1. CVr huc collocas? Quia symptomatum paucitate similis est *Ephemeræ*. Sed & *calor* ad sensum non est magnus. Differt autem, quòd *Ephemeræ calor* sit qualis est ignis in stramine: *hecticæ*, qualis in ligno. Et est hic quidem perpetuus: sed qui post singulos pastus, vnâ, duabúsve horis, exacerbatur. Hic calor post aliquod tempus inducit alium morbum in imminutâ magnitudine, à quo altera virium læsio.

§. 2. Grauissima quæstio est, *Fiátne aliquando ab initio? Pulsus est debilis & durus. Vrinæ variæ*, non præcedente vel ephemerâ, vel putridâ? Scio, qui dicunt, *Minimùm Ephemeram præcedere.* Ego non video proportionem inter calorem huius & illius. Propterea censeo, semper esse asseclam *Putridarum*, præsertim τῶν καυσωδῶν, nisi à destillatione originem habeat. Ab hac enim ortam hecticam cum sputis rotundis, vidi occîdere intra trimestre.

CAPVT XVIII.

De Putridâ in genere.

§. 1. COmplectior huius symptomata numero senario. I. est *Calor* acris, quem Gal, 1. Diff. febr. 7. F. vocat *maximum putridarum indicium.* Nam in reliquis non est talis. II. Absentia causæ procatarcticæ. Hoc verò vtplurimùm ita est, non semper. III. *Pulsus* semper inæqualis est, hoc est, systole velocior est, quàm diastole. Tu puta, Quatenus est putrida. IV. In *Vrinis* opus est hac distinctione. Si statim adsit *Putrida*, sunt crudæ semper: sin præcedat *Ephemera*, non semper. V. Quærere debet Medicus, præcesseritne vel *Inæqualitas*, vel *Lassitudinum* aliqua, vel *Frigus* cum suis affinibus? *Rigor* ferè tertianam intermittentem significat: *frigus* & *horror* tam quotidianam, quàm quartanam: quin aliquando continuam. In *Intermittentibus*, vel ab initio statim vomitus adest, deiectióve, vel postea adest, & sudor in declinatione. VI. Comites putridarum ferè sunt sitis ingens, dolor capitis, deiecta appetentia, &c.

§. 2. Quo

§. 2. Quo loco videtur addendum esse illud, *Continuas* quidem habere quatuor sua tempora, quæ singuli habent morbi, principium, augmentum, ἀκμὴν, seu statum, & declinationem: *Intermittentes* habere pariter, sed singulos paroxysmos habere seorsim quatuor sua tempora, iisdem nominibus insignita. Hoc non magis explicabit quis, quàm illud, *Quâ ratione quatuor facultates Ministræ dictæ seruiant ventriculo, v.g.& publicè, quà coquit pro toto: & priuatim, quà nutritur?*



CAPVT XIX.

De symptomatis Intermittentium in specie: & primùm Tertianæ tam exquisitæ, quàm spuriæ.

§. I. HAs præmitti fas est *Continuis*: quia paroxysmi, qui in *Intermittentibus* sunt euidentissimi, in *Continuis* quibusdam aliquo modo sunt. Intermittentibus reliquis præpono *Tertianam*: quia reliquis conspectior est, & vulgatior. Quin ait Gal. 2. Cris. 3. A. nisi quis primo statim die agnoscat *Tertianam*, fore, non asinum Thessalicum, sed lapidem, quin molarem, &c. Exquisitæ iungo spuriam: Illa enim fit, cùm omnia attestantur generationi bilis, hæc cùm quædam vel pituitæ, vel melãcholiæ. Ita loquor: quia posterior quoque mistura datur, licèt raro.

§. 2. In his, quò I. *Rigor* est vehementior, eò exquisitiores sunt. Heic verò soliciti sunt quidam, vnde petant frigus? Ego in vado sum, qui frigus dico esse priuatiuum, nec habere nexum essentialem cum vaporibus acribus, qui κλόνον illum faciunt. Sunt autem duo heic notanda: 1. Primis diebus rigor non necessariò vehemens est: sed increscit sequentibus diebus. 2. Non est diuturnus, ob bilis tenuitatem.

§. 3. II. Cùm *Calor* post rigorem incipit se explicare, est ille purus, non fumosus: sed qui tam ægro, quàm Medico acrimoniam exhibet, non diu durabilem. Cùm ventum est ad ἀκμὴν, intensus est calor, cum siti ingenti: verùm non oportet bibere, vsquedum mador aliquis se ostendat, qui signum dat instantis declinationis, in quâ Medicus, ad promouendum sudorem, tutò præbere potest bonum haustum aquæ hordeaceæ. Hæc omnia accidunt intra tres minimùm horas, maximùm duodecim. Has si excedat, iam non ampliùs *Exquisita* est, sed *Spuria*, quæ & *Extensa* dicitur, & est ferè *Chronica*.


§. 4. III. Ad proportionem horarum accommodant se paroxysmi. Vltra enim septem esse non debent, quamuis pauciores esse possint. Septimum si transilierit, iam spuria est.

§. 5. IV.

§. 5. IV. *Pulsus*, imminente rigore, paruus est, debilisque, qui cum calore increscente increscit, cum manifestâ inæqualitate febrili.

§. 6. V. *Vrina* in aliis alia est, ruffa, inquam, magis minùs, pro ratione bilis. *Contenta* modò habet, modò non habet. Quæ non habet, argumentum dat febrim non cessuram intra septimum paroxysmum: quæ habet, tertio finiri potest. Hinc leuissima & mitissima Gal. dicitur.

§. 7. In *tertianâ Spuriâ* horror tantùm est, qui durat ad quatuor, vel quinque horas. Qui succedit ei *calor* non est insignis, & qui tardè venit ad ἀκμὴν, intra 18. aut 24. horas. In declinatione primorum paroxysmorum raro accedit, vel sudor, vel vomitus: at in declinatione morbi vniuersali superueniunt sudores, ab initio pauci, posteà copiosiores. *Pulsus* sunt duri ad septimum vsque paroxysmum, post quem fiunt molliores, & febris mitior. *Vrinæ* sunt crudæ vsque ad eundem septimum. Nisi rectè tractetur, periculo non caret.



CAPVT XX.

De symptomatis Quartanæ exquisitæ & spuriæ.

§. 1. Tertianam à quartanâ qui non discernit primo die, Medici nomine indignus est, inquit Galen. 2. Cris. 4. extr. Hoc quò minùs fiat apud nos, obstat inter alia hoc, quòd non distinguimus inter *Melancholiam* & *Atram-bilem*. Quartana enim fit à sola Atra-bile. Sed neque rectè distinguimus à se inuicem *Atræ-bilis species*, de quibus in tract. de Humor.

§. 2. De hac febre hoc est habendum; Primis quidem paroxysmis adesse solùm *horrorem*, vt in tertianâ nothâ, sed cum pandiculatione & oscitatione, idque ob humoris crassitiem: seq. autem adeò increscere, vt fiat similis illi, qui sub intensissimo frigore accidit, hoc est, cùm dentes crepant, totúmque corpus vehementer concutitur, cum ὀστοκόπῳ Græcis dicto. At quei humor crassus ita penetrare potest? Ob ἐμπύρευμα, puto.

§. 3. Horrori succedens *calor* nihil simile habet cum tertianâ. Non enim subitò effulget: sed paulatim augescit, veluti lapis incendatur, aut testa. Interim acris est ipse quoque.

§. 4 *Pulsus*, cessante horrore, fiunt tardi & rari vsque ad ἀκμὴν: post illam frequentes quidem fiunt, sed in tarditate constantes. *Vrinæ* sunt variæ, sed crudæ omnes: in augmento colorantur, cum multâ subsidentiâ.

§. 5. *Paroxysmi* cum tertiana comparari non debent, sed cum quotidianâ. In quartanâ exquisitâ ferè sunt longiores: in spuriâ, cùm

iungitur

iungitur humor calidus, sunt breuiores. Intra tamen 20. horas non desinunt. Longissima est vtraque, sed secura. Tu puta, *Quatenus quartana.*




CAPVT XXI.

De symptomatis Quotidianæ exquisitæ & spuriæ.

§. 1. NEque *horror*, neque *rigor* heic vllus est: sed frigus tantùm vtplurimùm. Ita dico: aliquando enim horror adest. Frigus excipit *calor lentus*, & quasi sub cineribus suffocatus, fumosus, quasi à lignis viridibus. Habet acredinis aliquid, sed postquam manus diu inhæsit. *Pulsus* sunt inæquales, debiles, parui. *Vrinæ* albæ, modò tenues, modò crassæ. Cùm iungitur illi humor calidus, leuiora sunt ea, quæ dicta sunt. Rara est, sed periculosa.

§. 2. Videtur hæc febris non in vasis tantùm esse, quo casu horrorem habet: sed & in ventriculo, corruptâ ibi pituitâ acida, vitreâue. Et tum verum est, quod Gal. ait 1. ad Glauc. 14. A. os ventriculi affectum esse, quo non corroborato, periculosam esse.



CAPVT XXII.

De Intermittentibus compositis.

§. 1. HOc accidit duobus modis. Aut enim fiunt διὰ κρᾶσιν, ἢ μίξιν, (heic enim non distinguuntur,) & *Confusæ* dicuntur: aut διὰ συμπλοκὴν, & *Implicitæ* vocantur. Illæ fiunt, cùm in duobus, tribúsve focis diuersis diuersi putrescunt humores, è quibus ascendentes ad cor vapores, eâdem horâ febrim faciunt, in qua symptomata tam sunt diuersa, vt non possint ad vnam febrim referri. Hæ, cùm ex diuersis pariter focis vapores eunt sursùm, sed diuersis horis, & licet distinguere febres.

§. 2. Quæstio est, An dentur etiam *Continuæ compositæ*? Nondum credo asserentibus. Fortassis enim viderunt τεταρτοφυεῖς, &c.



CAPVT XXIII.

De Tertiana, Quartana, Quotidiana, duplici, triplicíve.

§. 1. FVndamentum heic est, humorem constituere vniuscuiusque febris ideam, non periodum tertianam, quartanam, quotidianam. Ergo si quis febricitet singulis diebus, sed cum iisdem symptomatis: erit, vel *Tertiana duplex*, vel *Quartana triplex*, vel *Quotidiana*. At verò duplex erit Quartana, si per duos dies febris infestet, tertio immuni. Quotidianam *duplicem* dari credo: quæ videlicet intra 24. horas bis ingruat: *triplicem* non credo.

§. 2. Potéstne fieri, vt febris quidem diem habeat vacuum, sed vno die bis inuadat? Potest. Vocant Practici, non Tertianam duplicem, sed duas Tertianas.

§. 3. Huius rei quæ causa? iam dixi, diuersi foci, in quibus tamen vnus humor putrescit, qui eiusdem generis symptomata causatur. Et hæc est συμπλοκὴ iam dicta.

§. 4. Potéstne fieri, vt ex diuersis focis diuersi eleuati vapores, faciant febres diuersas? Potest. Et hæc iam est alia συμπλοκὴ.



CAPVT XXIV.

De symptomatis Erraticarum.

§. 1. MOtibus ordinatis iure succedunt inordinati. Ita dico: quia ἄτακτοι etiam dicuntur οἱ πλάνητες πυρετοί. Sed quâ in re consistit *Error* ille? Si, inquit Gal. 3. Progn. 23. atra bilis quibusdam locis sit in motu, quibusdam immobilis, aliis quibusdam incipiat moueri. Ex 2. Diff. feb. 11. licet extendere latiùs. Duo ibi recensentur, quæ peruertunt ordinem paroxysmorum. *Alterum*, mutatio humorum, ob crebram illorum alterationem, dum modò excalefiunt, modò refrigerantur, modò in hanc, modò in illam partem truduntur. *Alterum*, error in victu. Si enim in latitudine sanitatis etiam, impura corpora læduntur, 2. Aph. 9. quantò magis in febre diuturnâ (in his enim ferè contingunt erraticæ) id accidere poteſt?

§. 2. Vbi monitione opus est, Non esse huc pertrahendas febres

illas,

illas, quæ vel anticipant, vel postponunt. Cùm enim in eo ipso sit ordo, facile est videre, quid statuendum sit. Et hæc de Intermittentibus.



CAPVT XXV.

De symptomatis Continuarum.

§. 1. PRimum omnium heic amoliendum est id, Agiheic de Continuis illis tantùm, quas συνεχεῖς vocant Græci, non de iis, quas συνόχυς. Quâ confusione à Nostris admissâ, quid non mali inde?

§. 2. Hæ sunt duûm generum. *Aut* enim retinent nomen genericum, & sunt illæ, quæ vno, continuóque constant paroxysmo, qui comprehendit omnia quatuor morbi tempora. *Aut* retinent quidem, sed cum additione vocantur τριταιοφυεῖς, τεταρτοφυεῖς, ἀμφημερινοφυεῖς, *hoc est, Continuæ, quæ sapiunt naturam vel tertianarum, vel quartanarum, vel quotidianarum, quia vel tertio quôque die, vel quarto, vel singulis diebus accessiones & remissiones habent, licèt ad ἀπυρεξίαν non perueniant.*

§. 3. Hodie, priores quidem nominantur *Synochi biliosi, melancholici, pituitosi*, magno cum errore: posteriores autem *Tertianæ, quartanæ, quotidianæ continuæ*, magnâ cum absurditate. Quod enim continuum est, quomodo v.g. tertianum est? Erat quidem apud Veteres quoque tale quid: sed postquam concinniores appellationes nacti sumus, quorsum hæremus in luto?

§. 4. Quod ad symptomata, paucis licet nobis defungi. Quæ enim signa *Combustionis* (quæ *Putredo* est impropriè dicta) sunt in *Putridis intermittentibus*: illa heic quoque sunt, sed in gradu excellentiori. Ab his symptomatis, vtpote valdè insignibus, quia Veteres peculiaria acceperunt nomina, explicabo ea heic, introducturus hac quoque ratione ad priscam sapientiam.



CAPVT XXVI.

Syllabus appellationum, Continuis propriarum.

I. Ἁλμυρώδεες πυρετοὶ, *salsæ febres* apud Hipp. 6. Epid. 1. t. 29. apud me sunt eædem cum τῇ λιγνυώδεσι, *fauillosis*, 3. Art. 47. Vt iam non simpliciter *Acres* sint, sed κνησμώδεις, *pruriginosæ*, quales ferè sunt in febribus ab atrâ bile, à quâ vapores sunt tam acres, vt fenes &

alij, qui huc inclinant, quaſi vrticâ cædi ſe putent.

II. Ασώδεις. Vbi id tenendum eſt, cùm ἄση duo ſignificet apud Medicos, febres ἀσώδεις ſunt illæ, quæ, propter affectum os ventriculi, *iactationem & inquietudinem perpetuam coniunctam habent*, vnde ἀφόρητοι καὶ δυσφόρητοι, *intolerabiles* dicuntur hæ febres. III. Βληχροὶ, *debiles*, dicuntur etiam μαλθακοὶ, *lentæ*, & χλιαροὶ, *tepidæ*. IV. Δακνώδεις, vt ſeparentur ἀπὸ τῶν ἁλμυρωδῶν, explico ſimpliciter de *Mordacibus iis*, quæ remittunt, vti manu victæ fuerint, vti iam expono Hippocr. V. Quædam ſunt ἐξέρυθροι, *quæ faciem intensè rubram repræſentant*: quædam ἔξωχροι, *quæ eandem, quaſi croco tinctam*, qualis in biliosis: quædam πέλιοι, qualis in pituitoſis, qui *liuidam* oſtentant. VI. Ηπίαλος (hanc enim ſcripturam præfero, & deriuo ἀπὸ τοῦ ἠπίως ἀλεαίνειν, *modicè calefacere ſeu vrere*) qualis ſit febris, equidem neſcire me fatebor. Non eſſe illam, in qua ægri ſimul vehementer calent, ſimul rigore concutiuntur, certus ſum. Imò ne dari quidem talem febrim puto, vel ideò quia ipſi autores dicunt, vtramque qualitatem eſſe ἄμετρον, *vltra mediocritatem.* VII. Ημιτριταῖος, (ἡμίτριτος falſum eſt) *Semitertiana*, penè monſtrum febris apud me eſt. Vide Patholog. cap. 312. VIII. Κακοήθεις καὶ εὐήθεις, *malignas* & *benignas* ita diſtinguo, vt benignæ ſint intra terminos primarum qualitatum: malignæ à Tota ſubſtantia ſint. Apud pleroſque omnes τὸ *Malignum* natat in ſummis labiis, nec quiſquam dicit, quid rei ſit. IX. Καῦσοι, ἢ καύσωνες, ipſa denominatione produnt vafritiem ſuam. Sunt duo illorum ſymptomata, *Calor flagrantiſſimus*, cum *ſiti clamoſa*, vt quidam loquuntur. Horum vtrumque ſi adſit, eſt Cauſus exquiſitus: ſi alterutrum, ſpurius. An cum ſpuriis idem ſunt πυρετοὶ καυσώδεις; *febres quodammodo Cauſi naturam referentes*, qualis ſynochus, & tertiana continua exquiſita? fortaſſis aliquando etiam intermittens? Rurſus, Cauſus alius benignus eſt, alius malignus. Ille, cùm corpus æquabiliter flagrat: hic, cùm extrema frigent. An benignus eſt *Synochus putris*, malignus tertiana continua ſic dicta? X. Κοπώδεις nullo modo ſunt *Laborioſæ* febres: ſed *Laſſitudinariæ*, vno verbo, cum ὀστοκόπῳ. XI. Κρυώδεις dici debere, *cum frequentibus rigoribus*, quæ in vulgatis Cod. κρυμώδεις, ἢ κειμώδεις, ἢ κειμνώδεις ſunt, planè perſuaſus ſum. Sunt autem eædem cum τῇ φρικώδει, vt mox dicam. Quò minùs credo Aëtij libris, qui pulmoni tranſcribunt. XII. Κωματώδεις nondum reperi apud priſcos, quamuis dari non negem. XIII. Λειπυρίας, ὁ, mihi dicitur ἀπὸ τοῦ λείπειν τὸ πῦρ ἐν τοῖς ἄκροις, *febrim in manibus & pedibus non apparere.* Hoc verò ſignum eſt *Cauſi maligniſſimi*, inquit Galen. 4. Aphor. 48. & fit ob inflammationem viſceris alicuius principalis, 2. Criſ. 7. XIV. Λοιμώδεις, *peſtilentes.* Vbi ſciendum eſt, cùm λοιμὸς, *peſtis*, ſit omnis morbus, qui duo hæc habet, vt à cauſa communi ſit, vt multos occîdat: non eſſe idem dictu *Peſtis*, & *febris peſtilens.* Hæc enim eſt peſtis quædam tantùm. XV. Λυγγώδεις, ἢ λυγμώδεις *ſingultuoſæ* ſunt, cùm ſymptoma hoc valdè increbeſcit, 4. Acut. 96. XVI. Μαρασμώδεις ſunt, quæ

quæ iam inclinant ad *Marasmum*, de quo alibi. XVII. Νοπώδεις, eædem cum τυφώδη, de quibus mox. XVIII. Συγκοπώδεις duplices sunt, 12. Meth.5.& 6. vbi vide, si ita placet. XIX. Συντηκτικοὶ, ἢ συντήκοντες, *colliquatiui*, sunt διακαεῖς, *vrentes*, adeóque statim Causi. Tu verò crede mihi, intellige heic colliquationem sensilem, non insensilem, quæ quomodo fiat, vide 3.Caus.sympt.2. ibi, γίγνεται δή τις οἷον ἀνασοιχείωσις, &c. XX. Ταραχώδεις, *turbulentas*, dici putò, non illas tantùm, quibus delirium iungitur: sed & quibus alui profluuium. XXI. Τυφώδεις sunt νοπώδεις illæ, *cùm ægri perpetuò fumant*. Ab his parum, vel nihil differunt ἑλώδεις, ad verbum *palustres, cùm perpetuò quasi natant in sudoribus*. Non aliæ ab his sunt πεμφιγώδεις, quamuis de voce multa controuertantur. Vno verbo, sunt *Causi maligni*. XXII. φρικώδεις, *horrificæ*, cùm subinde horror (aut etiam rigor) horrorem excipit, quod *Semitertianæ* proprium esse dicunt. Corollarij loco libet mihi addere pauca de ῥιγοπυρέτῳ mihi dicto. Inueni hoc verbi apud autorem libri spurij, προγνωστικὰ περὶ κατακλίσεως, & accommodaui affectui illi, quem Galen. solet vocare ῥῖγος χωρὶς πυρετοῦ, *rigorem sine febri*, ῥῖγος ἀνεκθέρμαντον, *rigor, quem non excipit calor*, vt Hippocr. loquitur. Intelligit autem non quemuis talem, sed αὐτόματον, καὶ νοσερὸν, *qui sponte aduenit, non prægresso exercitio, aliáve causâ, quique fundatur in dispositione febrili, ob quam redit*. Et hæc de Febribus, intemperiebus cordis calidis morbosis nudis, quantùm primæ institutioni satis esse potest, volui: in reliquis partibus, quia nullas, præterquâm *Sitim*, de quâ iam, & in Cerebro *Vigilias* nimias, de quibus posteà, inuenio, agam nunc



CAPVT XXVII.

De Intemperiebus nudis naturalibus viscerum.

§. I. EXplicitis *febribus*, veniam ad *Intemperies nudas* reliquas, & primùm de *Naturalibus* agam, vt oppositio maiorē lucem afferat. In his seruabo ordinem, quem Natura seruat ipsa in coquendo. Quod ad *Ventriculum*, accipio heic vnà cum totis intestinis, & ore ipsius, quamuis tres distinctas actiones habeant, Appetendi cibos, coquendi, & distribuendi. *Appetitus* est vel sicci, & *Fames* dicitur: vel humidi, & *Sitis*. *Famem* dicunt esse duplicem, *Animalem & naturalem*, numerántque in eam rem ex 1.Caus.sympt.7.septem motus sibi inuicem succedentes, de quibus valdè tenuiter sentio. Ita autem puto, Quia coctio ventriculi fit, non tam à substantia propria, quàm ab adiacentibus visceribus, hepate & liéne; actio verò ipsa naturalis est, quæ semper in opere est: cùm calor

non habet obiectum, in quod agat, agit in teneras ventriculi carnes, præcipuè illas, quæ in ore ventriculi, quod, ob copiam neruorum sexti paris, valde sensile est. Hinc dolor seu molestia illa, quæ *Fames* dicitur. Eadem ratio *Sitis* est, siue per essentiam sit illa, in ipso, inquam, ore ventriculi, siue à visceribus iis, quæ dicentur, per consensum. Heic qui Milones sunt, iidem calidissimum habent hepar. Quo accepto, damno cogitationes illorum, qui Volunt, viscera calidiora appetitum deiicere. Sitis eadem est ratio. Cæterùm fit hoc à modico calore, si speciem humanam intuearis: ita coctio fit à magno. Oportet autem magnitudinem intelligere, proportione habitâ ad cibos. Talis enim calor feliciter coquit dura, & alioqui δύσπεπτα, vt carnes bubulas, fumóque induratas, brassicam, & huiusmodi alia: idem calor corrumpit teneros cibos, vt oua, minutósque pisces. Curatio igitur in his est mutare cibos. Si calori iungatur siccitas, coctio est infelix: est enim elixatio quædam. Sin humiditas, & sic infelix coctio est: quia non est proportio inter agens & patiens. Posteriores hi vt non sitiunt: ita priores seu sicci, immensum.

§. 2. *Hepati* apud Gal. nimis multùm tribuitur, cùm totum nutritionis opus illi transcribitur. In quo quia erratur, necesse est errari quoque in intemperie. Quamprimùm enim videmus aliquem vel malè coloratum, vel pustulosum, vel siticulosum, accusamus hepar. At verò quia hepar materiam nutritionis tribuit mediâ ex parte tantùm: ita mediam partem culpæ fert. Interim calidum hepar potest esse causa omnis mali, si sanguinem faciat calidum & terrestrem, qui à corde non possit corrigi. Si siccitas accedat, tum verò sitis magna est. Sin humiditas, & tamen sitis adest, oportet aliunde sit.

§. 3. *Lieni* contrà apud Gal. nimis parum tribuitur. Si enim & ipse coquit, quod certum est apud me, siquidem calidior sit, procul dubio non rectè gubernabit chyli partem illam, quam trahit, exuret, inquam, & facilè obstruetur ipse. An autem talis lien sputatores faciat, incipio dubitare.

§. 4. De *Corde* oportet repetere id, quod nuper dixi; Est vnum ἀφῆ, hoc est, sunt duæ ibi substantiæ, Cor ipsum, quatenus ex sanguine materno factum est, & Calidum natiuum, per substantiam cordis dispersum, est à semine masculo, eo modo, quo dixi. Et quia actiones cordis, si distinctè loqui volumus, debentur Calido potiùs natiuo, quàm substantiæ, quò intensius est illud. eò actiones validiores sunt, Verumenimverò, vt in semine masculo, nullum agnosco caloris excessum: ita nec in Calido vllus Medicorum vnquam tantum vidit calorem, qui correctione opus haberet. Tantò magis, quod cum ætate semper decrescit, neque vllum ei ab alimento incrementum accedit. Quod si tamen detur aliquis nimis ferox, is fiat Carthusianus. Ab hoc viscere puto *Sitim* esse validissimam.

§. 5. De *Pulmonis* caliditate multi multa dicunt: mihi verò duo


inprimis obstant, *alterum*, frigida, eaque perpetua inspiratio; *alterum* substantia cartilaginosa & venosa. Quare puto, quidquid caliditatis habet, à corde habet, à quo etiam sitis post longius exercitium. Commouetur enim. Interim, quatenus in hoc quidem subiecto maior est, in hoc minor, pro amplitudine thoracis, bronchiorúmque, vnde vox grauior aut acutior: calidus vel frigidus dici potest.

§. 6. *Renes* calidi ferè calculo obnoxij sunt, faciunt homines libidinosos & siticulosos. Atque heic interloqui fas est, Cùm toties facta sit mentio sitis, à quibus partibus sit illa? Paucis iam me expedio, In ore ventriculi solo est per essentiam: in reliquis per consensum, vt ita loquar.

Vide 2. Var. lect. 11. quib. adde, quæ in Pathol. c. 60. F.

§. 7. *Testibus* calidis vulgò tribuuntur magna miracula: ego verò ex longè alio fonte deriuaui, princip. libb. de Gener. hom. præeunte Iacch. in quæst. natur. De Vtero multa pariter dicuntur: ego video *agrum Naturæ* tantùm esse.

§. 8. *Cerebrum* calidum qui habent, sunt homines temerarij & præcipites, sed ingeniosi, vigiles, minimè excrementosi. Et hoc præcipuè fit, si siccitas sit socia: si enim humiditas, & destillationibus obnoxij sunt, & mucosi instar arietum, somnolenti, &c. Huic origini correspondebunt *Oculi*, & reliqua *sensoria* externa.



CAPVT XXVIII.

De Ventriculi intemperiebus morbosis nudis frigidis.

§. 1. V*Entriculum* heic aliter accipio, pro eo sacco solo, qui os ventriculi & intestina interiacet. Hic quia aliquando στόμαχος dicitur, quamuis impropriè, & κοιλία, quæ vox πολύσημος etiam est: στομαχικοὶ, ἢ κοιλιακοὶ vocantur, non qui quouis modo laborant ventriculo, sed qui eo solo, de quo heic agimus. Ita medicamenta στομαχικὰ ἢ κοιλιακὰ ea tantùm sunt, quæ huic intemperiei opponuntur. Hæc ipsa intemperies speciatim ἀτονία ἢ ἀῤῥωςία, *Imbecillitas* dicebatur priscis, quia solebant argumentari à remotione aliorum affectuum, qui coctionem turbant. Ventriculus, dicebant, malè coquit, non ob inflammationem, aliúmve tumorem p.n. non ob vlcus, vulnúsve, qui affectus faciles cognitu sunt, Ergo ob *Imbecillitatem*. Sed probátne Gal. hunc morem? Non. Ait enim 2. Meth. 4. & alibi, vocem hanc nihil indicare. Intemperies autem frigida indicat calefaciendum esse.

§. 2. Heic quæritur, An, quemadmodum actio omnis tripliciter læditur, heic quoque ita sit? Videtur. Gal. enim 3. Caus. sympt. 1. ait,

βραδυπεψίαν tardam esse, seu *imminutam coctionem: δυσπεψίαν, deprauatam: ἀπεψίαν, omnimodam cruditatem.* Quo loci id sciendum est, sermonem hunc esse de intemperie proposita tantùm. Nam in calidâ quoque fiunt ista: verùm cum longè aliis symptomatis.

§. 3. Βραδυπεψίας symptomata, in aliis quidem esse constat grauitatem tantùm quandam instar lapidis, cum densâ respiratione, quos ego meridiari iubeo securè: in aliis fluctuationem quandam, seu vibrationem, seu tremorem, seu palpitationem, seu quomodo libeat appellare, modò cum, modò sine borborygmis, densâque respiratione, quos multò magis hortor, ad lectum eant post prandium. Hinc si remedium sit, res stat intra fines βραδυπεψίας. At si eò procedat, vt post aliquot horas ructus acidi se ostendant, (in calidâ intemperie funt nidorosi) iam corruptus est cibus, & δυσπεψία est. Si nausea aut vomitus etiam, deiectióve eo tempore se ostendant, quo cibus iam concoctus esse debebat, iam ἀπεψία est. Hæc omnia, aut certè aliqua, modò seriùs, modò citiùs fiunt, prout debilitas maior, minórve est: imò, prout vel siccitas vel humiditas iungitur, in cuius rei distinctione sæpè falsi sunt magni nominis Medici. Fiunt autem leuiora symptomata eo modo, quo in culinâ videmus flammam exiguam sub multis aut viridibus lignis multum fumi facere: grauiora, ob vitium facultatis περισταλτικῆς, ob quam etiam, prout sursum vel deorsum vertitur, vel vomitus, vel deiectio fit. Ab hoc motu accipit affectus peculiaria tria nomina, & vocatur, vel ἀνάτροπη τῆς γαστρὸς, *subuersio ventriculi*, vel θλῖψις, *compressio*, vel ὑπτιασμὸς, *supinitas*. Huc pertinent κλύδωνες, *fluctuationes*, ἐμπνευματώσεις, *inflationes*, βορβορυγμοὶ, *obmurmurationes*, &c.

§. 4. Heic meminisse oportet *Erroris externi*, cuius Gal. in illo de Caus. sympt. & de quo multi multa. Ego paucis me expedio, simúlque excuso Gal. qui non satis exactè videbitur descripsisse. Dico, loquitur exemplariter: tu adde reliqua eiusdem generis. Pertinet *error* hic, non tantùm ad impedimenta causæ efficientis principalis: sed etiam ad inferiores omnes, siue eæ sint coadiuuantes, siue sine quibus non. Propterea in Physiolog. cap. 54. scripsi, *Errorem externum esse symptoma causæ.*

§. 5. An addi debet imbecillitati huic ὁ πτυελισμὸς, *saliuatio*? Is duplex est, alius per essentiam, alius per consensum. *Per essentiam* est ille, cùm in tonsillis, fortè etiam gurgulione, plus generatur humoris illius, qui seruit humectandæ linguæ, quàm opus erat. Sed vnde est materia illa saliuæ? Ex ventriculo humidiore & frigidiore plurimùm: ex cerebro parum. *Per consensum*, cùm ex cerebro quoque frigidiore & humidiore affluit multum seri, quod in ore redundat. Atqui tu alibi causatus etiam es viscera calidiora, quæ chylum liquent in spumam? Feci autoritate magnorum virorum, quibus nihil detractum volo dubitatione hac meâ posteriore.

CAP.



CAPVT XXIX.

De oris ventriculi intemperiebus iisdem.

§. 1. QVatuor heic morbi sunt, quod ad siccum alimentum, Ανορεξία: & oppositus ei *Appetitus nimius*: tum *Appetitus caninus* dictus: denique *Bulimus*. Quod ad humidum, *Sitis* est p.n. quam tamen ferè causantur viscera sanguinea alia, de quibus dictum est.

§. 2. Ανορεξία, *inappetentia*, vel per essentiam est, vel per consensum. *Illa* fit, occupato ore ventriculi à vitioso humore, qui ferè è capite destillat, 1. in 1. Epid. 29. *Hoc* capio de νεκρώσει, siue παραλύσει neruorum è sexto pari cerebri, magno numero implexorum parti, de quâ agimus. Hæc accidit in morbis lõgis & labificis, in senibus, in otiosis, &c. Hinc intelligitur, Intemperiem frigidam esse in causâ. Atqui, inquis, frigus auget appetitum? Distingue cum Iacchino: Modicum id facit: paralysin verò quis non agnoscit pro frigore magno? Et hæc quidem causa est frequentissima: rarior est *Intemperies calida*, præsertim laborante hepate vel φλογώσει tantùm, vel φλεγμονῇ etiam.

§. 3. Ὄρεξις ἄμετρος, *Appetitus nimius* fit, cùm excessus est in quantitate, sine vllo alio symptomate. Hoc accidit apud Gal. ob humorem acrem, stimulantem os ventriculi. Est verò vel salsa pituita, vel atra bilis. Horum humorum vterque cùm non sit simpliciter frigidus, tu videris quomodo accommodes. Ego latus tibi fodio, ostendens humores in intemperie nudâ. Idem facere possum de siti.

§. 4. Ὄρεξις κυνώδης *Appetitus caninus*, quem plerique confundunt cum priori, est cum hoc symptomate, quod ægri, non secùs ac canes, vomunt ingestum cibum & potum. Interim & quidam cacant, 6. Loc. aff. 3. H. Est hic quoque à frigida intemperie, quæ stringit os ventriculi, cùm calida laxet. Dicitur etiam φαγέδαινα, 3. in 6. Epid. 37. Cœlio item Aurel. 3. Chron. 3.

§. 5. Βούλιμον retinent Latini. Et cauto opus est, ne, quod vox iubet, *Magnam famem* interpretemur. Vt enim Gal. nos erudit 2. Aph. 20. C. est quasi perpetua lipothymia, ortum habens ex *Magna fame*. Huius rei insigne exemplum est de Bruto apud Plutarchum, 6. Sympos. 8.

§. 6. His affectibus addo, κίτταν, *Picam*, quæ & μαλακία dicitur, quæ est *Appetitus absurdus*, prægnantium ferè. Hanc dico esse ab intemperie, sed nec calidâ, nec frigidâ: verùm ab humore, totâ substantiâ agente.



CAPVT XXX.

De Intestinorum intemperiebus ijsdem.

§. 1. Silent quidem nostri: sed profectò cum periculo, idque ob duas causas. *Alteram*, quòd *Intestina* sint vnius, continuatæque cum ventriculo substantiæ, & fieri non possit, vt refrigerato ventriculo non refrigerentur etiam intestina, adeóque lædatur secundaria eorum actio, quæ coctio est. Quin nec primariam esse immunem, (τὴν ἀνάδοσιν,) rationabile est. Hinc est, quòd intemperies frigidæ harum partium penè incurabiles sunt, malo quippe communicato toti illi spatio, quod intestina occupant. *Alteram*, quòd plerique negligant Hipp. monitum illud, Aërem frigidum, pro respiratione attractum, non minùs ventriculum, & consequenter intestina ingredi, quàm pulmonem. Rationabile autem est, his partibus nocere ampliùs, quia, quod attractum est, manet: è pulmone iterum egreditur. Atqui ventriculus, inquiunt, non habet vim trahendi, vt pulmo? Non est vi aliâ opus, quàm ῥύμῃ, *impetu illo*, quo aër per nares attrahitur. Hac enim ratione vbi aër ad isthmum dictum appulerit, penè necessarium est illabi aliquid gulæ. Nec desunt φαινόμενα. Qui *Colicis doloribus* obnoxij sunt, quamprimùm in frigore versantur, capiuntur. Eadem ratio est *hystericarum* quarundam. Quin herniosorum etiam. Vt de bubonocele solâ dicam: Familiarissimè noui duas personas, quibus, postquā diutiusculè in frigore fuerunt, præsertim, cùm locuti sunt, frigidúmque aërē hauserunt copiosiùs, statim protuberat intestinum pugni magnitudine, cum densâ respiratione, & anxietate indicibili, quæ symptomata non cedunt, nisi in lectum compositis omnis generis fomenta adhibeantur. Hoc qui fieri putabit, appellente forinsecùs tantùm aëre, is falsum se fuisse dicet tandem, & ne in fœminis quidem locum habere posse. Quo enim modo aër (concedam enim appulisse) densans cutim elicere poterit intestinum? Fit igitur necessariò aëre per os ingresso, & eò vsque descendente.

An itineri huic obstat, quòd Epiglottis in inspiratione surrigitur?

§. 2. Sed & absque hoc si sit, concedere nos oportet, Intestina non raro (præsertim in hypochondriacis) laborare intemperie frigidâ, ob quam tanta in abdomine flatuum copia est, qui modò sursum erumpunt, modò deorsum, modò hinc inde reciprocantes, borborygmos causantur. Horum generationem esse scimus ex 3. Caus. sympt 3. I. K. cùm calor est debilior (propterea frigus sæpè dicitur) quàm vt discutere possit materiam tam copiosam. Ideò in flatus mutat.

§. 3. Heic, propter causæ similitudinem, addam tria verba de sibilis & sonitibus in auribus. Fiunt enim calore auris domestico in flatus mutātē pituitam, quam in quibusdā offendit Ill. D. ab Aquapend. Doctor meus.

CAP.




CAPVT XXXI.

De Hepatis imbecillitate.

§. 1. ITa loquor. Vt enim στομαχικοὶ dicebantur antiquitùs non quouis modo affectum ventriculum habentes, ſed intemperie frigidâ: ita ἡπατικοὶ, *hepatici* vocantur ij tantùm, qui eâdem hepatis intemperie laborant, & vocatur ἡπατικὴ διάθεσις. Huius affectûs firmiſſimum ſignum eſt ſanguis per aluum excretus ichoroſus & tenuis, qualis eſt lotura carnium recèns mactatarum. Verùm enimverò, heic ſummè notandum venit, quod Gal. docet 5. Loc. aff. 7. Q. & iterum l. 6. cap. 2. C. Affectum hunc frigidum degenerare ocyùs in calidum, niſi rectè curetur, idque hac occaſione. Cùm ſanguis ille ichoroſus neceſſariò ſit ex parte chyli tenuiore; ſuperſit autem pars craſſa: omnis ratio colligit, craſſiorem, hanc partem ſubſtituram in hepate, fortè in liene quoque, & tandem, vbi locus ampliùs non eſt in viſceribus, in ipſis vaſis Meſaraicis. Heic cùm ſtagnet pars dicta, omni ventilatione deſtituta, concipit calorem, putreſcitque, vnde φλόγωσις propriè dicta, quæ deſinit ferè in febrim laticam, ab Arabum Interp. dictam. Hæc eadem pars craſſa, cùm ipſam vel Natura ſola, vel adiuta à Medico, deponit ad aluum, vocatur noſtris *Fluxus hepaticus*, & eſt ſanguinis craſſi, nigri, quandoque varij excluſio.

§. 2. Heic oportet monere, duplicem hanc ſanguinis euacuationem, ab initio quidem tenuis, poſteà autem craſſi, conſtituere duas ſpecies *Dyſenteriæ impropriè dictæ*, quâ de re ibi.



CAPVT XXXII.

De Lienis imbecillitate.

§. 1. NVllus dubito, poſtquam cognitum eſt, lienis multò nobiliorem vſum eſſe, quàm Gal. voluit, poſſe laborare illum morbis etiam proportionatis, hoc eſt, Intemperie quidem frigidâ incipiente: calidâ autem in progreſſu, vt & fluxibus aluinis. Hoc obſeruent, quibus aures ad meliora non obſurduerunt.



CAPVT XXXIII.

De Renum imbecillitate.

§. 1. PRopter verba Gal. 6. Loc. aff. 3. E. *Est & alius renum affectus, in quo tenuis ichor sanguinis mingitur*, &c. non immeritò statueris, renes quoque laborare tali affectu. Tum puta, cùm sanguinem, & pro sui nutritione, & pro seminis confectione attractum, inalteratum dimittunt. Et hi potiùs fuerint *Nephritici*, quàm *Calculosi*.



CAPVT XXXIV.

De Cerebri intemperiebus talibus.

§. 1. SVnt hæ, vno verbo, *Affectus soporosi* dicti, numero tres. *Primus* κῶμα dicitur, ἡ καταφορὰ, subintellige, εἰς ὕπνον, *in somnum*. Et hæc duo vocabula esse ἰσοδυναμοῦντα, clarissimum fit, ex l. de Comate. Est autem, vt indidem constat, duplex, κῶμα ὑπνῶδες, καὶ ἄγρυπνον, *Coma somnolentum*, & *Vigil*. *Illud* est, cùm ægri continuò vergunt in somnum, è quo difficulter excitantur, sine alio symptomate: *Hoc* est, cùm
2. Aph. 3. l. de. Com. 2. videtur quidē dormire, sed non dormiunt, licèt oculos clausos habeant, & est *Impotentia* potiùs *vigilandi*, quàm somnus, sine vllo iterum alio symptomate. *Alter* est κάρος, *Carus* nobis quoque, somnus reuerà, sed cum grauissimo stertore, & iam non δυσδιέγερτος tantùm, *è quo excitari non possunt*, durans per aliquot dies, & mox in sanitatem desinens. *Tertius* est λήθαργος, *Lethargus*, quæ vox variè vsurpatur. Ego diuido in *Lethargum propriè*, & *impropriè dictum*. Hic est quiuis somnus p. n. Ille, perpetuus somnus, & is quidem naturali similis, sed cum febre. Quâ de re infrà.

§. 2. Atqui & *Apoplexia* à Gal. numeratur inter affectus soporosos, vt & *Catalepsis*? Vtrumque fit, cùm loquitur ex vulgi sententiâ. Ille enim cùm videt & audit stertentem aliquem, pro somnolento habet. Idem cùm Catalepticum videt immotum, sed saluâ respiratione, 4. Loc. aff. 2. putat illum dormire.

§. 3. Verorum affectuum soporosorum causa ex somno naturali petenda est. Vt igitur *somnus* fit, elatis ad cerebrum benignis ex alimento,

mento vaporibus, sensúsque omnes ligantibus: ita *Affectus* hi fiunt ex vaporibus crassis, iísque longè frigidioribus & humidioribus, ex humoribus morbificis ascendentibus potiùs, quàm ex alimentis. Interim ex solâ debilitate fiunt quidam.



CAPVT XXXV.

De opposito affectu, Vigiliis.

§. I. HAs statui huc conferre, quamuis ex contrariâ causâ sint, & hoc ideò, vt ex oppositione maior lux sit. Antè autem omnia aperire mihi animus est ambiguitates quasdam, quas Foësius declinauit. Τὸ Γρηγορέω esse ἀπὸ τοῦ ἐγείρω, non possum credere: Τὸ Ἐγρηγορέω esse à Præt. med. ἐγρήγορα, facilè credo. Hinc rectè dicitur & γρήγορσις & ἐγρήγορσις: minimè omnium ἔγερσις. Quod enim fugit Foësium, cùm vitium librarium esset antiquissimum, Gal. in Gloss. monere debuit. Dicitur affectus etiam Ἀγρυπνία, &, qui ita afficitur, ἄγρυπνος. Huius ἔτυμον, ἄγρυπνος, quasi ἄυπνος, impositis duabus literis γ-ρ. accepto quidem: sed quæro, vnde sunt duæ illæ literæ? & quod exemplum simile est? An sunt ἀπὸ τοῦ γρῦ, vt sit quasi ἀγρύυπνος, qui habet οὐδὲ γρῦ τοῦ ὕπνου, *ne gry quidem somni*? Γρῦ autem porci grunnitus est, quo nihil odiosius, aut vilius est. Ita geminant Græci, cùm valdè intendere volunt vocum significationes, vt in τοῦ οὐ μὴ, in τοῦ καὶ μάλα, καὶ γὰρ, in aliis. Apud Latinos respondet illi τὸ *Mu*, (vnde est τὸ *Mutire*, aut *Muttire*) quod boum est, licèt canum esse Varro velit. Ita ἀπὸ τοῦ πέποιθα est τὸ πεποίθω.

§. 2. Ad rem. Hippocratem, ex 4. in 6. Epid. 14. laudat Gal 2. Aph. I. D. Vigilantem & dormientem habere se contrario modo. Illum enim extrinsecùs calere: hunc intrinsecùs. Propterea addit Gal. vtrumque affectum fieri ob motum caloris natiui. In somno, collectus in visceribus, coquit in sanis quidem alimentum: in ægris autem humores morbificos. In vigiliis quia neutrum horum fit, malum. In ægris si somnus laborem facit, θανάσιμον, *mortale*, inquit Hipp. Aph. cit. Significat enim, expositore Gal. caloris debilitatem, non valentis attingere scopum.

§. 3. *Vigiliæ* fiunt, vt docet Gal. 2. Aph 3. propter calorem primæ partis sensitiuæ, vt Interp. loquitur, hoc est, Cerebri, vel ex sola intemperie, vel ex humoris biliosi abundantia. Vbi per χυμὸν χολώδη si voles significari Erysipelas, longissimè à mente Gal. abieris. Nam 2. Caus. sympt. 8. extr. phrenitidi opponens, siquidem, ait, vigiliæ non sint à tristitia & curis, fiunt propter succum aliquem mordentem & calidum: Et 4. Acut. 4. cùm dixisset, vigilias fieri ob siccitatem, demonstratum sibi ait esse alibi, Somnum quidem immoderatum fieri ob multam

humiditatem : vigilias autem ob ſiccitatem pariter multam. Tu verò ex collatione horum locorum diſce, cùm Gal. abſolutè ponit vnam qualitatem tantùm, ſemper ſubintelligendam eſſe alteram.



CAPVT XXXVI.

De Melancholia, morbo ſimpliciter ita dicto.

§. 1. HAc inſcriptione ſubitò me libero à Melancholia hypochondriaca, licèt vtriuſque eadem ſint ſymptomata duo, *Timor* & *Mœſtitia*. De vtrâque hoc præmunio, Si diſtinctè loqui velimus, ab atra-bile potiùs fieri, quatenus à melancholia, humore, differt. Rurſus, frigidam quidem & ſiccam eſſe vtramque : ſed ὑποκειμένῳ, *ſubiecto* tantùm, vt Interpretes loquuntur. Iterum, craſſam quidem & terreſtrem eſſe vtramque, vt cinis, cum quo Gal. comparat : ſed in pleriſque omnibus ſero dilutam plurimo, vnde ὕδωρ, *aquam*, Hipp. appellârit. Quam triplicem diſtinctionem qui ſedulò intuitus fuerit, ſimúlque conſiderârit, quàm pauci obſeruent : facilè animo concipiet mirabile monſtrum. Tantò magis, ſi mirè mirificas Melancholicorum imaginationes in vnum aceruum collegerit. Quod qui fecerunt cum cura, eò vſque progreſſi ſunt duntaxat, vt cum vino comparent. Quemadmodum, dicunt, vinum in hoc cerebro efficit hoc, in alio aliud, tu puta, vt quidam hilares ſint, & canant, quidam litigent, quidam dormiant : ita humor melancholicus. Quod ipſum quia in indicationibus nihil nos iuuat: habeo etiam pro nullo.

§. 2. Summa, Melancholia propoſita eſt delirium, hoc eſt, aberratio mentis, vt quidem vulgus loquitur. Diſtinctè ſi volumus loqui, phantaſiæ ſeu imaginationis vitium eſt. Interim & rationem vacillare in quibuſdam non nego.

§. 3. Ridicula quæſtio eſt, Sítne læſio in corpore cerebri, an in ventriculis ? Ridicula dico, Quia qui defendere volent ἀρχαῖον illud, ventriculos eſſe officinas ſpirituum, ridiculi iam diu facti ſunt ſapientibus. Paulò melior eſt illa, Sítne intemperies nuda, an cum affluxu ſubſtantiæ ? In priorem ſententiam ſunt verba Galen. ſuprà cap. 10. §. 4. laudata : qui illis ſe opponunt, dicant mihi, Inflammatióne ſit, an eryſipelas, aut horum aliquod ? Obſtat his quoque communis ſententia, Affectum eſſe ſine febre, quod fieri non poſſet, ſi tumor p.n. eſſet.

§. 4. Grauior eſt, Sítne ab humore, an à vapore ? Diſtinguo. Quæ per eſſentiam eſt, ab humore eſt : quæ per conſenſum, à vapore. Et hæc eſt duplex Melancholia, 3. Loc. aff. 7. quarum quæ per eſſentiam eſt, in capite eſt : quæ per conſenſum, ex toto corpore, in iis, qui habitu ſunt melancholici.

melancholici. De his duabus ſpeciebus agitur h.l. de altera per conſenſum, quæ *Hypochondriaca* dicitur, infrà, vt iam innui.

§. 5. Sed quid faciendo *Timorem* & *Mœſtitiam* inducit? Hoc opus, hic labor eſt explicare. Grauiſſima eſt diſputatio, An reuerà ſit ſedes eius in cerebro? Ego ſecutus communem errorem, huc colloco: ſed enim, cùm affectuum omnium ſedes ſit in corde, cur timor & mœſtitia alibi ſit? Notum eſſe poteſt, quod Iacch. docet in 9. Rhaſis, Non fieri, niſi in conſenſum rapto corde. Ego inuerto, Morbum quidem ſtabulari in corde, è quo mœſtitia & timor: ſymptoma autem, imaginationem hanc vel iſtam, fieri in cerebro. Ergò, quatenus ἡ πήδησις Ariſt. eſt in corde, eatenus timent & mœrent: quatenus imaginationem exercet cor in cerebro, eatenus putat hic ſe mortuum eſſe, vitrum, Atlantem, & neſcio quid. Ergóne, dicis, cor oportet heic curare? Oportet. Huius enim *Intemperies frigida & ſicca* eſt. Vide Patholog. cap. 66.

§. 6. Quo loco notandum eſt, licèt plurimæ ſint imaginationum ſpecies, v.g. quòd quidam lupos ſe eſſe putant, quidam canes, quidam gallos, quidam boues, quidam aliud aliquod animal: non propterea fingenda eſſe pro ſingulis peculiaria nomina; multò minùs credendum eſſe, mutationes has reuerà fieri. Inter has celebrior eſt *Lycanthropia*, cùm in lupos verti homines credunt illos, qui circa ſepulcra verſantur, aut aliàs ſolitudines quærunt, quod de Bellerophonte ſcribit Homer. Iliad. 2. & ſunt verſus in Pſeudo-Medico Gal. cap. 13. Nec dubito quidquam, Nebucadnezar Aſſyrium, apud Prophetam Daniel. cap. 4. laboràſſe eodem morbi genere, licèt alij negent. Quin ex eodem loco probo, non cerebrum, ſed cor in hoc morbo affectum eſſe. Dicit enim Scriptura: *Cor eius ab humano aliud fuiſſe.*

An hæc eſt Cutubut Arabum?

Vide Valleſ. ſacræ Philoſ. cap. 80.

§. 7. Iamque adeò in vniuerſum dico, *In omnibus his Melancholiis vtendum eſſe eodem curationis filo, habitâ tantùm diſtinctione, quis humor præceſſerit, ſiue ex quo genita fuerit atra-bilis illa, vnde malum.* Quod ſi ſpectauit Rondeletius, benè eſt; ſin.

§. 8. His morbis accenſeo etiam *Noctambulones*, ſiue *Somnambulos* dictos, quos Νυκτιπλάνους appellabo. Eſt enim mera imaginatio, oborta ex ſomniis terrificis, quæ ſomnia cauſatur humor atrabilarius. Quam ob cauſam curandi ſunt melanagogis potiùs, quàm cholagogis. Accenſeo etiam ἐκστατικοὺς quoſdam, quatenus à cauſis naturalibus fieri poteſt, vt poſt ſomnum profundum vaticinentur, & mirabilia viſa narrent. Accenſeo tandem & amantes quoſdam.

§. 9. An accenſere quoque licet *Hydrophobiam*? Formido enim illa aquæ videtur eſſe ex imaginatione. Vellem, niſi ſymptomata omnia caliditati potiùs, quàm frigiditati aſtipularentur, itaque ad *Maniam* potiùs nos comitarentur. Vide Patholog, cap. 153.

CAPVT



CAPVT XXXVII.

De Mania.

§. 1. COmmunem errorem heic quoque sequor, quasi verum sit, quod ex Trall. adfertur, *Maniam esse melancholiam intensam, cùm ægri fiunt truces.* Ita enim explico τὸ ἀγελώτερον. Est quidem ita, est delirium longè vehementius priori: sed non ex illo ortum, quod illi volunt.

§. 2. Μανία, ἀπὸ τοῦ μαίνομαι, *insanio*, est *delirium*, nullâ aliâ re à Phrenitide differens, nisi quòd *sine febre* sit, ait Gal. 5. in 3. Epid. 45. Phrenitis autem cùm sit grauissimum delirium, fuerit & Mania. Hoc ita accipio, *Si cum Melancholiâ conferas.* In hac enim homines ferè ridiculi tantùm fiunt, subinde fatuas suas imaginationes repetentes: in illâ cùm ratio laboret, ipsique ægri non alios tantùm, sed & seipsos cædant, vulnerent, catenas rumpant, &c. res non sine horrore est. Interim vox etiam de *Melancholiâ* inuenitur, veluti 6. Aph. 21.

§. 3. Quod verò Gal. quasi pro confesso accipit, Maniam esse delirium sine febre, id non modò infirmat ipsus 3. Loc. aff. 7. F. sed & à Practicis variè concutitur. Quidam defendere conantur, per τὸ ἐπὶ τὸ πολὺ, *vtplurimùm.* Reuerà ita est, omnis Mania est intemperies calida & sicca cordis, sed non eò vsque, vt febris sit. Mutent igitur heic quoque præuaricatores quidam suas indicationes, hinc quidem à cerebro ad cor descendentes; illinc autem à calefacientibus ad refrigerantia transeuntes.



CAPVT XXXVIII.

De Vertigine.

§. 1. V*Ertigo* delirium quoddam est. Falsa enim illa casûs imaginatio non potest aliò referri. Duplex est, gradu differens. Inferior δῖνος, τὸ, dicitur, cùm adest sola imaginatio casûs: superior, ἴλιγγος, ὁ, ἴλιγξ tam ὁ, quàm ἡ, σκοτόδινος (σκοτίδινος Foësij suspectum est) σκότωμα, ἢ πάθος σκοτωματικὸν, cùm simul videntur obtenebrari omnia, & volitare in aëre splendores quidam, μαρμαρυγαὶ Græcis dicti, quo fit vt cadant, nisi se sustentent ægri.


§. 2. Fit

§. 2. Fit vel per essentiam, vel per consensum, præcipuè ventriculi. Memini CL. DD. SCIPIONEM GENTILEM, non potuisse immunem esse ab hoc affectu, accurantibus licèt duobus magnis Medicis, nisi abdicatis pomis, quæ ille post pastûs auidè ingurgitabat.

§. 3. Quæritur, An vertiginosi sint dicendi illi, quibus accidit, siue videant rotari aliquid, siue ex alto despiciant? Puto omninò: sed fieri, non ob causam dicendam; verùm à debilitate solâ cerebri, à quâ deliria quoque alia fieri notum est.


§. 4. Sed quæ est causa illa? Non dubito esse πνεῦμα φυσῶδες, *spiritum flatulentum* Gal. 3. Aph. vlt. Hunc ita accommodo. Quemadmodum in conuulsionibus, de quibus infrà, vapor crassus, spiritum naturalem mentiens, principio neruorum se insinuat, facitque deinde in musculis κλόνον illum, quem videmus: ita vertiginosis vapor non dissimilis occludit principium neruorum, ne spiritus possint ingredi. Quod ipsum cùm sine obstructione fieri non possit, iam non dubito de illâ, vt olim. Imò oppono illam agitationi & perturbationi spirituum, quam alij prætendunt.

§. 5. Sed à quâ intemperie fit hic vapor? A quâ flatus omnes. Ergò à frigidâ. Atqui tu alibi calidam nominâsti? Locutus sum cum Cæsalpino. Et reuerà nihil interest. Calidam qui dicit, respicit ad efficientem, cùm à frigore positiuo flatus non fiant: frigidam qui assumit, materiam considerat. 2. Quæst. Med. 23.



CAPVT XXXIX.
De Memoriæ imminutione.

§. 1. NEc nomen habet affectus hic proprium, nec syptomata alia vlla. Causa obscurissima est; quo ipso difficilior fit curatio. Eius sum sententiæ, fieri non tantùm à frigiditate & humiditate: sed & à caliditate & siccitate. Ex quâ assertione subitò inclarescit negotij magnitudo, de quâ nihil ampliùs dico.



CAPVT XL.
De Fatuitate.

§. 1. QVam μώρωσιν, ἄνοιαν, τὴν διανοίας νάρκωσιν, *stultitiam*, *amentiam*, *rationis defectum*, quidam *simplicitatem*, *& probitatem* vocant, soboles est frigiditatis, & (ferè) humiditatis.

ABERRATIONES.

§. 2. Fuchsius l.1.s.7.cap.5. simpliciter acceptat duplicem famem, animalem, quæ fit in ore ventriculi tantùm: naturalem, quæ in reliquis partibus omnibus. Quo ipso cùm recipiat septem illa symptomata, de quibus Gal.1. Caus. sympt. 7. multis inuoluit se difficultatibus, quibus ille par non est. Cùm l. 3. s.1. cap.4. rectè distinxerit *Intemperies salubres & morbosas*, cur non dat exempla vtrarumque? præcipuè salubrium? Cùm ibidem *Intemperiei nudæ* exemplum vnicum det, exustionem à Sole: quid dicet ad loca illa, in quibus Gal. agnoscit aliquid humoris in dictâ Intemperie? Et quâ fronte iam commemoratos capitis affectus annumerabit *Intemperiebus cùm materia*? Quid verò faciet de reliquorum viscerum intemperiebus heic recensitis? Ib. cap. 11. dextrè explicat *Coma*, eiúsque species duas: sed de Cataphorâ nihil dicit. Turpiter errat, cùm *Catalepsin* affectibus soporosis iungit, *Congelationem*, interpretatus? In voce λήθαργος confirmat Amati de se iudicium. ἀργὴ pro *captura* non est vox Græca, ἄγρη est illa. De somno naturali, quæ scribit l.2. s.4. cap.1. admitti possunt, modò admittat ille quoque correctionem loci Arist. quam meditor Pathol.cap.63.Ib. cap.7.desidero causam vigiliarum. Rursus cap. 11. suprà laudato rectè distinguit *Melancholiam* & *Maniam*: verumtamen essentiam non assequitur. Si enim *Mania* est morbus frigidus, perinde vt *Melancholia*, quam causam dabit recensitorum symptomatum? *Vertiginem* non rectè dici σκότωμα, puto. Quia, si falli nolumus, σκότος, σκότωμα, πάθος σκοτῶδες ἢ σκοτωματικὸν est, cùm sine vertigine oculi obtenebrantur: at σκοτόδινος, ἢ σκοτοδίνη, (τὸ σκοτοδίνια non acepto, licèt ad Platonem referatur? & aliquoties apud Hipp. sit, vt Foës. obseruat) est affectus compositus, cùm vertigini copulantur tenebræ. Ib. cap. 17. & confundit appetitum caninum cum nimio, & bulimon non rectè explicat, vt iam dicam.

§. 3. Sennerti

§. 3. Sennerti culpa, *Intemperies naturales* non agnoscentis, maior est quàm vt defendi possit. Non minor est, quòd *Intemperies nudas* mediâ ex parte tantùm prodit. Oppono enim illi scutum ex Gal. suprà prolatum cap. 10. §.4. Quæ de Fame dicit f. 318. edit. secũdæ, quia nituntur lubrico suctionis fundamento, ex 1. Caus. sympt. 7. non magni facio. Pro viro autem habeo, cùm famis causam negat esse humorem Melancholicum, referendo se ad l. 1. cap. 9. Rursus, detraho illi laudem industriæ, cùm Instituendo suo proponit quæstionem, Cur quidam tamdiu famem tolerârint? Mox cùm in *bulimo* agnoscit nimiam appetentiam, fateatur oportet non legisse, quæ ex 2. Aph. 21. allata sunt suprà. Nec satis est, quod addit *Lipothymiam comitari bulimon*. Cæterùm, vnguem imprimo illis, quæ dicit in vestigio, humores in ventriculo contentos facere posse nimiam appetentiam. Quæro enim, annon sit nuda intemperies? In describendis f. 324. quatuor Gal. motibus, Diff. sympt. 4. nimis diligens est, nec interim animaduertit, Gal. nolle ita distingui: quin innuere, in genere affectûs huius p.n. nomina, ἀνατροπὴ θλίψις, ὑπτιασμός, de quibus suprà. Sed neque hoc animaduertit, hos ipsos motus esse symptomata læsæ χυλώπως, vt loquitur. Quæ sequuntur f. 327. de expultricis symptomatis, singultu, vomitu, cholerâ, lienteriâ, &c. longè alîus sunt loci, ceu videbimus.

§. 4. Eiusdem culpa non minima est, quòd nuspiam erudit hominem suum, neque qui *Stomachici* priscis fuerint dicti, neque qui *Hepatici*. Sed fuerit hoc parùm: *Affectus* duos dûum viscerum principum tam graues, difficilésque, silentio inuoluere, éstne res leuis? Sed sit leuissima: In affectibus soporosis, l. 2. p. 2. cap. 9. quàm profundè dormit! Vt enim agam per πρωθύστερον, *Incubus* quomodo in hoc censu est, si est respirationis læsio? *Vertigo* quei est, si phantasiæ læsio est? Sensus enim communis huc non pertinet. *Epilepsiam* quis post homines natos huc transtulit, maximè si est *semiobstructio ventriculorum* cerebri, vt infrà f. 307. se explicat? *Apoplexiam* quidem multi ex

veteribus voluerunt in hoc numero esse: sed cognitum à sagacioribus, deceptos fuisse assertores à similitudine stertoris. Et quàm longè à somno abit ipsus, cùm abolitionem ait esse sensûs & motûs? Videbimus autem infrà. *Catalepsin* seu *Catochen* rectè dicit esse affectum admirandum: sed dum *Congelationem* admittit, separat ipse à soporibus. In *Caro* quàm se cruciat, vt occultam proprietatẽ per vim adducat? In *Lethargo*, voce ambiguissimâ, quàm varius est! quàm temerarius, cùm symptoma tantùm esse vult febris Quotidianæ? *Coma* verò & *Cataphora* cur heic non comparent? cur præcedere oportuit tot parasangis, cap. inquam septimo? Sed & quàm frustrà laborat, non tantùm in *somno naturali*, sed & in *Comate vigili*, pro vapore & humore suo narcotico? Vide Pathol. c. 64. In opposito affectu, *Vigiliis*, hoc desidero, quòd nullam earum causam det.

§. 5. *In Melancholia* hoc præcipuè desidero, quod f. 295. rationem semper lædi existimet, ad magnitudinem læsionis phantasiæ: Scimus, quid rationi præstet phantasia: sed nõ ob id semper vnà læditur ratio. Quin refutat, quod ipsemet ait, quosdam satis callidos esse. Quod f. 388. de quinque *Melancholiæ* differentiis habet, exigui momenti est: maioris, quod de quinque Melancholicorum generibus alibi à me propositum est. *Melancholiam à Mania* f. 298. rectè separat, quòd in *Mania* tristitia & mœror non sit: sed non dicit disertè, quod debebat, *Melancholiam* esse à frigidâ cordis intemperie, *Maniam* à calidâ. Vbi hoc addo, ab ipso acceptum, *Ne Maniacis quidem semper lædi rationem*. In *Vertigine* frustrà addit, *sensum communem*. De *Noctambulonibus* cur bis agit? & cur tam fusè loco poster. Profectò huius temporis non est. In *Memoriæ læsione* satis est, quod f. 384. concedit, Calorem quoque locum habere. In *Fatuitate* non concedo sẽper lædi omnes tres facultates principes: satis est, si ratio lædatur. Si omnes sint affectæ, potiùs *Brutum pecus* dixeris. Et quid obstat, quò minùs morbus morbum trahat?

Suprà l. 1. c. 159. §. 7.

§. 6. Duplex Sennerti culpa redundat in Lidd. quoque, vt videre est l. 3. c. 1. Paria etiã illi facit in *Fame*, c. 11. In *Siti* paulo explicatior est: desidero tamen multa; imprimis, quòd

quòd non numerat partes, à quibus *sitis* est, vt & Ille. In *bulimo* errat eundem errorem. De *flatibus* rectè philosophatur: sed redundantiæ Senn. in explicandis quatuor motibus Gal. substituit defectum trium dictorum mihi morborum, qui sunt à flatibus, à quibus & κλύδωνες sunt, & ἐμπνευματώσεις, & borborygmi, & alia talia.

§. 7. Industriam laudo, cùm docet f. 420. quid sit *Hepatica affectio*: sed doleo vicem hominis, quòd non rectè docet. Vt enim in superioribus comprehensum est, non à quâuis intemperie, sed à frigidâ tantùm est. In *affectibus soporosis* f. 279. hoc præcipuè damno, quòd tantoperè prurit in definitionibus constituendis. In *Lethargo* habet quædam non pœnitenda, sed quæ non sufficiunt. *Carus* cum Apoplexiâ nullam cognationem habet, nisi stertoris, qui tamen à longè aliâ causâ est. Quin *Apoplexia* nec affectus soporosus est, nec vlla intemperies: sed morbus organicus. Quò cùm tandem perueniat, quo modo defendet priùs dictã intemperiem? Cùm *Epilepsiam* immiscet, & ad *semiobstructionem* alludit, ἀρχαΐζει. In *Cari* causis lapides mihi loquitur. *Catalepsin* & *Catochum* eiusdẽ affectûs nomina esse rectè censet: sed soporis speciem esse non rectè credit. Quin deserit thesin, cùm *Tetano* similem facit, tantò magis, quòd ad principium neruorum deuoluitur. Sed quod de *gelu* affert, fabula anilis est. Non enim constrictio heic vlla est neruorum, sed impletio à vapore crasso, ad ipsos musculos necessariò deriuato. Et quis mihi persuadeat, vel melãcholico, vel pituitoso humore tale quid permistum esse? De *Comate* & *Cataphora* acturum, valdè miror præstruere nunc demum quædam de cerebro, seu cõmuni sensorio! Ita enim loquendum est, non *Sensu*. Cerebrũ enim, & prædictorũ affectuum sedes est, quod ipsus non negat; & verũ est, eiusdẽ affectûs esse duo hæc nomina. Verum etiã est, *Coma* (hoc enim verbo vtar) duplex esse *Somnolentum* dictum, & ἄγρυπνον, *vigil*, seu *non-somnolentum*: sed deficit in descriptione vtriusque. *Comatis* enim somnolenti vera nota est, vt dixi ex Aph. difficulter excitari. Ergò verè sõnus est. Comatis nõ-somnolẽti pathognomonicũ signum est, vt pariter dixi ex l. de Com.

videri ægros dormire, cùm clausis oculis iaceant, sed non dormire. Ergò somnus non est, sed videtur. Hoc expertus sum in me ipso, anno 1628. De vigiliarum causis perplexus est.

§. 8. Hæret f. 265. in illâ persuasione, quam damnaui, *Maniam à Melancholiâ* differre tantùm secundùm magis & minùs. In *Melancholia* benè habet, quòd agnoscit intemperiem frigidam & siccam: sed mancus est, cùm cor excludit. In *mania* benè etiam habet, quòd agnoscit intemperiem calidam & siccam: sed quomodo cohæret cum priori effato? Si dicerem alia omnia, quæ dici possent, nimis euagarer. In *Vertigine* frustrà litem mouet phantasiæ. Satis est, quòd dicit, *Lædi illam, quatenus deprauatur.* In *obliuione* molestæ mihi sunt locutiones illæ, *orta à debilitate aliqua, Ex defectu aliquo.* Explicat quidem se, cùm intemperiem affert: sed reuerà calorem excludere non potest. Distinctio inter ἄνοιαν & μώρωσιν noua est.

§. 9. Heurnius l. 7. f. 247. in *anorexia* oberrat chordâ eadem, quâ vulgus. Interim hoc boni habet, quòd & in fame, & in siti agnoscit παράλυσιν seu νάρκωσιν oris ventriculi, quæ in libris Practicorum non ita obuia est. Fallitur in eo etiam, quòd omnem nimium appetitum vocat *Caninum.* Fallitur expressè, cùm Brutum laborasse dicit appetitu canino. Displicet in eo quoque, quod τὰς κλύδωνας distinguit à saltu, palpitatione, &c. ventriculi. De *somni* causa f. 103. benè ratiocinatur, quòd sit benigna exhalatio ex inferioribus: sed pessimè, cùm assuit illud, Ex ἀναθυμιάσει illâ fieri spiritus animales. Non minùs malè, cùm κατοχὴν dicit vocari calidam & siccam cerebri intemperiem, maximè si, quod f. 213. ait, vigiliæ sunt ab hac intemperie. Sed vbi sunt cæteri affectus soporosi? vbi affectus facultatum principum?

SECTIO



SECTIO II.

CAPVT XLI.

De Intemperiebus cum Affluxu substantiæ in genere.

§. 1. HEic non sine violentia irrumpunt quidam malè instituti: Quam tu dicis heic *substantiam*? aut, vt alij, *materiam*? Estne morbus, an causa morbi? Si causa, qualis? Ego quidem abominor talia: sed oportet stupidis etiam consulere, adeóque illis, qui nolunt intelligere διάθεσιν Galenicam. Dico igitur breuiter: *Substantia* (in Inflammatione v. g.) *sanguinis*, illapsa in inania partis laborantis spatia, ita disponit partem, vt sit morbosa, hoc est, agere non possit, quod debet. Est igitur, vt suprà dixi, fundamentum relationis huius, materia morbi, si omninò ita vis. Quo loco illud addendum est, Quamdiu materia hæc est intra mediocritatem, dicitur *Intemperies* materialis, vt quidam nouè loquuntur, & citra veterum autoritatem: at verò cùm ita increscit, vt magnitudinem quoque lædat, iam aliud nomen acquirit, & dicitur *Tumor p. n.* quia iam est morbus in magnitudine.

§. 2. Hæ Intemperies diuiduntur vulgò in *Simplices*, quæ etiam *Legitimæ* vocantur: & *Compositas*, quæ etiam *Spuriæ*. Vtrinquè includuntur numero quaternario. Cùm sanguis simpliciter dictus irruit in partem aliquam, dicitur φλεγμονὴ, *Inflammatio*: cùm sanguis biliosus, si ex rei naturâ loqui fas est, cùm bilis, vt Medici loquuntur, *Erysipelas*: cùm pituitosus, seu pituita *Oedema*: cùm melancholicus, *Scirrhus*. Cùm partim sanguis, partim bilis, siquidem ille superet, φλεγμονὴ est ἐρυσιπελατώσης: sin hæc, ἐρυσίπελας φλεγμονῶδες, & sic de cæteris coniugationibus. Sed reuerà, ne de *Flatuosis tumoribus* dicam, quæ sub *Oedematosis* comprehendi possunt: dantur tumores *Serosi*, qualis est *hydrops*, eiúsque species.

§. 3. Vt rem pro dignitate explicem, Ἀπὸ τοῦ φλέγω, *ardeo*, est tam φλεγμονὴ, quàm φλόγωσις, quas duas voces distinguere oportet. Licèt enim olim, tempore Hipp. vt ex multis Galen. locis ostendit Foës. in Oecon. vtraquè latissimè acciperetur pro omni intemperie calidâ, siue cum, siue sine materia; tamen post Erasistrati tempora, vt idem Galen. autor est, τὸ φλεγμονὴ adstringi cœpit ad *Intemperiem calidam cum materia*, illam tantùm, quæ à sanguine est. Ita nostris moribus φλεγμονὴ quidem apud accuratè loquentes est *Intemperies* dicta: φλόγωσις autem *Intemperies calida nuda*. Cuius distinctionis occasione explicabo locum Gal. hactenus

à nemine tactum, quod sciam. Quid enim est *Inflammatio sicca*? 2. ad Glauc. 1. Est intemperies calida nuda. Et hoc ex aliena sententia dicit Galenus.

§. 4. Fit *Inflammatio*, vt rectè docet Gorræus ex Gal. Inæq. interp. 3. cùm ex vasis maioribus non sine horrore, rigoréve, detruditur sanguis in minora, ex his in alia iterum minora; & sic deinceps, vsque dum vasis omninò excidat, perueniátque in inania spatia, quæ sunt inter partes similares, ad constitutionem dissimilarium concurrentes. Hinc quinque exsistunt symptomata, quæ eadem sunt pathognomonica signa Inflammationis, *Calor, Rubor, Dolor, Pulsus, Renisus.* Quæ quia in partibus externis manifesta sunt, verisimile est in internis quoque esse.

§. 5. Ερυσίπελας obscurissimæ originationis est. Qui *Vicinitraham*, seu *Vicinitractam* vertunt, æquo audaciores sunt. Idem dico de τῆς ἐρυσίβη, quæ *Rubigo in frumentaceis* est. Video esse compositionem, qualis in ἐρυσίσκηπτρον, ἐρυσίπτολις, ἐρυσιχθὼν, ἐρυσίθριξ, ἐρυσιχαῖος, ἐρυσίθαλες, & fortè aliis, cuius ratio ex vetustis Lexicographis dari non possit. An in his omnibus τὸ ἐρύω, cùm idem significat, quod ῥύω, est *Seruo*? Qui *Ignem sacrum* Latinorum esse contendunt, falluntur. Nostris est *das Rothlauf.* In aliis Germaniæ locis, *die Rose.* Hic affectus cùm non accidat aliter quàm prior, confirmatur sententia Solenandri in Cons. Erysipelas non esse à bile, sed à sanguinis parte tenuiore, illâ, inquam, è quâ Ephemeram fieri dixi. Confirmatur etiam genus loquendi, quo vsus sum modò, *Ad naturam rei accedere propiùs, qui sanguinem dicunt potiùs, quàm bilem.* Quin Gal. non prorsus alienus est ab hoc sensu, qui non vno loco sanguinem bili iungit. Huius symptomata tria sunt, *Rubor, Calor, & Dolor*, sine tumore manifesto, siquidem legitimum sit. Incidit ferè in partibus externis, cum horrore, rigoréve, qualis in febribus: sed non redit rigor.

§. 6. Vbi hoc monendum esse videtur, Fieri Erysipelas, cùm effusa in superficiem bilis tenuissimarum partium est, vt facilè resoluatur: cùm autem crassarum partium est, hæret in cute, & ἕρπητα facit, qui trium generum est, aut Herpes generis nomine dictus: aut κεγχρίας, *miliaris*: aut ἐσθιόμενος, *exedens*, quâ de re in *Continui solutionibus.*

§. 7. Οἴδημα (rarius οἶδος,) ἀπὸ τοῦ οἰδέω, dicitur ab Hipp. omnis tumor, siue calidus, frigidúsve sit, siue durus, mollisve, siue dolens, indolénsve: sed à Galen. aliísque, accipitur tantùm pro tumore frigido, molli, & ferè insensili. Loca sunt apud Foës. in Oecon. Hunc siue à sanguine pituitoso fieri dixeris, siue à pituita, perinde est in Medicinâ.

§. 8. Σκίῤῥος, ὁ, (non σκύῤῥος, ἢ σκύρος) vox est Hipp. incognita: at Gal. posterique tribuunt hoc nomen tumori duro & insensili. Ita loquor. Nam 14. Meth. 6. scirrhos vocat illos *Tumores duros*, qui iam planè insensiles sunt, incurabilésque: at *Scirrhosos tumores*, qui sensum habent, & spem curationis non adimunt. Illi sunt ab humore melancholico,

statim

ſtatim ab initio: hi ἐκ μεταπτώσεως, *ex degeneratione*, cum inflammatio, eryſipelas, œdema indureſcit.

§. 9. Heic repetendum eſt illud ex ſuperioribus, Symptomatum alia adeſſe, quà v.g. *Inflammatio* eſt: alia, quà huius partis eſt. Illa ſunt, febris ſymptomatica dicta, & quæ febrim ſequuntur, calor p.n. ſitis inappetentia, &c. Hæc ſunt læſa actio partis inflãmatæ, v.g. vẽtriculi coctio.

ABERRATIONES.

§. 10. Quàm mirè confuſus eſt Fuchſ. l. 3. ſ. 1. c. 25. in his intemperiebus! quas miſcet cum vlceribus, vt ipſe loquitur! In primis hoc obſeruandum eſt, quòd nemo hactenus, qui mihi cognitus ſit, φλόγωσιν appellârit. Quinimò, φλεγμονὴ eſt *Inflãmàtio* Latinis: φλόγωσις *Efferueſcentia*, intẽperies nuda.

§. 11. Infelix eſt Sennertus l. 2. ſ. 1. c. 3. breuitate ſuâ, ne quid aliud dicam. Et vbi ſunt nomina, Inſtituendo perquam neceſſaria?

§. 12. Superat quidem Sennertum Liddelius, l. 3. c. 3. nominibus: ſed laborat eadem breuitate. Ex hoc lis mihi moueri poteſt, quòd non agnoſcam *Congeſtionem*. Ego verò audeo dicere, nec Gal. nec rerum naturæ cognitam hanc eſſe, niſi fortè in ſcirrhis ex degeneratione. Imò verò, ſi accuratus eſſe velim, dicere poſſum, nihil heic congeri, ſed, quod congeſtum eſt, indurari. Sed & heic confuſio eſt dictarum Intemperierum cum Continui ſolutionibus.

§. 13. Heurnius l. 6. c. 2. eadem breuitate & confuſione laborat.



CAPVT XLII.

De Inflammationibus particularibus, & primùm Ventriculi, oriſque eius.

§. 1. ACCIPIO heic cum Altimaro 1. Meth. 68. de quauis calida intemperie, moneóque, ne credant eidem affirmanti, *facile cognitu malum eſſe*. Imò dubito, an ille apud Schenckium 3. Obſ. 102. rectè iudicauerit: quin puto idem accidiſſe Foreſto 18. Obſ. 1. Procul

 antem

autem dubio longè grauiora ostẽdunt se symptomata in ore ventriculi, quàm in ventriculo ipso. Et autor est Gal. 1. Progn. 32. in ore affecto facilè superuenire delirium, ob coaffectum diaphragma. Nec aliò ducit nos vicinia cordis, quæ febrim continuam minatur, cum indicibili anxietate, iactatione, fastidio cibi, extremorum frigore, &c.



CAPVT XLIII.

De Intestinorum, Mesenteriique inflammatione.

§. 1. CApitur heic quoque vox pro omni calido tumore. Iungo autem has duas partes, quia puto, symptoma maximi momenti, quod Gal. 5. Loc. aff. vlt. Mesenterio adscribit, pertinere etiam ad Intestina. Est id, in alui excrementis apparere ichoras tales, quales in aliis inflammationibus sunt; acres inquam, non dissimiles iis, qui defluunt ab assatis in veru carnibus.

§. 2. Quod ad Intestina, refertur vulgò inflammatio illorum ad *Dolorem* tam *Colicum*, quàm *Iliacum*: ego verò velim seorsim poni, vt conspectior sit. Porrò autem, vt inflammatio tenuium procul dubio valdè tenebricosa est: ita crassorum, quia ambiunt tenuia, non potest non euidentior esse, præsertim, si afficiatur Coli pars illa, quæ ventriculo subtenditur. Tum enim vehementer coafficitur ventriculus.

§. 3. Quod ad *Mesenterium*, (sub quo Pancreas habeo) valdè demiror esse, qui Fernelio adstipulentur, inflammationem illius sine dolore esse! Imò verò persuasus sum ab exercitatissimo in hac palæstrâ viro, DD. Adriano Spigelio, famigeratissimam semitertianam febrem inde pendere. Quia credo in rigoribus illis subinde repetentibus non sentiri dolorem, maiore videlicet obscurante minorem. Interìm, si inflammatio non sit exquisita, qualis in hac sentinâ vix esse potest, sed tendat ad scirrhum, cui locus valdè opportunus est: non negabo malum penè insensile esse. Tum verò φλόγωσις potiùs adfuerit, quàm φλεγμονή.



CAPVT XLIV.

De Hepatis, Lienisque inflammatione.

§. 1. ET oculi & aures mihi dolent, quoties video & audio à nostris *Epar*. Grauem esse in Græco spiritum, irrefragabiliter

ostendunt

ostendunt illa, ἐφ' ἥπατι, ἀφ' ἥπατος, & alia. An aliquam similitudinem habeat ad Latinum *Iecur*, viderint alij. Ἡπατῖτις venæ cauæ propria est: non autem affectûs huius.

§. 2. *Res hepatis*, tam per se, quàm propter pleuritida dextram, difficilis adeò est, vt Medicos ipsos in errorem ducat. Eam in rem iucundissima est historia apud Gal. 5. Loc. aff. 7. T. de Medico Siculo, quam latè exponit Syluaticus Hist. 42.

§. 3. Fit etiam difficilior, quòd & febris, & dolor modò intensa sint, modò remissa. Ita enim concilio autores, & dico, Prout magis vel minùs exquisita est inflammatio, eò intensiora sunt hæc duo symptomata: contrà si sit, remissiora. Ita quædam tactu explorari potest, quædam non potest, quâ de re egi in Physiolog. c. 104. Periculum quod denunciat nobis Gal. 2. in 6. Epid. 14. prout vel gibba pars sit affecta, vel sima, apud me non magni momenti est.

§. 4. *Res lienis* etiam tantò difficilior fit, quò plures sunt tumorum eius differentiæ, 2. in 6 Epid. 39. & 42. Sed ago de inflammatione solâ. Hanc Gal. 6. Loc. aff. 1. A. affirmat facilè tactu dignosci. Mihi, & rei naturam intuenti, & Gal. ipsum, contrarium videtur. Quis enim credat facilè sub manum venire, cùm lien tam profundè in hypochondrio sinistro lateat? Et Gal. ipse 2. ad Glauc. 2. A. videtur docere velle, nonnisi eum lienis tumorem tactu sentiri, qui flatuosus sit.




CAPVT XLV.

De Renum & Vesicæ vrinariæ inflammatione.

§. 1. CVm plerique omnes Practici sileant, videor mihi huc accersere posse, quod Gal. 6. Loc. aff. 5. de vteri inflammatione scribit. *Vrinas esse nigricantes, non secùs ac siquis fuliginẽ miscuisset*. Censeo enim in harum duarum partium inflammationibus idem euenturum.

§. 2. Hac oratione quia attigi *Vterum*, satis sit idipsum. Sit etiam satis monuisse tantùm, scroto & testibus in viris idem accidere posse.




CAPVT XLVI.

De Diaphragmatis inflammatione.

§. 1. NIhil dubito, fuisse olim malum longè familiarius, quàm hodie est, quòd obseruatum sit, ex hac solâ parte fieri, non

παραφροσύνην hoc est, delirium interpolatum: sed continuum. Hinc enim φρένας dixerunt illi hanc partem, veluti notum est.

§. 2. Hac in re confirmat me, quòd diligentissimus etiam Salius, Affect. partic. cap. 8. non attingit proprias obseruationes. Vtvt sit, res Medico futuro non propterea ignota esse debet, quòd pauci ad curam suam pertinere putent: imò stimulus hic esse debet τοῖς φιλομαθέσι.



CAPVT XLVII.

De Pleuritide.

§. I. Πλευρά, ἡ, *membrana est costas interiùs succingens*: πλευρόν, τό, vel *totum latus est*, vel *costa*. Ab vtrâ parte dicitur affectus? Plerique inclinant in posterius: ego in prius, propter causam iam afferendam.

§. 2. Duplex est pleuritis, *legitima & spuria*. *Legitimam* dictæ esse membranæ, vnà cum musculis intercostalibus internis, consensus ferè est Practicorum, præter paucos quosdam, qui pulmoni triubunt: *spuriam*, tam intercostalium externorum, quàm reliquorum thoraci incumbentium. Hoc probant ex 5. Loc. aff. 3. B. Ego verò dico, Galenum longè aliò iuisse, huc nimirum. Qui de pleuritide vult iudicare, docet Gal. oportet remoueat affectus cutaneos, vnà cum subiectis musculis. His enim inflammatis, vulneratis, contusis, non opus est inquisitione aliâ, cùm affectus incurrat in sensus. At verò cùm nihil forinsecùs apparet, & tamen adest dolor, cogitare oportet de pleuritide. Illa verò cùm duplex sit, legitima quidem dicitur, quæ in *Pleurâ dictâ* est: spuria verò, quæ in *musculis intercostalibus*. Et addit, Si pleura inflammata trahat in consortium musculos intercostales, in pleurâ quidem affectio est per πρωτοπάθειαν: in musculis autem per συμπάθειαν: συμφλεγμαίνει γὰρ ὁ ὑπεζωκὼς ὑμήν. *Quasi dicat: Si posterius hoc fiat, pleura simul inflammatur.*

§. 3. Quod ad symptomata, Gal. audet nobis promittere 12. Meth. 7. ex tr. 5. San. tu. 11. D. esse ea signa tam certa, vt eximant morbum è coniecturâ artificiali. Crederem, nisi de singulis occurrerent dubia apud ipsum Gal. Ego heic strictim ago.

§. 4. *Dolor* procul dubio est primum ordine naturæ, cùm sequatur immediatè influxum materiæ, qui est *Causa antecedens* morbi: sed quia alius est in legitimâ, alius in spuriâ, quæ est ratio distinctionis? Alij alia dicunt: mihi, præhabitis iis, quæ dixi, ita videtur. In spuriâ dolor intenditur, cùm decumbit æger super latus suum. Musculi enim thoracici compressi propter molem totius corporis, comprimunt musculos intercostales. In legitimâ contrà.

Materia

Materia enim in pleurâ contenta, fit pendula, atque ita dolor augetur. Sed quam doloris speciem producit? Quatenus vel afficitur, vel coafficitur pleura, νυγματώδη, *punctorium*: quatenus pulmo participat, βαρέα *grauem* seu *grauatiuum*.


§. 5. Dolorem sequitur *Tussis*. Hæc ferè statim ab initio adest: quia semper resudat aliquid ex parte inflammatâ, quamuis & tenuius & parcius sit, quàm vt attolli possit. Et tunc dicitur pleuritis ἄπτυστος, *cruda*.

§. 6. Tussim excipit *Sputum*, in vnico quidem casu statim primo die, cum humor est calidissimus & tenuissimus: in reliquis autem post principium morbi vniuersale, secundò, tertio, quarto die. Hoc sputum duo significat. *Alterum*, colore suo prodit humorem peccantem; *Alterum*, crassitie & tenuitate, tempora morbi. Sed cur vtplurimùm tam serò apparet? Meo iudicio, non fit, nisi iam affectis pulmonibus, præcipuè bronchiis. Quo loco illud moneo, quod ex Aëtio l.8. c.68. afferunt de destillatione ex capite, accipiendum esse de sanguine pituitoso, illo inquam, cui blenna sit admista, vnde *Inflammatio œdematosa*, quam multoties vidi.

§. 7. *Febris* quidem semper adest, & ea quidem continua & acuta, 2. Loc. aff. 9. B. Sed modò vehemens, modò remissa. Crediderim, tantò vehementiorem esse, quò magis afficitur pulmo, quippe cordi tam vicinus: quin varietas maxima est in humore peccante. Tu verò accipe & hoc, & illud de legitimâ in primis.

§. 8. *Respiratio* facilior, vel difficilior est, prout magis, minùs debilitet liberam dictam respirationem. Hæc cùm non sit diaphragmatis solius, vt plerique credunt, sed simul musculorum intercostalium, tam internorum, quàm externorum, imò verò etiam musculorum abdominis: quiuis intelligit quid sibi sequendum sit. Est autem semper frequens & parua, conante naturâ duobus motibus explere, quod vno, propter punctiones, non potest.

§. 9. *De Pulsu* magnæ sunt difficultates, heic quidem dicente Gal. *magnum* esse: heic autem *paruum*. Ratio quidem persuadet, propter calorem febrilem, omninò magnum esse: sed non tam facilè contemni potest experientia contraria. An dici debet ex l. de Puls. ad tyr. 7. *Non semper esse magnum*? Sed quid fit de illo, quem Gal. indè Loc. aff. vocat τὸν ἐμπρηστικὸν, *quasi serrantem*? Si datur, communis est omnibus inflammationibus internis, ceu scribit Gal. in iam laudato loco de Puls. Ego verò credo Ill. Saxoniæ, Doctori meo, non esse in rerum naturâ.



CAPVT XLVIII.

De Mediastini & Pericardij inflammatione.

§. 1. SEquuntur hæ duæ partes, non tantùm, quia Practici sub *Pleuritide spuriâ* habent quidem affectum vtrumque, sed & vocant *Pleuritida mediastini, pleuritida pericardij.* Hæc mihi suffecerit monuisse: de re ipsâ vide Salium de Aff. part. c. 6.



CAPVT XLIX.

De Peripneumonia.

§. 1. VT paulò altiùs ordiar. Πνεύμων, aut Atticè πλεύμων, *pulmo* est. Ab hoc fit πλευμονόω, ἢ πλευμονάω, *pulmonis vitio laboro,* quod ipsum πλευμονῶδες πάθος, *pulmonarius affectus* dicitur, non tamen quicunque, sed qui ad tabem ducit, vt Gal. explicat. Hæc apud Hipp. corrupta sunt in πλευμῶ, & πλευμῶδες πάθος, quod & πλεύμος dicitur. Si putes, Hipp. loqui cum vulgo, non pugnabo. Vt enim pleonasmi non sunt infrequentes: ita nec ellipses.

§. 2. Ab eâdem origine est πνευμονία, πλευμονία, πλευμονὶς, sed pro *inflammatione*, quæ tamen frequentiùs περιπνευμονία dicitur. Heic quæritur, quid importet τὸ περὶ? Quidam ex Celso l. 4. cap. 7. docent, significare malum intensius: verùm nihil tale ibi est. Ego sæpè dixi, τὸ περὶ augere significationem. Cæterùm apud Celsum lego περιπνευμονίαν, pro περιπνευμονικὸν, ne opus sit τοῦ πάθος.

§. 3. De causâ materiali tam acriter pugnant quidam, vt nec à conuitiis in Gal. abstineant. Ego video, ante omnia opus esse distinctione. Cùm ex capite descendit mera blenna, non facit hunc affectum: sed *Asthma.* Cùm sanguis, provt ille, vel solus est, vel admistam habet blennam, bilem, &c. ita facit, vel simpliciter dictam *Inflammationem*, vel *œdematosam*, vel *biliosam*, &c. Et hoc posterius est id, quod Mass. scribit 2. Pract. 4. fieri peripneumoniam ex omni humore, vt illi quidem loqui solent. Hinc sunt differentiæ ichorum expectoratorum, non secùs ac in pleuritide, qui ipsi indicant tempora morbi si salutaris sit.

§. 4. Symptomata non valdè sunt diuersa à pleuritide. Accedunt

dunt autem vt plurimùm duo valdè insignia, *Orthopnœa*, & *genarum rubor.*



CAPVT L.

De Cordis inflammatione.

§. 1. Moneo hoc tantùm ex Gal. 5. Loc. aff. 1. Eos, quibus ipsa substantia cordis vulneratur, nisi etiam ventriculi scindantur, moriantúrque hæmorrhagiâ, viuere posse per totum diem naturalem, vsque dum inflammatio oborta strangulet illos. Imò verò, ad suppurationem peruenire, & superesse posse, notum esse potest ex historiâ, quam Ill. Sennertus habet 5. Pract. 4. cap. 1. Et posse cor laborare aliis etiam abscessibus, notum est ex historiis â Schenckio allatis, 2. Obs. 202. Ego illud obiter noto, Galenum pungere Arist. illis verbis, *Mentis compotes fuisse tales.* Quasi verò vnquam scripserit Arist. *Cor ratiocinari sine cerebro*? Eo igitur saluo, quidni aliquandiu (ita loquor) salua sit mens? Vide inter cæteros Com. Marinelli in Hipp. cap. de Phrenitide.



CAPVT LI.


De Angina.

§. 1. Vt ἀπὸ τῦ ἄγχω, est *Ango*: ita ἀπὸ τῆ ἀγχόνη, *laqueus*, videtur esse *Angina*. Apud Græcos duo sunt vocabula, κυνάγχη, καὶ συνάγχη, de quibus vtrum sit prius? quæritur. Mihi ad prius inclinat animus, qui puto dictam ita fuisse inflammationem, quæ omnium grauissima est, cùm videlicet & fauces, & lingua ita intumuit, vt cogantur ægri linguam exserere instar canum. Huic opposita altera species, in quâ foris nihil apparet inflammationis, & tamen grauissimè suffocantur ægri, cùm videretur deposcere peculiare nomen, barbarâ potiùs, sed vicinâ voce συνάγχην vocarunt, prorsùs vt in σύνοχος factum esse dixi. Atque hæ sunt duæ priores species apud Gal. 4. Loc. aff. 3. extr. qui ait, Hippocrati nonnisi alterutrum nomen fuisse cognitum, quod ego puto τὸ κυνάγχη esse. At reliquæ duæ, παρακυνάγχη & παρασυνάγχη, damnantur ab eodem l. 1. Vide Foëf. in κυνάγχη, præcipuè autem duo Aretæi loca ibi citata, & dispice, si placet, siquid mihi inde obiici possit, & quid ego respondere possim.

§. 2. Tum

§. 2. Tum verò, quod maioris momenti est, Considera, quot omninò partes sub *Anginâ* lateant? Larynx cum musculis suis: gula cum musculis suis: lingua cum musculis suis, quibus accenseo & ossis hyoidis: tonsillæ cum gurgulione: fauces denique ipsæ, & palatum. Hæ omnes vt sub quatuor anginæ gradibus denominatis sunt: ita singulæ seorsim possunt inflammari, & lædere deglutitionem, vocem cum respiratione, masticationem. Ego de linguâ solâ produco historiam 14. Meth.4.descriptam.

§. 3. Moneo verò illud quoque, quod quibusdã multum facescit negotij. Docet Gal.4.Aph.34. & alibi, fieri affectum hunc etiam ab humiditate, & siccitate. Tale quid si accidat, est *Angina impropriè dicta*. Vide Cæsalp.2.Quæst.Med.17.



CAPVT LII.

De Phrenitide.

§. I. Φρὴν, ἡ, Græcis *Mens* est, quamuis vt plurimùm in plurali dicant φρένες, quod verbi diaphragmati etiam tribui, non ita pridem indicatum fuit. Hinc φρενῖτις, ἡ φρενιτίασις (vnde φρενιτίζω καὶ φρενιτιάω) in latâ quidem significatione est quoduis delirium: in propriâ autem & strictâ *delirium perpetuum* cum febre acutâ, 1. Prorrh. 1. C. Quo loco notandum venit, cùm delirium non est perpetuũ, vt in febribus quibusdam, παραφρενῖτιν dici, aut παραφροσύνη: & qui ita affecti sunt, παρακόψαι dicuntur, παραληρῆσαι, παραφρονῆσαι, παραπαῖσαι, &c. Vide Foes. in παραφρονῆσαι. Notandum forte & illud, quod idem præteriit, Apud Latinos (Iuuenalem, Martialem, Plinium, Serenum) *Phrenesin* esse, & *phreneticos*, quasi φρένησιν καὶ φρενητικοὺς legerint. Hoc rectè fieri tum credam, cùm ex probato autore Græco deductum fuerit.

§. 2. Constans penè sententia est, Phrenitin propriè dictam esse affectum cerebri per essentiam; esse, inquam, *inflammationem* cerebri, præcipuè *meningum eius*. Ita loquor. Quemadmodum enim pleuritidi nihil decedit, quominùs sit inflammatio pleuræ, siquidem communicetur pulmoni: ita phrenitidi nihil derogat, si ad cerebrum serpat. Rursùs, vt peripneumonia est peculiaris affectus: ita cerebri quoque inflammatio, quamuis peculiare nomen sortita nondum sit. Hæc explicare oportet. Quemadmodum de pleuritide contendunt quidam, non esse pleuræ, sed pulmonis inflammationem: ita non desunt, qui phrenitida negent esse meningum, sed substantiæ ipsius cerebri inflammationem. Ad huius rei confirmationem, Valles. Com. in 5. Epid.49. affert experientiã suam, *In vulneribus capitis, vulneratâ & ita inflammatâ durâ matre, vt per partes*

partes eximeretur, non superuenisse tamen delirium. Quamobrem concludit, *phrenitida non fieri, nisi penitissimæ cerebri partes inflammentur*, vti loquitur. Huius loci historia filiæ Nerei, quia reuocauit mihi in memoriam σεῖσιν Hipp. 7. Aph. 58. libet mihi inquirere in dogma illud recens, quod ait, Concussionem illam causari morbum in situ, quem illi vocant *Commotionem cerebri*. Ne sim longior, Planè accedo ad Vallesium, qui vult, Palpum illum amatorium, filiæ Nerei datum in sinciput, causatum esse primùm dolorem, deinde affluxum sanguinis ex dolore, vnde inflammatio. Cùm enim tenella hæc virgo sinciput haberet adeò tenue & papyraceum, vt ad solum contactum doleret, factum est, quod Hipp. dicit. Hinc erudiri possunt Holl. & Heurnius, vterque Com. in d. Aph. Falsum esse commentum, quod τὸ σείειν exponit de *Vehementi* seu *Validâ plagâ*. Imò etiam leuissima manus potest membranam illam, quâ mediante os frontis iungitur cum vtroque sincipitis, rumpere, quà, inquam, pulsus duræ matris percipitur in iunioribus, ad annum aliquando octauum, aut plures. Mihi ad tactum doluit ad 24. vsque, & est etiamnum fouea ibi. Hinc conclusio fieri potest, *Si tantillus ictus in hanc partem facit inflammationem cerebri, quantò magis validus?* Vide Sennertum 1. Pract. 1. cap. 20.

§. 3. Ad rem. Quemadmodum Pleuritis erysipelas etiam potest esse, vel erysipelas phlegmonodes, &c. ita phrenitis quoque. Hoc tamen interest, quòd in pleuritide ratio distinctionis tam manifesta non est, si symptomata spectes, atque in phrenitide. Phrenitis enim sanguinea, quæ ipsa *Inflammatio* est, omnia habet mitiora, & cum risu est: at biliosa, quæ *Erysipelas* est, omnia habet grauiora, præsertim febrim.

§. 4. Qui triplicem statuunt, pro triplicitate trium facultatum principum, errant. Cùm enim ratio v. g. pendeat à Phantasiâ, quo modo lædi potest alterutra, non læsâ alterâ? Sed neque de Theophilo Medico dicere potest Gal. Diff. sympt. 3. G. solam imaginationem læsam fuisse. Cùm enim assenserit fatuitati de eiiciendis è conclaui tibicinibus, non potuit ei ratio constitisse.

§. 5. Quæritur, An verum sit, in inflammatione diaphragmatis delirium esse continuum, perinde vt heic? Falsum esse, conuinco ex Gal. sensu vero, 5. Loc. aff. 4. E. Hoc enim vult, *In nullâ aliâ parte delirium esse propius phrenitico, quàm in inflammato diaphragmate. Tam enim vicinum est, vt visum fuerit veteribus*, &c.

§. 6. Agitabo heic illam quoque controuersiam, An vel phrenitis, vel vllum aliud delirium exsistere possit, præsente nudâ tantùm intemperie? calidâ puta? Ne repetam ea, quæ de Melancholiâ: Credo, inductus à Salio, Annot. in Altim. cap. 8. sed addo, *Sine febriculâ non fieri*. Quin assero, delirium quoddam ex merâ debilitate caloris esse. 7. Aph. 9. Tale est in Phthisicis desperatis, marasmis, &c.




CAPVT LIII.

De Lethargo.

§. 1. Λήθαργος est *obliuio iners*, siquidem τὸ ἀργὸς commune est. Vox ipsa apud autores latissimè patet: ego suprà indicaui, Lethargum propriè dictum esse somnum perpetuum naturali similem, sed cum febri, & delirio, tum fortassis, cùm ex phrenitide fit. Quando verò, & quomodo fit?

§. 2. Apud pleróſque inexplicabile est: ego ita censeam. Si contingat res phreniticorum desperatas esse, & iam vigiliis perpetuis succedat somnus perpetuus, non accidere id, quòd humor calidus & inflammatorius sit mutatus in frigidum, quod ineptè creditur à quibusdam: sed quòd ex inferioribus, præsertim abdomine, vapores frigidi copiosi efferantur, à quibus somnus ille inexpugnabilis. Alioquin, periculosum quoque est in phrenitide, si bilis sursum eat. Hoc enim colligunt ex vrinæ albedine.

§. 3. Hunc phreniticorum statum, quia peculiari nomine donant quidam, *Typhomaniam* vocantes, oportet dicere tria verba, vel ideò, quia cum *Comate Vigili* confundunt. Clara est Gal. mens 1. Prorrh. 1. H. quam repetit in Gloss. T. dici à quibusdam ita affectum illum, qui ex phrenitide & lethargo compositus est, eo modo, quo dixi. Sed cur 4. caus. puls. 15. vt & de Puls. ad tyr. 11. dissimulat nomen? Quia non valdè probabat ὀνοματοθεσίαν.



CAPVT LIV.

De Cerebri inflammatione seorsim.

§. 1. Heic exsiliunt quidam, *Quasi inflammari possit cerebrum*! Factum puerile. Nam qui, vel vitulinum, vel ouillum cerebrum, etiam in mensâ, viderunt, nôsse possunt, quàm multa vasa per substantiam illius dispergantur. Hæc verò in homine tantò conspectiora sunt, quò maius est cerebrum.

§. 2. Eius sum sententiæ, affectum ab Hipp. 7. Aph. 50. vt & 3. de Morb. appellari σφάκελον, acceptâ voce, vt 2. Loc. aff. 7. E. accipi aliquando dicitur.

§. 3.


§. 3. Heic quoque delirium eſt, ſed à phrenitico diuerſum. Tumultuosè enim agunt, & niſi coërceantur, ſibi, aliiſque vim faciunt. De cæteris videatur diligentiſſimus Salius de Aff. part. cap. 1.



CAPVT LV.

De Ophthalmia.

§. 1. IN comperto eſt, hanc eſſe inflammationem τῆ ἐπιπεφυκότος χιτῶνος, *Adnatæ oculi tunicæ*, quæ ipſa germen eſt pericranij. Non perinde compertum eſt, *An oculus totus inflammari poſſit*? Cuius rei hiſtoriam, vnà cum curatione felici magis quàm rationali, non pigebit dicere, vt ab amico habeo. Laborabat Pariſiis quidam hac inflammatione. Chirurgus cùm diſcutere non poſſet, vt volebat, exſpectatâ puris maturatione, oculum compunxit, ſemélque vacuauit omne, impoſitóque cum ſtuppâ albumine oui, intra nouendium ſanum præſtitit oculum.




CAPVT LVI.

De Auris Internæ inflammatione.

§. 1. CVm taceant Practici; Hipp. autem & Gal. non tacuerint. Cogor ego heic loqui. Cùm dixiſſet Senex 13. Progn. 15. eum, qui ita ſit affectus, in periculo eſſe delirij iuxta & mortis: Gal. in Com. refert cauſam in neruum auditorium. Hoc cùm non ſimpliciter verum ſit, ex rei natura ita nos oportet loqui, Periculum eſſe propter neruum auditorium, in cauitates & foramina auris internæ dilatatum in membranas, quas vidit Ill. ab Aquapendente. Propter harum inflammationem dolor fit intenſiſſimus, longè, inquam, intenſior quàm in oculo. Hoc memini dicere C L. DD. Erneſtum Sonerum, collegam olim & amicum coniunctiſſimum, qui vtrumque non ſemel expertus erat.

§. 2. Sed cur ait, Interire ὃν τρόπον οἱ ἀπόπληκτοι, *eo modo, quo Apoplectici*? Nullam video neceſſitatem, niſi ſemel ſucceſſiſſe apoplexiam vidit Autor. Ita enim Gal. multa excuſat.



CAPVT LVII.

De Musculorum Abdominis inflammatione.

§. 1. Volo hoc exemplum esse tantùm, musculorum totius habitûs, vel ideò, quia res maximi momenti est. Hoc declarat historia Stesiani 5.Loc.aff.7.N. Hic cùm ἐπὶ τῶν διαγνώσεων, ἢ ἐπισκέψεων fuisset, *hoc est cùm collegialiter*, vt hodiè loquimur, *de affectu illius disputâssent Medici*: nemo tamen illorum agnouit, putantibus hepatis abscessum esse. At Gal. ex solo primùm colore faciei deprehendit; deinde etiam tactu, abscessum esse in musculis abdominis transuersis & obliquis.

§. 2. Quo loco obseruandum est, quod de colore dictum est. Gal. enim l.c.docet, & diligenter inculcabat nobis Scherbius, ὁ δαιμόνιος, In affectibus hepatis & lienis sæpè maximoperè nos iuuare inspectionem faciei: sed esse tale, quale vix describi possit, experientiâ proinde discendum. Hoc in pulmonum quoque affectibus esse, dicebat Ille: quin cordis etiam esse, non dubito.

ABERRATIONES.

§. 3. Apud Fuchsium l.3.s.1.c.1. D.inter vitia ventriculi, vbi est inflammatio vel corporis ipsius, vel oris dicti? Cap. seq. vbi est inflammatio vel tenuium, vel crassorum intestinorum? Cap. seq. 20. *hepatis* inflammatio, affectus tanti momenti, nullibi est. De *liene* quàm frigida appendix est! Imò, si analogiam spectemus, splenici erunt, quibus splen est imbecillis, eo sensu, quo & *Stomachici* & *Hepatici* dicti sunt. In renibus & vesica, cap. 21. idem defectus est. Quin de renibus suo more abutitur vocabulo *Phlegmone*. φλόγωσις enim est calida illa renum dispositio, quæ prona est in calculos. Nephritin aliquandò capi pro quouis renum vitio probari cupio. Vt regrediar, cap. 17. vbi vel mentio diaphragmatis? In pleuritide deficit, quòd non satis distinguit legitimam à spuriâ: imò nescire vult, locum affectum aliquando esse vel mediastinum, vel pericardium,

dium, vel vtrumque. Illud verò rectè, quod ex Aëtio monet, si rectè intelligat. Reuerà crudi & lenti humores, vno verbo, *Blenna*, non facit pleuritida, sed *asthma*? Sed & pessimè loquitur, cùm ait, ingerere se in vacuum thoracis spatium. Si enim hoc, quomodo faciunt pleuritida? Et quia crassi sunt, quâ ratione distendunt pleuram, quam ingredi non possunt? Ita est, Blennæ admiscetur sanguis, qui in sputis tam manifestè apparet, vt nihil contrà dici possit. De *Angina* cap. 16. rectè monet, apud Hipp. aliosque veteres, capi pro omni spirandi difficultate: sed miserè impingit in hellenismum, cùm συνάγχην deducit ἀπὸ τοῦ συνάγχω. Quæram enim ποῦ κεῖται?

§. 4. Sennertum nostrum vehementissimè miror silentio premere omnes inflammationes vsque ad *Phreniti-da*! Sed neque illam describere sub inflammatione! Quod ait f. 294. in hoc affectu *Imaginationem* lædi per se, *Rationem* per accidens, benè haberet, si causam eius assertionis daret. Ea est suprà §. 4. Cuperem etiam audire ab ipso, quomodo memoria aliquando lædatur ex se, *cùm organum proprium afficitur*? Quod est enim *organum* illud *proprium*, diuersum ab Imaginatione & Ratione? Et quomodo id, quod in vestigio dicit, *Memoriam ex accidente lædi*, cohæret cum eo, quod suprà dixit. *Non deprauari, sed imminui*? Quæ causa est respirationis læsæ, ea etiam memoriæ læsæ est, copia imaginationum. Vtrobique deprauatio est, non imminutio. At si etiam obliuiosi fiant, iam alius affectus iungitur, qui à phrenitidis naturâ alienus est. In causis phrenitidis f. 385. videtur mihi solito implicatior, repetendo identidem, quod iam dixerat. Idem iudico de fusâ tractatione quæstionis, *An cerebrum inflammari possit? intumescere? alienum humorem imbibere*? Ad *lethargum*, f. 305. propriè dictum, an pertineat omnium rerum obliuio, equidem vehementer nescio: coniungi posse scio. *Typhomanian* cùm f. 290. *Comati vigili* adscribit, ex 5. Prorrh. 1. loquitur: at Gal. alibi aliter sentit.

§. 5. Liddelius l. 3. cap. 11. de *inflammationibus ventriculi* tam obscurè agit, vix vti agnoscas. Sed neque seorsim

ore ipsius loquitur, vt omninò debebat. Idem dico de *hepatis inflammationibus* cap. 12. seq. f. 419. Vbi peculiariter hoc noto, inconstantem esse in hepatis imbecillitate, de qua nos suprà. Modò enim verè describit, modò falsò, &c. Nouum est, quòd intemperies alias qualitatibus adscribit, alias harmoniæ substantiæ. An Fernelianismus latet heic? Quid illud verò est, quod f. 423. redit ad inflammationem? In signis laudo industriam ipsius, nisi quòd incredibile mihi est, febrim posse intermittentem esse. Laudo etiam in distinctione ab *inflammatione musculorum* abdominis: sed vereor falsum fore, si credat, omnem hepatis inflammationem tactu deprehendi posse. In distinctione à *pleuritide dextri lateris* nimis citò abrumpit orationem, nec se explicat, Sítne decubitûs alia ratio in pleuritide, alia in propositâ inflammatione? In *lienis* inflammatione f. 430. nimis citò decurrit ad suum, &c. Nec excusat, quòd f. 432. resumit. Interim obseruatione dignum est, quod ait, phlegmonem propriè dictam vix fieri in hoc viscere. In *renum inflammatione* c. 13. egregiè præest officio suo, vt & in vesicæ. Sed in *Pleuritide* f. 352. & *Peripneumonia* f. 354. vagus est, vt lenissimè dicam. De *Angina* f. 332. miror primùm resumere à Gal. reprobatas παρακυνάγχας καὶ παρασυνάγχας! Deinde cùm agnoscat anginam propriè dictam pro tumore p.n. calido, quei dicere ausit, causam eius esse morbum in viâ, seu angustiam! Imo influxus est causa. In phrenitide f. 263. mirum mihi accidit, quòd cerebrũ velit affici, & tamẽ mox meningas assumat! Certè qui meningas dicit, intelligit vtrumque! Harum autem, quæ tenuis est, cùm altè se insinuet in substantiam cerebri, quis mente cõcipere potest inflammationem ipsius sine cerebri inflammatione? In reddendâ causa, cur facultatum principum modò hæc, modò illa afficiatur, frustrà laborat. Frustrà etiam f. 279. in docendâ affinitate phrenitidis & lethargi.

§. 6. Apud Heurnium silentium est.

SECTIO III.

CAPVT LVIII.

De morbis Organicis.

§. 1. OLim partes solidæ diuidebantur *in organa* seu *instrumenta* quatuor ordinum. Quæ distinctio cùm ducat nos in auia, meritò repudiamus, & contenti sumus recentiori illâ, inde vsque à Gal. temporibus celebratâ, quâ partes solidæ omnes dispescuntur in *Similares* & *Dissimilares*, quæ dissimilares solæ *Organi* seu *Instrumenti* nomen retinent. De *Similarium* morbis quia actum est hactenus, restat persequamur iam *dissimilarium*, quos *organicos* vocabimus: vulgò *Morbi compositionis* dicuntur.

§. 2. Morborum in similaribus numerum quia venati sumus ex ipsâ rei formâ seu essentiâ, quæ *Temperamentum* est apud Gal. vnde venabimur *organicorum*? Magna difficultas! Credo equidem Montano 5. de Morb. 7. Cùm Generatrix duas habeat ministras, *Alteratricem* & *Formatricem*: temperamentum quidem esse ab illâ, formam autem (externam) ab hac. Verumtamen non credo, formam (externam) esse merum accidens. Cùm enim immediatè prodeant ab illa actus secundi; hi autem sint ἐνουσιῶδές τι *consubstantiale quid*, vt vertere mihi libet, perfectio quippe rei: quomodo mera accidentia esse possunt?

§. 3. Abactâ igitur formâ hac accidentali, dico Galenum (aut si quis alius vetustior) accepisse numerum horum morborum *ex vnitate indiuidui* humani. Ad vnius enim hominis perfectionem cùm necesse sit conspirare omnes omnium partium actiones; quatuor autem omnínò concurrant ad huius vnius constitutionem: vtique quatuor erunt morborum *organicorum* genera. Vt enim agere possint singulæ partes, quod suum est, oportet primùm ita *conformatæ* sint: Secundo loco oportet huius exactè magnitudinis sint, non maioris, non minoris: Tertiò, oportet tot *numero* esse, non plures, non pauciores: Quartò, oportet hoc inter se *situ* esse, non illo, non isto. Porrò, cùm διάπλασις *conformatio* consistat in aliis tribus, in figurâ, in cauitatibus in superficie, oportet quinto loco talis *figuræ* esse, non aliûs: Sextò, has habere *cauitates*, hos *meatus*, has *vias*, seu quomodolibet appellare libeat, non angustiores, non strictiores, quàm pro rei naturâ; septimo tandem, talem habere *superficiem*. Vt iam in vniuersum *septem* sint genera morborum organicorum. Verumenimverò cùm conformatio nullibi sit, quàm in tribus suis speciebus, *sex* manent.

§. 4.

§. 4. Heic duo sunt in quæstione. Alterum est, Possuntne partes *organicæ*, de quibus agimus, laborare morbo similari, *Intemperie*? Possunt omninò. Cùm enim agant, non minùs temperie hac tali, quàm organisatione (vt ita dicam) hac tali: quiuis videt, quid dicendum sit. Hinc Gal. sæpè ait, Partem aliquam solidam, v.g. cerebrum, laborare modò vt pars similaris, morbo (inquam) similari, intemperie: modò vt pars dissimilaris seu organica, morbo organico. Hoc iam illustrare libet alio exemplo. Oculus laborat intemperie, cùm inflammatur: oculus laborat morbo in numero, cùm suffusionem patitur. Vt clariùs dicam, oculus laborat intemperie, quatenus habet hanc naturam, aqueam; vno verbo, quatenus ita temperatus est. Oculus laborat morbo organico, quatenus ex tot constat partibus, ita inter se dispositis, vt aliud quid interiici tanquam cuneus non possit, &c.

§. 5. Alterum, Possúntne partes *similares* laborare morbo *organico*? Videtur. Obstructis enim venis in hepate, v.g. vena, quæ est pars similaris, laborat morbo organico. Hæc difficultas nata est ex reprobata iam diuisione partium in quatuor genere, differentia instrumenta. Quare, assumptâ diuisione nostrâ, dico, Quia hepar non considero vt instrumentum quarti ordinis, quatenus ad latus ponitur instrumento primi ordinis, venæ: non potest etiam hoc dici. Rursus, Quia hepar considero vt partem organicam, seu dissimilarem, quatenus opponitur similari: dico, Vena non laborat, sed totum hepar. Et hoc iam pertinet ad τρόπον ἐπιστήμης, qui est, vt Scherbius sæpè dicebat, *Non sunt ibi tot morbi, quot partes affectæ sunt: sed est vnus morbus, quatenus vna actio est læsa.* Illa est consideratio Physica: hæc Medica. In Angina, v. g. quot partes læduntur? in vulnere quolibet quot? vtrobíque tamen vnus tantùm morbus est.



CAPVT LIX.

De morbis Conformationis in Figura.

§. 1. HEic subsistunt quidam non rectè instituti, Quomodo, inquiunt, σχῆμα, *figura* est dispositio p. n. adeóque in quartâ specie *Qualitatis*? Scilicet, talia dubia ferunt falsæ hypotheses! Ea heic est, omnem morbum esse qualitatem. Ah! longè latior est dispositio p. n. Gal. vno verbo, est omnis ἀματεία. *Es ist so ein ding*, dicemus in nostrâ linguâ, quasi sit *Transcendens*, vt ens, vnum, verum, bonum. Vt paucis me absoluam, In figurâ propriè non est morbus, si abstractiuè consideremus, in relatione, inquam: sed est in fundamento relationis, in re figuratâ. Interim ita loquimur.

§. 2.

§. 2. Vt à *capite* incipiam, φοξοὶ Græcis dicuntur quibus deest, vel anterior, vel posterior capitis eminentia, *Spitzkœpf.* Iidem etiam ὀξυκέφαλοι, σχινοκέφαλοι, & προκέφαλοι vocantur. Latinè quo modo appellem non habeo: describam autem, *Qui acuminato capite sunt.* Quidam *Cilones* vocant ex Cic. vide Com. in 9. vs. p. 17. Qui cõtrario vitio laborant, μακροκέφαλοι, *Capitones* nominantur, *grosskœpf.* Quo loco sciendum est, quamdiu non læduntur actiones cerebri, esse vitium tantùm naturale, non morbum: at cùm læduntur, esse morbum. Ita Thersites apud Hom. Iliad. β'. φοξὸς ἔην κεφαλὴν, sed simul stultus.

§. 3. In *naso* vitia alia sunt τῆς ῥάχεως dictæ: alia τῆς ἀκρορινίου. *Eminentia* cùm maior est, κυρτοὶ, *gibbi*) à similitudine cum gibbo dorsi) dicuntur: cùm cõtrà depressa, σιμοὶ, *simi*, *simones* (acceptâ denominatione à simiâ, cui hoc gentilitiũ & natiuum est) appellantur. *Apex* cùm deorsum vergit, accipitris instar, γρυποὶ, *grypi* nominantu: cùm sursum, ἀνάκυρτοι, *repandi*, *silones* quibusdam, quamuis ad supercilia grandiora transferant alij. Priori vitio analogum qui in labiis habent, χείλωνες, *Labeones* sunt.

§. 4. In *dorso* tres contorsionum modi fuere olim quoque cogniti. Primus & vsitatissimus, cùm versùs exteriora seu posteriora incuruatur spina, & dicitur Græcis ὕβωσις, κύφωσις, κύρτωσις; qui ita affecti sunt, ὑβοὶ, κυφοὶ, κυρτοὶ. Alter, & minùs frequens, cùm versùs interiora, seu anteriora fit inclinatio, & dicitur affectus quidem λόρδωσις; qui autem ita sunt, λορδοὶ. Tertiùs, cùm εἰς τὰ πλάγια flectitur, hoc est, vel circulum facit dextrorsum, sinistrorsúmve, instar literæ C. vel tortuosa fit instar literæ S. & vocatur σκολίωσις.

§. 5. In *cruribus* duo vitia contraria sunt. Cùm genua introrsùm vertuntur, itáque coëunt, vitium ipsum dicitur βλαισότης ἢ βλαισότης; affecti βλαισοὶ, ἢ βλαισοὶ, *Valgi*, & *Vatiæ*, vt alij *Vatij*, apud Plautum *Compernes*. Cùm extrorsùm, itáque nimis distant inuicem, ῥοικοὶ, ῥοιβοι, ῥαιβοὶ, *Vari*. Ex his corrigere tibi licet errorem, quem cum aliis erraui Com. in 3. Vs. p. 9.

§. 6. In *pedibus* vnicum est malum, cùm planta pedis non est analoga volæ manus, hoc est cùm pes planus est, non cauus. Hi *Planci* nominantur à Latinis, aut *Pansæ*, aut Plauti aut *Ploti*. An addere licet alterum, τοὺς βαράποδας dictos Græcis, *Scauros* Latinis? Vide Pathalogica, cap. 101. Hæc tam in genibus, quàm in pedibus vitia tùm demum morbi dicuntur, cùm ambulationem rectam corrumpunt, & dicuntur ita affecti vno verbo, χωλοὶ, *Claudi*. De *Monstris* non ago, quia ad Physicum pertinent. Egére de illis, paucis quidem Lidd. lib. 3. Inst. c. 14. pluribus autem Heurn. l. 5. c. 8. Post hos doctissimè VVeinrichius. Vratisl. Lipsiæ 1595.

ABERRATIONES.


§. 7. Fuchs. l.3.s.1.cap.5. rectè quidem diuidit hæc vitia in connata & aduentitia: sed nimis inconsultò semper habet pro morbis. Non immeritò etiam accuses id, quod *Valgis* aut *Vatiis* opponit *Rectos*. Imò verò crura humana secundùm naturam aliquo modo extrorsum eunt, vt est 3. Vs.p.9. Quod quibus denegatum est, ij iam *Vari* sunt, & infeliciùs ambulant. Et quid est *Curuas* erigi? Potéstne olla tam enormiter monstrosa fieri, vt, rotunda cùm sit naturaliter, fiat quadrata? Si disrumpantur, luxentúrve, iam morbus in situ est. In narium vitiis, f. 420. non reperio, quod quærebam. In thoracis, f. 422. multò minus. *Valgis* & *Vatiis* f. 385. cur non opponit *Varos*? cur non dicit quales sint alterutri?

§. 8. Sennertus f. 131. nimis citò se absoluit à morbis figuræ. Contrà, luxuriat f. 463. in deperditâ hac, illâve eminentiâ: quin incidit in duo teterrima dogmata, *Spiritus animales gigni in ventriculis*: & *Facultates principes differre locis*. Cùm caput paruum simpliciter damnat, incircumspectus est. Quoddam enim laudabile esse potest, quomodo *Cor* & *hepar* paruum. Aristoteli verò, aut si quis alius Problematum autor est, dum contrà ire vult, παραλαλεῖ, vt Galeni verbum habet. In ipsâ doctrinâ vacillat, cùm figuram capitis postponit magnitudini & paruitati, adeóque nescit quo respectu caput vel paruũ, vel magnum vocetur, respectu (inquam) τῶν περιβολῶν, *eminentiarum*. Et cur tamdiu moratur in explicandis modis capitis acuminati? Vt bis ad eundem. Sed neque distinguit inter vitia & morbos. Quæ sequuntur, f. 467. de tenuitate cerebri, πάρεργα planè sunt hoc loco. Reliquorum neque pes, neque caput comparet.

§. 9. Lidd. l.3. cap. 1. rectè quidem morbum in figurâ tum demùm agnoscit, cùm actiones impediuntur; rectè etiam distinguit inter natiua & postfacta mala: sed nouè inter

inter partes externas & internas distinguit. Nec refert, quòd distinctio respicit totam conformationem. Cauitates enim in externis etiam locum habent, v.g. in poris cutis. Sed neque sufficit heic rectum & curuum.

§. 10. Heurn.l.6.cap.2.dum breuis esse cupit, obscurus & mancus fit.



SECTIO IV.

CAPVT LX.

De morbis Conformationis in Cauitatibus.

§.1. QVas *Cauitates* heic voco, κοιλότητες sunt Gal.aliquando πόροι, *meatus*, aliquando κοιλίαι, *ventres*, aliquando στόματα, *orificia*. De his eadem lis est, quæ in *Figurâ* fuit, Quo modo διάθεσις est in illis, in quibus ordo non est? Διάθεσις est in parte, quæ cauitates habet. Argumento sit, Pars illa,in quâ cauitates malè affectæ sunt, non rectè præest rebus suis: quia heic quidem materiæ non possunt ire & redire vt debent; illeic autem eunt, quò non debent. Et quid pluribus est opus? Curamus, v.g.hepar: non cauitates hepatis. Et hoc permittit τρόπος ἐπιστήμης.

§. 2. Hæ, vt iam innui, cùm laborent duobus contrariis morbis, & fiat id non vnâ de causâ: vehementer satagunt Gal. amici, quo modo id exsculpant ex duobus eius locis, Diff. morb. 7. & Caus. morb.7. Mihi si licet excursionem facere in amœnitates Philologicas,dabo genuinis φιλογαλήνοις φροντίσιν meas δευτέρας, quæ subuenere mihi post illa in Patholog.cap.103.quæ eadem sunt Montani,4.morbi.4.Huius rei initium faciam à priori loco,& ostendam quàm non assecutus sit mentem ducis sui Ille, quem dixi. I. omnium hoc mihi sumo, per prima duo vocabula, μέγεθος τε καὶ πλῆθος, intelligi debere, non duo diuersa, sed vnum. Nam gemina illa coniunctiua, τε καὶ, non sinit nos aliter statuere. II. per eadem intelligi, non statum aliquem p.n.geminos scilicet morbos oppositos, argumento,quod non tantùm ait seruari debere, (φυλάττεσθαι,) sed & actionem lædi, si non seruentur III. Cùm non possint de re eâdem esse, stante hac lectione, pro πλῆθος, lego πλάτος, & interpretor vtrumque de naturali cuiusque cauitatis *amplitudine* iuxta & *latitudine*, quibus seruatis actio seruatur, quibus læsis actio,læditur. IV. est huius consequens, Quæ subdit, pertinent ad alterum tantùm morbi genus, quod vestigamus, *obstructionem* scilicet, in quâ, vt loquitur,

An τὸ μῆκος Planeri propiùs accedit?

loquitur, ἀποκλείονται καὶ στενοχωροῦνται, οἱ πόροι, *clauduntur, angustanturque meatus*. V. Quo stante, admiratione dignum est, quo modo fine cap. vbi concludit negotium, facere etiam mentionem possit affectûs contrarij, τῆς εὐρύτητος, *Dilatationis, Distensionis, Ampliationis*, aut si quo alio verbo vti quis velit. V I. Vt ad priorem affectum redeam, A Montano caussam posco, cur pro singulis vocibus singulas causas reddere velit? Certũ enim est, prout vel latè, vel pressè accipiuntur, alias sub aliis contineri, adeóque ad eundem penè sensum redigi. Sed sit: cur non addidit στέγνωσιν quoque? cur non σφήνωσιν? cur non συνώθησιν? Contra, cur omittit ἄνανσιν? Ego ita puto, ἰσοδυναμοῦντα esse, & alios autores aliis vsos esse, hoc solo demto, quòd quædam pertinet ad ipsas res obstruentes, quædam ad partes obstructas. Illuc facit ἔμφραξις *obstructio*, στενοχωρία, *angustia*, θλῖψις, *compressio*, φλεγμονὴ *inflammatio*, & reliqui tumores p.n. Huc, σύμφυσις *coalitus*, ἄνανσις, *siccitas*, seu *consumtio solidæ substantiæ*, & ex de Caus. συνίζησις, *subsidentia*. An σύμφυσις, licèt vtrobique sit, in vitio est, & leg. est σύμπτωσις, *concidentia*? συμφύσεις enim pertinent ad morbos in *Situ*, vt ibi dicetur. Scio, quid ex illo de Caus. obijci possit: sed tanti non est. Minoris est, quod ex eodem dici potest, idem esse cum συνιζήσει. Iam enim hoc in vniuersum pro Gal. dico, Cumulauit ille nomina, quibus tum temporis Medici vtebatur securus, quid de re ipsâ fieret. Alterum enim explicat alterum. Sed satis de priori loco. V I I. In posteriori planè nullum inuenio colorem, quo tegam τὸ ἀσαφὲς τῆς ἑρμηνείας, *obscuritatem loquendi*. Cùm enim in de Diff. obiter tantùm meminisset τῆς εὐρύτητος, quam per εὐρυχωρίαν, τῇ στενοχωρίᾳ oppositam, rectè explices: in de caus. mutat in ἀναστόμωσιν, *orificiorum apertionem*. Atqui pertinet vox ad *Sanguinis profluuia*, vt ibi dicetur. Rursùs, queî potest effugere probrum obiectum, cùm non ita multo pòst τὴν ἀναστόμωσιν vertit in μάνωσιν, *laxitatem & raritatem*. Atqui, dicam iterum, vox eodem pertinet, speciatim ad διαπήδησιν. VIII. In eodem planè inexcusabile est, quòd quinque vocibus, obstructionem spectantibus, agglutinat τὴν ἀναστόμωσιν, quasi res eadem foret cum præcedentibus. Sed & in exemplis μανώσεως claudicat, vt inspicienti manifestum erit. Quæ causa fuerit Planero, cur in θ. de Morb. org. ne meminerit quidem morbi oppositi obstructioni. Quo pacto cùm perierit illi altera pars laboris, quid dicemus? Ego quidem non laboro, sed cum Montano dico, *Galenum in hoc negotio & ieiunum, & obscurum fuisse*.

§. 3. Vt ergo expediamus nos paucis, Morbi in cauitatibus sunt duûm generum. Aut enim angustiores fiunt, & oriuntur ἐμφράξεις, *obstructiones*: aut patentiores, & fiunt διαδέξεις, ἐνδέξεις, διαδοχαὶ, & aliter veteribus dictæ, *translationes*, seu *transpositiones humorum*, quas vel καταρρόους, *fluxiones*, in latissimo vocabuli significatu, dicam: vel διαθέσεις ῥευματικὰς, *dispositiones seu affectiones rheumaticas*, vel ῥεύματα, ἢ ῥευματισμούς. De illis priùs agam: de his posteriùs.

ABERRA

ABERRATIONES.

§. 4. In Fuſchio l.3.ſ.1.c.5.non pauca deſidero. I. cùm morbos propoſitos *Cauitate*, & *Soliditate* concludit. Quid enim heic *Soliditas* eſt? Fortaſſis cauitatis amiſſio? Ergo in eo tantùm conſiſtit res, vt prorsùs perditæ ſint cauitates, vt infrà loquitur. Atqui plura alia ibi requirit. Sed tranſeat: ſi duæ tantùm ſunt ſpecies, quomodo *multiplices* facere poteſt? Eo ipſo loco hoc tantùm veri eſt, *Aut anguſtiores, aut latiores eſſe vias*. Eſſe enim vel plures, vel pauciores, ad morbos in *Situ* pertinet. Eódem it *Soliditas*, quam denuò inculcat.

§. 5. Rectiſſimè Sennertus l.2.p.1.c.2. & prorsùs ad mentem meam, *Cùm meatus, qui patére debebant, clauduntur: aut, quos clauſos eſſe oportebat, patent*. Da exemplum poſterioris. Podagra, v.g. de quâ peculiariter ſcripſiſti, qui morbus? Nullibi quidquam inuenio. Dico ego, eſt diſpoſitio rheumatica, quæ conſiſtit in cauitatum amplitudine. A Scherbio vt hoc obiter dicam, θ. De morbis 38. nihil tale deſidero. Satis enim illi, pro ratione finis ſui, *Cauitatum apertio, aut concluſio*.

§. 6. Lidd. l.3.c.1.mirabilis eſt. Si enim variæ ſunt differentiæ, quomodo ad duas reduci poſſunt? Cùm ait, dilatationem fieri ob partium raritatem, vel immodicam apertionem, agnoſco μάνωσιν καὶ ἀναστόμωσιν: Gal. ſuprà propoſitas: ſed reuerà huius loci non ſunt. Cùm ait, Anguſtiam vel in vaſis conſiſtere, vel extra illa, videtur velle duo illa, ad quæ appellationes Gal. reduxi: ſed profectò non rectè proponit, ne dicam, afferre exempla ἀλλότρια.

§. 7. Heurnius l.6.c.2. etiam nobiſcum eſt: ſed & heic deſidero exempla latitudinis meatuum.

§. 8. Riolanus tam pueriliter errat, vt indignum relatu ſit.



CAPVT LXI.

De Melancholia hypochondriaca.

§. 1. HEic ab initio hoc est habendum, Omnes obstructiones fieri vel ab humore, (sub quo habeo, etiam quod fluxile ampliùs non est) vel à vapore. Quod si non vbique dicam, subintelliget tamen lector. In ipsâ rei tractatione, vt ne deseram ordinẽ cœptum, faciam initium morborum prædictorum ab hoc θηρίῳ πολυκεφάλῳ, *bestia multorum capitum*, vel ideò, quia à ventriculo habet natalem suum, 3. Loc. aff. 7. vnde se propagat non in viscera tantùm abdominis pleraque omnia: sed & in cor ipsum, cerebrúmque. Ex quo sermone (vt hoc obiter dicam) elucet difficultas negotij.

§. 2. Quod antequam explicem, oportet commemorare aliquid de appellatione. *Melancholia* dicitur malum, quia tandem succedit timor & mœstitia, 6. Aph. 23. vt in Melancholiâ simpliciter dicta suprà. Dico *Tandem*, vt absoluam me à nouatoribus quibusdam, qui distinctionem parant inter *Affectionem hypochondriacam*, & *Melancholiam hypochondriacam*. Huius rei testem nunc produco vnicum, Illust. Sennertum, 1. tract. 2. cap. 12. Huic iungo rationem etiam vnam, Morbum hunc nomen habere ab ἀκμῇ sua. Vt autem absinthium non minùs est absinthium, cùm tria habet folia, quàm cùm floret, & semen habet: ita Melancholia hæc tuetur nomen suum, etiam cùm in principio vniuersali est, quod non dierum numero, sed mensium metimur. Additur *Hypochondriaca*, quod ἐν τοῖς ὑποχονδρίοις, *in abdomine* nascatur. Hinc *Mirachialis* barbaris dicitur. *Mirach* enim Arabibus *abdomen* est. Veteribus πάθος φυσῶδες, *morbus flatuosus* vocabatur, quòd flatus heic abundent.

§. 3. In hoc statim initio obseruanda venit distinctio maximi momenti. Cùm enim, ceu dixi, à ventriculo ortum habeat; ventriculus autem dupliciter corrumpat cibos, vt infrà dicetur, Aut in *nidorem*, quod calidi est, Aut in *acorem*, quod frigidi: cautione opus est, ne primum vestigium malè collocetur. Vt enim Auerroës dicit alicubi, *tantillus error præbet occasionem errandi in infinitum.*

§. 4. Hac in re cùm ducem habeam Dioclem, vetustissimum Medicum, quin approbatorem Galenum ipsum, 3. Loc. aff. 7. P. locus autem vel turbatus sit, vel interpolatus: quid facto opus est? *Turbationis* argumentum est, quòd loquatur quidem Diocles de vtroque casu: sed confusè, miscens quippe symptomata frigida calidis. *Interpolationis* suspicionem

suspicionem præbet, quòd verisimile non sit, vel Dioclem, vel Galenum tam ineptè scripsisse. Mihi animus inclinat ad hoc posterius, & dico, scripsisse vtrumque de ructibus nidorosis tantùm, atque ita de calidâ ventriculi constitutione: sed superuenisse aliquem, qui sciret, contrarium quoque non infrequens esse, & addidisse. Primùm quidem *τὸ ὀξυρεγμίαι, acidi ructus:* posteà autem *τὸ ὀξέα, acida sputa.* Est enim τῶν ἀδυνάτων, cum tot symptomatis calidis iungi posse acorem. Interim moneo, firmiter tenendum esse, etiam à calore initium habere posse hoc mali, (& vidit hoc Rondeletius) licèt infrequentiùs. Propter igitur causam frigidam, non abiiciendæ sunt duæ voces dictæ: sed seorsim ponendæ, & debitè explicandæ. Si moratur te τὸ φλέγμα, abi ad Oecon. Foësij, & disce, Significare apud Hipp. alióque interdum *humorem calidum, retorridum.* Quò cùm nos ducat τὸ ὑπόπυρα, quis ferat idem φλέγμα dici ὀξὺ?

§. 5. Vt ad rem veniam, Quandoquidem calida ventriculi intemperies rarissima est, præsertim in locis his Septentrionalibus, in quibus aura illa frigida plus nocet ventriculo frigido, quàm Medici nostri credere possunt; rariùs etiam incidit, vt, qui talem sortitus est ventriculum, vescatur continuò cibis istis tenerioribus, qui in nidorem abeunt: sola fortè satis est hæc commonitio. Contrà, cùm frequentissima sit frigida, tam ob aërem nostrum, quàm ob corruptum viuendi modum: opus est diligentiâ, vt hostem aduentantem de longinquo agnoscamus.


§. 6. Agnitio prima fit ex difficili ventriculi coctione. Huius inseparabile signum est flatus post cibum. Vt enim in culina paruus ignis, iniectis pluribus lignis, multùm dat fumi: ita heic. Hi flatus, vel tumorem tantùm ventriculi faciunt, vel diaphragma etiam comprimunt. Hinc dolor in dorso ferè, cùm densâ respiratione. Hi ipsi cùm increuerunt, κλύδωνας Græcis dictos, *fluctuationes* causantur, quas si sequantur ructus acidi multi, aut etiam crepitus ventris, leuantur ægri. Hoc tempore si curetur malum, bene habet. Sin increscat, tantoperè diaphragma comprimitur, vt conquerantur de doloribus incredibilibus, quippe qui nullis cedant remediis, neque quies sit vlla, vsquedum, aut euomuerint cibos, aut deiecerint. Hoc accidit, vel statim à cibo, vel post aliquot horas, quibusdam mediâ nocte, aliis manè. Non desunt, quibus ad cor repant flatus, & palpitationem faciant. An idem est ἄραδος Hipp. vide Foës.

§. 7. Et hæc quidem fundamenta ventriculus iacit: à quo cùm chylum heri confectum vitiosum excipiant vasa Mesaraica, hodie vitiosiorem; & sic deinceps: quid boni speres? Quibusdam ora dictorum vasorum ita occæcantur, vt ἀναδόσεως spes nulla sit. Hinc quasi perpetua diarrhœa. Quibus aliquid transit, quia non nisi crudum, crassum, inelaboratúmque est, non potest id non facere obstructiones in Mesenterio & interiectis glandulis, præcipuè Pancreatis, quæ obstructiones iam huc pertinent. Quibus plus transit, & ad hepar, lienémque peruenit, quem sanguinem

sanguinem speres? Profectò crassum & pituitosum, qui ipse promptè obstruit. Quod si vratur in atram bilem, iam alia obstructionis ratio adest.

§. 8. Obstructiones tam in mesenterio, quàm in visceribus, quia fiunt conculcatis ibi vitiosis humoribus, & difflatu omni carentibus, necessariò succedit alia intemperies, non frigida quidem illa, vt prior, sed calida, φλόγωσις vno verbo, vt contradistincta est à φλεγμονῇ. Huius signum est feruor quidam in hypochondriis, qui aliquando maior, aliquando minor. Vocant *ein fliegendte hitz.*

§. 9. Hæc dum in abdomine geruntur, nec cor, nec cerebrum est immune. De corde licèt altum sit silentium apud Practicos: non est tamen negligendum, propter ea, quæ in Melancholiâ dicta sunt. De cerebro consensus est, lædi tum, cùm imaginatio vacillare incipit.



CAPVT LXII.

De Mesenterij obstructione.

§. 1. QVia, quæ vnus modò dictus morbus occupauit viscera, iam speciatim resumenda sunt: de Mesenterio agendum fuerit primo loco, quippè ordine Naturæ viciniori ventriculo. In hoc qui resident morbi quia & plurimi sunt, & abstrusissimi; & verò plerique pendent ab obstructione, vt ego reor: tantò diligentiùs in illum inquirendum fuerit. Tum verò inprimis pendent ab illâ, cùm incidit catena illa, quam nuper texui.

§. 2. Nimirum, intemperantia nostra est in vena portæ, dicebat SCHERBIVS, & habet illa, non propria tantùm excreméta, sed & aliena, sentina quippe totius corporis. Hanc meliùs non exhauriri, quàm per Hæmorrhoïdas internas, quæ sunt à venâ dictâ, credo equidem affirmantibus: sed tum tantùm, cùm Natura ipsa aperit. In hirudinibus enim nulla mihi spes est.

§. 3. Sed quæ sunt symptomata huius obstructionis? Ab initio cùm expultrix valida est, cibi eunt inalterati: vbi incipiunt morari, adeóque obstructio sensim fieri, accedit φλόγωσις, (ad hanc enim adstringo τὸ φλεγμαῖνον, vt & τὸ φλογῶδες, 5. Loc. aff. 7. CC.) & aluus est adstricta, cum manifestâ excrementorum ambustione. Hi tales *Mesaraici* vocabantur antiquitùs. Ib.

§. 3.

CAPVT LXIII.

De Hepatis obstructione.

§.1. LOquor de simplici, quæ neque inflammationem habet sociam, neque dum ad scirrhum progressa est, cachexiam, hydropem. Quærunt, in quâ hepatis parte sit? Mihi ridiculum videtur. In quâ enim aliâ sit, quàm in venis, præter quas aliæ cauitates heic non sunt. Quærunt alij, in simis, an in gibbis sit? Quia pendet res ex fictitiis ἀναστομώσεσι venæ cauæ & portæ, posset hoc quoque ridiculum videri illi, qui picturam reticuli hepatici oculis vsupârit. Vide Physiolog. c. 102.

§.2. Quæstio etiam est, Vnâne ipsius causa sit? Ego ostendo in Pathol. cap. 135. in rei veritate nonnisi vnam esse, crassos & immobiles humores, vel suâ naturâ, vel morâ factos tales. At quando Gal. etiam copiam laudabilis sanguinis esse ait, ex alienâ sententiâ loquitur. Sed, Tactûne deprehendi potest? Nonnisi insignis, & quæ diu durauit. Hoc ex Gal. deduxi, 5. Loc. aff. 7. in Physiolog. c. 104.

CAPVT LXIV.

De Lienis obstructione.

§.1. QVia Lien est alterum hepar, sed minoris omninò dignationis, videndum est, quo modo ea res se habeat. Accusatur lien, quòd facilè obstruatur, ídque propter alimentum, quo vtitur. Hoc sano modo intelligendum est. Crassum quidem & terrestre est id, quod trahit: Verùm, neque succus melancholicus est, neque verò illo nutritur. Quia igitur trahit crassiorem & terrestriorem chyli partem, eámque concoquit, hoc est, vtile ab inutili separat, quamdiu vtili quidem illo nutritur, inutile autem deponit eò, quò debet, nulla fit obstructio. At verò si inutile hoc, quod iam verè est succus melancholicus, seu melancholia naturalis, maneat: tum verò obstruitur, & quidem tantò faciliùs hepate, quò angustiora sunt vasa ipsius.

§. 2. Quæritur heic quoque, An tactu deprehendi possit? Ait Gal. 6. Loc. aff. 1. A. vsus verbo *Facilè*. At verò obstat situs ipsius, tantò depressior hepate, quò magis ad spinam vergit. Dico igitur, quod antèa, *Valdè insignes obstructiones sentiri possunt.*



CAPVT LXV.

De visceris vtriusque scirrho.

§. 1. Facit quidem longiùs progressa *Obstructio* Scirrhum: verùm non ij tantùm, qui dicti sunt, humores, sed omnes alij, si nimis exsiccentur, & quasi torreātur. Hoc apertum fiet ex speciali recensione.

§. 2. Si contingat in hepate id, quod initium Melancholiæ hypochondriacæ esse dixi, siquidem trahatur malum, fit scirrhus hepatis *Pituitosus*.

§. 3. Si contingat tale quid in liene, si, inquam, ille, nec debitè attrahat chylum suum, neque post coctionem separet & expellat succum melancholicum dictum: vtroque modo fit scirrhus *Melancholicus*. In hepate quidem, quia manet in chylo crassum & lutosum id, quod lien debebat ἀντισπᾶν, vt Aristotelem loqui scimus: in liene autem, quia in eodem subsistit succus ille melancholicus, per aluum aliàs rectà expellendus.

§. 4. Eodem modò, si vesica fellea non faciat officium, collecta per longam moram bilis naturalis, & exsiccata, fit *Vitellina*, quæ primùm quidem obstruit, deinde autem scirrhum inducit. Si enim in vesicâ etiam suâ diutius morata lapidescere potest: quidni in hepate quoque? Hunc scirrhum *Biliosum* nominabo.

§. 5. Si quod dixi in Hepatis imbecillitate post excrementa lotiua Barbaris dicta, non fiat *Fluxus hepaticus* iisdem vocatus, suboritur *Obstructio*, & tandem scirrhus, quem *Sanguineum* appellabo.

§. 6. Eodem nomine signabo, si post febres diuturnas, & fortè malignas, in quibus Medici non rectè curârunt hepar, accidat scirrhus. Eodem si post inflammationem alius visceris fiat. Eodem, si ex retentione mensium, hæmorrhoidúmve.

§. 7. Fit etiam scirrhus in διαδέξει, hoc est, *translationibus humorum* de hepate in lienem, de liene in hepar, 2. in 6. Epid. 28. Nisi enim Natura vacuet vel per aluum, vel per hæmorrhoïdas, vel per renes, quiuis videt, quid timendum sit.


§. 8. Quæstio est, fierine ex capite etiam tale quid possit! Posse persuasit mihi Doctor olim meus, Saxonia, 2. Pract. 28. §. 3.

§. 9. Inter causas scirrhi sunt etiam *Errores externi*, v. g. si quis à cibo statim se exerceat, Venere vtatur, &c. ille facilè eò præcipitare se potest, rapto crudo cibo in viscera. Huc facit nimius vsus refrigerantium & adstringentium. At frigus externum congelare ita sanguinem, apud me τῶν γελοίων est.

§. 10.

§. 10. Dubitatur, Annon *ſuccus lapideſcens* Agricolæ huc referendus ſit: Quia in corpore animato paulo minùs quàm *Occulta qualitas* eſt, dico, *Serum eſſe ſuccum illum.* Si enim (quod infrà docebitur) omnis in corpore calculus eſt à ſero, quid obſtat, quò minùs in viſceribus tale quid cõſiſtere poſſit? Vidi Patauij hydropicæ iecur oſtracoſum, ad pugni magnitudinem redactum, in quod cùm cultrum adigeret Anatomicus, videbatur lapidem ſecare, adeò crepabant omnia. Vnde hoc? A ſero lapideſcente.

§. 11. Tu valdè nota, In omnibus ita affectis colorem faciei eſſe plumbeum, liuidúmve. Hoc ſymptoma diligẽter commendabat nobis Scherbius ex 5. Loc. aff. 7. quà de Steſiano, quem Gal. contra aliorum ſententiam, negabat abſceſſum in hepate habere, hoc ſolo nixus fundamento. Heurnius 7. Inſtit. 6. vocat *Characterem* & Molem.



CAPVT LXVI.

De Cachexia.

§. 1. Ἡ Καχεξία apud Medicos non directè opponitur τῇ εὐεξίᾳ. Hæc enim vt eſt totalis ſanitas, vt ita dicam, hoc eſt, ſanitas in ſummo gradu, vigor omnium actionum, ſanitas καθ' ἕξιν: ita hæc eſt vitium facultatis nutricis tantùm, quam κακοτροφίαν iure dixeris, *nutritionem deprauatam*, ob κακοχυμίαν quandam, ſeu διαφθορὰν ſanguinis. Hæc fit ob pertinaces viſcerum obſtructiones, quæ nunquam ſunt ſine eorundem intemperiebus. Iudicatur autem ferè de Cachexiâ ex fœdo cutis colore, qui à ſanguine non-naturali non poteſt eſſe naturalis. Vt enim Hipp. ait princ. l. de Humor. *Talis in cute color eſt, qualis in corpore ſanguis.* Hinc intelligitur, quatenus vel morbus ſit, vel ſymptoma? Eſt ſymptoma ratione coloris: eſt morbus ratione læſæ nutritionis. Vide Cagnatum 2. San. tu. f. 114. & 127. Vide ſuprà cap. 7. §. 5.

§. 2. Huius prima ſpecies eſt *Oedematoſa*; à pituitâ quippe, quæ in ventriculo, ob intemperiem eius frigidam & humidam, generata, neque in hepate, neque in corde corrigi potuit. Vt enim vulgare verbum haber, *Vitium primæ coctionis non corrigitur in alterâ.* Huius ſignum eſt, veſtigium impreſſi digiti manere. Hæc ad *Leucophlegmatian* tendit.

§. 3. Altera ſpecies *Citrina* dicitur à Practicis, & eſt à contrariâ intemperie hepatis, χλώρωσις dicta Gallis. Hæc vox eſt ἀπὸ τοῦ χλωρός, quæ non rectè interpretatur *Pallidus*, aut *Viridis*: ſed *Pallidus cum virore*, qualis eſt foliorum ab arbore caducorum. Hæc aliquando tranſit in *Aſciten calidum*, aliquando in *Tympaniten*, tum in primis, cum eſt à retentis vacuationibus.

§. 4. Inter has duas ſpecies ambigit, ni fallor, *Febris alba virginum*, cùm, ob menſium moram, decolores fiunt, anguſtiam ſentiunt inter ſcan-

dendum, contentiúsve ambulandum, pedes inflatos habent, præsertim sub vesperam, &c.

§. 5. Tertia est *Nigra*, cùm post *Icterum nigrum* diu manet corpus decolor, ob crassitiem humoris discutiendi.

§. 6. Quartam addunt quidam *ex renibus*, cùm serum illi non trahunt. Sed est hic primus gradus *Ascitis frigidi*, vt dicetur. Alij etiam particulares cachexias superaddunt, desinentes in hydropas particulares, vt capitis, pulmonis, testium, vteri. Vide Foës. in ὕδρωψ.



CAPVT LXVII.

De Hydrope in genere.

§. 1. TO' ὕδρωψ esse morbum, τὸ ὑδρωψ hoc morbo affectum, nouimus ex Gal. Gloss. Obseruandū verò, τὸ ὕδρωψ (ita ὕδωρ quoque) apud Hipp. esse *succum melancholicum*, vt in tract. de vsu lien. deduxi. Cæterùm, affectus noster dicitur etiam ὕδωρ, καὶ ὑδρώπισις, quæ vox est apud Plinium quoque. Item ὕδερος, καὶ ὑδερίασις, necnon κατάστασις ὑδερώδης, παρέγχυσις ὑδρωπικὴ, νόσημα ὑδερικὸν, Latinis *Aqua intercus*.

§. 2. Huius tres species quasi in confesso sunt. Primus & famigeratissimus est ὕδρωψ ὁ ἀσκίτης, ἀπὸ τοῦ ἀσκὸς, cùm *Vtrem* significat. Gerunt enim ita affecti in abdomine aquam, non secùs ac in vtre. Alter est ὕδρωψ ὁ τυμπανίτης, ἢ τυμπανίας, ἀπὸ τοῦ τύμπανον, quod abdomen ita inflatum sit, vt digito percussum sonum edat *instar tympani militaris*. Tu verò hoc intellige ita, Flatûs quidem adesse plurimos, sed non sine aquâ, quemadmodum nec in Ascite flatus desunt. Ex hoc fonte petenda est παραμυθία sententiæ Gal. cùm ait 4. Aph. 11. 7. in 6. Epid. 12. Tympaniten simpliciter esse à flatu, Asciten simpliciter ab aquâ. In vtroque vtrumque est. Hinc intelligi potest, quo modo accipi debeat illud, quod in Medico, Gal. adscripto, cap. 14. dicitur, *Tympaniten & Asciten esse* morbum eundem. Atque hinc excusatio apparet pro Hipp. qui 4. Acut. 111. Asciten omittit.

§. 3. Tertius dicitur λευκοφλεγματία, & apud Hipp. distinctis vocibus λευκὸν φλέγμα, cùm totus corporis habitus subtumidus, & albâ pituitâ plenus est. Quo loco statim monendus venit Foesius, non debere illum in indicaturâ iungere τὸ λευκοφλεγματία, ἢ τῆς λευκοφλεγματίας, ὁ & postea fateri, τὸ λευκοφλεγματίας significare eum, qui laborat hoc morbo. Reuerà enim ita differunt hæ duæ voces. Morbus dicitur etiam ὕδρωψ ὑποσάρχιος, ἢ ὑποσαρκίδιος; quemadmodum etiam

etiam ὑποσαρκίδιος, & distinctis vocibus, ὁ ὑπὸ τὴν σάρκα ὕδρωψ, ἢ ὁ ἀνὰ τὴν σάρκα ὕδρωψ, Qui loquendi modus cùm familiaris sit Græcis, miror nostros homines contrahere in vnam vocem, *Anasarca*, vel *Hyposarca*! Imò, distinctè legi hæc debent, vt sit, *Hydrops in carne seu habitu.* Nam & τὸ ἀνὰ hoc vult, & τὸ ὑπὸ cum Accusatiuò tolerat; licèt aliàs non ignorem, quàm liberales sint Græci in permutandis præpositionibus. Hoc præterquam quòd Hellenismo amicum est, probo ex duobus locis, quibus vel subintelligenda est vox ὕδρωψ, vel addenda. Lego igitur 5. Loc. aff. 7. K, κατά τε τοὺς ἀνὰ σάρκα ὕδρωπας, καὶ λευκοφλεγματίας. Et de Tum. p. n. 16. ἐν τοῖς ἀνὰ σάρκα ὕδρωψι, καὶ λευκοφλεγματίαις. Vtrobique enim obtinet consuetudo Græcorum, iungendi æquipollentia. Hinc medicinam affero Celso l. 3. c. 22. legendo, *vel ὑπὸ τὴν σάρκα hydropem.*

§. 4. Ad rem. Quæstio in primis heic agitatur; *Præcedátne cachexia omnem hydropem?* Præcedit, siquidem distinguas inter ὕδερον, καὶ ὑδερώδη κατάστασιν: non præcedit, si non agnoscas distinctionem, vt nec ego agnosco. In febribus enim colliquatiuis quæ cachexia? Imò ne in aliis quidem est.

§. 5. Deinde & hoc dubitatur, *Rectène an secùs h. l. hydropes tractentur?* Videntur enim ad morbos magnitudinis pertinere. Respondeo, non est vnus morbus. Primùm enim adest *Intemperies:* posteà ab intemperie productæ *Obstructiones*, eæque non in omnibus hydropibus, sed in plerisque omnibus: tandem est morbus in magnitudine, cùm eò productum est malum. At verò antequam id fiat, hydrops est, & dici potest. Ego verò, intuitus catenam obstructionum hactenus descriptarum, huc colloco.

§. 6. Grauissimum, & in arte apprimè vtile dubium est; *Quis sit locus affectus?* Erasistrati opinio fuit, referente Gal. 2. Fac. nat. 8. C. & sine nomine 5. Loc. aff. 7. G. I. *Hepar* esse. Huic quid opponat Gal. videre est apud ipsum. Interim huc it, Hydropem quendam esse, per essentiam affecto hepate: quendam per consensum, sed ita, vt hepar semper sit affectum. Fundamentum huius assertionis est, Quæ pars gignit sanguinem bonum, ea gignit etiam malum. At hepar gignit sanguinem bonum. Vt paucis me absoluam, In Leucophlegmatiâ verum est: in reliquis duabus speciebus non est. In quo verò vel maximè exsultat eorum oratio, In mortuis apparere hepar semper esse affectum: id αὐτοψία refutat. Vide Schenck. 3. Obs. 118. Sennert. 3. Pract. 6. q. 1.

§. 7. *Sed quâ intemperie est affectum hepar?* Heic intolerabilis est plerorumque pertinaciâne dicam, an arrogantia? Intemperiem hanc semper esse frigidam, etiam vbi symptomata caloris grauissima adsunt. Sed quomodo, inquiunt, hepar calidum gignit serum? Non gignit, soleo dicere, sed colliquat sanguinem, partémque aqueam in abdomen deponit. Moneo verò hos tales etiam, ex Rondeletio,

& rei veritate, cordis partes primas heic esse; vel ideò, quia se rè in febribus accidit.

§. 8. Ergóne hoc παράδοξον vis defendere? *Hydropem dari calidum?* Παράδοξον verò? Scripsit hoc ipse Hipp. 2. Progn. 1. Acceptauit hoc Gal. 6. Loc. aff. 1. C ne dicam de colliquatione, ex caus. sympt. 3. y.



CAPVT LXVIII.


De hydrope Ascite.

§. 1. VT ne in tenebris palpemus parietes, concipio heic generale theorema duplex. 1. Ascites fit, tam à calidâ intemperie, quàm à frigidâ, in quorum neutro necessariò est *Obstructio*. 2. Idem fit, vel lentè & successiuè, vel subitò, in quorum neutro iterum necessariò subest *Obstructio*.

§. 2. *Ascites calidus* est duplex, quorum alter subitò fit, ex colliquatione quippè, in inflammationibus viscerum, aut alioquin febribus colliquatiuis, de quo sunt loca Hipp. & Gal. iamiam allata: alter fit lentè in febribus mitioribus, cum magnis ferè obstructionibus, præcipuè autem renibus non facientibus officium suum. Ille non opus habet signis propriis, cùm sufficiant communia, quæ febris suppeditat cum insequenti ventris tumore. Hic sitim habet implacabilem, vrinas rubras, præcessit febris, aut sine febre victus calidus ex vinis generosis, aromatis, &c. Confirmat curatio, quæ fit frigidis.

§. 3. *Ascites frigidus* pariter est duplex, quorum vterque fit lentè. Aut enim succedit largis vacuationibus, à quibus refrigerantur viscera, iterum præcipuè, cùm renes non abducunt serum. Aut fit sine his, vbi iidem renes debiles, sunt in officio segnes. Sed vbi est ille, qui fit abs confertim ingurgitatâ aquâ frigidâ, cereuisiâ? Pertinet ad causas externas, quas ablegat Hipp. cùm indagat causas morbificas.

§. 4. Heic nostri insurgunt contra *calidum Ascitem*, Quei, inquiunt, hepar calidum facere potest serum? Ab his iterum cupio intelligere, Quei hepar frigidum facit serum? Pituitam enim facit crassam. Ego itaque dico distinctè, Hepar nullibi facit serum, sed heic quidem (loquor ex hypothesi aduersariorum) colliquat sanguinem, à qua colliquatione quod superest serum, facit tumorem aqualiculi: heic etiam extra omnem culpam est hepar, renes autem soli sunt in culpâ, quod latè deducit Sennertus noster, 3. Pract. 6. s. 2. c. 2. si vis, adi Patholog. nostra cap. 140.



CAPVT LXIX.

De hydrope Tympanite.

§. 1. HEic magnâ opus est cautione, ne & causam, & locum affectum venemur ex comparatione cum Ascite: quin ex rei naturâ petere oportet vtrumque. Licèt autem non soli *flatus* sint heic, vt dudum explicui mentem Galeni, tamen flatus sunt, qui regnant.

§. 2. Horum generatio breuiter sic se habet, *Fiunt à calore non proportionato materiæ:* Cùm enim discutere deberet calor, siquidem materia morigera esset: eleuat, ex indispositione materiæ subiectæ, vapores crassos, densos, multos, transpirationi insensili ineptos, qui intra membranas coërciti, distendendo faciunt dolores. Confirmat hoc curatio quoque, quæ fit attenuantibus, vt chamæmelo.

§. 3. Sed qualis est *Calor* ille, qui efficientis rationem habet? Actualis reuerà, qui frigus dici non potest, nisi quatenus non ascendit ad vigorem caloris illius, qui dissipat. Hinc plurimùm errant illi, qui flatus à frigore ducunt, & calefacientibus fortibus agunt. Augent enim dolores, vt Gal. nos erudit.

§. 4. *Materia* autem illa quæ est? Non *serum*, quod multi credunt: sed *pituita* è ventriculo huc traducta, cuius ratione vẽtriculus dici potest locus affectus. At *serũ*, seu aqua vnde est? A renibus, perinde vt in Ascite.

§. 5. Atqui Gal. non vtitur frigidis? Vtitur, si rectè intelligas. Quod enim ad victum, ptisanâ vtitur, quæ vtique frigida est. Quod ad medicamenta, temperata postulat, quæ, vt se explicat, tepidam caliditatem habent, & non rarò frigida dicuntur, vt chamæmelum, anethum, rosa, &c.



CAPVT LXX.


De Leucophlegmatia.

§. 1. HEic subditò incidit illud, *Quid differat à Cachexiâ* pituitosâ? Cachexia illa est Leucophegmatia nondum adulta. Sed quis est terminus inter vtrumque affectum? Puto, quamdiu ἀχροια, *Decoloratio* sola adest, tamdiu *Cachexia* est: at cùm manifestè intumescit totum corpus, *Leucophlegmatia* est.

§. 2.

§. 2. *Sed vnde est vtrumque hoc symptoma?* In confesso est apud omnes, initium esse à ventriculo frigido & humido, chylum non debito modo elaborante: progressum pendere ab hepate, partim, quia ex chylo crudo, pituitósoque, nonnisi sanguinem pituitosum facit; partim, quia & ipsum incipit laborare intemperie frigidâ & humidâ: exitum se ostendere in habitu corporis; primùm quidem cùm colorem ascìscit pituitæ, deinde autem, cùm œdematosum fit.

§. 3. *Potéstne fieri hic affectus etiam à causâ calidâ?* In medio est Hipp. authoritas 1.Art.30.vt & Gal.3. Caus.sympt.3.Y,8. κ.τόπ.6, K. quæ opus habet hoc διορισμοῦ. Factâ colliquatione, siquidem pars serosa ἀθρόως fluat in cauitatem abdominis, fit subitaneus hydrops ascites: sin sensim & successiuè insinuet se in habitum corporis, fit Leucophlegmatia, quæ iam est malum Chronicum.



CAPVT LXXI.

De Hydropibus particularibus.

§. 1. INter hos primum locũ do *Hydropi pulmonis*, non quia in Ascite aqua aliquando in thoracem scandit: sed quia primariò affectus est pulmo. Hoc duobus modis fieri puto. Aliquando ab intemperie calidâ febrili, colliquante, & thoraci serum communicante; quo de casu Hipp. loquitur 2.de morb.t.59. apud Marinellum. Aliquando ab intemperie frigidâ renum, cùm serum ab illis relictum, regurgitat per arteriam magnam sursùm. Non enim tantùm venæ sunt emulgentes, sed & arteriæ. Vide Salium de Aff.part.5.

§. 2. Secundum locum obtineat *Hydrocephalus* dictus, cuius Galenum non meminisse in scriptis genuinis, admiratione dignum est. Meminére autem duo suppostitij, ille, qui Medicum scripsit, & ille, qui definitiones. Hunc affectum semel vidi in infante annali, & iudicaui esse à retento sero. Hanc opinionem confirmauit posteà doctissimus Car.Piso, in Obs.de morbis serosis.

§. 3. Tertium habeat *Hydrops vteri*, cuius primus, quod sciam, Aëtius facit mentionem. Loquor autem de affectu proprio heic quoque, non cùm in Ascite impletur hæc etiam pars. Affectum hunc proprium iterum puto esse duplicem, pro duplici intemperie, calidâ & frigidâ. *Calida* est, cùm colliquatur sanguis ille, qui plurimus ad vterum fluit. Sunt enim fœminæ πολύαιμοι hac præcipuè parte. *Frigida* est, cùm renes pigriores negligunt officium suum, & detruditur huc collecta aqua. De *Hydrope scroti* agetur in Ramicibus sub ὑδροκήλῃ, vbi etiam de ὑδρομφάλῳ.

CAPVT



CAPVT LXXII.

De Ictero.

§. 1. Ἴκτερος Græcis est auicula, quæ Latinis est *Galbula*, seu *Galbulus*. Dicitur à *Galbus, a, um*, quo vox in Latino-Græco-Lex. χλωρὸς exponitur, qui color qualis sit, dixi suprà. Ab hoc (vt deerrem paululam) apud Iuuen. sunt *Galbina*, subintellige *Vestimenta*, & *Galbinati*, qui hoc colore in vestibus vtuntur. Hæc malè transformantut in *Galbana*, & *Galbanati*. Quidquid sit, ab hac aue (quæ & χλωεὶς, & χλωρείων, & χλωροςρένθιον, nostris *goll: oder goldtammer*) est nomen morbi, à mutato corporis colore. Qui color quia auri est, *Aurigo* etiam vocatur. Quia pariter arcûs cœlestis, *Arcuatus*, seu, vt veteres scribebant, *Arquatus* morbus appellatur. Sed vnde *Regius*? Quia mulso (οἰνομέλιτι) potione Regiâ, curetur, vt Varro tradit.

Aut *Galbus* est à nostro *Galb.* aut nostrum *galb.* est à *Galbus.*

§. 2. Heic subitò monere oportet illud, Frustrà occupari nostros in diuidendo Ictero in *Flauum & Nigrum*: iu componendo ex *Flauo & Nigro*: insuper addendo *Viridi*. Omnia enim hæc comprehendit τὸ χλωρὸς. Et ait Gal. 5. Loc. aff. 7. N. Icterum ex liene esse μελάντερον, *nigriorem*.

§. 3. Hoc iam trahit alterum, Cùm Icterus sit effusio bilis in habitum corporis, ex quo viscere id fit! Ego in Patholog. cap. 147. & seq. ostendi, modò ex hepate esse; modò ex liene; modò ex vtroque: imò verò consistere aliquis potest neutro affecto viscere, ex imbecillitate aut vesicæ bilariæ ipsius, aut pororum, hinc quidem trahentium, illinc autem euomentium. Quâ ex re statim apparet difficultas negotij.

§. 4. Apparet eadem vel maximè ex distinctionum multitudine, quas in hunc ordinem redegi, postquam amoui Icterum illum, qui est à causâ externâ, seu à fortunâ, vt Pereda vocat 1. in Pasch. 43. cùm accidit à veneno, vel per os accepto, vel ab animali ἰοβόλῳ immisso, cuius rei exemplum est in de Loc. aff. quá de viperario Imperatorio.

§. 5. *Prima distinctio* est. Locus affectus alius est ratione symptomatis, (mutatæ, inquam, qualitatis in cute) *Coloris*: alius ratione morbi. Rursùs, in posteriori consideratione oportet seorsim collocare morbos, seorsim causas, quâ de re consulatur Pereda l. c.

§. 6. *Secunda* est, Alius Icterus est *Criticus*, alius *Symptomaticus*. Hunc affecto hepate fieri ait Gal. expresè in de Loc. aff. Ergò ille fit saluo hepate. Rursùs, Criticus fit subitò: Symptomaticus lentè.

§. 7. In febre, v. g. in qua hepar affectum non est, si contingat superuenire icterum, Criticus esse non potest, nisi ante septimum, 4.

 Aph. 62.

Aph. 62. At si hepar affectum sit, obstructum, inflammatum, scirrhosum,(hos enim tres casus ponit Gal.in de Loc. aff.) etiam post 7.potest esse symptomaticus. Citra febrim,& citra hos tres affectus,in nudâ hepatis intemperie calidâ, seu φλογώσει qui fit icterus, etiam symptomaticus est, in de Loc. aff.Citra omnem hepatis affectum, ex solâ vesicæ imbecillitate, fit idem.Ib.

§. 2. Sed quei dignoscam? *Criticum* icterum præcedit tertiana exquisita. Heic neque in vrinis, neque in alui excrementis apparet vlla coloris mutatio. Id ipsum fit, cùm à veneno est. Hoc vidi in puellâ rusticâ, quæ ex riuo obuio biberat. Symptomaticus si sit ab intemperie nudâ; vtriúsque generis excrementa sunt valdè colorata. Idem accidit in intemperie cum affluxu substantiæ. Vtrobique concurrunt signa caloris alia, sitis, inappetentia, &c. Nec minùs signa affectuum dictorum propria. Si ab imbecillitate vesicæ, excrementa quidem alui sunt canum instar alba: renum autem valdè tincta; quod discimus ex immisso panniculo lineo. Aliquando atramenti instar nigra sunt, nec opus est indagine illâ.



CAPVT LXXIII.

De Scorbuto & Lue Veneriâ.

§. 1. Scorbutum huc accersere volui, quòd *Lienis obstructio*, & quæ illi essentialia sunt symptomata, multam familiaritatem habeant cum dictis mobis. Ita vocant Medici omnes, cùm originale vel Saxonicum, vel certè Danicum, sit *Scorbuik*, quod *Ruptum* ventrem significare, autor est VVierus in Obs.Dicitur etiam *Scormund*,aut *Scorbein*, quod in ore potissimùm & pedibus se prodat. Vnde *Gingipedium*.

§. 2. Præcipua quæstio est, Fuerit-ne Veteribus cognitus morbus? Puto, sed non habuisse constans nomen, quòd & raro se ostenderet, & variis symptomatis, in variis locis & regionibus luderet. Hinc, quod Ill. Sennertus quoque queritur, hodiéque non statim agnoscitur, nec vno nomine describitur. Apud Hipp. sunt aliquot eius vestigia, & primùm quidem sine proprio nomine, *Morbus lienis secundus*, l. de Intern.aff.t.34.deinde autẽ sub *Lienibus magnis*,3.Aph.22.2.Prorrh.42.sub quâ appellatione etiam Celso innotuit l.2.cap.7.Eodem de Int.aff.t.49. est *Ileus sanguineus*, qui videtur huc pertinere.De Gal. est quod mireris, non meminisse, etiam cùm commentatur in duo allata loca! Tantò magis, quòd Strabo, fine l.6. describat *Stomaccacen* (ita enim leg. esse docuit me idem Sennertus) & *Scelotyrben*, qui morbi planè huc eunt. Vixit autem Strabo sub Augusto Imp. Gal.sub Marco, & seq. Eædem voces

voces apud Plinium sunt l. 25. cap. 3. *Ifterum nigrum* appellâsse videtur Aretæus, de cuius seculo non constat. Videtur & Paulus, qui sub Arcadio & Honorio floruit. Recentissimus omnium (A.C. 1140.) Marcellus Empiricus est, qui *Oscedinem*, quasi *oris putredinem* vocâsse visus est. Et hæc quidem mihi sufficiant.

§. 3. Symptomata alia scorbutum è longinquo ostendunt: alia iam præsentem arguunt. *Illa* sunt, *grauitas* quædam corporis (non lassitudo Medicis dicta) ob quam facilimè lassantur, siue ambulent, siue aliquid agant, spirandi difficultas, color plumbeus, gingiuarum rubedo, & laxitas, &c. *Hæc* sunt earundem putredo, vt sic dicam, cum sanguinis eruptione, vacillatio & corruptio dentium, maculæ liuidæ circa labia, omnia fœtida, &c. pedis vel alterutrius, vel vtriusque tumor, cum maculis itidem liuidis, &c.

§. 4. Ἐπεισάγματος loco dicam tria verba de Lue Veneriâ, vtárque adeò hac appellatione, vt parcam nominibus gentilitiis. Portârunt thesaurum hunc ex Indiâ Hispani, & vulgârunt in castris Neapolitanis sub finem seculi millesimi quadringentesimi, 1495. Apud Canibales ἀνθρωποφάγους, Apud quos Endemius est morbus, *Bua* dicitur. Hunc non esse sine obstructione hepatis, probabile est: certum & indubitatum est, iungi intemperiem calidam & siccam, à contagio (quod venenum non malè dicitur introductam. Huic attestantur *Exussiones*, vt Mass. vocat, quæ per vniuersum corpus se extendunt.



CAPVT LXXIV.

De Alui adstrictione.

§. 1. Explicatis defectibus in sanguinis boni generatione, consequens est inspiciamus illos, qui consistunt in excrementorum abductione. Hæc licèt actio sit accidentalis: tamen non minùs necessaria est, quàm principalis. Imò Natura molita est propterea peculiares partes.

§. 2. Cæterùm, cùm excrementum apud Arist. sit duplex, *siccum* & *humidum*, sciendum est, *Humidum* quidem esse commune illud omnibus coctionibus, *Serum*, quod constituit *Vrinam* & *Sudorem*: siccum autem licèt quinque genere diuersa excrementa sub se contineat, vno tamen comprehendi nomine *Excrementorum alui*. Vt rem explicem. 1. est excrementum primæ coctionis crassum, hoc est, alimenti assumti pars illa terrestris, quæ à sanguinis naturâ longissimè abest, & nomen nondum inuenit. Ab hac parte totum apud Hipp dicitur τροφὴ, *alimentum*, σῖτος, ἢ σιτίον, καὶ βρῶμα, *cibus* subintellige ἐξικμασμένη, *exsuccatum*. Aliquando πλήρωμα τῆς τροφῆς, subaudi, ξηρᾶς, quod

 alicubi

quod alicubi etiam additur, *Reliquiæ alimenti ſicci* 2. Eſt eiuſdem coctionis excrementum tenue, hoc eſt, alimenti aſſumti pars aquoſa, quæ itidem in ſanguinem faceſſere non poteſt, & *Pituita* vocatur. Vtrumque tantò copioſius eſt, quò frigidioribus & ſiccioribus, aut frigidioribus & humidioribus vtimur. Præſuppono autem heic *Calorem*, tanquam efficientem, benè ſe habere. 3. Eſt excrementum ſecundæ coctionis tenue, *Bilis*, quod in hepate factum, deponitur in veſicam felleam tantiſper, dum tempus ſit proficiſcendi per porum choledochum dictum in inteſtinum δωδεκαδάκτυλον. 4. Eſt excrementum eiuſdem coctionis craſſum, *Melancholia*, quod in liene factum non vtitur ambagibus illis vulgò dictis, ſed rectà in *Colum* vicinum, *Rectúmque* effunditur. Et hæc ſunt duarum coctionum dictarum propria excrementa: his accedit quintum, *Seri* ſcilicet pars illa innominata, quæ ad hepar & cor non aſcendit, ſed relinquitur in inteſtinis, lubricandorum illorum ergò. Totus aceruus eſt ὑποχώρημα, ἢ διαχώρημα, ἢ ὑποχώρησις, ὑπόστημα, κόπρος, ὑπόπατος, &c. Vide l. Humor. c. 35.

§. 3. De ſicco excremento quia h. l. tantùm agitur, repetendum ex Phyſiologicis eſt illud, Inteſtinorum vſum quidem primarium eſſe, vt ſint inſtrumenta ἀναδόσεως, *diſtributionis chyli in hepar & lienem*: ſecundarium autem exportandi excrementa iam dicta omnia. Et illud, *Inteſtinorum nomen complecti heic Ventriculum etiam*, vt ſæpè aliàs.

§. 4. Peculiariter verò tenendum eſt, Vacuationis excrementorum horum eſſe quaſi tres cauſas continentes, *Inſtrumenta*, ventriculum cum inteſtinis, necnon muſculis: *Materiam*, excrementa ipſa, hoc illóve modo diſpoſita: *Facultatem* expultricem, quæ heic ab Eraſiſtrato peculiare nomen habet, περισταλτική, *circumplexoria*. Hæ cauſæ omnes niſi benè ſe habeant, fit id, quod præſcriptũ eſt, Aluus adſtringitur, cohibetúrve, eſt immorigera, non facit officium, aut quomodocunque tibi loqui libeat. Hoc ſi diutius duret, fit cum inſigni animalis diſcrimine.

§. 5. Enimuerò animaduerſione opus eſt. Quando verè adſtricta dicatur aluus? Cùm enim magna ſit heic latitudo, quòd quidam ſingulis diebus ſemel exonerent aluum, quidam bis, quidam nonniſi altero die, quidam nonniſi tertio: ſi horum quid mutetur, tùm demum eſſe morbum. Non igitur medicinâ opus habet ille, cui conſuetum eſt intra biduum, triduúmve ſemel ire tantùm ad locum cõmunem: ſed ſi cõtingat poſterius illi, qui ſingulis diebus ſolebat ire. At ſi qui inuenti ſunt, qui totos menſes & annos concluſi fuerunt, iam id τερατῶδες eſt.

§. 6. Ergo, quod ad *Inſtrumenta*, *Ventriculus* quidem in causâ moræ eſt, vel quia corrumpit in ſiccum quid & nidorulentum, (ſi enim in acidum fiat corruptio, aluus fit citatior) vel quia coquit tardiùs, ob intemperiem frigidam, quod accidit in βραδυπεψίαις ſuprà dictis: *Inteſtina* autem vel ob eandem intemperiem, ob quam fibræ laxatæ non poſſunt coire in ſe, vel ob inflammationem, ſiue in tenuibus illa, ſit, ſiue

siue in crassis, vel (quod peculiariter huc facit) cùm obstruuntur tam ex toto, quàm ex parte. Obstructio fit, vel à pituitâ, vel à pinguedine, vel à vermibus, vel à calculo. In herniâ quoque intestinali restitant fæces.

§. 7. *Musculi* sunt, non abdominis tantùm, sed & thoracis, præcipuè diaphragma: quin & laryngis, vt explicat negotium Gal. 5. vs. p. 15. Hi, si vel paralysi laborent, vel abscessu aliquo, impeditur compressio. Sed cur omittis ani musculos? Non pertinent illi ad hanc actionem, seruiunt autem moderationi, vt possimus aliquandiu retinere, eod. 5. vs p. 14. His ego addo *peritonæum*, propter ea, quæ Gal. 4. Vs. p. 9. imò propter historiam, quam dicam. Noui, qui bubonocele affectus est in dextro latere, & quidem ex dilatatione peritonæi tantùm, vti reor. Huic si contingat stercora morari, præcipuè vbi frigori se exposuit, remedium est alui solutio.

§. 8. Quod ad *Materiam* oportet distinctè agere. Respectu excrementi crassi *primæ coctionis* innominati, non procedit illud suo tempore, si non seruetur debitus ordo in cibis, v. g. cum sicca & adstringentia sumuntur primo loco: si nimis multa comedamus, præsertim difficilioris digestionis: si contrà nimis pauca, eáque tenera, liquida, ἄποια: si nihil, aut parcè bibamus, itaque desit vehiculum: si vomitus, aut deiectio eueniat statim à cibo: denique si somnus sit longior.

§. 9. Respectu tenuis *eiusdem coctionis*, si frigida & humida multa ingurgitemus, vnde à pituitâ intestinorum latera quasi incrustantur, & fit morbus in superficie læuigatâ, vt ego puto: si flatus adsint, pituitæ soboles, qui suspendunt deiicienda.

§. 10. Respectu *seri*, si vrinæ nimis copiosæ sint, 4. Aph. 83. si insensilis transpiratio sit maior, 3. in 6. Epid. 1. (eadem sudoris est ratio) si exercitia sint validiora: si prægressa sit diarrhœa leuior Critica: si medicamentum purgans: si diuturnior sit somnus: in æstiuis caloribus in vaporariis nostris æstuosis: si ipsi non demus operam ei rei, occupati in aliis.

§. 11. Respectu crassi *Secundæ coctionis* excrementi, si illud non affluat in debitâ quantitate, & suo tempore. Nimirùm, *Melancholiam* ego substituo tenuis eiusdem coctionis excremento, *Bili*, cui omnes hoc mandatum dant, vt stimulet intestina ad exclusionem fæcum. Cæterùm, in hac causarum farragine videt vnusquisque multa, quæ ad *Errorem externum* pertinent, sub quo comprehendi causas, tam sine quibus non, quàm cum quibus meliùs alibi scripsi.

§. 12. Quod ad *Facultatem*, si illa non affluat desuper, neque vllus ordo seruari, neque omninò vita diu durare potest. Lege 3. Caus. sympt. 3. V.



CAPVT LXXV.

De Vrinæ cohibitione.

§. 1. DIctum est de excremento sicco: dicendum est de humido quoque, & primùm de *Vrinâ*. Hanc rectè dici οὔρημα, negat Gal. ipse 2. Nat. hum. 19. Multò rectiùs dicam ego hoc de τῷ οὔρησις. Significat enim actionem ipsam, *mictionem*. In genere cùm loquimur, ὑγρασίη apud Hipp. fine l. de Alim. complectitur vtrúmque, & *Vrinam* & *Sudorem*: in specie, & apud propriè loquentes, τὸ οὖρον quidem est pars *Seri* illa, quæ in maioribus vasis it, & quæ *Vrina* posteà dicitur: ὁ ὀῤῥὸς autem illa, quæ in minoribus, & *Sudor* vocatur, cùm sensibiliter exit per poros cutis; cùm insensibiliter, caret nomine. Apud impropriè loquentes confunduntur. Ita 5. in 6. Epid. 14. τὸ οὖρον ponitur pro ὀῤῥὸς ἢ ὀρὸς, vel Gal. iudicio, princ. Com. Confusionis indicia sunt illis quoque locis, vbi διούρησις pro διόῤῥωσις legitur, & contrà. Hoc malo, quàm cum Foësio affirmare, idem esse. Quin ipse agnoscit posteà, alterum pro altero scribi interdum. Ab eodem planè discedo, cùm τὸ διουρέειν & οὐρέειν pro *Serescere* accipit. Imò dico, in propriâ significatione, quam ipse non repudiat, esse *Excidere vrinam genitalem*, (ita Plinius vocat *semem masculum*) videbit lector vel parùm attentus. Idem animaduertet, Senem propterea dicere, *Semem masculum semel receptum in vtero, excidere* ideò, quòd nonnisi *vitiosum sanguinem*, quem *ichora* posteà vocat, inueniat. Ab eodem spero dissensuros omnes bonos, quod τὸ διουρεῖσθαι refert ad *Oua vrina*, irrita & subuentanea aliàs dicta. Habent enim longè aliam originationem. Affectus ipse triplex est, ἰσχουρία, δυσουρία, στραγγουρία. Causæ dictæ sunt alibi fusè.

In διόῤῥωσις, & οὐρέειν.



CAPVT LXXVI.

De Sudoris, & Insensilis Transpirationis impedimentis, vbi de Pruritu quoque.

§. 1. QVoniam, de confessione plerorúmque omnium, *sudoris materia est eadem quæ vrinæ, seri* (inquam) pars illa, quæ sanguini, in

in habitum corporis dilato, vehiculum præbet : oportet omninò de eo heic agere.

§. 2. Ἱδρὼς, *Sudor* est, siquidem in sat magnâ copiâ eat : νοτὶς, καὶ ἐφίδρωσις, *Mador* seu *Consudatio*, cùm in exiguâ. Et hic ferè symptomaticus est, qui idem διαφορητικὸς, *resolutorius*, *debilitatorius* appellatur. Difficilis fit sudor, vel ob habitum corporis frigidiorem, densiorémque : vel ob στέγνωσιν, quæ accidit ob duas causas, vel quia pori ipsi in se concidunt ob siccitatem à Sole contractam, aut etiam aquas à luminosas : vel quia obstruuntur à crasso tertiæ coctionis excremento, quo non absterso multi sudare non possunt. Sciendum verò est, habere sudorem præ cæteris hoc ferè peculiare, quòd sine causâ externâ non eat.

§. 3. Sudori iungo τὴν ἄδηλον αἰσθήσει διαπνοὴν Græcis dictam, partim, quia impediri potest iisdem de causis, quibus sudor : partim, quòd magna feri illius pars, in iis, qui non sudant, hoc modo vacuatur: partim, quia vtraque vacuatio per eosdem poros accidit.

§.4. Cæterùm, transpiratio hæc per στέγνωσιν, *stipationem* dictâ prohibita, (ἀδιαπνευστίαν, *intranspirabilitatē* dicā) multa facit in corpore mala, præcipuè putrediné & febres. Interim nec omnis putredo est ab ἀδιαπνευστίᾳ, nec omnis febris ab eâdem est, vt fusè docet Cæsalp. 2. Quæst. Med. 1. & breuiter 2. Febr. 12. Interim hoc certum est, & conquerebatur eâ de re sæpiùs Scherbius, Multæ *Ephemeræ*, quæ primo illo die curari poterant balneo aquæ dulcis, ignauiâ & inscitiâ Medicorum, transeunt vel in *Synochos*, vel in *Putridas*, vel in *Hecticas*. Ita, quò quæque res est maioris momenti, eò contentiùs est apud vulgus nostrum. Vide historiam Premigenis, & aliorum, 5. San. tu. 11. D.

§. 5. De στεγνώσει hoc addo propter Foësium, qui non satis perspicuus est. Vox ipsa, vel latissimè patet, ídque apud *Medicos*, qui omnem affectum adstrictum huc alligabant : vel latè, apud *Rationales* nostros, qui aliquando obstructionem omnem ita appellant ; vel presśè apud eosdem, pro noxâ illâ pororum cutis, quâ impeditur effluxus excrementorum eius, 3. San. tu. 10. princ.

§. 6. Cæterùm, quia ab his tertiæ coctionis excrementis, præsertim cùm acriora sunt, & diutiùs quàm par erat, retinentur, fit *Pruritus* : de hoc quoque aliquid dicam. Apud Græcos tria sunt vocabula, quorum origo non satis distinctè traditur. Κνηθμὸς ἢ κνησμὸς est ἀπὸ τοῦ κνήθω : κνίδωσις, ἀπὸ τοῦ κνιδόω, quod est ἀπὸ τοῦ κνίδη, *vrtica*, quod ipsum est ἀπὸ τοῦ κνίζω : κνῦμα, ἀπὸ τοῦ κνύω. Vide Foës.

§. 7. *Fit Pruritus*, aut *Prurigo*, vt cœpi dicere, ab excrementis tertiæ coctionis, in iis, qui cacochymiâ biliosâ, aut serosâ laborant, præsertim si ἀλουσία accedat, tantò contemtior nobis, quò frequentior luxuria veterum in balneis. Hæc cacochymia si longiùs procedat, præsertim in vsu ciborum talium, v. g. ceparum, allij, porri, carnium, pisciúmve salitorum, &c. scabies, lepra, & his similia mala succedunt, 2. Caus. sympt. 6. A. Ex quo loco moneo, dubitare Gal. *An pruritus sit in numero motuum p. n.* Negat hac ratione, quod humores illi nitrosi, salsi, amari,

amari, sensum sui tantùm faciant in parte affectâ, non autem progrediantur ad motum vsque partis. Vide Com. nostra de Vs. part. n. 1010. Idem Diff. sympt. 3. D. simpliciter ad dolorem refert.



CAPVT LXXVII.

De Hæmorrhoïdum in viris retentione.


§. 1. Αἱμοῤῥοΐς, καὶ αἱμοῤῥαγία, generales sunt voces: at Medici adstrinxerunt certis partibus, hanc ad fluxum sanguinis *è naribus*; illam, *ex ano*.

§. 2. De hac vacuatione sciendum est, non esse nisi in paucis quibusdam, iisque non melancholicis tantùm, sed & aliûs temperamenti. Hoc patet ex catalogo morborum, à quibus præseruare ait Hipp. 6. Epid. 3. t. 37. & Gal. 5. in 6. Epid. 25. Nempè enim duplicia heic sunt vasa, altera ex hepate, & venâ caua, altera ex liene, & venâ portâ. Illa Hæmorrhoïdes *externa* dicuntur, & in sphincterem desinunt, aliquando ad sensum tumida: hæc *interna*, & fiunt in rectum intestinum paulò superiùs.

§. 3. Hæc quamdiu intra mediocritatem stat, laudabilis est, nec vnquam cohibenda: at verò si nimia sit, & non tantùm vires deiiciat, sed & periculum obnuntiet, moderanda est.

§. 4. Ita loquor: Præceptum enim Hipp. est 6. Aph. 12. *In curatione hæmorrhoïdum diuturnarum, non esse occludendas omnes, sed relinquendam vnam, per quam sanguis eat.* Secùs si fiat, aut hydrops, aut tabes præ foribus est, inquit ὁ παλαιός. Est autem heic sermo de externis, in quibus res facilis est, quia præbent se videndas per tumores verrucales, ouales, morales, vt Arabum Interpp. loquuntur: at de internis penè res impossibilis est.

§. 5. Verùm hoc quidem huius loci non est: intelligitur tamen inde fieri aliquando, vt Natura claudat has vias. Tum verò anastomoticis dictis vtendum est, inter quæ regnat succus aloës.



CAPVT LXXVIII.

De Mensium in fœminis morâ.

§. 1. *Menses*, seu *Menstrua* voco sanguinem illum, qui in iis, quæ generationi aptæ sunt, singulis mensibus se ostendit, nisi

vel in vtero habeant, vel lactent. Græcis ἔμμηνα sunt, ἢ ἐμμήνια, καὶ καταμήνια, καὶ ἐπιμήνια, subintellige αἱμάτωματα. Hipp. sæpè vocat τὰ γυναικεῖα, subintelligendo idem verbi. Vocat etiam, vel simpliciter ῥόον ἢ ῥοῦν, vel ῥοῦν γυναικεῖον, quamuis ad *Profluuium muliebre* etiam trahatur vox. Vide Foes. si parcior sum.

§. 2. In his tria quoque considero, vt suprà, *Instrumentum*, *Materiam & Facultatem*. *Instrumentum* est vterus, qui si frigidior & densior sit, nihil fit. Et huc pertinet vasorum angustia, à quâcumque etiam illa sit causâ.

§. 3. *Materia* est sanguis, qui si crassior sit, non potest perrumpere. Hoc accidit in illis, quæ laborant *Febri albâ* dictâ. Quo loco moneo, quod Scherbius sæpissimè, cur Medici parùm cauti ferè ludant operam in ciendis mensibus? Oportet sanguis in eâ copiâ sit, vt possit effluere. Hinc quædam concipiunt, etiamsi menses non habeant. Tantum scilicet adest illis, quantum fœtui nutriendo satis sit: non autem superest, vt quid vacuari possit. Tales sunt viragines quædam, quæ ob caliditatem discutiunt sanguinem: & difficulter concipiunt, difficiliùs ad perfectionem ferunt, aut si id fiat, vitales fructus non ferunt. Idem accidit laboriosis quibusdam, vt rusticis. Idem, & frequentiùs, gracilibus naturâ, pinguibus, &c. In omnibus his quia sanguis deest, quid frustrà pugnas aperientibus?

§. 4. Tandem *Facultas* requiritur. Etsi enim ætas sit talis, & corpus floridum: deest tamen tempus, &, vt ita dicam, ἡ εἱμαρμένη Græcis dicta, *ordo* scilicet *naturalis, omnibus actionibus præstitutus in singulis indiuiduis.* Vidi hoc experientiâ, cùm diu tentata fuissent omnia, cessantibus nobis, vltrò venisse.

§. 5. Credidi olim Galeno, posse etiam à vitiosâ conformatione esse, cùm vasa ad vterum hiantia sunt cæca. Nunc resilio, quòd necesse sit vterum nutriri.

§. 6. Sed fierine potest à plethorâ quoque? Ita. Vt enim de Vesicâ vtrâque dixi, non potest vterus componere se ad expulsionem. In his non est opus medicamentis, sed venæ sectione in malleolis. Quorsum enim plus sanguinis ducas ad vterum?

ABERRATIONES.

§. 7. Fuchsius l. 3. s. 1. cap. 20. in errore vulgari est, *Asciten* & *Tympaniten* distingui, quòd in altero sola aqua sit, in altero solus flatus. Et quis mihi spondeat, esse in illo loco tantùm, in quo dicit Ille! Imò verò totum abdomen est occupatum. Idem approbant φώνημα illa duo verba, *Anasar-*

ca, & *Hyposarca*. Ib. in *Ictero* frustrà laborat, à quo animali nomen habeat. In *Vrina* f. 583. Duo desidero, quorum alterum est, quòd Arteriarum non meminerit: alterum, quòd de seri origine tacet. De *sudoris* origine f. 511. silet. F. 337. iniqua est comparatio hæmorrhoïdum cum mensibus. Ibid. insignis est ἀκυρολογία in eo, quod ait, *Naturaliter retineri in iunioribus & senioribus*. Imò neutræ abundant sanguine. Idem iudicandum est de iis, quæ aut in vtero habent, aut lactant. Iam enim Natura scopum suum attigit. De insensibili transpiratione f. 344. pueriliter valdè loquitur. Si enim transpiratio est, vt est, quomodo simul esse potest inspiratio? Et alioquin aëris ille per poros cutis introitus prorsùs commentitius est.

§. 8. Quàm grata fuit Sennerti confessio suprà, quâ de *Melancholia* simpliciter dictâ, esse illam non *Cerebri* tantùm, sed & *Cordis* intemperiem, adeóque in illa non tam cerebro, quàm cordi afferendam esse medicinam: tam ingratum mihi est, f. 391. non expresse id ipsum dixisse de *Melancholia hypochondriaca*. Molestum & hoc est, quòd *Mesenterium* solum accuset! Tantò magis, quòd dolores & molestias sinistri lateris non potest aliò referre, quàm ad *lienis* obstructionem cum φλογώσει quâdam. Certus autem sum, *hepar* quoque heic affici, vt & cor, & cerebrum. Quò magis detestanda est hæc bestia, quòd occupatis visceribus principibus omnibus, integræ curationis spem præcidit. In *Ictero* f. 678. duo desidero, 1. quòd omittit & debilitatem vesicæ felleæ, & copiam fellis, 2. quòd in Aph. 62. sect. 4. tam fusus est, cùm expedire se posset vno verbo, *veri sunt Aph.* ὡς ἐπὶ τὸ πολύ. In *mensium suppreßione* f. 340. absque iustâ causâ dubitat, An fieri possit à debilitate expultricis? Interim fatendum est, debilitatem, quam nos vrgemus, per accidens esse, cùm vteri fibræ ad expellendum insurgere non possunt, ob copiam sanguinis. Vnde patet, quo modo eximi possit scrupulus viro optimo de solâ sanguinis copiâ. De robore Gal. 5. Aph. 57. non sine causâ dubitat. Ego vitium loci causatus

causatus sum in Patholog. cap. 161.

§. 9. In definitione *Melancholiæ* generali, apud Lidd. l.3. c.16. hoc desidero, quòd *Cordis* non meminit. In *hypochondriaca* in specie, partim quòd symptoma cordiale (timor & mœstitia) cerebro tribuit; partim, quòd tot facit locos affectos, cùm in vno & eodē indiuiduo ferè omnes afficiantur, quāquā in aliis magis, in aliis minùs. In hoc laudo, quòd primæuam originem ventriculo defert. In Mēsenterij morbis, f.411. parum circumspectus est, cùm obstructionē omittit, quæ tamen familiarissima illi est, ceu dixi. Fallitur in eo, quòd, Fern. secutus, omnem illius p. n. tumorem indolentem esse credit, etiam, *Inflammationem*. Nimis facilis est, si à vapore fieri posse credit hepatis obstructionem. Contrà rectè explicat humores obstruentes, esse videlicet non pituitam & melancholiam tantùm: sed & bilem, sanguinémque, postquam sero suo orbati sunt. In morbis *lienis* f.431. miror scirrho non præmisisse obstructionem! Imò in scirrho hepatis, f.426. demiror, velle illum, scirrhum nonnisi aliquando ab ostructione incipere? In *Cachexia* f. 433. mirè involutus est, vt ego quidem libenter manum abstineam. In *hydropis* speciebus f.435. multa delirat. Primum & maximum illud est, quòd omnem hydropem ad frigidam hepatis intemperiem refert. Meretur quidem laudē, quòd agnoscit quendam hydropem *Calidum*, ex colliquatione scilicet: sed commentum de *hydrope notho* non placet. Et quid fit de hydrope calido illo, qui febribus succedit? quid de frigido illo, qui ob ignauiam renum accidit? Meminit quidem eius posteà: sed labitur in eo, quòd sine hepate frigido non admittit, &c. In *Ictero* f.439. stipulâ leuius est, quòd *Icterum nigrum* vult esse impropriè dictum. Tu examina cætera ex superioribus. In *Scorbuto* f. 443. multa habet communia cum iis, qui nihil docent. Quæ enim est *Praua nutritio*, *Tabida corruptio*, *Praua qualitas*, &c. *Luis Veneriæ* quæ sit affinitas cum Elephantia, audire velim. Nam infectio illa vini cum sanguine Elephanticorum planissimè fabula est. In cæteris ἑρμηνείᾳ vtitur valdè intricatâ. Hoc placet, quod hepati addicit: verùm quatuor illi gradus sapiunt

νεωτερισμὸν, ne quid grauius dicam. In *alui excrementis* valdè hallucinatur, cùm reliquias ciborum tantùm esse vult, vnde *Sudor* erit? Quod verò dicit, tot esse *seri genera*, quot humores, extra omnem probabilitatem est. Et quid dicam de aliis? De *hæmorroidibus* f. 414. hoc tantùm dico, Quis vnquam scripsit, externas cum internis misceri? Interim res impossibilis non est. In *mensibus* f. 510. hoc quoque solùm moneo, quòd suppressionem vocat etiam in iis, quæ naturaliter non habent, vt in viraginibus, laboriosis, &c. Item, in iis, quæ ratione imprægnationis, aut lactationis non habent. Multò deterius est, quòd his iungit eas, quæ pauciorem habent sanguinem ex morbo, &c.

§. 10. Heurnius cùm de antecedentibus omnibus tacuisset, tandem l. 8. c. 7. De *excrementis* agens, quædam affert, quæ ad nos pertinent. 1. Crassas fieri alui deiectiones, inquit f. 271. à calore exhauriente, vnde Plutarchus scribat, emendari hoc aquæ potu. Heic quærat adolescens, *Vnde est id quod exhauritur*? Est pars seri illius, quod vehiculum alimenti est. 2. Cur in senibus aluus ignauescat? (ita enim loquitur) causam dat, *Quia bilis quodammodo melancholescat*. Sed si bilis abusum illum non habeat, qui præsupponitur, quid fiet? Quid verò est illud *Quodammodo*? Sed sit: etiam sanguis melancholescit, cùm crassior est factus. Tum verò cùm atræbili vicinus sit, annon ob copiam τοῦ ἐμπυρεύματος, citiorem aluum habebunt? 3. Valdè dura est locutio, ad aluum secedere totius corporis excrementa! in statu, inquam, s. n. Imò à visceribus sunt, eo modo, quo dixi. 4. Non minùs dura est, bilem in senibus pituitescere! Imò gignunt, ob caloris debilitatem 5. Quæro, *Vrinæ & sudoris quæ materia*? cuius coctionis excrementa sunt? *Ischuria* à renibus cur vera ischuria non est? *In sudore* salsedo s. n. est. Sed satis.

CAPVT

CAPVT LXXIX.

De Dyspnœa, Asthmate, & Orthopnœa.

§. 1. EX *abdomine* ascendo *in thoracem*, & primùm *ad pulmonem*. In hoc triplex est obstructio, suis nominibus & symptomatis, nec minùs causis distincta.

§. 2. Δύσπνοια, *difficultas respirandi*, fit quidem vtplurimùm à vitio instrumentorum, præcipuè ab obstructione bronchiorum, seu arteriarum asperarum, (nullo modo læuium quoque) aliquando tamen, vel ab aucto vsu, vel à facultate debili, & dicitur per causam, & dicitur per essentiam: vt iam heic concurrant tres causæ continentes, vt sic loquar. Tam latè patére, probo ex Gal. qui in tribus libris περὶ δυσπνοίας ita accipit. Ad vitia instrumentorum pertinet, cùm pulmo coalescit cum pleurâ. Est autem tum morbus in situ. Per consensum etiam est vitio viscerum inferioris ventris.

§. 3. Ἆσθμα Latinum nomen non habet, & videtur dici quasi ᾆσμα, *cantus*. Hesychius enim exponit per σύριγμα, *fistulationem*, fortassis ex 7. Epid. 28. in filio Antiphanis, cui συριγμὸς ἐν φάρυγγι. Mecum est Celsus l. 4. c. 4. Vid. Foës. in ὑποσυρίζειν, quem heic adiutum eo. Accidit tum, cùm bronchia pulmonum ita sunt oppleta, vt respiratio non fiat sine sibilo. Quâ ratione pertinet ad instrumentum tantùm. Oppletio hæc accidit à delabentibus è capite frigidis & lentis humoribus. Quo sermone refuto paulatinam congestionem. Cùm enim Natura non cesset per tussim eiicere, quæ molesta sunt, adeóque tussis in id sit instituta: quis credat, naturam tamdiu otiari, vt fiât aceruus pituitæ? An si fiat, morbus est in superficie læuigatâ? Tunica enim interior bronchiorum, è palato eò deducta, cùm valdè sensilis sit, si imbiberit aliquid de pituitâ, non sentiet stimulum.

§. 4. Quæritur, an *sibilus* necessariò adsit? Ita: siquidem asthma esse debet. Antè enim quàm fiat, asthma non est, sed dyspnœa. Hinc responsio pendet, an asthma à frigiditate quoque fiat? Non. Est *dyspnœa*, & illa quidem à debili facultate. An à siccitate? Non. Est dispnœa. Et quis credat, bronchia, corpora tam sicca, ita collabi posse vt aëri negetur reciprocatio illa? An à flatu quoque? Dico iterum, est dyspnœa à compresso diaphragmate, non autem ipsis bronchiis: ἀσύμπτωτα enim sunt. A pure? Tum *empyema* est, de quo inter solutiones continui.

§. 5. Sed quid fit *de crudo tuberculo*, quod φῦμα ἄπεπτον Gal. vocat 4. Loc. aff. extr. quà de Antipatro? Scio, quid minetur Salius de Aff.

 part. 21.

part.21.sed scio hoc quoque non stare illum in vestigio, Annot.in Altim.48. Quis igitur fuit affectus Antipatri? Nescio.

§. 6. Ορθόπνοια, *respiratio, quæ fit rectâ ceruice*, vel cum febre est, vel sine febre. Hoc in asthmate quodam est, & tum dicitur Orthopnœa, quod curaui in Collega quodam meo: illud in peripneumoniâ, pleuritide, & fortè anginâ. Dixi *Quodam*: Affirmatiuam enim Gal. 2. in 3.Epid.4. vbi ἀναπνοὴ ἐπειγμένη, *respiratio coacta* dicitur, 6. Aph.46.ext. suspectam fecit hominum nostrorum experientia. Vide Foes.in πνῖγος.

§. 7. Quo loco obiter hoc inculco, Quia quæ respirationi seruiunt organa, seruiunt etiam *Voci*: his ipsis læsis vox quoque læditur. Verumtamen si de *Voce articulatâ*, quæ διάλεκτος est Græcis, sit sermo, etiam plura lædi necesse est, quæ ego in Physiolog. persecutus sum. Diligenter singula tradit Sennertus quoque noster, 2.Instit.quà de ἀφονίᾳ. Addo hoc quoque, Plerasque partes voci destinatas, seruire etiam *Masticationi*, &c.



CAPVT LXXX.

De Syncope Cardiaca.

§. I. Ἀπὸ τοῦ συγκόπτω fit συγκοπὴ, quam Medici explicant per ὀξεῖαν (ἢ ἀθρόαν) τῆς δυνάμεως κατάπτωσιν, *quasi ruinam subitaneam & simultaneam facultatis*, quæ apud eosdem, vel ipsa *Anima* est, vel proximum eius instrumentū, *Spiritus*. Fuerit ergo heic συγκοπὴ, idem quod σκέδασις, ἢ σκεδασμὸς, σκορπισμὸς; quæ vocabula ex Homeri Interp. φυγὴν *fugam* (intellige *Spirituum*) explices, cùm spiritus in corde & cerebro à vapore quodam, totâ substantiâ alieno, ita concîduntur, franguntur, dissipantur, vt nec cerebrum ipsum, nec sensoria externa faciant officium. Hoc verò fit, vt cœpi dicere, à tetris vaporibus, vnde vnde etiam sint, qui præstant id, quod fœtida exteriùs occurrentia. Hoc modo fieri syncopen, vt absimile vero non est: ita multò verisimilius est, fieri à vaporibus obstruentibus, quibus discussis vires redeant.

12. Meth. 5. A.

§. 2. Et accidit quidem syncope frequentissimè ab hac causa: sed non semper. Interim nomen datum fuit, ab eo, quod frequentiùs fit. Et quia tetri illi vapores ferè sunt è ventriculo vnà cum intestinis, agnomen additum fuit στομαχική. At quo alio modo euenit? Cùm, *cerebro* nihil passo, sanguis ad *Cor* tam violenter affluit, vt omnis spiritui via ad cerebrum occludatur. Hæc iam καρδιακὴ per essentiam est, & obstructionem includit, διάθεσις καρδιακὴ, in Pseudo-Medico, cap. 13. Hæc differentia facit, cur beneolentia prosint in primo tantùm casu, irrita sint in altero. Sed & *Cor* per consensum afficitur à vaporibus ascendentibus, vbi obstructio etiam est.

§. 3.

§. 3. Hinc erudiri possunt illi, qui vtramque syncopen ex ventriculo deriuãt, alteram quidem, quatenus ὁ στόμαχος in propriâ significatione est *Os ventriculi*: alteram autem, quatenus hoc ipsum καρδία, *Cor* appellatur. Possunt & illi, qui de essentiâ & consensu non rectè loquuntur. *Cerebrum* enim semper per consensum afficitur; ibi quidẽ quatenus à vẽtriculo accipit quid, quod p.n. est: heic autem, cùm à Corde non accipit, quod s.n. accipere debebat, vtrobique & ventriculus & cor per essentiam laborant. Cur ergò non est cerebri potiùs morbus? Non est heic opus ἀκριβείᾳ. Ita positum est.

§. 4. Fortassis videor quibusdam incredibilia dicere. Probo nunc ex tribus locis, quorum primus est 4. Acut. 23. Ibi cùm Hipp. dixisset, τῶν φλεβῶν ἀπολήψεις, *Venarum*, (intelligo non *Venas* tantùm *iugulares* cum *Arteriis soporalibus*, sed & *ductuum* dictorum) *interceptiones causari* ἀφωνίαν, *obmutescentiam*: Gal. in Com. tres affert affectus, in quibus id fiat, *Apoplexiam Epilepsiam*, & *Syncopen Cardiacam*. Hos ita induco. *Apoplexia* fit, cùm subitò obstructo *Torculari*, denegatur sanguini ingressus in ima cerebri. *Epilepsia* fit, cùm sanguis biliosior mittit ad principium neruorũ vapores acres, qui in neruos se insinuantes, & inde ad musculos descendentes, faciunt κλόνον illum, qui in Epilepticis est. *Synope Cardiaca* accidit, cùm, ob obstructionem, relabente sanguine in cor, suffocatur animal. Hoc fieri duobus modis verisimile est Aliquando quidẽ, vt animal reuocetur, quo casu malum habet paroxismos suos: aliquando, vt prorsus intereat. Vtrumque est in Apoplecticis: videmus enim quosdam iteratò incidere in hoc infortunium. Videmus in infantibus sanguineis Epilepsiâ correptis, quosdam euadere, quosdam perire. Ergò in *Syncope cardiacâ* quoque ita erit.

5. Loc. aff. 2. C. dicitur, Gladiatores quosdã in corde vulneratos obiisse eo modo, quo qui syncope cardiacâ. Hoc intelligo, cõfertim affluẽte sanguine ad inflammationem.

§. 5. Alter locus sit 1. Caus. sypt. 7. L. vbi ait, Syncopas cardiacas fieri affecto principio, quod in corde est. Hic sensus vt elici possit volo dari mihi contra Linacrum, τὸ συμπαθέσης, compositum stare ibi pro παθέσης, simplici. Huius postulati æquitatem ostendo duobus indiciis. 1. sine violentiâ τὸ *Cum Stomacho* Linacri extundi non potest. 2. Negari non potest, συμπάθειαν mox poni pro πάθος, cùm *Morbum* significat vtrumque. Alia loca non affero.

§. 6. Tertius sit 2. Aph. 47. vbi Gal. in Com. ext. ἔκλυσιν ἰσχυρὰν, *resolutionem fortem*, quam Hipp. habet, opponit per vocabulum ὥσπερ, τῆς συγκοπαῖς καρδιακαῖς. Tu verò monitus esto, inspicias codicem Græcum vtrumque, in quibus τὸ καρδιακαῖς est, cùm in plerisque omnibus Latinis fugerit, & reuocandum sit.

Non est in vetustissimo Ferrariẽsi, 1509. non est in paulò recẽtiori Pariſiẽsi, 1526.

§. 7. Ex his ego hoc exsculpo monitum. Non omnes, qui subitò moriuntur, Apoplexiâ moriuntur, & frustrà sæpe quæritur causa ab Anatomicis in capite, cùm in thorace sit. Huius rei historiam cùm nuper ostenderim apud Frambesarium in Exam. Doctorand. f. 29. volui heic in apertam lucem producere. Vidit is in milite, subitò post longũ mœrorẽ mortuo, visceribus reliquis saluis, in pericardio, non aquam modò, sed

&

& copiosum sanguinem concretum. An hoc modo obierunt duo magni viri, quorum in Patholog. cap.105.memini, Remus & Piccartus? An ratio distinctionis est? In Apoplexia quantumuis forti stertor est, quamdiu id, quod è cerebro accedit musculis thoracicis, ad cõplementum respirationis, solum est ablatum, durante adhuc ebullitione naturali in corde. In Syncope cardiacâ nullus est stertor, quia cor ipsum subitò occupatur. An quidam ex iis, qui febribus laborant, præsertim sanguinei, hac syncopâ exstinguuntur subitò? At nostri facilè, *Es hat ihn ein schlæglein troffen.* Confer hæc, ô quisquis es, cum iis, quæ Salius (qui solus & primus, nî fallor, oculos aperuit) habet l. de Aff. partic.cap.4.



CAPVT LXXXI.

De Lipothymia.

§. 1. NIl ambigo, olim quoque fuisse confusiones inter quatuor nomina vnius affectus, συγκοπὴ, λειποθυμία, λειποψυχία, ἔκλυσις. Ex 12.Meth.5. extr. liquet, *Syncopas* à *Lipothymiis* fuisse olim distinctas, *Syncopas* videlicet vocâsse quosdam simpliciter, quas alij cum adiectione *Cardiacas*. Et huc deducere aliquem possit τὸ καλουμένους, quod est 1.ad Glauc.14.C. *Lipothymias* à *Lipopsychiis* separare voluerunt quidam, ex 4. San. tu.10. B. sed reuerà frustrà sunt. *Lipothymias* & ἐκλύσεις non differre, manifesta est Gal. assertio, in illo ad Glauc. F. Quod autem quidam dicunt, *Lipothymiam* esse Syncopes initium, id apud Gal. nondum reperi. Sed & vbi reperero, dicam res esse distinguendas: nomina sinenda. Res est, *Syncope Cardiaca* seorsim collocanda est, quia per essentiam est, & Cor apprehendit: reliquæ omnes per consensum sunt, vel ipsius Cordis, vel Cerebri, vel denique vtriúsque. Partium mittentium Catalogum si vis, dabit tibi Gal. in illo ad Glauc. Ego hoc addo, Quia sæpiùs afficitur *Os ventriculi*, dicitur illa *stomachica* quidem, non autem *Cardiaca*. Καρδία enim heic est in propria significatione. Hac in parte Foësio volui suppetias ferre.

§. 2. Sed quæ est causa proxima huius affectus? De Cardiacâ non est opus pluribus, *Sanguis* est, Cor occupans, prohibénsque distributionem sanguinis & spirituum: in reliquis omnibus *Vapor* est, qualis dictus est, totâ inquam, substantiâ contrarius naturæ, in corde quidem per consensum, stringens illud, veluti in syncope vterina; in cerebro autem ruinam faciens spirituum, veluti locutus sum.

§. 3. Ex his intelligitur, quid sit sentiendum de illa disputatione, quæ trahitur ex 11.Meth.1.A.12. Meth.5.A. Quibus in rebus consistat

virium,

virium, quæ heic lapsæ esse dicuntur, essentia? Dico paucis, His quidem terminis, seclusâ Cardiacâ per essentiam, in solis spiritibus consistit.

§. 4. Et hæc quidem causa proxima est: remotæ sunt in cat alogo partium quem dixi.



CAPVT LXXXII.

De Suffocatione Vterina.

§. 1. Πνῖξ ὑστερικὴ, quia est *syncope* quædam, sed comitata grauissimis symptomatis, videtur huc pertinere. Et ita quidem dicitur affectus ipse: *Hysterica* autem, quæ ita affectæ sunt.

§. 2. *Symptomata* accessoria sunt, vel ratione cordis, vel ratione cerebri. *Illius*, sentiunt sibi cor quasi duabus manibus stringi, sequitur tam respirationis, quàm pulsûs tantum non abolitio, refrigeratio totius corporis, iacent sine voce. *Huius*, vel immobiles sunt, vel Epilepticorum more conuelluntur, cum detentione tam interiorum, quàm exteriorum sensuum. Et hæc quidem veteribus erant cognita: nostri compererunt, quasdam delirare, quasdam etiam soporosas esse.

§. 3. Heic locum affectum esse vterum, demonstratione, vt videri vult, conficit Gal. 5. Loc. aff. 5. E. Quia non accidunt talia, nisi iis, quæ non habent menses, cùm habere deberent: vel non vtuntur Venere, cùm deberent. Verùm oportet hanc demonstrationem accipere cum grano salis. Compererunt enim nostri, accidere etiam quibusdam, antequam menses habeant: quibusdam quæ optimè purgantur, & alioqui floridissimæ sunt: quibusdam, quæ Venere vtuntur, imò etiam grauidis.

§. 4. Causa remota est retentus & in vtero putrefactus sanguis. Ita enim loquor: quia de sanguine tantùm consentio Gal. At quæ de semine dicit, non credo, nisi in rarissimis quibusdam, quæ semen habent, qualis fuit illa Romana, de qua prædicat. Pleræque omnes enim non habent, & quæ habent, in illis ad vterum accessus illi nullus est, vt probo fine lib. de Gener. hom.

§. 5. Causa proxima, prorsûs vt in Lipothymia, est *Vapor*, indicibili putrefactione in vtero genitus, sursúmque ad cor & cerebrum latus, vnde symptomata, quæ enumeraui.

§. 6. Sciendum est, non omnia esse in omnibus, neque omni tempore: quin, vt deduco in Patholog. c. 126. tres sunt mali huius gradus, non minùs quàm in Apoplexiâ. Quo loco quia omnium symptomatum rationem reddidi, non iam est opus pluribus. Qui verò calcitrant, & nolunt concedere ab vno vapore esse tam grauia, ignorant rerum naturam.



CAPVT LXXXIII.

De Palpitatione, & in specie Cordis.

§. 1. VApor iam dictus reuocat mihi in memoriam *quatuor motus p.n.* à Medicis vocatos παλμὸν, τρόμον, σπασμὸν, καὶ ῥῖγος, de quibus habemus librum Gal. singularem, aut, si hoc displicet, vnum. De his igitur agam nunc.

§. 2. Παλμὸς apud antiquos dicitur etiam σφυγμὸς, *pulsus*, v.g. Cùm Hipp. ait, παλμὸς ὑποχονδρίου, καὶ περὶ ὀμφαλὸν, cùm ægri modò *in imo abdomine*, modò *in superficie* sentiunt molestam pulsationem quandam, quæ si contingat in toto corpore, παλμώδεις δι' ὅλου dicuntur tales. Vide Foës. In propriâ significatione est motus quidam reciprocus partium quarundam mollium, quæ modò attolluntur, modò deprimuntur, Lib. d. c. 5. D. necnon 2. Caus. sympt. 2. L. M. N. Vide eundem.

§. 3. De *causâ proximâ* ratiocinans Gal. in eodem de Caus. sympt. aut humorem esse ait, aut vaporem. Ille, inquit non est, quia tam subitò moueri non potest. Ergo hic est, & rectè.

§. 4. At minùs rectè, nî fallor, cùm numerum init partium huic affectui obnoxiarum. In *cute* esse certum est. Sentimus enim in superciliis, ciliis, facie, artubus, & vocatur affectus à Barbaris *Iectigatio*. In *musculis* an sit, dubito. Potiùs enim σπασμὸν nobis dictum faciet, *den krampf*, quem Itali vocant *la Craufa*. In ventriculo hoc nomine appellari ἀνατροπὴν, ἢ θλῖψιν, ἢ ὑπτιασμὸν supra descriptum, ægrè non fero: at eundem tribui posse intestinis, non puto. Nam βορβορυγμοὶ καὶ κλύδωνες, *rugitus*, sunt ipsorum flatuum. *In vtero* & *vesicâ* ἐμπνευματώσεις oriri aliquando, dubium non est: at cum motu locali, verisimile non est. Eadem ratio militat *in hepate* & *liene*, fortassis etiam *renibus*, quorum ille non meminit. *Pulmonum* etiam non facit mentionem, quia nôrat, ἐμπνευμάτωσιν quidem (*dass lungen aufsteigen*) locum habere, motum autem non habere. *In diaphragmate* habere, certum est. Vidi enim cum doloribus immanissimis, & curaui oleo anisi destillato foris & intùs. An *Conuulsio* potiùs fuit?

§. 5. *Causa remota* est sanguis vaporosus seu pituitosus, cuius partem crudiorem cùm calor dissipare non potest, vertit in flatum. Et hæc quidem in genere.

§. 6. In specie, de *Cordis palpitatione* hoc præmonendum est, Quia cor præ cæteris partibus hoc peculiare habet, quod pulsat, & quidem s.n. si huic motui accedat alter, & p.n. fieri iam motum duplicem, & quidem hâc ratione. Cùm spiritus naturalis vult agere res suas, incursat in

illum

illum spiritus nō naturalis, quem Gal. vocat l. de Palp. 5. D. *crassum, vaporosum, tenebrosum, obscurum, flatulentum qui exitum non habeat*, & vim illi facit adeò, vt cor distrahatur in latera, aliquando tam manifestè, vt ab astantibus etiam audiatur.

§. 7. *Causa* igitur *proxima* iterum est *vapor*: *remota* iterum *sanguis* frigidior, in quem agens calor non proportionatus vaporem illum excitat. Hinc intelligitur, quatenus in hoc affectu *Refrigeratio* locum inueniat. Verumtamen oportet remotæ huic causæ duas alias addere. 1. *Aqua in pericardio* naturaliter contentæ maiorem copiam, in quam agens calor patrat idem. 2. *Tuberculum*, φῦμα, proculdubio cum intemperie calidâ, quæ flatuat.

§. 8. Oportet etiam hoc addere, Palpitationem cordis aliam per essentiam esse, aliam per consensum ventriculi, vteri, &c,



CAPVT LXXXIV.

De Tremore, & in specie Cordis.

§. 1. DE hoc vel ideò agendum est heic, quia Practici vulgares confundunt cum *Palpitatione* dictâ, ignari se contra confessam notionem τ̃ *Tremor* pugnare. Reuerà enim huc non pertinet, sed ad *caput*: debeo autem meminisse, vt moneam incautos.

§. 2. Τρόμον & τρομώδεας dicunt omnes, cùm facultati animali mouenti debili opponit se partis grauitas naturalis, nec permittit facultati agere, quod vult, 2. Cauf. sympt. 2. F. H. de Palp. 3. A. Ergò cùm res spectet ad motum voluntarium, qualis cordis motus non est: quis in corde speret *tremorem*?

§. 3. Interim, quia aliquid simile heic fit in *Palpitatione* leuiori, permitto præceptori Saxoniæ. 1. Pract. 17. vt alteram hanc speciem, vti ipse quidem vult, *Tremorem cordis* appellet. Simile est, Quemadmodum in vero tremore grauitas partis obstat, quò minùs fiat motus: ita in hac palpitatione robur pulsûs impedit, vt ne fiat palpitatio insignis. At tertia eiusdem Saxoniæ palpitationis species est differentia pulsûs δορκαδίζοντος, καπρείζοντος, μυρμηκίζοντος, vt ante me obseruauit Ill. Cæsalp. 2. Quæst. Med. 20.

§. 4. Sed quæ est *secunda* illa *Tremoris species*, cùm tremor adest etiam non motâ parte? Quantum ego è lectione Gal. 2. Cauf. sympt. 1. ibi: *Quorum nerui adhuc resoluuntur, &c.* consequi potui, non est morbus, sed futuræ paralyseos signum. Incipit enim spiritus influens deficere, & iam est *morbus in numero*, vt dicam.

ABERRATIONES.

§. 5. Fallitur Fuchs. cùm in *Asthmate* non facit mentionem sibili. Fallitur, cùm *suffocationem vterinam* reuocat ad retractionem sursum. Fallitur, cùm *Palpitationem* & *Tremorem* confundit. Rectè quidem taxat eos, qui *Cardiacam* vocent: interim ille nescit, quis sit morbus.

§. 6. Rectè Sennertus, cùm *dyspnœam* agnoscit pro generico: at minùs constanter, cùm ad sola bronchia posteà adstringit. In eo verò manifestè fallitur, quod *Catarrhum suffocatiuum* fieri negat, nisi prægressâ dispnœâ suâ. Fallitur non minus, cùm stridorem *dyspnœæ* tribuit, qui *Asthmatis* est. Summa, Confusio magna est, cùm tres causas continentes, vt vocaui, non distinctè proponit. At orthopnœa vbi est? In nominibus *syncopes* & *lipothymias*, &c. nimis accuratus est. Et arguit seipsum posteà, cùm fatetur differre intensione & remissione. Nec iuuat exemplum Apoplexiæ, quod quis pro illo afferat. Illud enim in praxi vtile est: hoc non est. In causis non satis assequor illum. Si enim *syncope* (hoc vocabulo solo vtar) est subitus virium lapsus, quomodo generatio spirituum, quæ successiua est, huc facit? Si læsio hæc tantùm fit mediantibus spiritibus, quo modo potest accersere posteà partes cordis solidas? Aër heic locum nõ habet. *Suffocatio* & *obstructio* non habent, quia sunt causæ remotæ: sola propinqua causa habet, *vaporum ascensio*. Eadem dico de *Absumptione*, *Resolutione* & *dissipatione*. In *laboribus corporis & animi*, *in doloribus*, &c. vapores requiruntur. Hoc euidenter fit in euacuationibus, æstibus, balneis, &c. Malignâ & venenatâ qualitate opus non est. In palpitatione cordis non satis explicat duos illos contrarios motus, qui heic sunt. In causis eius, ab vsu pulsûs sumtis, luxuriat. Sola enim tertia causa sufficit. Sed & in eâ excessus est, cùm humores adsciscit, quos Gal. tam clarè repudiat. Rursùs περίεργος est in vaporum qualitate manifestâ & occultâ. Sola crassities sufficit. Περιεργότερος in refutando Saxonia.

§. 7. Cum

§. 7. Cum Lidd. f. 367. non conuenit mihi in origine τῆ συγκοπῆ. Si enim est ἀπὸ τῆ συγκόπτω, quod est *Concîdo* (non *Concido*) quo modo fit contractione & confluxione spirituum ad Cor? Sed benè habeat, Quomodo simul est lapsus & diminutio spirituum? In parte affectâ hoc desidero, quòd cerebrum excludit, Reuerà excludi non potest. Curamus enim odoratis. In palpitatione cordis f. 364. hoc displicet, quòd ferè ex aliorum sententiâ loquitur. Displicet & hoc, quòd vbi ad propriam ventum est, dispescit in legitimam & illegitimam, nouo prorsùs exemplo. Et quid dicam de causâ triplici. facultatem incitante?

§. 8. Apud Heurnium nihil horum inuenio. Riolani iamdudum pœnituit.]



CAPVT LXXXV.

De Conuulsionum tribus speciebus, Tetano, Emprosthotono, & Opisthotono.

§. 1. IN memoriâ habeo, superesse mihi ex quatuor p. n. motibus duos, *Conuulsionem* & *Rigorem*, ij verò cùm ex *Capite* sint: eò me iam conuerto.

§. 2. Apud Græcos generica vocabula duo sunt, eiusdem quidem originis; sed diuersissimæ significationis, vnde Interpretibus Gal. miræ Confusiones, de quibus Notis in Gal. sæpissimè, vt & seorsim in Isagog. cap. 3. Ἀπὸ τῆ σπᾷν, *trahere* & σπασμὸς est, & σπάσμα: illud pertinet ad propositos nobis affectus, hoc ad solutiones continui. Σπασμὸς, quamuis *Tractio* sit, seu *Contractio*: tamen quia Interpretibus placuit *Conuulsio* seu *Conuulsus*, sequamur. Non ignoro, confundi ista in vulgari loqüendi vsu: differunt tamen *Trahi* aliquid, aliud *Distrahi* in duas partes, quâ ratione τῷ σπάσματι potiùs conueniret, quippe quod τίλμα est, ἢ ῥῆγμα, vt ostendi l. c. Heic verò iterùm monitore egemus, ne confundantur σπασμὸς & κίνησις σπασμώδης, *motus conuulsorius*, qui κλόνος Græcè dicitur. Ille est in tribus dictis affectibus: hic in *Epilepsia*, de quâ seorsim.

§. 3. Τετανὸς (ita enim scribo, inuito Foesio, aliisque) ἀπὸ τῆ τείνω, quasi τεταμένος, idem significat, quod τόνος, à præt. med. τέτονα, licet hoc substantiuum sit, illud adiectiuum. Τετανὸς opponitur τῷ ῥικνῷ, *tensus*, *planus*, *superficie æquabili*, vt exposui initio var. lect. *Rugosus*, *flaccidus*, *vietus*. Τόνος, vt plurimùm quidem *Neruus* est

 apud

apud Hipp. quâ de re videri potest Foësius: aliquando tamen, eodem iudice, ἔντασις (*intentio, contensio*) ἡ τάσις, à sec. perf. pass. præt. τέταμαι, & refertur tam ad animum, quàm ad corpus, quod Foësium diligentiùs explicâsse vellem: De animo elegans est locus 4. Sent. Hipp. 6. A. vbi scribit Chrysippum agnouisse facultatem animæ quandam, à rationali diuersam, quam τόνον vocârit, & quæ sit τῆς ψυχῆς ἰσχὺς, δύναμις, ἀρετὴ, *robur, constantia, præstantia*, quâ quis à proposito, rationabiliter suscepto, non facilè discedit. De corpore, eiusque partibus confessa apud Medicos τοῦ τόνου notio est, quâ in vsu medicamentorum requirunt τονωτικὰ hoc est *talia, quæ conseruent partes in soliditate suâ naturali*, oppositâ flacciditati seu imbecillitati. Hinc ἔντονος, καὶ ἄτονος, εὐτονία καὶ ἀτονία. Apud eosdem est κίνησις τονικὴ, *motus tonicus*, de quo alibi. Ergò, τετανὸς quidem est, cùm corpus riget, (hinc *Rigor* Celso dicitur, & *Neruorum distentio*) & in neutram partem inclinat: τόνος autem, cùm vel antrorsum, vel retrorsum. Hinc composita vocabula sunt ἐμπροσθότονος, καὶ ὀπισθότονος. Sed satis de nominibus.

§. 4. In causis reddendis præcipuam difficultatem nobis creat *Repletio* & *Inanitio* Hipp. 6. Aph. 39. quâ sepositâ nunc dico διαῤῥήδην, *Quemadmodum in proximè dictis duobus motibus causa proxima fuit vapor, remota materia frigida*, quæ à *Calore non proportionato in vaporem seu flatum conuersa, mali autor fuit*: ita heic quoque fit. Hoc quia in Patholog. cap. 113. latè deduxi, pressiùs in Physiolog. c. 31. carpam nunc summam tantùm negotij, hinc facto initio.

§. 5. Quo modo fit motus voluntarius, seu s.n. & à quibus partibus, quótque: eo fit motus quoque inuoluntarius, seu p.n. Veruntamen hâc distinctione. Vt motus s.n. fiat, requiruntur omnes & singulæ: vt p. n. satis est, si vna, alteráve sit in culpâ.

§. 6. Vt *motus s.n.* fiat, oportet *Cor* mittat ad *Cerebrum* spiritus benignos: oportet *Cerebrum* alteret eosdem substantificè, nec quidquam alieni permisceat: oportet dictos *spiritus* expeditè ire per *neruos* ad musculos: oportet *musculos* contrahi, impletos spiritibus illis, tanquam follem aëre: oportet articulationes cum suis ligamentis benè habeant, & siquæ fortè alia sunt.


§. 7. Ergò *motus p. n.* fiet, si Cor non mittat bonos spiritus sursum: si cor quidem faciat officium, in cerebro autem misceantur vapores, quales dicti sunt: si vapores illi, per neruos delapsi, impingātur musculis, contrahántque, non secùs ac spiritus naturales solebant.

§. 8. Hoc modo *Tetanus* quidem fiet, si ita impleantur, vel totius corporis musculi, vel partis certæ, vt neque flexio, neque contractio fieri possit: *Emprosthotonus* etiam & *Opisthotonos*, si in alterutram partem torqueantur.

§. 9. Hanc doctrinam si probâro Aristoteli 2. Meteor. 8. & Gal. 2. Caus. sympt. 2. D. excussero fortassis nouitatis laruā, & persuadebo Instituendo meo, vt credat mihi tantisper, dum postulare demōstrationes ausit ipsus.

§. 10. Quo

§. 10. Quo habito, dico, *ſpaſmum vulgi, dem Krampf*, eſſe de genere *Conuulſionum*, ſed imi gradûs. Tendit enim muſculos, & dolores facit grauiſſimos: eò vſque autem non aſcendit, vt muſculos tantoperè contrahat, quantoperè opus eſt, vt motus fiat.



CAPVT LXXXVI.

De Conuulſionibus particularibus, Canina, Oculorum, Mandibulæ Inf. Penis, Ventriculi, &c.

§. 1. Σπασμοῦ τοῦ κυνικοῦ mentio eſt, de Anat. muſc. 1. vbi ſtatim notandum eſt, eſſe & non eſſe affectum illum, cuius mentio fit 3. Loc. aff. 10. D. & iterum l. 4. c. 2. extr. *Eſſe*: quatenus à paralyſi fit *Tortura* illa *oris*, quam Practici noſtri dicunt. *Non eſſe*: quatenus eadem à conuulſione quoque fit. Interim videri poſſit, Galenum de Cauſ. morb. 7. E. agnouiſſe vtrámque cauſam. Quidquid ſit, Salius, Annot. in Altim. c. 15. Maſſar. 1. Pract. 17. & alij, diſertè docent, Ab vtroque affectu eſſe: ſed hac differentiâ, quòd (ceu Gal. etiam ſcribit, vtroque de Loc. aff.) in paralyſi quidem morbus ſit, non in latere illo, quod affectum videtur eſſe, ſed in oppoſito: in Conuulſione autem, vt docent duo illi, quos produxi, contrarium eſſe, hoc eſt, oppoſitam videri ſanam, & eſſe morbum ibi, vbi torſio ad ſenſum nulla. Hoc loco annotandum videtur, quod Rondel. nos credere vult, Cùm vtrumque latus vel paralyſi, vel conuulſione laborat, *Riſum Sardoum* dici. Is autem eſt, meâ opinione, cùm ægri dentes oſtendunt, more canum iratorum. An eſt κύων, Canis, 2. diff. febr. 3. F.

§. 2. Στραβὸς, ἢ στραβῶν, *Strabo* Latinis φολπὸς etiam dicitur παράβλωψ, qui diſtortis oculis eſt. Hoc quia accidit à duobus iam dictis morbis, meritò heic locum inuenit. Dicitur affectus etiã ἴλλωπς, 2. Cauſ. ſympt. 2. De voce multa habet Foeſ. in ἰλλαίνειν. Notandum verò ex 4. Loc. aff. 2. D. diſtorſionem hanc non ſemper eſſe morboſam Si enim vtraque ſit ad interiora, non lædit viſionem Huius rei exemplum habeo.

§. 3. Τριγμὸς, (non θριγμὸς, non τειγμὸς) καὶ βρυγμὸς, (intellige τῶν ὀδόντων) *Stridor dentium* fit ex conuulſione muſculorum mandibulæ inferioris, qui μασσητῆρες, *manſores* dicuntur.

§. 4. Priapus qualis Deus apud Gentiles fuerit, qui item, & quales Satyri, ſeu Fauni, ſatis notum eſt. Ab his nomen accepére duo penis affectus, *Priapiſmus* & *Satyriſmus*, quos Paulus l. 3. cap. 56. & 57 ita diſtinguit, vt ille quidem ſit arrectio penis diuturna, citra voluptatẽ, & ſeminis profuſionem: hic autem cum vtrâque. Accidit hoc, prout penis tenditur, impletúrve, aut ſolo vapore craſſo, qualis in conuulſionibus eſſe

esse solet: aut cum vapore spiritus quoque gignitiuus, vt sic loquar, est. An vtrumque affectum habet Gal. 2. Caus. sympt. 2. A. sub *Gonorrhœâ*?

§. 5. Λύγξ, ἡ, καὶ λυγμὸς, ὁ, *singultus* est nobis. Foësius acceptat etiam τὸ λυγγός, (ita enim vellem) sed inconsultò. Hunc quamuis me non fugiat collocasse olim inter morbos *Superficiei exasperatæ*: nunc tamen libeat Conuulsionibus accensere, idque partim autoritate Hipp. & Gal. 3. Aph. 7. 4. Aph. 5. 6. Aph. 39. partim ratione, quatenus *ventriculus*, præcipuè *Gula*, cum musculis participat. Vide Foësium. Verumtamen cum duplici præmonitione. 1. Non esse mihi quidquam negotij cum *Repletione* & *Inanitione* Hipp. 2. Non esse veram *Conuulsionem*, sed vel quasi, autoritate iterum Gal. 2. Caus. sympt. 1. C. Non enim fit ab impacto humore substantiæ neruorum ventriculi, oris ventriculi, gulæ, vt distinctè loquar: sed tunicis tantùm. Ideò δῆξις est, *morsus*, qui ferè cessat vacuatis humoribus acribus & rodentibus, 4. Acut. 69. 5. Aph. 1. A. Vide Patholog. c. 196.

§. 6. Præter has partes in diaphragmate fit conuulsio, quæ nomen non habet, 2. Caus. sympt. 2. B. Quo ex loco hoc deduco, videri, non ad omnes thoracis musculos, sed ad diaphragma solùm pertinere τὸ πνεῦμα πυκνὸν, ἢ περισκόπον, ἢ διπλάσιον, ἢ διπλοῦν, ἢ μυχθῶδες, ἢ κλαυθμῶδες, & fortè aliter, per quod fit ἐπανάκλησις, καὶ οἷ ἐπεισπνοὴ, *respiratio quasi allisa, siue interrupta, ob subitaneam reuocationem & veluti superspirationem.* Cum hoc idem esse censeo τὸ πνεῦμα ἀλυζόμενον (ita enim scribo) quæ sit *respiratio inquieta, & quasi hinc inde iactata*, proportione respondens τῷ ἀλυσμῷ ἢ ῥιπτασμῷ à ventriculi orificio. Idem quoque est τὸ πνεῦμα αὐτίκα ἀνεσπασμένον, *respiratio subitò sursùm retracta*. Nullo autem modo huc pertinet τὸ πνεῦμα ὥσπερ ἀνακαλουμένῳ ex 3. in 1. Epid. 18. Philiscus enim ille delirabat, & oblitus quasi respirationis, aliquando ex imo pectore sensim trahebat. Hoc ipsum putem esse τὸ ἀναφέρειν, potiùs quàm ὑπολύζειν ἀναπνέοντα, *subsingultire in respiratione*, vt Gal. explicat in Gloss. si locus vllus apud Hipp. expresse doceret. Vbi autem οἱ ἀναφορικοὶ dicantur οἱ αἱμοπτοϊκοὶ, videat Gorræus. Abi ad Foësium, & quatenus his iuuari possit considera. Sunt, & linguæ conuulsiones, & oculorum, à strabismo distinctæ, quæ nominibus carent, 2. Caus. sympt. 2. C.



CAPVT LXXXVII.

De Rigore.

§. 1. EX quatuor p. n. motibus cùm supersit *Rigor*; in eo verò maximæ sint difficultates: dabo operam, vt adolescentes sine ambagibus in ipsam negotij arcem introducantur.

§. 2.

§. 2. Ῥῖγος, aut latè sumitur, aut pressè. *Latè*, pro omni frigore, quod coniunctum sit cum concussione corporis. Et hoc fit tam ab externis, quàm ab internis causis. *Pressè*, pro eo tantùm, quod ab internis, & sponte, non prægressa causâ externâ. Et hoc est ῥῖγος νοσερὸν, ἢ νοσῶδες, *rigor morbosus*. Hipp.

§. 3. Heic duo cùm sint, *Frigus*, & hoc insequens *Concussio*, quæstio est, fiántne ab vnâ, eâdemque causâ? Hoc vt intelligatur, dicendum est ante omnia, Tria cùm sint in febribus (in his enim frequentiùs spectantur) ordine quasi quodam se subsequentia, *Frigus*, *Horror*, *Rigor*: fiúntne ab vnâ causâ, frigore, modò debiliori, modò fortiori, modò fortissimo? vt intelligas, In quibusdam febribus ψύχος, τὸ, *frigus* tantùm est, & defunguntur ægri facilè molestiâ illâ, cùm fiat tantùm corrugatio quædam cutis, cum liuore vnguium, pallore nasi, & auricularum. In quibusdam frigori adiungitur motus quidam cutis, cùm membranâ carnosâ subiectâ, qui iam φρίκη, ἡ, *horror* est. In quibusdam non tantùm hæc duo sunt, sed accedit etiam concussio totius corporis, vt sponda crepet, quæ ῥῖγος τὸ *rigor* est. Fiúntne tria ab vno frigore, gradibus differente? Neutiquam: ne apud Gal. quidem, qui vapores acres requirit.

§. 4. In hanc sententiam descendet, quicunque mecum considerare volet naturam & originem huius frigoris. Quale enim est, *Priuatiuum*, an *positiuum*? Est *priuatiuum*, siue fiat calore è superficie ad centrum, *Cor*, reuocato, quod imperiti iactant: siue eodem ad superficiem prohibito ire, quod rei natura postulat. Vt enim loquar de eo, quod vt plurimùm fit, dum ex foco febrili vapores putridi ad cor eunt, ita stringunt & angustant illud, vt impediatur diribitio caloris ad superficiem. Hinc adeò fit, vt membra exteriora frigeant, destituta quippe eo, quem s.n. habere debebant, calore. Frigus igitur *priuatiuum*, cùm sit, quâ fronte tribuemus illi actionem vllam?

§. 5. Inquis, Cur ergo aliquando sequitur *Horror*, aliquando *Rigor*? Vt distinctam rei notitiam habeas, Concentrato aliquandiu in corde calore, & quasi suffocato ibi, non potest non fieri intensior. Ergò dum præualet calor, & inuito (vt sic dicam) vapore febrili, per corpus diuiditur, vehit secum vaporem illum acrem, qui cuti, eo modo consideratæ, quo dixi, appellens, & acredine suâ stimulans, *Horrorem* facit.

§. 6. Sed facitne idem vapor febrilis *Rigorem* quoque? Facit, & non facit. Non facit: quia vt fiat κλόνος ille, oportet recipiatur vapor in ipsam neruorum cauitatem, è quâ in musculos delatus, causatur motum p.n. At verò cùm in neruos & musculos alia via non ducat, quàm ex cerebro: omnis ratio colligit, ex corde primùm sursum ire ad cerebrum, & ex cerebro iterum delabi, perinde vt in *Conuulsionibus* dictum est. Facit igitur, quatenus ad principium neruorum vapor it, illis se insinuat, deorsum fertur, & implendo musculos attollit. Hæc qui vlteriùs corroborata velit, adeat Patholog. nostra, c. 274.

HHh CAPVT

AVCTARIVM.

§. 7. Quærat heic aliquis, Annon doctrina Gal. de quatuor motibus sit diminuta, vt quidam loquuntur? Aliis enim locis *Horrorem* iungit, vt audiuimus: aliis *Pandiculationem* & *Oscitationem*, quamuis ferè simul sint duo isti motus, vt ex Gal. & Erot. docet Foës. in σκορδίνημα. De *Horrore* fortassis satisfaciam tibi, si dixero, Ex Gal. hypothesi, horrorem fieri ex causâ debiliore, quæ ex fortiori rectè intelligitur. De reliquis non inuenio velum: dicam igitur paucis.

§. 8. *Pandiculatio*, Græcis σκορδίνημα, ἢ σκορδίνησις, ἢ σκορδινησμός, (κορδίνημα esse in vitio, audeo dicere) est motus totius corporis, qui ferè accidat nobis post somnū, non vacuato scilicet excremento fuliginoso tertiæ coctionis, ideò videmur nobis post somnum οἷ ἑφθοί, *quasi excocti*, vt est 2. Acut. vlt. Sed cur non vacuatur? Indiget motu, qui in somnis nullus est.

§. 9. *Oscitatio*, actus ipse est oscitandi, veluti Oscedo, morbus apud Gellium, Græcis χάσμη est, apud Aristophanem χάσμημα, non solorum labij musculorum est: sed & linguæ totius, ab eodem excremento. Hanc explicationem nisi admiserit Foësius, mancus erit, & in origine humiditatis suæ vaporosæ, & in hoc loco affecto. Videatur Gal. 4. in 6. Epid. 5.

§. 10. Quæri etiam potest, Annon pertineat huc ἀνωμαλία *inæqualitas* illa, quæ aliquando præsagium est futuri morbi, 2. Caus. sympt 5. B. & C. 5. San. tu. 11. δυσαρέστεια, *displicentia*, 8. Meth. 3. A. Item, Annon *triplex genus lassitudinis*, 3. San. tu. 5. & alibi? Dico, quod de *Pruritu* nuper, vtrobique est sensus solus, & ad motum non ascendit.



CAPVT LXXXVIII.

De Epilepsia.

§. 1. NI fallor, ἐπιληψία, ἢ ἐπίληψις, apud Græcos nō differt ἀπὸ τοῦ ἀπόληψις nisi quòd heic ferè addatur τὸ φλεβῶν, ἢ πνευμάτων. Hoc propono considerandū iis, qui diligentiss. Foës. cum curâ legunt. Iisdem dispiciendum do, quam affinitatem cum τῷ ἐπίληψις habeat τὸ ἐπίλημψις? Ego nullam agnosco, sed dico, Ionicum esse pro ἐπίλαμψις, ἀπὸ τοῦ ἐπιλάμπω, *effulgeo, vvenss aussbricht*, vt Nostri loquuntur. Sæpè enim diu eiulant infantes, antequam foris quid se ostendat. Et tum vocant *dass innerliche freischlich*. Cæterùm, cùm πολυώνυμος sit hic morbus, de singulis appellationibus dico paucis sententiam meam. 5. Ἐπιληψία est ἀπὸ τοῦ ἐπιλαμβάνω, *apprehendo, corripio, occupo, superuenio*. Eodem ferè tendit τὸ ἀπολαμβάνω. Nā Græci

Græci in permutandis præpositionibus suis liberales sunt 2. Νόσος ἢ νοῦσος ἱερὰ quare dicatur, variæ sunt opiniones. Ego breuiter me expedio. Dicitur eo sensu, quo τὸ ὀςοῦν ἱερὸν, *os sacrum* suprà in Physiolog. & quo Virg. dixit *Sacra fames*, id est, *magna*. Hinc in Thuringia, aliisque Germaniæ locis vocatur, *die grosse Kranckheit*. 3. *Comitialis*, quòd comitia solueretur, siquis cecidisset eo die. Habebatur enim pro malo omine. 4. *Herculeus*, vel quòd Hercules eo laborârit, exemplo non alieno à magnis viris: vel quòd Herçule opus sit in curâ. Et hoc tendit ad τὸ *Magnum*. 5. *Puerilis*, vel *Infantilis*, παιδικὸν, ἢ τῶν παίδων πάθος, quòd huic ætati valdè familiaris sit. 6. *Lunaticus*, σεληνιακὸς, quòd ferè circa Lunæ incrementum ingrauescat, & in interlunio nati plerumque eo afficiantur. 7. *Caducus*, à cadendo. 8. *Sonticus* quidem in genere dicitur omnis morbus, qui excusat, ne quis in iudicio stare cogatur: sed inprimis hic.

Quidam ex 6. Epid. 6. t. 9. producunt etiam μεγάλην νοῦσον: Sed lectio variat.

§. 2. Hoc loco παρέργως duo moneo, ne qui porrò decipiantur. *Alterum*, τὸ πάθος σπασμῶδες Hipp. 3. Prorrh. 69 nihil aliud esse quàm *Epilepsiam*. Hæc enim comitari solet paroxysmos quosdam febriles Frustrà autem adstringere Galenum, ad paroxysmos initiales, vt *Repletionem* suã defendat, clarum erit illi, qui huic loco ad latus posuerit alterũ, qui est 1. Præs. puls. 4. vbi ait, τὰ πάθη σπασμώδη esse illa, quæ mortem afferunt cum conuulsione. Hæc enim ab *Inanitione* erit. Sed & frustrà alium ab Epilepsiâ affectum quærit, cùm notorium sit, quàm rari moriantur sine Epilepsia. Dico autem, siue paroxysmi cum Epilepsiâ veniant, siue tandem in paroxysmo Epilepsia finem vitæ faciat, esse tertij generis illam, quam 5. Aph. 1. subinfert *Repletioni* & *Inanitioni*, & quæ in rei veritate sola omnem Epilepsiam, adeóque omnem motum conuulsorium causatur. *Alterum*, *Spasmum non proportionatum ad materiam* Auicennæ, nihil aliud esse, quàm *Epilepsiam*, quatenus motus conuulsiui distinguunt illam à reliquis conuulsionibus. Vnde occasionem sumo vellendi auriculam illis, qui magnum quid assequi se rentur, si distinguant *Conuulsionem*, à *Conuulsorijs motibus*, addántque, Illam quidem esse veram & legitimam conuulsionem: hos autem spuriam & illegitimam Distingunt conuulsionem simpliciter dictam ab Epilepsiâ, motus reciproci: seu κλόνος. Et hæc quidem ego Foesio volo addita: tu autem, si vis, considera, quæ de hoc negotio Mass. 1. Pract. 8. ratiocinatur.

§. 3. *Symptomata Epileptica* sunt ferè omnibus nota. Cùm superuenit, stantes quidem cadunt plerique: iacentes autem pollicem vtrumque volæ includunt. Plerísque subitò pereunt omnes sensus, tam interni, quàm externi, non vident, non audiunt, non sentiunt, post paroxysmum nullius rei meminerunt. Vtplurimùm manus & pedes reciproco motu aguntur, oculi conuertuntur, dentibus strident. Cùm diaphragma & reliqui thoracis musculi afficiuntur, difficulter respirant, inconditum quid clamitant, spumã circa os habent. In iis, qui leuiùs laborant, tamen coguntur vel sedere, vel decumbere, & durat malum longiùs, breuiùs, pro ratione causæ. Quidam horum dicunt se sentire strepitum auiculæ, per cerebrum volantis.

§. 4. Accidit malum, vel per essentiam affecto cerebro, vel per consensum. Et consentiunt ferè Practici in eo, grauius esse malum, si prius sit, quàm si posterius: sed ego nondum credo. Oportet autem hoc rectè intelligere. Quemadmodum in febribus intermittentibus distinguere fas est morbum à symptomate, siue, febrim ipsam à paroxysmo febrili: ita heic quoque. Vt igitur febricitans est & dicitur, etiamsi actu iã non febricitet: ita epilepticus est, etiam cùm absque conuulsionibus est. *Illud* vt fit ratione foci febrilis, quicunque ille sit, qui flammam ad cor mittit: sic *hoc* fit ratione certi alicuius loci, vnde aura illa excitatur. Quando igitur minera, vt sic dicam, Epilepsiæ est in ipso cerebro extra principium neruorum, dicitur per essentiã: quando alibi, per consensum.

§. 5. *Causa* est, vt in superioribus, vapor totâ substantiâ alienus à naturâ hominis, & vel in cerebro genitus, vel ex inferioribus elatus, occupans primùm quidem totum cerebri corpus, vnde facultatum principum detentio, veluti loquuntur: deinde autem inferiorem eius partem, quà neruorum principium est, vnde & sensus externi abolentur, & motus vitiatur: & tandem totam medullam spinalem, tum videlicet cùm in musculos, vel totius corporis, vel certæ partis delatus est. Tum verò nota, cùm per consensum est, non ex visceribus tantùm esse vaporem dictum, sed & ex artubus, v.g. tibiâ, cuius rei exemplum est apud Gal. 3. Loc. aff. 7. quà de puero id narrante.



CAPVT LXXXIX.

De Catoche, seu Catalepsi.

§. I. Κατοχὴ, ἡ, ἀπὸ τοῦ κατέχω est. Hoc quò propinquius est τῷ καταλαμβάνω in significatione: eò faciliùs credo Ill. Platero, doctori meo, *Catochen* affectum esse vicinum *Epilepsiæ*. Hoc accipiendum est de paroxysmis, non autem de κλόνῳ, qui nullus hic est. Si habitum igitur corporis in paroxysmis spectemus, *Tetano* similior fuerit. Rursus quia τὸ ἐπιλαμβάνω haud difficulter iungi potest τῷ καταλαμβάνω, ob licentiam, quam Græci sibi sumunt in præpositionibus, vt dixi: κατάληψις cur dictus fuerit idem affectus, in obscuro non est. Sed cur etiam κάτοχος dicitur? Puto, tributum fuisse primitùs quidem illi, qui affectu hoc laborat: raptũ autem fuisse aliò ab imperitis. Quibus dũ consentit Gal. non ob id reprehendendus est. Hanc meam sententiam tantò libentiùs propono, quò verius est, Foësio heic hæsisse aquam. Vide ipsum in vtrâque voce: posteà verò Isagog. nostra, c. 2.

§. 2. In *symptomatum numero* heic quoque affinitas est Catoches cum Epilepsiâ, quòd heic etiam gradus sunt, vt ibi, adeóque modò plura sunt

sunt symptomata, modò pauciora, quod inter cæteros Erastus obseruat in 4. Paracelſ. Ex quo ipso occasionem capto defendendi Gal. contra vitilitigatores, qui varium fuisse dicunt. Fuit: quia eo tempore tam viderat, quàm ego, Postquam autem vidit in quodam suo condiscipulo, narrat, quæ vidit, 2. Prorrh. 56. His ipsis, παραμυθίας loco, addere oportet, quod ab initio dixi.

§. 3. Cùm *paroxysmus* superuenit, manet totum corpus in eo statu, in quo fuit, rigidum. Si stant, manent tales, apertis oculis: si ambulant, promoto vno pede: si apprehendere velint aliquid, protensâ manu: si scribant, ita conformatâ manu. Sin sedeant, aut cubent, tales sunt. Quidam puncti sentiunt: quidam nõ. Quibusdã, facultates principes integræ sunt: quibusdam non. Quibusdam respiratio integra est: quibusdam non.

§. 4. Hoc totum ego transcribo vapori tali, qualis est in *Tetano*. At qui *congelationem* quandã sanguinis nobis offerũt, indéque *Congelationem* vocant affectum, refutatione indigni sunt. Idẽ dico de iis, qui frigore mortuos dicũt hoc affectu interiisse. Hi vel ideò tolerãdi non sunt quòd id, quod ab externâ causâ fit, tribuũt internæ. Imò sẽper remouere oportet causas externas. Multò minùs ferendi, qui cum *Comate vigili* confundunt.




CAPVT XC.
De Incubo.

§. 1. INcubus & *Incubo* Latinis, affectus est Hipp. & Gal. incognitus, nisi sunt φόβοι, *pauores* in nuper natis, 3. Aph. 24. φοβεραὶ φαντασίαι Gal. in Com. Qui ipsi *Panici terrores*, vt ita explicem, quia de die etiam contingunt; & præsertim Melancholicis: responsum hoc habeant illi, qui de necessitate aiunt esse, vt de nocte fiat. Vide Foëſ. in πνῖγος, τὸ, annon quidam loci Hipp. huc pertrahi possint?

§. 2. Apud Paulum est l. 3. c. 15, Themisonem, 10. Epist. πνιγαλίωνα (πνιγάλιον in vitio est) vocâsse, ἴσως ἀπὸ τοῦ πνίγειν, *fortassis à suffocando*, inquit, & rectè. Hinc enim est πνιγμὸς ἐνύπνιος, *suffocatio in somno* apud Diosc. Apud eundem Paulum est, quosdam ἐφιάλτην vocâsse, siue à viro quodã, (is filius fuit Neptuni, ex vxore Aloëi, quem vnà cum fratre, Oto, Aloïda vocat Virg. in 6.) siue ab imaginatione, quòd videantur sibi ἐφάλλεσθαι, *inuadi* à quopiam. Me ab vtraque opinione reuocat Diosc. qui Pœoniã suã commẽdat contra πνιγμοὺς τῶν ἐφιαλτῶν. Hinc dico, denominatio non est ab vno aliquo, quisquis etiam fuerit: sed à pluribus. Hos cõiector esse *Faunos, Satyros, Syluanos, Panes*, vel quocunq; nomine voces, qui hoc officiũ gerebãt antiquitùs, & quos ob id ἐφιάλτεις vocatos fuisse, *Insultatores, Incubos*, verisimile est. Interim ab Etymologiâ planè abhorreo. Quis enim τὸ ἐπὶ vidit mutatũ in ἐφι? quis ei hãc prærogatiuã dedit,

quæ est τῆ ἐφι. Sed possit habere apud Poëtas, vnde est τὸ φ? Qui propterea ἐφάλλεσ scribunt, vim faciunt verbo. Quidquid sit, ἐφιάλτειαν dicitur Pœonia, quòd medeatur huic quoque malo, Epilepsiæ propria alioqui.

§. 3. Malum ipsum notum est omnibus, & graphicè describunt Virg. in 12. & Lucret. lib.4. causam, sed non totalem, pulchrè depingit Suidas, cùm ait, esse ἀναθυμίασιν ἀνατρέχουσαν εἰς κεφαλὴν, ἐξ ἀδδηφαγίας καὶ ἀπεψίας, *Euaporationem ex ventriculo* (hunc enim volunt sequentia) *in caput ascendentem ex ingurgitatione & cruditate.* Fit hoc: sed ex sanguine fit, sed melancholico; & curatur venæ sectione. Possis vocare ex superioribus *Plethoram melancholicam.*



CAPVT XCI.

De Apoplexia.

§. 1. MAxima heic nominum confusio cùm sit, opera est mihi danda, vt expediam me quàm possum ocyssimè. Veteres, agriculturæ studiosi, transferebant nomina sua à plantis & frugibus ad animalia. Quemadmodum igitur in agro aliquando subitò fit, vel ἀστροβολισμὸς, cùm à *Canicula* (quæ ἄστρον simpliciter dicitur apud Hesiodum & alios) amburuntur sata, arborésve; vel ἐμβρόντησις, cùm fulmine, tonitrúve afflantur: ita cùm animalia subitò concidunt quasi mortua, dicuntur ἀστρόβλητα, (etiam βλητὰ) ἢ ἐμβροντητὰ, Latinis *Siderata, & Attonita,* vti affectus ipse *Sideratio, & Affulguratio.* Fit hoc ipsum à pruinâ quoque, cùm folia subitò fiunt nigra. Hoc malum Græcis dici nonnunquam σφάκελον ἢ σφακελισμὸν, vt non valdè nego: ita *Siderationem* verti non sinam. Est enim totalis partis alicuius corruptio, à gangrænâ differens magnitudine. Ita τὰ βλητὰ etiam latiùs patent.

§. 2. Τὸ ἀποπλήττω quid differat à simplici πλήττω, cùm inquiro, inuenio τὸ ἀπὸ augere heic significationem, vt in ἀποπλέω, ἀποβάπτω, ἀποδίδωμι, ἀποδεικνύω, & huiusmodi aliis. Cùm igitur significet *vehementem ictum infero*, qualem popæ victimis suis, vnde subitò concidebant animalia: si tale quid homini accideret, ἀποπληκτὸν vocabant, affectum ipsum ἀποπληξίαν, ἢ ἀποπληγίαν, ἢ πάθος ἀποπληκτικόν. Ita Germani *den schlag, oder dass schlæglein* vocamus. Cæterùm, cùm fieri aliquando viderent, non in toto corpore, sed vel in alterutro latere, vel in certâ parte: ἡμιπληξίαν ἢ ἡμιπληγίαν (*Semiapoplexiam* dicunt quidam) vocabant accuratiores. Hoc probo ex 7. in 6. Epid. 1. I. O. His prudentiores cùm intelligerent, symptoma quidem simile esse, affectum etiam longè

dissimillimum;

dissimillimum; quin alterū quidem subitò fieri, alterum autem ferè succedere Apoplexiæ, & lentè: illi quidem reliquerunt nomen ἀποπληξίας, huic autem finxerunt aliud, & παράλυσιν vocârunt. Nimirum, si distinctè, & ad vsum artis loqui volumus, *Apoplexia* quidem fit, cùm, occupato cerebro vniuerso, neque medulla spinalis quidquam inde accipit spiritus, neque nerui, musculique, saluis interim omnibus illis, neque vllo modo affectis: *Paralysis* autem, cùm, liberato cerebro, medulla spinalis, & inde orti nerui, imbuuntur humore tenui & seroso, atque ita inepti fiunt transmittendis spiritibus. Ita si pars aliqua spinæ peculiariter afficiatur, præcedente casu, ictu, &c. paralysi laborant partes illæ in qua ex parte spinæ illa nerui eunt. Et hæc quidem apud accuratè loquentes nominum distinctio est: apud reliquos *Apoplexia* est *Paralysis*, & *Paralysis* est *Apoplexia*. Si idipsum apud Hipp. & Gal. offenderis, vel dic, Loqui illos cum vulgo: vel loca à Librariis corrupta esse. Et hæc quidem ita mihi videntur: tibi si immorari, licet adi Foes. in singulis vocibus.


§. 3. *Symptomata Apoplexiæ* iam obiter indicaui, & sunt, Cùm quis subitò concidit, destitutus omnibus sensibus, tam internis, quàm externis, omni etiam motu, præterquàm respiratione, quæ difficilis est, & cum stertore, *Apoplexia* tunc dicitur affectus. Tu verò repete ex superioribus, si fœmina sit, posse idipsum esse à *Suffocatione vterina*, cui hoc peculiare est, quòd toto corpore frigeat.

§. 4. Sed sit Apoplexia: quæ causa est? &, vnáne, an plures? Ego vnam (proximam) agnoui semper, *Obstructionem*: at locos affectos in Patholog. cap. 105. duos tradidi, quorum alter sit in ipso Cerebro, quà *Torcular* Herophili est: alter extra Cerebrum, in vasis *Iugularibus* & *Soporalibus*. De hac posteriori cùm dubitarim ibi, Annon potiùs Syncope sit cardiaca, cùm subitò moriuntur, non præcedente vllo stertore: iam διαρρήδην ex sup. dico, *Est*, adeóque vnica est *Apoplexia*, & locus affectus vnus. Interim differt gradibus; vt quædam sit validissima, quædam mitissima, quædam medio modo se habeat, 2. Aphor. 42.

§. 5. Quod ad *ventriculos*, quos vulgus Medicorum affert, dilabitur totum commentum, si probetur, *Non esse illos spirituum officinas*. Quod quia fecerunt ante me magni viri, quos æmulatus sum, partim Com. in 8. vs. p. partim in Physiolog. cap. 205. non est heic opus aliis, nisi fortè hoc, Antequàm ad manus meas venissent θ. Nymanni, *ductûs cerebri* ab Anatomicis nostris dictos, pro loco proximè affecto habui. Quare cùm eminùs accesserim ad illum, iam cominùs video, & *Torcular* ab illo productum toto animo amplector: sed ita, vt totum cerebri corpus ob id patiatur, non principium tantùm neruorum. Propter hos enim sensuum externorum, vnà cum motu, læsio adest: propter illud, internorum, seu facultatum principum. Heic si error fuit, iuuenilis fuit, & cum Quintiliano indoli adscribendus.

§. 6. Quod ad *materiam*; siquidem hic locus est affectus, non potest illa

illa aliud esse quàm *sanguis*, isque copiâ peccans potiùs, quàm qualitate. In quâ si vitium aliquod est, crassities est talis qualis: verùm illa ad crassitiem *pituitæ* aut *melancholiæ* non accedit. Sed neque in ventriculis est, vbi illi collocant pituitam & melancholiam suam.



CAPVT XCII.

De Paralysi.

§. 1. TO' παραλύειν si conferam cum τῷ παρίημι, itémque τὸ παράλυσις cum eiusdem significationis πάρεσις, quod exponitur ἄνεσις, ἄφεσις, ἀτονία: video τοὺς ὀνοματοθέτας fuisse eius opinionis, Neruos trahere musculos funium more seu habenarum, ideóque opus habere τόνῳ *seu robore*. Quod ipsum licèt falsum sit: nihil tamen impedit, quò minùs retineamus voces, & dicamus, *Paralysis siue πάρεσις* (apud me enim non differunt) *est obstructio neruorum, iuncta cum intemperie frigidâ & humidâ.* Dum enim sensim desinit *Apoplexia* salutaris in *Paralysin*, (id quod vtplurimùm fit) *serum sanguinis*, quod *pituitam aqueam* vocare possis, cerebro deserto, descendit, & insinuat se intra tunicas neruorum, quas è cerebro secum ferunt, & substantia quidem imbibita mollitiem quandam introducit: qualitate autem dictam intemperiem causatur. Quidam haud satis commodè dicunt. Serum illud ire inter vtramque nerui tunicam, quam è cerebro habet, & solas tunicas laborare. Quod si esset, si, inquam, salua essent vasa, non fieret paralysis.

§. 2. Hæc *triplex* est, ratione affectûs ipsius. Aut enim perit tam sensus quàm motus: aut sensus seruato motu: aut motus, seruato sensu. Quei hoc fit? Non certè, quia nerui sunt duûm generum, *Molles*, & *duri*, quorum hi motum præstent, illi sensum: sed quòd ad motum plus spiritûs requiratur, quàm ad sensum. Vbi igitur insignis est obstructio, iuxtà cum insigni intemperie, vtrumque perit, quia spirituum nihil affluit: vbi exiguum quid, sensus solus superest: vbi ampliùs quid, motus adest. Scio quid possit obiici: sed sino, & remitto lectorem ad l. de Part. simil. c. de Neruis.

§. 3. *Triplex* est etiam, ratione loci affecti. Aut enim læditur latus dextrum totum: aut sinistrum totum: aut pars aliqua, v. g. oculus, lingua, sphincter ani, vesicæve. *Prius* illud fit; quia tota medulla spinalis est bifida, ratione processuum *Cerebri, & Cerebelli*, è quibus fit. Et hoc in medullâ coctâ ad oculum ostendi potest. Vbi hoc moneo, Quemadmodum in cerebro, læsâ parte dextrâ, conuulsio seu paralysis incumbit sinistræ, & viciſſim: ita heic. Nerui enim se inuicem cruciant, vt barbarè loquar. *Posterius* fit, provt hâc vel illâ parte, non tota affici-

tur

tur medulla, v.g. si læsio sit ibi, vbi oriuntur nerui, qui in brachia eunt, brachium læditur: si in osse sacro, pes læditur. At nerui non sunt caui? Puerilis obiectio.

§. 4. Hæc qui intellexit, non opus habet decisione quæstionis, Quæ sit tanta Apoplexiæ & Paralyseos affinitas, vt idem nomen habeant? Sola externa immobilitatis similitudo, ceu dixi. Illa verò Medicum fallere non debet, ne fallatur in curâ. Pendet hinc Apoplexiam pessimè dici *Resolutionem neruorum*. Nihil enim in Apoplexia patiuntur, si propriè loqui velis.

§. 5. Heic ingentes procellas excitant quidam, Si paralysis apoplexiæ succedens fit hoc modo, quo modo fit illa, quæ *Colicæ* succedit? quæ *Scorbuto*? quæ *Arthritidi*? quæ *Epilepsiæ*? Vno verbo, *Eodem modo*. Cùm enim in neruorum cauitates via alia nõ sit, quàm è cerebro, non possunt etiã aliter obstrui, quàm hoc modo. Sic loquor. *Obstructio* enim heic est primarium *πάθος*, *intemperies* secundarium. Et hoc respondeo iis, qui vrgent solã intemperiem. Siquis, dicunt, sedeat supra frigidũ lapidem, potest incurrere paralysin sphincteris, vel ani, vel vesicæ, & tunc *ἐνούρησις*, *Immictio* (in lectum) Græcis dicitur. Piscatoribus, lotricibus, tempore hyemali, non rarò tale quid accidit? Respondeo ex 2. Caus. sympt. 2. C. Non fit paralysis, sed *νάρκη*, *stupor*, *torpor*, qui est paralysis parua. Hæc *νάρκη ἢ νάρκωσις* dicitur Hipp. etiam *νωθρότης*, & qui ita affecti sunt *νωθροὶ ἢ νενωθρωμένοι*. Vide omninò Foësium.

§. 6. De Paralysesis particularibus, vtpote innominatis plerísque, hoc moneo tantùm, Gal. Caus. sympt. c. initio, docere *ἄπνοιαν* quidem esse *paralysin instrumentorum respiratoriorum*: *ἀφωνίαν* autem *vocalium*. Atqui actio vtraque fit ab iisdem instrumentis? Locum esse confusaneum, vel id argumento sit, quòd *Stupori* seu *Torpori*, de quo iã dixi, tribuit C. quod mox bis, F.H. *Tremori*. Sit & id, quòd D. Conuulsionibus omnibus dat, quod *Epilepsiæ* est. Idẽ facit 6. Aph. 39. Quidquid sit, notatu dignũ censeo hoc alterum cum Foësio, *τὸ ἄφωνον* referri ad *vocem* *τὸ ἄναυδον* ad *dialectum*, scribente id Gal. in Gloss. Interim Erotianus discrimen non obseruat.

An paralysis, ratione motûs est duplex? Abolitus, & imminutus.

ABERRATIONES.

§. 7. Mirificè fallitur Fuchs. cùm f. 422. *σπασμὸν κυνικὸν* ait esse *Resolutionem oris*. Si enim spasmus est, quomodo paralysis est? Interim, ab vtroq; morbo fit vt dixi. Occasione eorum, quæ ait f. 430. explicare oportet, quæ de Pauli mente dicta sunt mihi. De *Priapismo* quidẽ consentit illi Gal. 6. Loc. aff. 6. at de *Satyrismo*, siue, vt habent codices nostri, *Satyriasmo*, lõgè alia sentio, ipso nõ diffidẽte Fuchs. Vide autẽ Foës. Cùm

f. 468. verbo tantùm meminit *Rigoris*, nimis securum facit hominem suum. In *Epilepsiæ* descriptione f. 412. hoc desidero, quòd nimis obscura sit ratio denominationis: *Quòd sensum capitis atque mentem pariter apprehendat*. Quid enim est *sensus capitis*? & quomodo differt à *mente*? Verbum nihil aliud infert, quàm *Interceptionem*. In Catochâ & Epilepsiâ nimis parcus est. Vt enim dictum est, non minor heic varietas est, quàm in Epilepsiâ, quam etiam reticet. In eo verò etiam facilis est, quòd *Congelationem* τῶν νεωτέρων acceptat. In *Apoplexia* deficit, quòd solum neruorum principium accusat. Quam enim dabit rationem, cur facultates principes sint occupatæ? Eadem *Epilepsiæ* est ratio. *Paralysin* propriè dici ἡμιπληγίαν ἢ ἡμιπληξίαν concedam, si obseruetur, quod præscripsi.

§. 8. Sennertus f. 302. explicat quidem *Neruorum distensionem* de musculis, & rectè: sed parùm scitè in *Tetano* ad neruos redit. Idem parum dextrè agit, cùm in omni conuulsione agnoscit Contractionẽ musculi versùs suum principium. In solâ enim Epilepsiâ id est, vt prædixi. In *Conuulsionum* causis oportet prædicem generosum ipsius animum; Cùm enim in primâ Instit. ed. f. 412. acceptâsset *Repletionem & Inanitionem* Hipp. 6. Aph. 39. in secundâ f. 409. repudiat. Quin in Praxi planè conculcat pedibus, institutâ in id quæst. pecul. vbi vide. Quod ad institutum nostrum, contra dictas causas rectissimè disputat: sed in verâ causâ labitur bis. 1. Cùm Auicennæ & Arabibus tribuit, quæ Gal. est, 5. Aph. 1. 2. Cùm non satis explicat rem. Neque enim ex vellicatione solâ oris ventriculi fit conuulsio: sed ex ventriculo efferuntur sursùm vapores acres, qui per neruos delati in musculos, conuellunt illos. Hoc prorsùs vult historia adolescentis æruginem vomentis, vt ipse Gal. vult loqui. Vacuatâ enim bile æruginosâ per vomitum, cessauit conuulsio, cùm iam non ampliùs mitterentur vapores in cerebrum. Quæ porrò scribit f. 410. b. de pluralitate caussarum, περίεργα sunt, hoc, inquam, loco & tempore. Quin in vniuersum verum est Auerroïs dictum, quod citat, *Medicorum de hoc symptomate verba esse cantilenas Monte-bancorum*, vt

verbo

verbo Italico vtar. Multò magis πάρεργα sunt, quæ de Erasti sententiâ, tam fusè f.412.b. & seq. Non displicet quidem decisio f.407. *In musculo planè esse causam proximam*, contrà quàm Erastus volebat: sed cupio scire, quæ sit illa *Res molesta*? Ego imaginor mihi occultam qualitatem aliquam, pro more. Est *flatus* seu *vapor*, quem facere posse tam graues conuulsiones, vt membra etiam vi extendi non possint, (quæ verba ipsius sunt) ostendit Arist. in Meteorol. ex terræ motibus. Ideò neque *facultas animalis*, neque *spiritus s.n. se habentes* vllum locum heic inueniunt. Et cui potest verisimile fieri, spiritum s.n. ciere motûs p.n.? Principium erroris est, quòd symptoma hoc creditur esse à facultate simul & morbo: Pendet à solo morbo. Quòd ad *spasmum flatulentum* f. 418. sufficit mihi Erasti confessio, fieri à solo flatu, & dico, Cùm flatus debilior est, fit hic spasmus: cùm violentior, conuulsionum dictarum aliqua. Tantò magis, quòd Sennertus f. seq. planè huc eat. Re enim verâ non quilibet flatus hoc facit, vt loquitur: sed (addo ego) qui totâ substantiâ agit. In spasmo cynico nobiscum est Senner. vt iam suprà innui: vellem constans etiam in vestigio fuisset. Nam superiùs f. 303. soli *Conuulsioni* tribuit. In *Rigore* f. seq. leberide nudior est. Explicat enim notionem nominis tantùm: Sed possit defendi: quei defendi potest, quod f.424. causatur humores acres & mordaces, cùm Gal. tam expresè abigat humores, aduocet vapores? Neque satis est quòd posteà declarat se, humores esse causam remotam. Sed neque in hac causâ satis lucidus est, cùm non dicat disertè, quomodo generentur? quò eant? quomodo causent? Quod verò pessimum est, nuspiam distinguit, vel frigus ab horrore, vel horrorem à rigore. In *Catoche* f. 427. miror hominis diligentiam in cumulandis autorum sententiis: multò magis agglutinare se tandem *Congelationi spirituum*, quam N. Piso cantillat. Est Tetani species, vt steegium definiisse, ait ipsus. In *Incubo* f. 309. toto animo resilio à *Necessitate respirationis* Gal. Obscura enim nihil docent. In causis f.440. placet *vapor*: sed profectò non est is ex Mesaraïcis tantùm, sed & ex sanguine, vt prædixi.

§. 9. In Epilepsiâ f. 307. placet catalogus symptomatum pro diuersitate indiuiduorum: sed reuerà prolixior est quàm pro instituto. In *caussis* eiusdem f. 435. frustrà affert tot Gal. loca pro semiobstructione Fernelianâ. Quin rectè cõculcat illam illo Gal. argumento, de Palp. & trem. 5. Non potest fieri ab humore, nedum crasso: sed omninò fit *à materia vaporosa seu spiritu, qui ad motum aptissimus est*, quæ verba ipsius sunt. Contra eandem egregiè militat, quod habet f. 436. *Si Epilepsia & Apoplexia essent ab eadem causa, modò perfectè, modò imperfectè obstruẽte, nõ essent tã diuersa vtriusq; morbi symptomata.* De aliis àrgumentis, tam cõtra ineptitudinẽ humorum, quàm pro aptitudine τῆς πνευματικῆς οὐσίας, vt Pelops vocabat, nihil dico: hoc placet, quod ex 3. Loc. aff. 7. vrget, *Si quædam Epilepsia fit ab aura maligna, cur non omnis ita fit? Symptomata enim sunt eadem*, vult dicere. In eo verò vehementissimè fallitur, quòd f. 437. modum generationis vult esse, non *obstructionem*, sed *vellicationem* quandam, quomodo singultus fit in ventriculo. Quæ proportio est corporis membranosi tenuis, ad molem cerebri tantam? præsertim in homine? Sed fiat: quo modo cerebrum contractum trahit secum musculos? in tantâ distantiâ? in tantâ neruorum mollitie? in tantâ fibrarum, in vicinas partes sparsarum, copiâ? Modus igitur generationis omninò per, & propter *obstructionem* est, eámque duplicem, &c. Quo loco dari mihi hoc velim, Nullam epilepsiam per essentiam esse, vt illi quidem explicant. Quæ enim ratio esse possit, cur conuulsiones non sint perpetuæ? Interim si concedunt, in ipsâ caluariâ esse posse, ceu dixi, (cui rei attestantur historiæ ex Fernelio productæ, f. 437.) concedam ego quoque. Nimirùm, quod iterum dicendum est, *Oportet ponere seorsim, quæ fiunt ratione paroxysmi: seorsim, quæ ratione morbi, &, in quo residet ille, loci affecti.* Quemadmodum igitur nescimus ferè, quis sit verè locus affectus, focus ille Epilepticus, & quæ dispositio illa morbifica, quæ generet vaporem illum, totâ substantiâ alienum: ita scimus, & sciuit ante tot sæcula Arist. quæ sit ratio seu modus generandi paroxysmi Epileptici. Vt igitur paucis repetam, quod dixi,

dixi, propter eos, qui intelligere nolunt, ita res se habet. Cùm ex foco Epileptico, qualis qualis etiam sit, fortassis intra ipsam caluariam constitutus, egreditur vapor ille malignus, paroxysmum paraturus, primùm omnium occupat totam Cerebri concamerationem, & quatenus superiores partes habet, detinet facultates principes: quatenus inferiores, quà nerui oriuntur, tollit seruiles Galeno dictas, hoc est, omnes sensus externos, vnà cum conuulsorio motu earum partium, quæ ex septem Cerebri coniugationibus neruos habent. Et hæc est prima mihi dicta *Obstructio*, quâ fit, vt spiritibus, vel dissipatis, vel interclusis, Cerebri officium quiescat. Heic si subsistit malum, in artubus nullus fit κλόνος: at si in medullam quoque spinalem repat, postquam ad quintam, sextam & septimam colli, itémque primam & secundam thoracis vertebram venit, virus suum spargit, conuellit vel brachia tota, vel certas ipsorum partes. Si porrò ad lumbos quoque se conferat, ósque sacrum vocatum, crura quoque, pedémque imũ inuadit. Et hæc est altera mihi vocata *Obstructio*, quæ ad musculos spectat, & fit eo modo, quo dixi alibi, mentiente scil. vapore nostro spiritum animalẽ, & se non secus atque ille, in intimam substantiam illorũ inserente, inflãte, vsquédum vectis modo attollat partem, cui innexi sunt. Hæc qui pẽsiculatiùs cogitârit, fatebitur fortè, Cratonem, si ad nos rediret, acquieturum in diagnosi huius morbi: doliturum autem etiamnũ, verũ remedium nec inueniri posse, nec, si inueniatur, locum habere, in plerísque. Ego ita iudico, Quia & intemperies partis, quæ gignit vaporem hunc, & vapor ipse est indicibilis, hoc est, à totâ substantiâ, nihil superesse, quàm Ouidianum illud ——*Ense recidendum est*, aut, quod idẽ est, *Igne absumẽdum*. Cauteria autẽ cùm non nisi in externis locum habeant, v.g. si ex tibiâ ascendat malum: quid faciemus, si in visceribus sit? imò, si intra etiam caluariam? Tandem hoc moneo, Cùm f. 438. penè amplectitur sententiam Plateri, sed addit *Vapores* spiritus turbantes, atque offuscantes: paulò minùs quàm nostrum fieri. Non enim sufficit vapores misceri: oportet eos ipsos in musculos deducere.

§. 10. In Apoplexiâ f. 306. statim displicet, quòd ænigmaticam Gal. *necessitatem in respiratione* iterum proponit. Quæ enim est illa? Dicam ipsius verbis paululum mutatis, *Quia non est merè animalis actio, sed mixta ex animali & naturali, & quidem ita vt Natura sit primarium agens dilatando per ebullitionem pulmones, quibus occurrere cùm thoracis motus non possit, fit difficilis illa respiratio cum stertore.* Sed quæ est particularis illa *Apoplexia*, 7. Aph. 70. Non nescio Galenum ad paralysin referre: ego autem dico, Partis apoplexia est, cùm deest spiritus animalis ad actionem aliquam implendam, v.g. cùm oculo integro spiritus visiuus deest. In *causis* f. 428. inprimis procemium tam longum & tortuosum miror! Quid opus erat adolescenti suo occinere tres illas sententias, Plateri, Fernelij, & Chymicorum? Platerum, virorum optimum & doctissimum, principio neruorum ita inhærere, admiratione dignum est: subitò diffluere & subsidere posse cerebrum, in principium illud illapsum, credidisse illum, non credam, etiam vbi dixero me credere. Est enim ἀρχαιοτάτη illa Philippi Melanchtonis, & aliorum bonorum opinio, fieri apoplexiam, *vvann daß hirn herunder felt, vvie ein gevvelb.* Et quomodo, quod *longo impulsu* irrigatum & mollificatum est, potest subitò concidere? in homine, inquam, benè sano? quin aliquando athleticè habente? Sed tempero mihi, ob cultum præceptori debitum, & venio primùm ad duas causas proximas. Vt *defectum* spirituum libenter accipio; ita vitium nullatenus. Subiti defectûs causam inuenire licet: vitij non licet. Hoc videamus in remotis: sed desultoriè, & quasi per satyram. Heic ante omnia indignor confusionem externarum & internarum, cùm nescire non potuerit, Hippocratem, & omnes cordatos, in inuestigatione causarum, externas seorsim ponere. *Prima causa*, inquit, *sunt crassi humores*, à veteribus quidem nobis traditi, sed non rectè explicato modo. *Modus est*, vult dicere, *obstructio, non ventriculorum, sed principij neruorum.* Heic subitò, diffidens causæ suæ, explicare vult crassitiem, sed implicat. Si enim non faciunt, quod faciunt, quà crassi sunt, cur frustrà

Tom. 4. Post f. 331.

molestus

molestus est bonis? etiam illatione catarrhorum suffocatiuorum? Certo enim certius est fieri hos à *sero*, quod dicerene ausit crassum? *Atqui senilis ætas affectui huic obnoxia est: fit in constitutionibus humidis & frigidis: post mortem effluit pituita per os & nares*, &c. Hui, tantúmne? Dico de omnibus his, μὴ παρὰ τοῦτο. Senes laborant, non simpliciter dicti, qui sunt frigidi & sicci: sed ὠμογέροντες, vt Entellus apud Virgilium in 5. quibus cruda, viridísque senecta, qui anno 70. generant, quibus eodem anno tutò venam secueris. Summa, qui validi sunt, benè ingerunt, benè digerunt, benè egerũt. Iisdem post mortem sanguis per os & nares copiosè erumpit *vvann sie überschiessen*, & vel mortui exprobrant Medicis timiditatẽ in secandâ venâ, dicebat Scherbius. Hi ipsi, si res benè cadat, fiunt paralytici, sero sanguinis in substantiam nerui effuso. Qui si simul mucosi sint, non id facit huc quicquam. In comperto enim est, sanguineos omnes mucosos esse, quod vel in senectute meâ experior. Ex quo ipso patet responsio ad constitutiones aëris. Humescit enim sanguis, & fit fluxilis. Idem accidit à calore, qui fundit: sanguinem, inquam, non pituitam. Ad illum quia omnia nos ducunt, quorsum diutius crepamus hanc? Omnes, quos ego vidi, Apoplectici, fuerunt sanguinei. Subsilit ὁ δεῖνα, *Quo modo sanguis ad principium neruorũ deuenit*? Satis est, si obstruatur *Torcular*, vt dixi. II. Causa miras habet ambages. Ab initio enim dicit *Humores*: deinde *Excrementa*: mox *Sanguinem*. Sed sit: Si *extra cerebrum* effunduntur, quomodo ad *basin cerebri*, vbi neruorum principium est? *Rete mirabile* dictum scio esse extra cerebrum in basi: sed hoc ille repudiat. Sed sit hæc ipsius sententia. E partibus cerebri superioribus descendere sanguinem ad inferiores, quà neruorum principium est: quâ viâ? & quâ de causâ fertur? Si ictũ attulerit cum vulnere, vt perhibet Fernelij historia: dicam, A causâ externâ & violentâ non posse duci argumentum ad internam. Imò seorsim locandam esse. Sed neque necessarium est, apoplexiâ mortuum esse, si subitò mortuus est. Ex terrore enim illo vehementi potuit sanguis ad cor fluere, & *Syncopen cardiacam* facere, sine stertore. III. Causa

ſa eſt φλεγμονώδης διάθεσις, *inflammatoria diſpoſitio*, Gal. 2. Aph. 42. Hanc rectè deſcribere illum vt non nego: ita ſubitum virium defectum cauſari poſſe, niſi *Torcular* aſſumatur, pernego. Tum verò fieri *Apoplexiam ſanguineam*, ἀπόληψιν τῶν φλεβῶν dictã. 4. Acut. 23. de quâ ſermo eſt Gal. de Cur. per V.S. 5. ſicut facile mihi perſuadet: ita velim perſuaderi ſibi patiatur à me, eadem fieri, ſi vaſa *Iugularia*, & *Soporalia* obſtruantur. Nec hilum facit illud, *Si diu duret*: loquimur enim, non de paulatinâ ſanguinis congeſtione: ſed de momentaneâ obſtructione, quam fieri poſſe, quamuis vaſa ipſa ſatis ampla ſint, ſpiritúſque in illis perpetuò ſint in motu, non video quid obſtet. Et cautè loquitur, cùm ait, *Inprimis ſi verum eſt id, quod Gal. habet 2. Plac. Hipp. 9.* &c. Dico enim. *Non eſt verum.* Quo enim modo ligabit vaſa interna? Quid verò ſi dicam, quod ſuprà, *Non erit Apoplexia, ſed Syncope cardiaca*? IV. Cauſa eſt *Compreſſio Cerebri* ex caſu vel ictu. Hac in re tam craſſus non eſt, vt dicat, compreſſionem peruenire ad principium neruorum: ſed cauſatur vel ſpirituum perturbationem, vel vaſorum ruptionem, quam ſequatur ſanguinis extravaſatio. Mihi horum nihil ſatisfacit: ſed autumo, in vehementi illa cerebri ſuccuſſione, ſanguinem recurrere ad originem ſuam, *Torcular*, & facere obſtructionem. Iam igitur compreſſio illa fit cauſa remota. Eadem ratio eſt vulnerum cerebri, ſiue ad ventriculos pertingant, ſiue non. V. Cauſa eſt *Spirituum incraſſatio*, quæ fiat à vaporibus narcoticis, quales ſunt in temulentis, in quibus quia *Carum* faciunt, quidni Apoplexiam quoque faciant, ſi νάρκωσις *intendatur*? inquit. Ego verò nunquam perſpicere potui, quo modo vapores iſti, ſiue interni ſint, ſiue externi, vt ex Sax. diſtinguit, non faciant obſtructionem, ſeu, vt ille loquitur, *anguſtiam*? Hoc tacitè concedit ipſus, cùm Apoplexiam comparat cum caro graui. Somnus enim omnis, etiam naturalis, eſt obſtructio. Ita autem cenſeam, *Carum nunquam abiturum in Apoplexiam, niſi occupato Torculari.* Quod ad carbonum fumum, adeóque barathrorum omnium exhalationes, de quibus l. 7. Com. in de Vſ. p. ago, demiror vtique, iſtos de capite ſolo cogitare, cùm de thorace

thorace quoque cogitare deberent? Et tantò quidem magis, quò maior eorum copia huc it. Omnes, qui angusto sunt pectore, inter quos primus sum ego, quamprimùm carbones inferuntur conclaui, sentiunt cor quasi manu sibi stringi, & si diutiusculè duret, concidunt. Hoc quid ad Apoplexiam? VI. Causa, quam ille *spirituum perturbationem & Confusionem quasi* vocat, coincidit cum quartâ. Validè enim in caput percussis, cum aut sine vulnere, sanguis ruit ad *Torcular*, & fit, quod sæpè dixi.

§. 11. In *paralysi* f. 301. in ipso limine offendit, cùm fieri ait ob spirituum animalium defectum. Definit quidem Gal. 3. Loc. aff. vlt. ἀπώλειαν τῆς κινήσεως (προαιρετικῆς) sed ibi indistinctè loquitur, & explicare oportet ex aliis locis, quibus ad rei naturã tẽdit. Eâdẽ παραμυθία opus habet locus 3. Prorrh. 26. & 60. 3. Loc. aff. 10. Ita cùm l. 1. c. 6. D. paralysin crurum vocâsset, mox ait, *Priuari crura ea facultate, &c.* Hoc verò apoplexiæ est. Heic etiam cauto opus est, ne recipiamus *Mollificationem* Auicennæ. Ducit enim nos ad opinionem veterem damnatam, neruos trahere habenarum instar. Et hoc præstat dicere quàm illud, *videntur molliores, non sunt.* Sed quid video? Eâdem chordâ oberrat f. 400. dicendo, *Paralysin fieri, cùm spiritus animalis non influit.* Hæc Musica fit inconcinnior, partim, cùm mox addit, *Vel transmittatur, &c.* partim, quòd huius loci non sit hæc explicare, sed pertineat ad Apoplexiam. Heic enim subsisto, cùm Epilepsiæ longè alia ratio sit. Ex oratione quæ sequitur, disiunctiuâ, *vel cum intemperie, &c.* facere oportet copulatiuam. *In vera paralysi, nerui & intemperie laborant, & obstruuntur.* Atque heic iterum subsisto. Cùm enim inciduntur, aut eroduntur, itáque via spiritui intercipitur, iam Apoplecticum quid est apud distinctè loquentes. Quid hoc audaciæ? Dicat Gal. Ex solâ intemperie vidi factam paralysin, 1. Loc. aff. 4. & 6. Vt de posteriori loco priùs dicam, Fuit is, cuius nomen ibi reticet, Pausanias Sophista, quem nominat l. 3. l. 3. c. 10. G. verùm is non laborauit παραλύσει μάλιστα λεγομένῃ, in qua motus periit, sed illa, quæ ἣ πάνυ τοι συνήθως οὕτω λέγεται, in qua sensus, vt loquitur sub finem d. lib. 3. & est *Paralysis*

KKk *paruæ*

parua. Iam ergò dicendum est, contigisse bono viro, quod mihi, aliísque non malis sæpiculè, errare in numeris. Historia enim illa non est cap. 3. sed 6. lib. 1. Ex quâ concludam, illos quoque, qui super lapidem frigidum diutius sedent, vel in aquâ frigidâ versantur, laborare simplici intemperie, quæ ἀναισθησίαν facere possit, ἀκινησίαν non possit. Est autem locus eodem c. 6. l. 1. S. Vnde colligo, fuisse non paralysin *præcipuè ita dictam*, sed illam, quæ *rarò ita dicitur*, quæque *insensibilitatem* facit, (non *immobilitatem*) *Torporem* seu *Stuporem*. Atqui motus sphincteris fuit vitiatus? Hoc est, quod diu me torsit. At verò postquam sub mentem mihi venit, sphincteris ani (ita etiam vesicæ) opus non esse ad expulsionem, sed ad retentionem excrementorum; non contrahuntur autem, nisi stimulum ab excrementis habeant: quei possunt sentire stimulum sensu ablato? Ex his omnibus denique concludo, *Solam frigidam intemperiem heic locum habere, calidam neutiquam*. A quâ vt subitò se absoluit Noster, quasi res sibi foret cum iis, qui virum pro altero Pythagora habebant, ad frigidam iterum se conuertens, vult credere, *Nudam qualitatem frigidam posse efficere paralysin, nisi suppetias illi eat vis narcotica*. Hei mihi, quòd tam facilè prouoluamus ad asininum istud asylum! Quidni enim dicam, quod res est? Non potest reddere causam, cur paralysis tam curatu sit difficilis? *Adest*, inquit, *occulta qualitas*. Ego verò dabo illi veram causam, cui cum ναρκώσει nulla communio. Consistit curatio, non tam in medicamentis externis calefacientibus, (imò minimam partem) quàm in alimento calido. Id verò cùm habeant nerui à cerebro, vt alibi probaui, quei sperari potest successus, antequam cerebrum in contrariam temperiem, calidam, ab alimento (nota) sit transpositum? Hanc in rem desidero, non calida, quod quis putare possit: sed temperata & euchyma, è quibus sanguis fiat quàm temperatissimus, à quo sensim & sensim fiat alteratio in contrarium. Huius alterationis successum dabit nobis sensus in dorso quasi reptantium formicarum, quem à spiritibus esse dicimus, quatenus illi à sanguine nunquam separantur. Ad *argentum viuum* descendere

virum


virum egregium, molestissimè fero. Quid enim certi de naturâ ipsius dici possit, quæ hactenus nigerrimis quibusuis ciniflonibus, post absumtos tot carbonum montes, tam cognita est, quàm mihi ignarissimo? Ad *vinum* facere illum gradum, longè turpius est. Cùm enim vinum neruis inimicum sit, non quà vinum, sed quà acetum, in quod naturalis ipsius corruptio est: quis mihi extorqueat intemperiem frigidam? Fortassis ille, qui miretur adhuc, cur vini potores fiant hydropici! Sed transeat totum. Quàm verè f.402. absoluit se à sententiâ Gal. de crassis humoribus, 2. Caus. sympt. 2. tam absurdè implicat se sententiæ Plateri. Quæ enim probabilitas in eo est, humores paralysin facientes non ire in ipsâ nerui substãtiâ, sed inter ossa & neruos, atque ita compressione lædere neruos? Et quid sibi volunt tot *vel*? Certè, dubitantis sunt, & tandem in contrariam sententiam lapsantis. Quò enim aliò pertinent illa, *Et præcipuè quidem humiditate sua*, &c. Quàm ridicula verò causa est, quòd nerui non sint caui? Sed possit excusari, *Admittendis humoribus crassis non sufficere cauitatem*: cur solis spiritibus transitum dat, cùm spiritus sine suo sanguine nuspiam sint? Quos verò *compressionis modos* affert, à Platero neglectos, quos *callos, cicatricésve*, quas *luxationes*, &c. ea omnia ad apoplexias particulares pertinent, si distinctè loqui volet. Eodem pertinent neruus dissectus & contusus. Hinc occasionem sumam explicandi loci Gal. quem affert, vt quadret rerum naturæ. Neruum, vel frigore densatum, vel à quapiam re extrinsecùs pressum, in torporem adduci: à serosis humoribus obstructum, in paralysin. Quæ sequuntur f.403.a. sunt ex 1. Loc. aff. 6. Quæ b. aliena sunt. De paralysi Colicâ, & Scorbuticâ sto in vestigio.

§. 12. De Liddelij ausis in *Conuulsionibus* f.321. parum abest quin dicam, *Vna litura sat est*. Quorsùm enim noua illa distinctio in *Conuulsionem legitimam & illegitimam*? Quo modo dicere audet, Epilepsiam esse ἄνευ τάσεως, *sine contractione*? Quo modo in *tetano* & congeneribus trahi musculos versùs principia? Quæ est *breuitas illa neruosarum partium*, nisi nerui trahunt instar habenarum? nisi musculi sequuntur contractionem illam, in capite inchoatam? Tum verò

quis est morbus ille in magnitudine diminutâ? Quid respondebit ad argumenta, contra *Repletionem*, & *Inanitionem* ab aliis allata? Quid ad distinctionem τ̃ σπασμὸς ἀπὸ τ̃ σπάσμα? Sed quorsùm plura? In *Strabismo* f. 299. bis errat, & negligit monitum Gal. suprà allatum, & paralysin confundit cum conuulsione. In *Priapismo* verus est fol. 488. in *Satyriasi*, vt ille vocat, varius. In *singultu* fol. 390. videri vult accuratus. At quàm misera est similitudo ab arcu? In *Epilepsia* fol. 277. canit veterem cantilenam. In *Catoche* f. 281. vt placet comparatio cum *Tetano*: ita ad mentionem *Congelationis* vomitúrio. *Incubi* comparatio fol. 271. cum *vertigine* dura est. *Apoplexiam* fol. 274. nolo tangere. A *Paralysi* f. 319. abhorreo. Tu verò vide, quisquis es, quid artis sit in ista vicinarum affectionum distractione?

§. 13. Heurnius in *Conuulsionibus* fol. 234. quàm ieiunus est! *Rigor*, fol. 237. periodicus à symptomatico quei differat, audire velim. In cæteris ferè subducit se è scenâ.

Et hæc de morbis Conformationis in viis strictis: sequuntur illi, qui sunt in laxis, *Defluxiones* ferè *rheumaticæ* dictæ.



CAPVT XCIII.

De Sanguinis profluuio in genere.

§. 1. Αἱμόρροος, & contractè ους, ὁ, καὶ ἡ, *Sanguifluus* est, cui addita φλὲψ significat *venam*, *Arteriámve*, *quæ p. n. sanguinem vomit.* Quo loco noto, cùm Hipp. de pluribus loquens, αἱμόρρόους φλέβας vocat, non posse id contrahi in αἱμόρρους. Huius diminutiuum est ἡ αἱμορροΐς, propriè *vas paruum*, *sanguini exitum præbens.* Ab hoc transfertur ad symptoma, seu ipsum actum fluendi, qui alioquin αἱμορραγία est. Differunt tamen inter se, quod αἱμορραγία non est quæuis sanguinis fluxio, sed vehemens & larga, vt Foësius ostendit in ῥαγεῖσα. Et hæc ita se habent in Hellenismo vulgi: apud Medicos autem propriè loquentes τὸ αἱμορραγία quidem tribuitur soli *ex naribus fluxui*: τὸ αἱμορροΐς autem, sed frequentiùs in plurali αἱ αἱμορροΐδες, *ex ano.* Est & *Hæmorrhoüs*, vel, is, serpens, de Ther. ad Pis. 8. D. cuius ictum sequentia symptomata egregiè describit Lucanus lib. 9.

§. 2. Cæterùm, omnis sanguineus fluxus fit à tribus causis, quæ tria peculiaria nomina habent, mirificè apud Gal. aliósque perplexa; quæ nunc paucis ita expedio. Per ἀναστόμωσιν, *Vasorum apertionem* vulgò, *Osculationem* Cœlio Aur. dicitur ire sanguis, cùm per extrema oscula vasorum capillarium dictorum sanguis fluit. Et hoc ferè fit ob copiam, quam *Plethoram* dixeris. Per διαπήδησιν, *Exsultum* soleo vocare, cùm, nihil omninò passis vasis iam dictis, sanguis ipse tam est tenuis & serosus, vt à vasis contineri non possit. Vocatur & διίδρωσις, *transudatio, transcolatio.* Per διαίρεσιν, *diuisionem*, potiùs *continui solutionem*, exit sanguis quatuor modis, τρώσει, *vulnere*, θλάσει, *contusione*, ῥήξει, *rupturâ*, διαβρώσει, *erosione.*

§. 3. Ex hac oratione intelligitur, ἀναστόμωσιν quidem solam huc pertinere: reliquas duas species heic tractari, propter symptomatis, quod est in *Excretis*, & subitò habet comitem *Læsam actionem*, similitudinem.



CAPVT XCIV.

De Hæmorrhagia.

§. 1. IAm dixi, quò adstrinxerit Schola Medica vocem. Eâ de re si certior esse voles ex Gal. adi 3. Aph. 18. in 1. Epid. 9. extr. 3 in 6. Epid. 25. Interim & ἀπόσταξις, *stillatio sanguinis* dicitur Hipp. quæ si in morbis parua sit, noxia est.

§. 2. Hæc quasi semper per ἀναστόμωσιν fit. Quæri autem subitò solet, Cur tam frequens sit? Ex capite esse, certum est. Hoc non naturâ tantùm abundat sanguine, ob vasa, quæ habet, maxima, plurimáque: sed & cùm excalefactum est à Sole, igne, vino, trahit ad se cucurbitulæ instar, vt Hippocr. loquitur. Trahit autem, non ex corde tantùm, sed ex hepate & liene. Hinc ortum habet curatio per cucurbitulas, vel scarificatus, vel non, appositas hypochondrio κατ' ἴξιν. Et hanc *Hæmorrhagiam per consensum vocant.*

§. 3. Alia *Critica* est, alia *Symptomatica*. De illius signis agit Gal. 3. Cris. ex 3. Progn. 33. & inde pulcrè Pereda in Pasch. lib. 1. cap. 21. Hæc ferè fit in principio morborum, & natus est inde Hippocrati aphorismus, *In principio si quid mouendum videtur, moue.* Mouemus autem præcipuè venæ sectione. Eadem familiaris est iuuenibus quibusdam gracilibus, quos ferè ad phthisin præparant.



CAPVT XCV.

De sanguinis sputo.

§. 1. GRæci vno verbo efferunt, αἱμόπτυσιν vocantes. Hoc an Galen. cognitum fuerit (ἀναγωγὴν αἵματος vocabat Erasistratus, & vocat Gal. ipse non rarò) vt dubium est: ita certum est adulterina esse tria alia, quæ ab imperitis assuuntur, αἱμοπτοὴ, αἱμοπτοϊς, αἱμοπτόησις. Imperitis accenseo illos quoque, qui affectum hunc exsistere volunt, vel per essentiam, vel per consensum. Sapientiùs veteres, qui distinguebant ratione locorum affectorum. Interim ἔμετος αἵματος, *Sanguinis vomitus* etiam dicitur. Vide Foësium.

§. 2. Reuerà res est difficillima. Mihi olim ita negotium explicuit incomparabilis Scherbius, quibus meliora quia hactenus apud neminem inueni, contentus sum etiamnum duce meo. Ita autem ordiebatur. Sanguis ore reiectus, vel ex palato est, eiúsque partibus, dentibus, gingiuis, linguâ, tonsillis, columellâ: vel ex gula, & ventriculo, vel ex asperâ arteriâ, & pulmonibus. Qui ex palato, simplici exspuitione opus habet: qui ex gula, cum screatu est: qui ex ventriculo, cum vomitu, & peculiarem titulum habet: qui ex asperâ arteriâ & pulmonibus, cum tussi.

§. 3. Rursus, sanguis hic vel ex ipsis partium vasis tantùm est, non subministratus aliunde: vel aliunde venit, ex capite, hepate, liene, renibus, vtero. De simplici exspuitione vt penè certa est, & dirimit litem inspectio diligens palati: ita de tussi difficultates sunt maximæ. Negando quidem valet, *Non eiicit cum tussi, Ergò ex pectore non est.* Affirmando non valet, *Eiicit cum tussi, Ergo est ex pectore.* Potissima difficultas in eo est, Annon vel descenderit sanguis ex capite, vel ex inferioribus visceribus regurgitauerit, & ita res extra periculum sit? Si enim ex ipso thorace sit, res grauis est, & ferè phthisin minatur.

§. 4. Ratio distinctionis est, Cui ex capite descendit sanguis in thoracem, ille ferè præsensit capitis grauitatem, dolorem, tinnitûs aurium, vertiginem, quæ symptomata iam vel abiere, vel mitiora sunt. Idem homo alio tempore hæmorrhagiâ laborauit, præcedentibus iisdem symptomatis. Idē fortassis sentit titillationem in superiori palati parte, ipsúmq; palatum cruentum est. Et hæ quidem *internæ* causæ sunt.

§. 5. Ab his ad *externas* venire oportet, quamuis melius sit, ab initio in illas inquirere. Eæ sunt, Mora sub Sole, vehemens exercitium, vinum meracum, casus ex alto, plaga illata, ira, intermissa venæ sectio, cucurbitularum applicatio, in fœminis mensium purgatio. Hæc tamen posteriora spectant etiam viscera prædicta.

§. 6. *Sanguis*

§. 6. *Sanguis* ipſe non parùm iuuat cognitionem. Qui floridus eſt & paucus, non eſt ex capite: qui niger, grumoſus & multus, certò inde eſt. Qui cum tuſſi exiguâ, floridus & paucus, ex aſperâ arteriâ eſt. Qui cum tuſſi ſonorâ, qualem noſtri *den ſchafhuſten* vocant, iſque iterum floridus, ex imo thorace eſt, ſiue in pulmonibus ſit malum, ſiue in corde, ſiue in pleurâ, ſiue in muſculis thoracis. Hic ipſe, vel multus, vel paucus eſt, prout affectum eſt vas vel magnum, vel paruum.

§. 7. De *ſpumâ* maxima eſt controuerſia. Sunt enim, qui ſemper ex pulmonibus eſſe volunt, quod non eſt. Imò verò, propono conſiderandum τοῖς φιλαληθέσι, Annon omnis ſanguis, cum tuſſi exiens, neceſſariò ſpumoſus ſit? Aër enim ſubleuans illum, permiſcetur. Vnde veriſimiliter dicas: *Quò ſpumoſior, eò locus affectus eſt depreſſior.*

§. 8. Vulgò dicunt, Qui ex venâ arterioſâ eſt, quæ ſubſtantiâ arteria eſt, tenuis eſt, flauus, & cum impetu fluit, nec facilè concreſcit: qui ex arteriâ venoſâ, quæ ſubſtantiâ eſt vena, craſſus eſt, niger, & facilè concreſcit. Atqui in vtroque hoc vaſe idem eſt ſanguis, qualis ſcilicet in dextro cordis ventriculo confectus eſt. Oportet igitur orationem transferre ad *Arteriam magnam, & venam cauam*, ſi illæ in thoracem euomant.

§. 9. Tandem non oportet inſuper habere morbos ipſos. Ἀναστόμωσις eſt in corporibus plethoricis, in quibus etiam ſanguis eſt laudabilis. Eſt etiam in plethorâ particulari, vt ſic dicam, ſi in capite v.g. animaduertas ſigna copiæ ſanguinis. Διαπήδησις contrà in cachecticis iis, in quibus ſanguis ſereſcit. Διαίρεσις, in quibus ſalſæ ſunt deſtillationes, quæ erodunt. Poteſt verò etiam à causâ externâ eſſe, ſaltu ex alto, vehementi niſu, in laboribus, in clamore, in vomitu, &c. Huc pertinet contagium phthiſicum, quod venenum eſt corroſiuum. Vbi notandum venit, Eroſionis ſignum eſſe, ſi ab initio parùm eat, deinde creſcente vlcere, multùm.



CAPVT XCVI.

De Sanguinis vomitu.

§. 1. Mira cùm ſit noſtrorum in deſcribendo hoc affectu ſupinitas, opus eſt curâ noſtra. Primùm enim non definiunt, ſítne ex ventriculo ſolo, an ex gulâ quoque? In hac etiam eſſe, doceo ex Gal. 5. Loc. aff. 6. extr. idque tam per ἀναστόμωσιν, quam per διαίρεσιν. Ex hoc ipſo loco perſuadere cupio, ſanguinem euomitum non veniſſe eò tantùm ex hepate & liene, quod velle videtur Gal. l. c. ſed & ex vtero, renibus, habitu, quin ipſis ventriculi vaſis. An ex inteſtinis quoque aſcendere poteſt?

§. 2. Noto

§. 2. Noto ex 7.Meth.11.C.vomitum hunc aliquando *Criticum* esse, in iis, qui ex negotiis ad otium se transtulerunt, quibus pes vel manus præcisa est. Propterea igitur respondet *dysenteriæ cruentæ* cuidam, de quâ infrà.

§.3. Noto ex 3.Caus.sympt.3.E.Linacrũ quidem non fecisse officium, cùm τὸ συστὰν vertit *Effusum*, quod *Collectum* debebat: aut potiùs *in thrombum conuersum*: Galenum autem opus habere explicatore, quâ in re consistat illa ἀλλοτριότης: Partim, quia quantitate grauat; partim, quia qualitate, vbi putruit. Vide Salium, Annot.in Altim.c.67.



CAPVT XCVII.

De Sanguinis mictu.

§. 1. IN hoc affectu non minùs desides sunt nostri, quàm in superiori. Solus Iacch. in Rhas. c.65. diligenter distinguit & locos affectos, & causas.

§. 2. *Loci affecti* sunt, non eæ tantùm partes, quæ vrinæ seruiunt, vel secernendæ, vel excernendæ, Renes, vreteres, vesica, penis, sinus pudoris: sed & partes supradictæ omnes, hepar, lien, vterus, habitus. In illis morbum dicunt per essentiam esse: in his per consensum, nescio quàm rectè.

Annon cor quoque annumerare oportet, ob Arterias Emulgentes.

§. 3. Hepar duobus modis potest in causa esse, vel cùm plus sanguinis gignit, quàm indiuiduum opus habet, quia iam in otio est, aut quia artuum aliquis præcisus est, vt dixi: vel cùm sanguinem ichorosum præ debilitate, quâ de re suprà. In neutro casu dolor vllus est.

§. 4. Renes ipsi sunt in causa, cùm, vt suprà quoque dixi, præ debilitate non conficiunt sanguinem attractum, 6.Loc.aff.3. Neque heic dolor est.

§. 5. *Causæ* sunt tres illæ dictæ. Cùm per ἀναστόμωσιν effluit, ferè in magna copia est sanguis, isque laudabilis. Huc refero illos, quibus singulis mensibus hâc exit vt videantur fœminarum naturam induisse. Cùm per διαπήδησιν, est ichorosus, loturæ recentium carnium similis. Cùm per διαίρεσιν, aut à causa interna id fit, aut ab externa. Ab hac cùm (prorsus vt in pulmonibus) rumpitur vas aliquod: ab illa, cùm erosio fit, vel à pure, vel alioquin ab acribus salsis humoribus. Heic vt dolor est insignis; ita ibi nullus, De deiectionibus sanguineis agetur c. de Dysenteria.

CAPVT

CAPVT XCVIII.

De Hæmorrhoïdum nimio fluxu.

§. 1. TO' αἱμοῤῥοῒς quò tractum ſit à Medicis: & quod duplex ſit vocis ſignificatio, non ita pridem dixi. Iam hoc addo propter Gorræum, Neminem, vel leuiter in Anatomicis verſatum, hodie dubitare, duplices eſſe, Internas, quæ à venâ portæ ſunt, & *Cæcæ* vocantur: & *Externas*, quæ à Cauâ, & Apertæ dicuntur. Vtrarúmque moderatè fluentium quanta ſint commoda, adeò explicari non poteſt, vt noſtris vocatæ ſint *die guldene adern*: contrà, ſi vel planè reſtitent, vel nimis cieantur, vel etiam deprauatè eant, & cum dolore immani, Ilias malorum ſuper ceruicibus ægrorum eſt. Hinc præceptum Hippocr. eſt 6. Aph. 12. ne omnes claudantur, ſiquidem nimis fluant, quâ de re actum mihi eſt ſuprà, cap. 76.

CAPVT XCIX.

De Menſibus immoderatis.

§. 1. NOmina explicaui cap. ſeq. 77. Ibid. ad tres cauſas retuli felicem eorum progreſſum, *Inſtrumentum*, *Materiam*, & *Facultatem*: iam dico, quod aliàs quoque ſæpè, ſi vnum horum ſit in vitio, ſatis eſſe, vt vel non eant, vel intemperantiùs. Addo verò hoc quoque, Quadrimembrem Maſſ. diuiſionem. 4. Pract. 2. nullo negotio huc transferri poſſe. Vide in Patholog. cap. 172.

CAPVT C.

De Profluuio muliebri.

§. 1. LIbet mihi heic παρέργως tentare diſtinctionem inter duas voces, quæ hactenus confuſæ iacuerunt. Ρεῦς, ὁ, ῥοὸς, ῥοῖ,

quemadmodum βοῦς, βοὸς, quintæ simpl. plantæ nomen est, quæ in Offic. nostris *Sumach* dicitur. Vocem hanc non licet dissoluere in ῥόος: multo minùs in Genit. ῥοῦς facere, aut in Dat. ῥῷ. Hanc plantam quia & Dioscor. & Plin. vocari aiunt ἐρυθρὸν, venerũt docti in eas cogitationes, dictam esse à semine *rubro*, quem colorem ῥούσιον, ἢ ῥουσὸν dicunt. Hic idem φοινικοῦς est. Quem enim in Anagallide quadam vocârat ita Gal. eum Paulus vocat ῥούσιον. Apud eundem Dioscor. fructus Antirrhini est ῥούσιος. Apud Homeri Interp. ἡ μίλτος, *rubrica*, est lutum ῥουσιῶδες. Inter quatuor colores, quibus in ludis Circensibus vtebantur agitatores, *Russus* color erat æstatis, & vocabantur ipsi *Russati*. Heic vel *Ruber* est, vel ei proximus, vt apud Telesium inuenio. Quidam dicunt esse eum, qui in *Rosis incarnatis* est. Quidam, qui in *grano tinctorio*. Hinc *Coccinum* vocant, seu *Coccineum*. Italis est *Rosso*. Hinc Fridericum I. Imp. Itali vocabant *Barba-rossa*, quem Romani *Ænobarbum* dicerent. An est Saxonicum & Turingicum *Ruth*, quod nobis *Roth*?

Gal. 6. κ. τόπ. 1. etiã fœm. ait esse.

Idem Gal. 6. Meth. 6. duos tantum, eosque præcipuos habet, βενετὸν καὶ πράσινον. Eius loci Notas vide, item Com. Pacij. Hunc locum vidisse vellẽ Bulengerũ, c. vlt. libri elegantissimi de Circo & ludis Circẽsibus, qui c. 48. de coloribus istis multa habet.

§. 2. Ῥοῦς, contractè pro ῥόος, secundæ simpl. est, & facit ῥοῦ, ῥῷ, ῥόῳ, ῥῷ, ἀπὸ τοῦ ῥέω, *fluo*. Dicitur ita, vel simpliciter, vel addito γυναικεῖος, & duo significat, aut *Menses* seu *Menstrua* superiùs dicta, cùm s. n. eunt: aut *Profluuium muliebre*, cùm, quæ effluunt, & substantiâ, & colore, & tẽpore, p. n. sunt. Sunt autem excrementa, vel totius corporis, vel certarum partium, quæ Natura hàc expurgat. Hinc dicitur ῥοῦς γυναικεῖος λευκὸς, ἐρυθρὸς, πυῤῥὸς, μέλας. Vide Foës.

§. 3. Quæritur, *An viris etiam accidat tale quid*? Omninò, 6. Loc. aff. 6. 1. Progn. 37.

§. 4. *Symptomata* in fœminis sunt, Pallor faciei, χλώρωσις Græcis dicta, febris lenta vtplurimùm, deiecta appetentia, dyspnœa, præsertim in ascendendis scalis, &c. *Causæ* sunt, victus malus, otium, &c. Summa, accidit in Cachecticis.

CAPVT CI.


De Gonorrhœa.

§. 1. Γόνος, ὁ, *semen masculum* est, ῥέω, *fluo*. Hanc diligenter distinguere oportet ab affectu prædicto. 1. Gonorrhœa in linteis semper repræsentat album quid cum subuiridi: profluuium varios colores, pro corporis constitutione. 2. Gonorrhœa vtplurimùm dat crassum quid, & viscidum, nonnunquam tenue & serosum, quorum neutrum est fœtidum, nisi quòd vrinæ odorem trahit ex communi canali: profluuium semper serosum, & fœtidum, idque ob conceptam putredinem. 3. Gonorrhœa est in corporibus floridis, & accidit ferè iis ma-

ribus,qui Venere vti debebant,cùm non liceat:profluuium habet signa, quæ dixi.4. In gonorrhœa, nisi cautè tractetur, tabes est pedissequa,idque intrà paucos dies : est & in profluuio, sed intra annum.Accidit fere per noctem : hinc *ὀνειρωγμὸς,pollutio nocturna.*

§. 2. *Symptoma* iam dixi.Causas ita soleo determinare. Gonorrhœa *alia* est sola, sine tensione penis,& voluptate, cuius causa est paralysis. Et hæc est altera causa Gal.2.Caus.sympt.2.B. *Alia* est cum Priapismo, nisi mauis Satyrismo, quæ & tensionem & voluptatem habet comitem. Quæ in conuulsionibus accidit seminis profusio, est symptoma, non morbus.

§. 3. *Sed laborántne fœminæ quoque* ? Si non habent semen, dicat aliquis,quæ tua sententia est, audebísne dicere,gonorrhœâ laborare ? Ego verò hoc nunquam simpliciter asserui : quin dixi. Quasdam habere, viragines scilicet, sed quod ipsum γόνιμον non èst: & hæ laborare possunt.Vide Patholog. c.177.




CAPVT CII.

De Sudore sanguineo.

§. 1. GAlenum non meminisse, miraculò dignum est, præsertim, cùm & Arist. duobus locis (3.Hist.19.3. Part.5.) fecerit illius mentionem, & discipulus Theophrastus l. de Sudoribus.

§. 2. *Causam* esse intemperiem frigidam & humidam, hepatis præsertim, scripsi Collect. de Ichoribus. Exire in eò vsque progressâ intemperie, quæ iam *Cachexia* sit, innui in sup. Ex nostris viderunt Costæus & Rondeletius.



CAPVT CIII.

De Catharris & in genere, & in specie.

§. 1. KAτὰ ῥόον ἢ ῥοῦν πλεῖν ἢ διαδραμεῖν,*Secundo flumine nauigare.* Huic in mari opponitur ἐξ οὐρίας πλεῖν, *Secundo vento.* Verùm sciendum est, τὸ οὐρίας non esse substantiuum : sed intelligi πνοᾶς. Ita enim Euripides:

Οὐκ αἰὲν ἵησ' οὐρίας πνοὰς θεός,

Non semper auras dexteras mittit Deus.

Et apud Aristot. in Mech. τῆς ἐξ ὑείας statim opponitur, μὴ πνεύματος ὑείε ὄντος, prouerbiali formâ *in eos, qui volunt felices esse, etiam cùm Fortuna tonat.* Ex duabus illis vocibus fit vna, κατάῤῥοος καὶ κατάῤῥυς, & Poëticè, vt puto, καταρρεῦς, non autem κάταῤῥος. Hinc sunt καταῤῥοϊκὰ παθήματα, *catarrhales morbi* apud Platonem in Timæo. Hoc accipio de *omni è capite destillatione.* Timæus enim, cuius vitulâ Plato arat, scire non potuit strictam illam Medicorum significationem, cuius idem Plato 3. de Rep. meminit. Porrò, cùm τὸ ῥεῦμα idem sit, quod dictus ῥόος, διαθέσεις ῥευματικαὶ apud Gal. 7. κ.τόπ. 4. & 5. vt & alibi, & vno verbo, ῥευματισμοὶ, sunt morbi *quicunque ex destillationibus* fiunt, non tantùm à naturâ expellente, sed & à medicamentis acribus, v. g. scammonio, ad locum affectum debilitatum euntibus, quod de colicâ scimus, ex 12. Meth. 7. extr. Hæ διαθέσεις vocantur κάταῤῥοι, cùm in latissimâ significatione vox sumitur 3. Aph. 12. ausim dicere, & διαδέξεις, ἢ διαδοχὰς, καὶ ἀποσκήμματα ἢ ἀποσκήψεις, καὶ ἀποστήματα, ἢ ἀποστάσεις vocatas fuisse, ex 2. in 6. Epid. 28. vide Coll. nostra de Ichor. ϑ. 151. & seq. Quorsum tu hæc tam multa? dicat aliquis.

§. 2. Vt duo patefaciam. *Alterum*, obscuritatis causam in hoc genere morbi præcipuam esse, multitudinem appellationum. Cùm enim veteres idem sentirent, sed non iisdem verbis describerent: factum est, vt vna res multiplex videretur. *Alterum* cùm omnes hæ appellationes concurrant in hoc vno, quòd præsupponant ἀναστόμωσιν quandam, coniunctam cum amplitudine quadam ipsorum vasorum: tam difficile non esse iudicium, vt vulgò putatur, quod sit illud, in quo concurrunt, *viarum scil. laxitas.* Ad hanc inprimis nos ducit τὸ κατὰ ῥόον, *Secundo flumine.* Vt enim aqua semper descendit rectà, quatenus aluei rectitudo permittit: ita catarrhi modò recto itinere eunt, modò in transuersum rapiuntur, quà data porta, vt cum Marone loquar. Ita αἱ διαδέξεις non hypochondriorum tantùm, sed & reliquæ omnes, fiunt laxatis vasis. Ita apostemata, seu aposcemmata, & in vniuersum μεταστάσεις τῶν χυμῶν, *transpositiones humorum omnes*, siue per ἔκκρισιν fiant, siue per ἀπόθεσιν, præsupponunt iter minimè impeditum.

§. 3. Ad rem. *Catarrhi* vox aut latissimè sumitur, aut latè, aut pressè. *Latissimè*, cùm, vt est 3. Aph. 12. significat omnem è capite versùs inferiora fluxionem, & comprehenduntur, non catarrhi tantùm suffocatiui, vt hodie loquimur, sed & pleuritis, peripneumonia, angina, difficultas
7. Aph. 38. spirandi, asthma: quin dyspepsia quædam, diarrhœa cerebralis, dysenteria, colica, iliaca, arthritis, podagra, chiragra, scabies, omnis dispositio rheumatica. *Latè* accipitur, cùm ad partes faciei, orisque tantùm adstringitur, & cōprehendit sub se κόρυζαν, καὶ βραγχόν. Tum verò catarrhus *specificè* dicitur, cùm materia ad oculos ruit, ad aures, ad subiectas ibi glandulas, ad dentes, ad linguam: Κόρυζα ἢ μύξα, ἢ βλέννα, *grauedo*, cùm ad nares: βράγχος, *raucedo* cùm ad guttur. Vbi hoc moneo, à Foësio præteritū, vocabula de naribus tradita significare, 8. V. f. p. 6. 2. Fac. nat. 9.

non

non locum tantùm affectum, sed ipsum quoque humorem, qui vacuatur.

§. 4. His omnibus morbis hoc accidit, vt, quò magis studemus vacuationibus, & reuulsionibus, eò magis irritemus humores. Quæ causa est? Non eunt, quà nobis placet, sed quà via patet, argumento ἀφύκτῳ, viarum laxitatem morbum esse proximum. Cur igitur vtimur talibus? Vt, imminutis humoribus, malum fiat breuius. Vtimur autem non semper: sed cùm occasio fert.

An huc pertinet illud 1. Aph. 21. *Quò natura vergit?* Vergit autem eò, vbi vias inuenit apertas.

§. 5. Ij igitur ipsi humores sunt etiam *causa proxima*, seu *antecedens*: sed quæ est *remota*, quæ gignit illos? Omnis intemperies, sed præcipuè duæ compositæ, *Calida & humida, Frigida & humida.* Calida & humida, inquam, non omnis, sed quæ in vitio est, in quâ qualitates istæ duæ non habent debitam proportionem, sed præponderat alterutra. Hinc sanguinei sunt fœtidi & mucosi arietes. De frigidâ & humidâ nemo dubitat. Valdè enim caput impletur propter imbecillitatem. Nolim verò prætermitti reliquas, licèt rariùs locũ habeant. Frigida & sicca multa etiam gignit excrementa, vt videmus in senibus. Calida & sicca tandem est in causâ, non quia blennam generat: sed quia serum, cuius magna semper copia est in capite, ibi salsescit, & conceptâ putredine incalescit, vnde catarrhi valdè periculosi, phthises, &c.

§. 6. Et hæ quidem ad *materiam* pertinent: iam quæ sunt illæ, quæ fundunt & liquant? Non longè abiero, Solus calor est, & quidem vtplurimùm externus, à Sole, ab igne, ab exercitio, à vino, aromatis, inter quæ cinnamomum & crocus est, quo tam libenter condîmus cibos. Huc pertinent & alimenta, cepe inprimis, allium, porrum, &c. Sed nunquid & frigus habet heic locum? Tale, quale illi describunt, quòd scilicet exprimat, ne imaginabile quidem est. Quidquid igitur facit, per ἀντιπερίστασιν facit.



CAPVT CIV.

De Diarrhœa.

§. 1. Τὸ διὰ significat *transitum*, ῥέω, *fluo*, vt dictum est. Hoc cùm fiat in pluribus affectibus, eruditè Galen. 2. in 1. Epidem. 36. τοὺς ῥοώδεις (ita enim ibi appellat diarrhoïcos) describit, quòd illi quidem sint, *qui assiduè & continenter liquidum aluum habent: sed sine dysenteriâ, sine tynasmo, sine lienteriâ.* Quâ oratione quia damnatur lata illa τῆς διαῤῥοίας acceptio, quâ comprehendat sub se dictos tres affectus: non est opus aliis. Intelligitur etiam inde, eosdem affectus habere propria & peculiaria symptomata: diarrhœam, quà diarrhœa, non habere. Intelligitur, quinetiam, Galenum, si ad nos rediret, non

agniturum diarrhœam lotiuam, fluxum chylosum, hepaticum calidum & frigidum, sanguineum, colliquatiuum, stercorosum, vlcerosum, virulentum, &c. τερθρεύματα sunt

§. 2. In huius dignotione *prima* omnium Medici solicitudo esse debet, *Criticane*, sit, an *Symptomatica*? Illam enim, quia fit cum bonis ægri rebus, vt quidam loquuntur, sinere oportet: hanc diligenter tractare.

§. 3. *Secunda* cura esse debet, vt distinguamus partem mandantem, vti vocamus in Arte, à parte affectâ. *Hæc* perpetuò quidem est, vel *Ventriculus cum intestinis*, vel *intestina sola*, quatenus seruiunt illa egerendis corporis excrementis: *illa* vel Cerebrum est, vel *Hepar*, vel *Lien*, vel *Mesenterium*, vel *vterque*, vel *Habitus totius corporis*. Hinc ego hoc corollarium peto, Morbum hunc esse ῥευματισμὸν quendam, adeóque διάδεξιν τῶν ὑποχονδρίων Hipp. 2. in 6. Epid. 28. quæ ἀναμφισβήτως requirit viam laxam de parte mandante in affectam. Cur enim huc potiùs it, quàm illuc? Quia hàc patet via, illàc clausa est.

§. 4. Interrogatus ergò de essentiâ huius morbi, respondebo cum Autore definitionum apud Gal. quamuis obscuro, ἐστὶ ῥευματισμὸς πλείων τῆς κοιλίας (ἄνευ λειεντερίας καὶ ἑλκώσεως) πολυχρόνιος. Ita enim lego, vt cōformem reddam locum hunc illi Epid. suprà laudato. Quorsum enim heic ἡ φλεγμονή? quæ affinitas cum hoc alui profluuio? Tum verò ἡ ἕλκωσις complectetur, & dysenteriam & tinasmum. Ita sensus erit, *Est dispositio rheumatica alui, copiosa & diuturna, sine læuitate & vlcere intestinorum.* Has duas conditiones necessarias esse ita probo. Cùm Hipp. 1. Progn. 8. monuisset de facie Hippocraticâ hodie dictâ iudicandum non esse, nisi sepositis causis manifestis, & inter aliàs habeat, ἢν τὰ τῆς κοιλίας ἐξυγρασμένα ᾖ ἰσχυρῶς: Gal. quidem exponit περὶ ῥεύματος γαστρός, & explicat Foës. de *Diarrhœa*, autoritate ipsius Gal. ego verò aliud subesse puto. Cùm enim Hipp. vtatur composito, τῷ ἐξυγραίνω, vbi τὸ ἐξ procul dubio auget significationem; cùm addat τὸ ἰσχυρῶς: quis non perspicuè videt, duas has conditiones ex hoc fonte esse? Cùm apud Celsum l. 2. cap. 7. Dysenteria sit metuenda post alui diuturnam resolutionem: id verò, de consensu Foësij iuxta & Pacini Commentatoris, sit ex 7. Aph. 23. & 71. necesse est, vel aliam fuisse olim apud Hipp. lectionem, vel Celsum de industriâ vsum esse voce graui, vt *Resolutionem*, παράλυσιν, vocarit. Et vtitur hac ipsa Laurent. Int. vt & Vallesſ. in Com. Hæ ipsæ conditiones videntur esse loco illo Epid duabus vocibus inclusæ, ἀεί τε καὶ συνεχῶς, *semper & continuè.* Τὸ ἀεὶ enim diuturnitatem temporis importat: Τὸ συνεχῶς copiam. Et alioqui τὸ ἀεὶ est σφοδρῶς apud Græcos, vt ex Athenæo alibi me notasse recordor. Huc facit, nî fallor, illud, Cùm Hipp. 6. Aph. 32. τὴν διάρροιαν scripsisset, Gal. explicat περὶ μακρᾶς. Quin Hipp. ipse 3. Aph. 30. addit τὸ χρόνιαι, ἐξηγήσεως χάριν. Subsistis? Reuerà, Gal. hoc vult dicere, Tu, qui audis Hipp. dicere, diarrhœam curare τὸν τρεμουλισμὸν ἢ ψελλισμὸν, noli credere quidquam fore, nisi diarrhœa sit longa, quod ipsum de essentiâ ipsius est. De Hipp. ita censeo, Tribuisse

Corn. & Foës. negligunt τὸ ἐξ, τὸ ἰσχυρῶς vertentes *Admodum.*

τοῖς

τῆς παρακμάζει Diarrhœas chronicas, non ob defectum τῆς ἀναδόσεως, quod Gal. vult: ſed ob errores in victu, ob quos collecta in toto corpore excrementa pedetentim vacuantur, & criticè. Ita cachexias, imò etiam leucophlegmatias curari ſcimus longis Diarrhœis.

§. 5. *I. & famoſiſſima* Diarrhœæ ſpecies eſt *Cerebralis* ſeu *Catarrhalis*, quæ duplex eſt, 6. Aph. 2. *Aut* enim blenna ſeu mucus ἄπιος deſcendit, qui poſteà cum ſtridore & ſpuma exit, 7. Aph. 20. *aut* ſerum, quamdiu nec ſalſum, nec acre eſt, (quod fit ob putredinem in capite conceptam) quo facto facilè in dyſenteriam degenerat. Interim hoc ſerum aliunde etiam, quàm è cerebro eſſe, nil prohibet. An poſterior hæc eſt *Diarrhœa ſeroſa* Car. Piſonis, l. de Morb ſeroſis, obſ. 54. & ſeq. De priori ſi eſt Aph. 15. ſect. 6. fateor me nunquam intelligere potuiſſe, quod Gal. ait, *Vomitum reuellendo illam curare*. An pro ἐμετὸς leg. eſt πταρμὸς, *ſternutatio*? Hæc enim deriuationem faceret, παροχέτευσιν, inquam, non ἀντίσπασιν.

§. 6. In II. quam *Stomachalem* & *Inteſtinalem* vocant, necnon *Fluxum cibalem*, miræ ſunt ambages. Primò enim, cùm Ventriculus cum Inteſtinis receptus ſit pro parte affecta, quei ſimul eſſe poteſt mandans? Deinde, cùm fateantur fieri tũ, cùm cibus corrũpitur in ventriculo, ſiue in acorẽ, ſiue in nidorem, & *Cruditates* eunt, vel ſurſum, vel deorſum, vel vtrinque: quis vel infans in Arte auſit vocare morbum? cùm ſit ſymptoma tantùm cauſæ? ſiue error externus? Simulátque enim victus rectè inſtituitur, curatio vtplurimùm abſoluta eſt: ſtabilis enim diſpoſitio heic nulla eſt. Quin, cùm ſit inter cauſas externas, cogitatio de morbo ne inſtitui quidem poteſt, antequam hæc remota ſit. Sed ſit morbus, *Lienteria* erit. De hac referam inſignem hiſtoriam. Laborabat quidam è noſtris *Tertianâ Epidemiâ*. Huic miſſa fuerat lagenula vini Maluatici. Cuius vſum cùm admittere nollem, donata fuit mihi. Ego, qui ſcirem ventriculo meo haud parem eſſe, nolui bibere, ratus interim poſt cœnam non obfuturum, ſi cum buccella panis Vlmenſis, vti vocamus, ſumerem. Quid fit? Singulis noctibus coactus fui ſurgere, & aliquoties aſſellare, vt barbari loquuntur, & quidem quamdiu durabat vinum. Ain' tu, *Vinum eſſe lac ſenum*? ſine vlla exceptione? Non, ſi concoquant.

Interim fieri poteſt, vt duret malum, etiam poſtquàm cruditates vacuatæ ſunt?

§. 7. Ita ergo habendum eſt, Cùm quis vel diutiùs vtitur cibis pituitoſis, qualis eſt panis, ſi exercitium nullum iungatur; vel nimis multùm ingurgitat, vt ventriculus vincendæ copiæ non ſufficiat; vel ita ſe gerit poſt cibum, vt crudus chylus in hepar & lienem rapiatur: illi poteſt aliquando contingere Diarrhœa, vbi hepar eſt pars mãdans. Eodem modo ſi eò vſque protrahatur, vt totus habitus fiat pituitoſus, adeóque *Cachexia*, aut *Leucophlegmatia* ſit: huic ſuperueniens Diarrhœa dici poteſt *Phlegmatica* ſeu *Pituitoſa*. Vide 7. Aph. 14. & 29. 7. Meth. 11. B.

§. 8. Ad hanc ſpeciem refero, quæ cum vermibus eſt. Vtplurimùm enim

enim voracissimi quique verminosi sunt. Refero etiam illam, quæ in dentitione fit, ex corrupto lacte.

§. 9. In III. quam *Hepaticam* vocant, non minùs tenebrarum est, præcipuè si huc trahatur locus 3.Fac.nat.5.ext.Reuerà, Gal.ibi minùs accuratè loquitur, *Diarrhœas* vocans, quæ *Cruditates* sunt. Sed & 8. Meth.5.B.K.vbi accuratus videtur esse παραμυθία opus est.Chylus enim in ventriculo ad nidorem corruptus, & ad hepar translatus, non rectè dicitur *Bilis*, multò minùs *Diarrhœa* biliosa inde fit.

§. 10. Ita ergò heic quoque habendum est, vt suprà in Imbecillitate hepatis definitum est, *Hepatica Diarrhœa* est,cùm in hepatis intemperie frigidâ sanguis generatur tenuis & ichorosus, qualis est aqua, in quâ recèns mactatæ carnes ablutæ sunt, quo confertim per aluum eunte, *Diarrhœam lotiuam* vocant. Reuerà autem est *dysenteriæ cruentæ* prima species, vt ibi dicetur. Hoc malum cùm diutiùs durat, vacuatâ quidem parte tenuiore sanguinis, quomodo dictum est, retentâ autem crassiore: contraria introducitur intemperies, calida, quæ crassum illud vrit in *μέλαν αἷμα atrum sanguinem*, quem ab atrâ bile diligenter distinguit Gal.lib.de Atrab.3. A. & dicit, veteres μέλανα (subaudi διαχωρήματα) vocâsse. Ab hoc sanguine est *Diarrhœa atrosanguinea* Recc.quam quidam etiam *Fluxum hepaticum* vocant.

§. 11. IV. Species est *Lienaris*, in quâ non tam *Melancholia*, *Atráve bilis* vacuatur,quàm *Serũ* copiosum,cuius in liene magna copia est,vnde ὕδωρ dici melancholiam alibi probatur. Fabula est, materiam per *vas breue* ad ventriculum ire,& per ambages intestinorum ad anum. Quinimò ex liene ipso satis multa vasa ad Colum tendere, sufficit monuisse.

§. 12. V. Est *Mesenterica*, in quâ varia & corrupta eunt, degenerátque non rarò in Dysenteriam. Hæc rectè *Cacochymica* dicitur. In venâ enim portæ est intemperantia nostra, vt sæpè dico.

§. 13. VI. est *Vterina*. Vt enim ager ille naturæ aliquando fit sentina totius corporis: ita non rarò deponit sarcinam suam ad intestina. Quin λόχεια huc deposita fuisse scio.

§. 14. VII. Et vltima est ex toto corpore, in *Cachecticis* & *Leucophlegmaticis*, ceu dixi. Fortassis etiam *Colliquatiua* in febribus huc pertinent.

§. 15. Et hæ quidem *Diarrhœæ* pleræque omnes sine febre sunt: in febribus accidunt, vel *Criticè*, vel *Symptomaticè*. De *Criticis* hoc tantùm admoneo, esse ex foco febrili, quicumque sit ille. De *Symptomaticis*, esse ferè ex genere *Cavsorum*, siue illi sint benigni, siue maligni, præcipuè autem in *Colliquatiuis*, si contingat hàc ire τὸ σύντηγμα, 3. Caus. symptom.3.X.

CAPVT



CAPVT CX.

De Lienteria, & Cœliaca dispositione.

§. 1. ITa colloco: Gal. enim 6. Loc. Aff. 2. I. expressè habet pro eodem affectu. Vix mentione digna est originatio, dici λειεντερίαν quasi λειότητα τῶν ἐντέρων, *lævitatem intestinorum*, licèt Celsus ita vertat, & Aëtius recipiat. Idem enim Gal. 6. Aph. 1. falsi arguit. Contrà, memoriâ dignissimum est, Quæ sit *Cœliaca passio* vulgi? Paucis. Qui dicti sunt suprà cap. 28. στομαχικοὶ ἢ κοιλιακοὶ, iidem laborant hoc affectu. Sed, laborátne ventriculus solus? Non: sed intestina quoque, Loc. aff. d. & alibi. Cæterùm, agitur heic de hoc affectu, ob solam symptomatis similitudinem, non quòd vllus sit καταστραγμὸς, vt ex Celso quidam.

§. 2. Heic cauto opus est, ne erres. Re enim verà duplex est *Lienteria*, idque ratione loci affecti, qui vel *Ventriculus* est, vel *Hepar*. Vtramque iterum duplicem possis facere, ratione causæ. *Ventriculus*, vel prorsùs non coquit, vel μώλωσιν facit, vt Arist. loqueretur. *Non coquit*, cum intemperies frigida pessumdat τὴν δύναμιν καθεκτικὴν περισταλτικὴν ab Erasistrato dictam, vt non possit retinere ad debitum alterationis tempus. *Corrumpit*, vel in acorem, ob frigiditatem; vel in nidorem, siquidem ipse calidus sit, cibi autem teneri. In vtrâque corruptione est humor acris, à quo δῆξις, *morsus*, *mordicatio*, quæ non sinit ventriculum in retinendo officium facere. *Hepar* fit causa lienteriæ, cùm ventriculus quidem benè coquit, & debito tempore expellit: *Hepar* autem non attrahit, sed sinit præterfluere. Hoc apud Gal. fit ex vnicâ causâ ἀτονίαν ἢ ἀρρωστίαν, cùm ob frigidam intemperiem laxata est vis ipsius attractrix: apud Arabes ex duabus, *Imbecillitatem* dictam, & *obstructionem*. Illam vt libenter amplector, vel quia Gal. est: ita hanc superuacaneam esse censeo. Hæc si apud ipsum legere voles, abi ad 6, Loc. aff. 2. I. 3. Caus. sympt. 3. P. 8. κ. πτ. 6. H.



CAPVT CVI.

De Cholera vtráque.

§. 1. RAtio inscriptionis vt intelligatur, sciendum est, apud Hipp. 4. Acut. 103. esse χολέραν ξηρὰν, cui Gal. in Com. opponit

ſimpliciter dictam, quam hodiéque vel ſimpliciter ita vocamus, vel cum adiectione *Humidam*.

§. 2. Τὸ χολερὰ, ἡ χολερὴ, (hanc enim accentûs rationem, quæ in editiis Gal. eſt, mâlo quàm χολέρα, ἡ χολέρη, quæ in Hipp. & apud Foëſium) vnde ſit, neſcio. Siue enim ἀπὸ τῆ χολὴ, *bilis*, deducam, ſiue ἀπὸ τῆ χολάς, *inteſtinum*, habeo quod me moretur. Hinc & verbum χολεριάω eſt, & nomen χολεριкός.

§. 3. Quàm certum eſt, quis affectus ſit *Cholera* ſimpliciter dicta: tam incertum eſt, quid ſit *Cholera ſicca*. Ideò de hac quidem remitto lectorem ad Patholog. noſtra, cap. 184. de illâ autem non niſi pauca dico.

§. 4. Cholera fit, cùm non tantùm per inferiora, vt in Diarrhœâ, fit excrementorum vacuatio: ſed & per ſuperiora, ídque ſemper cum periculo. Cùm diarrhœa tam arctè iuncta eſt, vt non tantùm ex tot locis eſſe poſſit, ex quot illa: ſed & totidem humores agnoſcat. Hinc limitantur duæ vulgò receptæ ſententiæ. *Altera*, vacuari non niſi bilem, quam ſcilicet denominatio vult, ἀπὸ τῆ χολῆς. *Altera*, eſſe bilem hanc ex ſolo habitu corporis. Puto autem ſimilitudinem hanc quoque in re eſſe. Quemadmodum cùm cruditates, ex recenti crapulâ contractæ, deorſum eunt, non niſi impropriè Diarrhœa dicitur: ita cholera impropriè eſt, quæ ex eâdem occaſione. Hoc tantò libentiùs volo, quò magis obtentu neceſſarium mihi eſt, choleram non minùs eſſe ῥευματισμὸν, quàm Diarrhœa eſt.

§. 5. Quo habito, duo ibi tradita heic quoque locum habent. 1. videndum eſſe, *Criticáne* ſit cholera, an *ſymptomatica*? 2. Quæ ſit pars mandans? Videndum verò ſine morâ eſt vtrumque. Præceps enim malum eſt, non longum. Vtrumque manifeſtum erit ex tolerantiâ ægri, ex morbis prægreſſis, ex partis mandantis nobilitate, aut ignobilitate, &c.

§. 6. Inde duo alia ſe prodent. 1. Non ſemper lethalem eſſe morbum, contrà quàm Maſcar. vult, & alij. 2. Agi heic de illo in loco maximè proprio. Quare etiam non opus eſſe ſolicitudine eiuſdem Maſſar.



CAPVT CVII.

De Arthritide, Podagra, Chiragra, Gonagra, & Iſchiade.

§. 1. VTi nôrunt omnes, ἀπὸ τῆ ἄρθρον, *articulus*, eſſe τὸ ἀρθρῖτις, non ἀρθρίτης: ita pauci, quid diſtinctè loquentibus h. l. ſit ἄρθρον. Non ſignificat connexionem oſſis cum oſſe, qualiſcunque ſit illa, quomodo in Phyſiolog. accipitur: ſed more vulgi, pro omni illo, quod ad articuli

ticuli constitutionem concurrit, præcipuè pro ligamentis & tendonibus musculorum, qui articulum obuoluunt. Intelligo autem ligamenta membranosa, seu lata, in quæ fluit materia morbifica.

§. 2. Hoc modo accepta *Arthritis* tripliciter iterum accipitur, quòd paucissimis etiam notum est, κοινῶς, ἰδίως, καὶ ἰδιαίτατα, *Communiter, propriè, & proprijssimè.* Eadem distinctio est in ἀρθρικὸς, ἢ ἀρθριτικὸς.

§. 3. *Communis acceptio est*, cum dicitur de quocunque dolore articulari, siue fiat subitò, siue sensim. Posteriore h.m. fit in Gallicis, Colicis & Scorbuticis, quæ aliquandiu quidem molesta est: sed progressu temporis in paralysin desinit. Huc pertinet dolor articularis, qui ex siccitate ambientis, 3. Aph. 16. item ille, qui ex esu erui, 4. in 6. Epid. 13.

§. 4. *Propria* acceptio est, cùm à subito influxu malum est, non autem à congestu paulatino, 10. κ. τόπ. 2. A. Tu puta, Cum primùm quidem dolet vnus tantùm articulus, v.g. pollex, deinde pes totus, mox genua quoque, &c.

§. 5. *Proprijssima* est, cùm subitò quidem fit: sed intra paucas horas occupat vel totum corpus, vel pleràsque partes. Hæc duo habet peculiaria. 1. Est crisis post alios morbos, vtplurimùm febres. 2. Non est periodica, nisi post similes morbos. Vno verbo, Est morbus acutus, cùm podagra, ratione paroxysmorum, sit chronica. Hanc arthritida primus ostendit vir eximius, Ioannes Vischerus, in θ. Tubingæ disputatis, 1581. ex Hipp. περὶ παθῶν, t. 31. & 32. apud Marinell. & Gal. 6. Aph. 30. fortassis accepto nutu à Trincauellio 12. Pract. 1.

§. 6. Iam, ποδάγρα est τῶν ποδῶν ἄγρα, *pedica, tendicula pedum.* Ab hac voce fluxit ἡ γονάγρα, καὶ ἡ χειράγρα, vltra quas qui fingunt alias quoque, περίεργοι sunt. Tamen dicendum est, in solâ coxendice esse nomen proprium, ἰσχιὰς, vnde ἰσχιαδικοὶ, qui hoc morbo in hac parte affecti sunt.

§. 7. In vniuersum igitur dicendum est, *Arthritida quidem vocatam non esse periodicam; podagram autem esse.* Dictus Vischerus ponit etiam hanc differentiam, quòd *Podagra* quidem sit in omnibus articulationibus, siue per σύμφυσιν fiant, vel ἄρθρον; siue per διάρθρωσιν, vel συνάρθρωσιν: *Arthritis* autem propriè dicta in solis iis, quæ per διάρθρωσιν.

§. 8. His de nominum vsu prælibatis, proximum est videre, *Qualis sit morbus*? Heic tu mirificas ambages offenderis, aliis dicentibus *Dolorem* esse, itaque *Solutionem continui*; aliis *Tumorem*, aliis *Intemperiem*, modò nudam, modò cum affluxu substantiæ, aliis *Debilitatem articulorum*, aliis fortè alia. Nimirùm, hoc est mysterium illud, quod passim in occulto est, apud ipsum etiam Sennertum, qui apud plerosque ἀνωπόδοτον est. Vno verbo, est ῥευματισμὸς, ἡ διάθεσις ῥευματικὴ, quæ præsupponit *Viarum laxitatem*, oppositam *Viarum occlusioni* seu obstructioni, & ideò morbus conformationis.

§. 9. Iam igitur heic erunt duo suprà proposita. 1. *Pars mandans*, seu

terminus à quo, 2. *Pars recipiens*, seu terminus ad quem. His duo alia heic addere oportet, 1. *Viam*, per quam fit fluxus. 2. *Materiam*, quæ fluit.

§. 10. Sed incidit quæstio, *Est-ne eadem ratio arthritidis simpliciter dictæ, seu non periodicæ: & podagræ, affiniúmque, seu arthritidis periodicæ?* Pertinet verò, ne ignores, ad *partem mandantem*. Diligentissimus Vischerus distinguit, & dicit, *Arthritis modò à plethorâ est, modò à cacochymiâ, quæ ab hepate, vicinísque visceribus dependeat: Podagra semper à cerebro*. De illo dubium esse non puto. Si cui tamen dubium sit, illi demonstro ex 4. Aphor. 44. 45. 74. hoc argumento: Quot sunt foci febriles (ad febres enim sequi dictum est) tot sunt origines arthritidis, At sunt Cor, hepar, lien, &c. Ergo. De hoc dubium est ingens, præsertim si ita proponas, *An, cùm arthritis sit intra vasa, podagra sit extra illa?* Non minùs hanc, quàm illam esse intra vasa, multis argumentis probabat ὁ μακαρίτης Scherbius, qui ipse insignis erat podagricus, & qui id mali cum fratribus ex hæreditate paternâ habebat.

§. 11. Horum nonnisi potissimum afferam, quod Galeni esse, aiunt, 2. Nat. hum. 5. & ita proponunt, *Videmus podagricos mori tum, si humores influentes repellantur ad viscera. Quæ repulsio quomodo fieri posset, nisi humores intra vasa essent?* Ego ita. *Videmus podagricos mori tum, si viscera tam sint debilia, vt humores ad superficiem pellere non possint*. Hoc verò fit per vasa.

§. 12. Quo ergo discrimine fit in arthritide & podagrâ? In *arthritide* sunt magnæ viscerum dyscrasiæ, è quibus protrusa materia illabitur articulis: in podagrâ paruæ sunt, quales scilicet in latitudine sanitatis esse possunt. Rursùs, In arthritide sunt viscera omnia: in podagrâ hepar tantùm, si fides est Galen. 6. Aphor. 49. 10. κ. τόπ. 2. Ab hoc dissentire Visch. iam audiuimus, *Cerebrum solum* accusando. Dissentit & Fernelius, 6. Morb. partic. 19. non Cerebrum, sed Capitis partes cutaneas nobis offerens. Ego heic quoque audio Scherbium, *In quibusdam Cerebrum est, vel extimæ capitis partes, in quibusdam hepar*.

§. 13. Hæc de parte mandante: *pars recipiens*, ἄρθρον est, de quo quæritur, *Cur huc potiùs, quàm aliò deponat natura excrementa?* Verum quidem est, esse ob debilitatem articuli: quæ ipsa pendet à duabus causis, *Quia & exsanguis est, & longè abest à corde*: sed verum hoc quoque est, Nisi adesset copia humoris, quæ gignitur ob intemperantiam, non fieret tale quid, 6. San. tu. 13. B. 6. Aph. 28. A.

§. 14. Quibus *viis* vtatur Natura, notum esse potest iis, qui nôrunt, quâ ratione vena caua & Arteria magna, è corde ortæ, diuidantur in ipsos vsque artus. Vbi cùm finiant in tendines obuoluentes articulos, non oportet putare, quod vulgus, illabi in ipsam ossium intercapedinem.

§. 15. Sed quæ *Materia* est? Cauto heic opus est, ne cum Gal.

in

in 10. illo κ.τὸπ. recipiamus omnes humores, ſanguinem, bilem vtramque, & pituitam, ſeu crudum humorem, omiſſo ſero: Immò, & in rei veritate, ſolum *Serum* eſt quod ipſum etiam ſolum lapideſcere poteſt, ob exhalationes terreſtres plurimas, quas in ſe habet, vt alibi oſtenditur. *Sed quei fit, quòd pars affecta modò rubet, modò pallet, modò inflammata, modò œdematoſa eſt?* Scherbius dicebat, Irritatâ ad expulſionem natura, irritatur ſimul totum genus venoſum, vt vnà cum ſero affluat aliquid ſanguinis illius, qui in corpore eſt.



CAPVT CVIII.

De Scabie, Lepra, Impetigine, Vitiligine, Lichene, Elephantiaſi, &c.

§. 1. Qvia certus ſum, omnes hos affectus eſſe διαδοχὰς τῶν χυμῶν, *tranſmiſſiones humorum*, è viſceribus ad cutem; ipſi verò differunt inter ſe, tam magnitudine, quàm malitiâ: agam de illis ſemel, ſed paucis. Vbi hoc primùm moneo, Veteres quidem, præſertim Celſum, nimis diligentes fuiſſe in differentiis nominum: noſtros autem vix poſſe ſe explicare, cùm in tradendis notis ſecuriores fuerint illi.

§. 2. Mea opinione, ad praxin ituro hæc ſufficiunt. Ψώρα, ἀπὸ τοῦ ψῶ, *furfurem minutatim extenuo*, eſt ſcabies ſicca, ſcabrities, cùm cuticula tantùm in *furfures* ſoluitur, cum pruritu, quæ πτυρίασις eſt vniuerſalis. Hac ſcabritie auctâ, cùm deſcendit malum ad cutim, pruritúſque eſt magnus, fit apud Celſum ψῶρα ἀγρία, *ſcabies fera.* Cùm iam non tantùm *furfures*, ſed & λεπίδες ἢ λοπάδες, *ſquamæ ſeu cortices* abſcedunt, λέπρα eſt Græcorum. Huius, vt opinor, ſpecies quædam ſunt. 1. λεύκη, non λευκὴ, *vitiligo alba* Latinorum; cum quâ idem eſt ἄλφος, non ἀλφὸς, à Latino *Albus.* 2. λειχὴν, *impetigo, ſerpigo, porrigo*, cùm cutis fit calloſa. 3. ἔλεφας, ἐλεφαντία, ἐλεφαντίασις, Archigeni λεοντίασις, cùm non cutis tantùm, ſed & ſubiecta caro fit rugoſa, & quaſi corticoſa, cum inſigni, eodémque contagioſo fœtore. Intelligo quibuſdam dici ἱερὰν νόσον, *magnum morbum.* Hæc eſt *Lepra* noſtra. Et hæ quidem ſcabies ſiccæ ſunt.

§. 3. *Scabies humida*, ſeu fluidæ ſunt etiam plura nomina, quorum meminiſſe ſatis ſit, vel ideò, quia aliis ad Tumores p. n. referuntur. 1. φύματα, ἀπὸ τοῦ φύω, *extuberantiæ, tubercula.* 2. ἐξανθήματα, ἢ ἐξανθίσματα, quæ etiam ἐκθύσματα, *pupulæ, puſtulæ*, è quibus pus exit. 3. ἴονθοι, καὶ δοθιῆνες, *vari, furunculi.* 4. ψύδρακες ἢ ψυδράκια,

cum quibus iungi solent φλυκτίδες, φλυκταίναι, φλυζάκια, ἀπὸ τοῦ φλύω, ἢ φλύζω, *vesica*, seu *vesicula*. 5. φωδὲς, ἢ φωΐδες, quæ & φαύσιγγες, *vesicæ ardentes*, quamuis has ab igne excitari dicant, &c. quæ infrà explicabuntur fusiùs.

Ἀπὸ τοῦ φώζω, *vro*, deriuantur hæc quidem: ego autē nō video quomodo. An ab a. β. ἔφοδον, & præt. med. πέφοδα, fit φόδος, καὶ φοδὶς? Huc inuitat me erroneum φολὶς Leoniceni. Vide Notas in Gal. de Differ. morb. 5.



CAPVT CIX.

De Variolis & Morbillis.

§. 1. BArbaris his vocibus vtor cum Practicis, parùm solicitus, quomodo Græci appellare possint, si modò vnquam viderunt. Nimirùm ita sentio, *Pestes has duas*, quæ parcere solent hodie nulli hominum generi, erupisse primùm circa A.C. 1000. quo tempore Arabes cœperunt scriptis inclarescere. Vocamus *Variolas die Kindtsblattern*, quæ sunt pustulæ eminentes, ichoroso humore plenæ: *Morbillos die kinderflecken*, qui sunt efflorescentiæ cutis vtplurimùm rubræ, siccæque.

§. 2. Esse, credo, *crisin quandam*, expellente naturâ è visceribus ad superficiem vitiosos ichoras, qui supersunt ab impuro sanguine materno. Quâ ex oratione quiuis intelligit διάδοχλω, seu ῥευματισμὸν quendam. Intelligit etiam quodammodo, *Quæ sit febris, quæ comes esse solet*: Σύνοχος ὁμότονος, præcipuè in Variolis: συνεχὴς τεταρτοφυὴς in Morbillis.

ABERRATIONES.

Satis esse poterat, quòd nemo Nostrorum hos morbos ad propriam classem refert: imò quòd nesciunt prorsùs, quò referendi sint. Tamen videamus.

§. 3. Cum Fuchsio agam per πρωθύστερον. Is cùm fol. 439. mauult vti voce Græcâ, ἐξανθήματα, nihil proficit. Vt enim intelligatur, cogitur diuerti ad barbaras appellationes. Cùm distinguit *sublimitate* solâ, fallitur. Debebat enim distinxisse potiùs siccitate, quæ in *Morbillis* est, & humiditate, quæ in *Variolis*. Idem fol. 433. malè sociat *Tumoribus* p.n. omnis generis cutis asperitates, quæ ad longè aliud genus morbi pertinent, ceu vidimus. Σατυρίασιν ἢ σατυριασμὸν quia tam variè accipit Gal. ceu scribit fol. 431. iure in *Elephantiaseos* denominationibus non collocatur. Quid Celsus

(fol. 435.)

(f.435) in *Lichene* & *Impetigine* ausus fuerit, non opus habet fusâ scriptione. Si *menti-impetigo* Gal.5. κ.τόπ.7. est *Mentagra* Plinij, non facit, vt omnis impetigo sit mentagra. Nec opus habet curâ, *An Mentagra illa sit Gallicus morbus, vulgo dictus?* Differentia inter *Leucen* & *Alphon* non habet fundamentum certum. Quin puto, *Leucen* fuisse quibusdam, quod *Alphos* aliis. *Morphæa* Arabum longissimè abest à *Leuce*. Et quorsum de *Gangrænâ* & *Sphacelo* heic? Quorsum de cæteris, quæ sequuntur? Est confusio insignis. In *Arthritidis* propriâ significatione, f. 434. fallitur insignitè. *Podagræ* vnius meminisse, miror. In *Cœliaca* f. 426. toto cœlo errat. In *Lienteria*, ibidem accipit, quod à Gal. tam clarè damnatum est. In *Diarrhœa* est psittacus autoris Introduct. licèt ego mendum causatus sim. *Catarrhos* f.414. quâ fronte conuulsionibus & deliriis iungit? Sed & non meminit generalis significationis. Comparatio *mensium* & *hæmorrhoidum* f.337. valdè arrogans est. Alter enim fluxus s.n. est: alter p.n. Plura non dico. Præter hos duos fluxus sanguineos, cùm plures alij sint, cur meminit solius *hæmorrhagiæ*, f.338? Cur aliorum obliuiscitur, præsertim hæmoptyseos? Cur tres causas, ἀναστόμωσιν, διαπήδησιν, διαίρεσιν, nuspiam attingit? Summa, sunt scopæ dissolutæ, vel ideò, quia vt dixi, morbum, à quo omnes hi affectus pendent, non explicat. Idem in cæteris desidero. Postremò, f. 386. quàm miserè implicat duplex morbi genus in *Cauitate*?

§. 4. Sennertus f.131. in morbis his nimis curtus est, & sine exemplo! Quis enim intelligat illa, *Quos clausos esse dicebat*? Idem f.151. rectè disponit tres modos generales profluuij sanguinis; veruntamen fallitur in διαπηδήσει, quæ sanguinis ipsius vitium est. Ad vasa autem si astringere velis, quomodo ab ἀναστομώσει distinguetur? In hæmorrhagia f. 740. hoc reprehendo, quòd de solâ *Critica* loquatur, aliorum quoque, quæ ego notaui, securus. De *hæmoptysi*, affectu tam graui, vbi? De *vomitu* & *mictu sanguinis* vbi? De *mensibus* & *hæmorrhoidibus* f.743. cur tam pauca? De *profluuio muliebri* cur nihil? In *gonorrhæa* f. 340. hoc moneo, nunquam accidere illam in iis, qui semen habent frigidum, aquosum,


ſum,&c. maximè, ſi *Pollutio nocturna* dicta calidioribus accidit. De *catarrhis* in genere cur tam altum ſilentium? Catarrhi ſuffocatiui cur obiter tantùm mentio, f. 348. In Diarrhœa f. 332. & breuis & mancus eſt. *Lienteriam* & *Cœliacam* affectionem f. 279. iterúmque 330. & ſeq. diſtingui, non poſſum non ægrè ferre. Intolerabile etiam eſt, quòd vtramque ponit in celeriori, quàm oporteat, ciborum deiectione, ob quam coqui non potuerint. Imò verò deiiciuntur, quia incocti ſunt. Sed & vna hæc cauſa tantùm eſt, cùm ratione ventriculi fit, quæ ipſa tamen minùs rectè explicata eſt: vbi altera eſt, cùm accidit ratione hepatis? *Choleram* f. 329. ſtatim diſtinxiſſe debuit in *humidam* & *ſiccam*. Quod ad *humidam*, materia interna & externa ſapit νεωτερισμόν. Quod ad *ſiccam*, rectè quidem ad ſpiritum flatuoſum refert: ſed minùs rectè in *Melancholia hypochondriaca* quærit, vt & f. 279. Et quid huc facit calx viua, cui aqua ſit affuſa? Creta, cui acetum? De *ſalibus* & *ſpiritibus* mineralibus nihil dicam. De *arthritide*, eiúſque ſpeciebus quid faciemus? *Scabiei* & *congenerum* meminit quidem f. 318. ſed ieiunè admodùm.

§. 5. Tres omnis profluuij ſanguinis cauſas vellē Lidd. f. 356. in genere propoſuiſſet; vellem etiam in διαγνώσει circumſpectior fuiſſet? Ib. quæ de *hæmoptyſi*, neutiquam ſatisfaciunt. *De hæmorrhoidibus* quæ dicit f. 414. non puto intelligi ab ipſomet. Quorſum enim, quod primo loco ait, *Nam communiter*? mox ſecundo, *verùm propriè*. Deinde, quâ ratione iungi poſſunt *Apertio* & *Intumeſcentia*? Quæ ſequuntur, valdè implicita ſunt. Eius generis ſunt illa quoque de *Profluuio menſtruorum*, f. 513. Et quod ſecretum nouum eſt *ſtillicidium vteri*? Quod item *Profluuium vterinum*, diſtinctum à *Profluuio muliebri*? vt & *Nimijs menſibus*? Cætera benè habent. *Gonorrhœa* in viris ſimile quid habet cum *Fluxu vterino*, & *Profluuio albo*, f. 518. *Catarrhos* cùm f. 287. adſtringit ſoli cerebro, incautiſſimus eſt, vel ideò, quia mox duplicem facit deſtillationem, internam & externam. Quæ diſtinctio vt in Arte vtilis eſt: ita termini ipſi ſunt noui. In Diarrhœa f. 404. multipliciter peccat 1. Volo oſtendat mihi apud

Gal.

Gal. aliúmve classicum autorem, latam illam significationem, pro omni *alui profluuio*. 2. Volo item *Celeritatem* mihi exhibeat, & *Frequentiam*. 3. Multò maximè volo *Materiam* illam diuersam f. 405. & quomodo tum Diarrhœa propriè dicta sit. Materiam hanc cur de nouo repetit infrà? Inter partes mandantes cur non subitò hepar quoque collocat, lienem, &c. Quæ posteà tamen agnoscit? In *Diarrhœa* f. 406. molestum mihi est, quòd *Læuitatem intestinorum* in societatem causarum recipit. In *eadem* (pertinet res ad alios quoque huius generis affectus) grauatè audio *Facultates læsas*. Intemperies enim potiores sunt, quippe à quibus indicationes petuntur. Inuitus etiam video allini Diarrhœæ *Fluxum chylosum*. In *cholera sicca* f. 389. vellem iuuare illum, & pro *inflammatione* legere *inflatione*: sed non vult. Oculos enim intentos habet ad *Colicam* vel *Iliacam*. In *humida* omnia sunt confusa. De *arthritide*, affinibúsque f. 313. dico idem, & me absoluo.

§. 6. Heurnius f. 263. in generalibus sanguinis profluuiis, vt sic dicam, satis commodus est: sed indiget oratio alio ordine. In particularibus deficit, cùm *Menses* producit tantùm. De iisdem quæ habet f. 151. probo pleráque. Quæ de *cruentis deiectionibus* f. 271. alio pertinent.



SECTIO V.

CAPVT CX.

De morbis Conformationis in Superficie.

§. 1. NOui, quid Gal. doceat de his morbis, l. de Diff. & Caus. morb. vtrobique cap. 7. extr. & noui, quo sensu omnes accipiant: ego verò abstrusius quid subesse puto.

§. 2. Cùm enim in genere ait in de Caus. Morbos hos fieri, ἤτοι τραχυνομένων, ἢ λειαινομένων τῶν ὀργάνων, *aut asperatis, aut læuigatis partibus organicis*, & mox τὴν τραχύτητα quidem reducit ad τὴν δριμύτητα ὑγρῶν ἢ φαρμάκων, *ad humores & medicamenta*; (sub his sunt alimenta medicamentosa, cepe, allium, &c. *acria*) τὴν λειότητα autem ad λιπαρὰν ὑγρότητα, ἢ

γλίσχρον χυμὸν, ad pingues, viscidósque humores: profectò intelligit τὰς νοσώδεις διαθέσεις, quas, vno verbo *Morbos* dicam, à quibus sternutatio (loquitur exemplariter) exsistit. 2. Caus. sympt. 1. A. & iterum C. 3. E.

§. 3. Pariter, cùm in genere in de Diff. ait, Morbos hos accidere, τὸ μὲν φύσει λεῖον τραχυνθέντος τὸ δ᾽ αὖ τραχέος, γενομένου λείου, *cùm id, quod naturâ læue est, asperatur, cùm contrà, quod asperum erat, læue fit*, & mox in specie exemplum τοῦ τραχύντος dat τὰς βῆχας, *tusses*: quid aliud nobis opinandum est, quàm διάθεσιν νοσώδη τοῦ βηχὸς, *morbum, à quo tussis fit*, esse ab asperitate tunicæ interioris asperæ-arteriæ?

§. 4. Vtrúmque stabilio suis φαινομένοις. *Sternutatio* si à nobis excitari potest indito naribus pipere, zingibere, pyrethrô, helleboro, nigellâ, & huiusmodi acribus aliis, quæ nares exasperant, & consequenter ad motum stimulant: procul dubio hoc quoque fit à Naturâ, irritante (inquam) cerebri meningas acri humore, præcipuè, quà neruorum principium est, & mox postquam in neruos ingressus est, causante paruam illam Epilepsiam. Κέρχνος, qui est *tussicula quædam parua*, si à nobis fieri potest, quando & quoties volumus, comestis amygdalis, iuglandibus, auellanis, & huiusmodi oleosis aliis, quæ irritant, & ad motum cient tunicam asperæ-arteriæ interiorem: cui non verisimile fit, tussim à Naturâ quoque fieri ab acribus humoribus?

§. 5. Ab his duobus symptomatis eo ad *vomitum*, & ex 5. Aph. 1. ostendo bilem æruginosam illis, qui restitant. Ab hoc ad *Singultum*, & ex 3. Caus. sympt. 2. B. exhibeo illis piper: Ab hoc ad huius generis symptomata omnia, & concludo; *Quæcunque fiunt à Naturâ & Morbo simul, ea pendent à morbis in superficie*, quod fusiùs probabo in seq. Et quia effectus hi omninò pendent à duabus causis; necessariò autem effectus omnis vult suam causam: quem alium morbum dabitis mihi?

§. 6. Fortassis dicent, *Si omninò ita est in superficie asperatâ, quid fit de superficie læuigatâ?* Ego iam discere volentibus propono vnicū exemplum, ex Heurnio, Præf. operum ipsius, de admirabili Lipsio, Melancholico, aliàs hypochondriaco, & quæro, Annon pituita illa crassa, viscidáque, in modum intestini figurata, ita occæcârit oscula vasorum mesaraïcorum, in cauitatem intestinorum spectantia, vt ἀνάδοσις nulla fieret?



CAPVT CXI.

De Sternutatione.

§. 1. A Sono, quem sternutantes edimus, ficta est vox πταίρω, πταρνύω καὶ πτάρνυμι, vnde πταρμός. Credo inde quoque esse nostrum

sternuo,

sternuo, sternutio, sternutamentũ, & sternutatio. Quomodo fiat, non est huius loci & temporis: hoc verò est, Motum esse duplicem, alterũ naturalem & æquiuocum, qui in cerebro est; alterum animalem, & vniuocum, qui in thorace, quatenus motus illius animalis est, facitque *Conuulsionem* quandam.

§. 2. Sed *quæ causa illius concussionis*? Gal. 7. Aph. 51. primùm quidem πνεῦμα, *spiritum* vocat. Deinde autem πνεῦμα φυσῶδες, *spiritum flatulentum*, quem sine acredine non concipio. Verùm heic subsistere non oportet: quam facit νοσώδη διάθεσιν, ἢ νόσον? *Morbosam dispositionem*, aut simpliciter, quem *Morbum*? in illo 2. Caus. sympt. Heic omnes tacent: ego iam dixi, probauíque φαινομένῳ piperis, & aliorum, nec muto quidquam, *Morbum esse in superficie*, quam superficiem exasperat vapor ille radendo, stimulando, aut si quo alio modo loqui tibi libeat. Qui acceptare nolent, ab iis exspecto, vt quæstioni huic satisfaciant, *Si sternutatio est symptoma mixtum*, vt sic dicam, *ex Natura & Morbo*; *satis autem cognitum est, quid Natura* ad hunc effectum conferat: dic tu mihi, Quid *Morbus*? Nec est, quod quis mihi *Tremorem*, vel *Torporem* oggerat, ex 2. illo de Caus. sympt. Satis mihi est, quod Gal. expresse ait, *Esse à natura, sed quæ à causâ violentâ* huc inducta sit.

CAPVT CXII.

De Tussi.

§. 1. BΗξ, ἡ, & in plurali, βῆχες, *Tussim* & *Tusses* significat. At βῆγμα, & nescio quâ dialecto, βρῆγμα, ἀπὸ τῆ βήσσω, ἢ βρήσσω, simul significat materiam illam, quæ cum tussi reiicitur. Hoc symptoma quia Gal. in 2. Caus. sympt. iungit cum sternutatione; & verò in de Differ. morb. 7. expresse dicit esse in exasperatâ superficie internâ arteriæ asperæ; egóque stabiliui φαινομένῳ τῆ κέρχνυ: non est heic opus aliis, nisi fortè hoc, *Morbum à me proditum confirmari à catarrhis iis, qui in exulcerationem faucium & asperæ arteriæ desinunt.*

§. 2. Fortassis, quod dicam, παράδοξον erit? Non refert. *Tussis* non minùs, quàm *sternutatio*, est motus duplex, alter *naturalis*, alter *animalis*. Prior est ab irritatione tunicæ interioris bronchiorum, quæ valdè sensilis est: posterior, à necessariò subsequente motu musculorum thoracis, quorum respectu non minùs quasi *Conuulsio* quædam est, quàm *sternutatio*, & potiori ratione, singultus, de quo idem dicetur. *Posteriorem* hunc *motum*, quatenùs (dico iterum) animalis actio est *Respiratio*, demonstrant nobis tusses illæ præcipuè, quæ sunt cum thoracis validâ concussione. *Conuulsionem* quasi persuadet vehemens in iisdem motus.

Hinc adeò obſtructionem quandam heic admittere oportet, non quidem bronchiorum, vt in aſthmate, ſed neruorum, ad muſculos thoracis euntium, idque ob compreſſionem.




CAPVT CXIII.

De Singultu.

§. 1. Ἀπὸ τοῦ λύζω fit Præt. paſſ. λέλυγμαι, λελύγξαι, à quorum illo fit λυγμὸς, ab hoc λύγξ: vnde ergo deducemus τὸ λυγγὸς? & peius λύγγος? Eſt vitium. *Singultitio*, *ſingultus*. *Singultus* videtur etiam fictum à ſono. Hoc quoque ſymptoma eſſe in cenſu deprauatorum motuum, nemo negat: illud verò eſt dubium fortè, An ſit morbus in ſuperficie? Apud Gal. tam certò eſt δῆξις, *morſus*, *vellicatio*, vt turpe ſit futurum quærenti.

§. 2. Dubium etiam hoc eſt, An ſit vera *conuulſio*? Ex Gal. facile eſt probatu, eſſε οἷον, *quaſi* conuulſionem, 2. illo de Cauſ. ſympt. additâ ratione, *Quia ventriculus non eſt muſculus*. Scio, quid poſſit obiici ex Phyſiolog. noſtris, cap. 119. ſed id tanti non eſt.



CAPVT CXIV.


De Vomitu.

§. 1. Ἐμέω, καὶ ἐξεμέω differunt. Τὸ ἐξ enim intendit ſignificationem. Eadem eſt ratio τοῦ ἐρεύγω καὶ ἐξερεύγω, quamuis propriè huc non pertineant. Τὸν ἐμετὸν video dici *illum*, *qui vomit*, qui habet ἡμέραν ἐμετικὴν, vt Cic. loquitur de conſuetudine veterum: τὴν ἔμετον, *vomitionem* ipſam, aut etiam *materiam vomitam*. Porrò, vt ſuprà indicaui, vſurpatur vox, non de ventriculo tantùm, & materiâ ibi contentâ: ſed & de αἱμοπτύσει, quâ de re conſulatur Foëſ. in ἐμέειν. Idem ſignificat ἔμεσις, καὶ ἐμεσία, Atticè, vt Gal. habet in Gloſſ. vbi corruptè legi ἐμίαι conſentio eidem Foeſio. Confirmat eam lectionem ἡ χολεμεσία apud Pollucem. Ita enim emendo.

§. 2. Heic magna controuerſia eſt, ſitne vomitus vacuatio naturalis? hoc eſt, talis, qualis excrementorum alui & veſicæ? Non eſt. Ita enim non eſſet ſymptoma: ſed opus naturæ. Reuerà eſt ſymptoma congener iis, quæ dicta ſunt, tu putà, Fit quidem à naturâ, ſed irritatâ à

causâ

causâ morbificâ. Vno verbo, δῆξις, *morsus* heic quoque est. Inquis, In depositione excrementorum naturalium annon etiam morsus est? Videmus enim quantoperè nos vrgeant, si loco minùs commodo simus. Respondeo ex Gal Diff.morb.6.D.In homine s.n.viuente morsus ille fit ἐν καιρῷ *tempestiuè*:ideò non est p.n..



CAPVT CXV.

De Nauseâ, & vicinis affectibus.

§. 1. Ἀπὸ τῆ ναυτία ἢ ναυτέα, ἢ ναυσία, Ionicè, est *Nausia, nausea, nautea*, dubito an à ναῦς, aut etiam aquâ illâ putidâ, quæ in sentinâ colligitur. Hipp. eleganter à ventriculo ad venas transfert, cùm ναυτιώσεις vocat *profluuia sanguinis*, ἐκχυμώσεις. Vide Foës.

§. 2. Vicinos affectus (nisi fortè quidam sunt prorsùs iidem) voco, quos Gal. quidem 8. κ.τόπ.3. A. ναυτιώδεις διαθέσεις vocat: ego verò suprà leuiter attigi in Imbecillitate ventriculi, vbi consideraui, quatenus Intemperies sunt, ἀνατροπὴν τῆ γαστρὸς, *subuersionem ventriculi*, ὑπτιασμὸν *supinitatem eiusdem*, & θλῖψιν, *compressionem seu attritionem*, quibus iunxi κλύδωνας, *fluctuationes*. Hi omnes sunt cum motu quodam, adeóque pendet ille deprauatus motus à morbo superficiei. Et hoc monuisse satis sit.



CAPVT CXVI.

De Ructibus.

§. 1. LAtinum hoc procul dubio fictum quoque est à sono. Græcis est ἐρυγὴ ἢ ἐρεύγη, ἀπὸ τῆ ἐρυγάνω ἢ ἐρεύγω, quod ad *vomitum* etiam refertur.

§. 2. Ructus apud Gal. est duplex. *Alter* à causâ calida, κνισσώδης, ἀπὸ τῆ κνίσσα, *nidor*, item βρομώδης (nisi mauis βρωμώδης) ἀπὸ τῆ βρόμος, quod inter alia *grauem odorem* significat. *Alter* à frigidâ, ὀξὺς *acidus* seu *acetosus*, & inde affectus ipse ὀξυρεγμία.

§. 3. Quærat quis: Annon huc quoque pertineant quatuor motus suprà dicti, de quibus habemus singularem Gal. librum? annó minimũ ij, quos in Auctario c.85. descripsi? Resp. Plerique omnes sunt *obstructiones*. Solam *Pandiculationem* cum affini *oscitatione* commodè huc retuleris. Fortassis & *Horrorem*, tam febrilem, quàm non febrilem.

ABERRATIONVM.

Heic quoque satis esse poterat, quòd nemo vnus scit, quò pertineāt hi morbi, nisi promissis stādū esset. Ergò prodeat

§. 4. Fuchsius, & dicat, quæ sint *aptißima illa exempla quibus Gal. illustrarit hos morbos?* Imò verò, nisi satis lucidus Vulcanus in cornu illis, quæ dicit, præferatur, tenebræ sunt. Sed fecerit officium in solâ *Tußi*: cur tu, ô talis, non accommodas reliquis huius generis morbis? Et cur in catalogo morborum capitis, *sternutationis* mentio nulla fit? Quasi semper sit *opus naturæ? symptoma* nunquam fiat? Symptoma autem omne præsupponit morbum. De *Tußi* in morbis pectoris idem dico. De *Singultu* in ventriculo tandem excitatur, & dicit, quod res est. At verò cùm *Nauseæ* meminerit, quòd sit irritus ad vomitum conatus, cur *vomitui* ipsi locus nullus? cur *Ructibus* nullus?


§. 5. De Sennerto in morbis ipsis idem conqueror, quod suprà, & mancus est, & obscurus, quia sine exemplo. De *Sternutatione* rectè: nisi quòd cum Gal. facultati animali tantùm tribuit. Qui enim fassus fuerat, *Principaliter ad naturalem facultatem* cerebri pertinere, quei poterat hoc dicere? Effectus, qui à duabus causis pendet, ad alterutram solam referri non debet. De *Tußi* cùm rectè doceat, Bronchia, ratione tunicæ interioris, è palato descendentis, tam exquisitè sentire, vt tussis eò facilior fiat: non satis tamen explicat duplicem motum, quorum alter naturalis, est in tunicâ dictâ, alter animalis in musculis thoracis. Ratione illius, tussis est morbus in superficie: huius in cauitatibus per compressionem occlusis. Non rectè etiam explicat, quatenus tussis sit ἐκφύσησις, *efflatio.* Non est, ᾗ αὐτό, *quatenùs* tussis: sed ratione materiæ, per tussim eiiciendæ. Aër enim nisi eleuaret illam, nihil fieret. In singultu hoc tantùm displicet, quòd soli superiori ventriculi orificio adscribit. Imò est totius ventriculi, quod sensus docet. Vellem etiam hunc cum nauseâ potiùs comparari, quàm

cum

cum vomitu. Vtrobique enim est inanis egerendi conatus. Nec satis scio, an in omni singultu sit maior violentia, quã in vomitu. Vidi enim singultus tam vehementes, vt in contiguâ domo audirentur. *Vomitum* quendam esse f. n. non credo. Quem enim ille describit casum, est in latitudine sanitatis, & pertinet ad τὸ ὑγιεινόν. Ructus non distinguere illum in *acidos* & *nidorosos*, negligentia est.

§ 6. Lidd. f. 187. in hoc solo placet, quòd *Tussim* agnoscit pro morbo superficiei. Vtinam ad congeneres progressum fecisset! Quin facit non obscurè f. 336. *Corresponsum sternutationis* f. 336. cum *tussi* vellem meliùs explicâsset; Nollem, *sternutationem* adstrinxisset naribus & anterioribus cerebri ventriculis! Nollem etiam *tussim* reiecisset ad f. 348. Nollem quinetiam vocâsset *Efflationem*. Cætera trãsmitto. *Singultum* f. 390. simpliciter annumerare illum *Conuulsionibus*, vix æquis oculis aspicio, ideò, quia mox ab iisdem distinguit, & satis benè describit. *Vomitûs* & *ructûs* verbo tantùm meminisse f. 336. item 385. vehementer miror! Et cur f. 384. in *ructu acido & nidoroso* tam obscurus est?

§. 7. Heurn. f. 184. risum mihi mouet, cùm vtero asperitatem tribuit. Scio, à quo autore sit: sed nihil est. Idem de *sternutatione* f. 238. mirificè delitiatur. De Gregorio Pontifice fabulam narrat. Ib. De *tussi* miserè fallitur. De *singultu* quid dicam? Et hæc de morbis Conformationis.



SECTIO VI.

CAPVT CXVII.

De morbis in Numero.

§. 1. DE his præmonendum est, duplices esse, in numero tam aucto, quàm imminuto. De iisdem variæ sunt difficultates, quarum aliquot attingam. Leuicula est I. Quomodo morbus est in numero, in quo non est ordo? Non est in numero: sed in re numeratâ. Ita suprà, Morbus fuit non in figurâ: sed in re figuratâ. Interim ita loquimur.

§. 2. Grauissi

§. 2. Grauissima est II. Estne morbus simpliciter in numero? Non videtur v. g. Generare potest, & qui vnum testiculum tantùm habet, & qui tres. Immò verò creduntur hi posteriores indomitæ libidinis esse. Ita qui habent duplicem, triplicémve dentium ordinem, sunt tuburcinatores insignes. Ita sedigiti sunt fortiores, exemplo Philisthæi illius in Sacris nostris 2. Sam. 20. v. 21. Quâ ergo fronte morbus heic esse dicitur? Resp. *Non quidquid monstrosum est, morbosum quoque subitò est: sed id tantùm, quod actionem lædit.* Hæc enim est confessa apud omnes hominès morbi notio.

§. 3. De numero superabundante III. est, non magni etiam momenti, si rectè intelligas. *Siquidem*, inquit Argenterius, *in iis tantùm est morbus, in quibus sanitas; in calculo autem v. g. sanitas non est: vtique nec morbus erit.* Vides ingenium subtile, crasse errans, diceret Scherbius! Neque calculus morbus est, quamuis ita loquamur; neque in calculo est morbus, sed calculus in parte, in qua est, facit dispositionem illam, quæ morbus est. Quamobrem, remoto calculo, remouetur dispositio, remouetur morbus.

§. 4. De numero deficiente IV. est, paulò grauior, quippe quæ Montano multùm facessit negotij. Galeni verba sunt de Diff. morb. 8. Morbus heic est, non in parte, quæ abest, sed in parte relicta. Resp. primùm, Cùm deficit aliquid, læditur actio tripliciter, vt in illis quoque morbis, aut diminutè, aut deprauatè, aut abolitè. Deinde, distinguere oportet inter instrumenta simplicia & composita magis, minùs. In illis læditur actio tota: in his ex parte. v. g. si totum brachium abscindatur, perit & apprehensio, & pulsio, & trusio, & percussio: si manus summa tantùm, apprehensio sola: si digitus hic, vel ille, hoc, vel illud infeliciùs agimus, prout vel hoc, vel illo digito opus habemus magis minùs. Ita si pollex, fortitudinis pars maxima. Hoc igitur vult Gal. Præcisâ manu, dici non debet, manum laborare, sed brachium. Mihi videtur parùm vtilitatis habere distinctio; ita potiùs proponenda, Manus absentia facit talem brachij dispositionem, quæ tollit actionem. Digiti absentia talem, quæ imminuit.

§. 5. Quæris fortasse V. quid sit iudicandum de distinctione, quam Gal. habet l. c. *Eorum, quæ in numero superante, quædam sunt s. n. quædam p. n.* Quidquid supernumerarium, lædit actionem, facit morbum, siue tale, siue tale sit. Gal. igitur attulerit ex alienâ sententiâ.

§. 6. Idem sentio de illa ibid. distinctione, *Eorum, quæ in numero sunt, quædam morbi sunt, quædam causæ.* Imò verò, quia exempla ibi prodita non quadrant, puto locum esse corruptum. Idem prorsùs de illâ, *in partibus similaribus, quæ agunt, morbus est: in iis, quæ vsum præbent tantùm, causa.* Videsis Montanum 4. Morb. 10.


AVCTARIVM

De Excrescentiis & oppositis mutilationibus.

§. 7. Quod in Physiologicis, præsertim in Anatomicis, fuit ἀπόφυσις ἢ ἔκφυσις, *processus*, vt ibi vertimus: id hoc loco est βλάστημα, ἐκβλάστημα, ἐπανάστασις, ὑπεροχὴ, ἔκφυσις, &c. *germen, excrescentia, enascentia, supercrescentia*, &c. quum parti aliquid additur, quod p.n. eius est.

§. 8. Huius oppositum heic est κολόβωμα ἢ πήρωμα, *mutilatio*, seu *detruncatio*, cùm vel tota pars perit, vt cùm auricula alicui abscinditur: vel partis particula, vt cùm lobus auriculæ tantùm.

§. 9. Heic dubitatur, *An si Epilepticus aliquis præcidat sibi partem linguæ, non possit id dici morbus in magnitudine imminutâ? vel ideò quia actio linguæ vitiatur, quatenus breuior & minor est?* Potest dici, & est: sed reuerà est subtilitas inutilis. Sed & lingua heic non tantùm consideratur, quatenus tam magna est: sed &, imò potiori ratione, quatenus ita conformata. Et si in toto est morbus numeri, in parte cur aliud nomen quærimus?



CAPVT CXVIII.

De Pterygio tam oculi, quàm vnguium.

§. 1. Ἀπὸ τῆ πτέρυξ, ἡ, *ala* (non autem ἀπὸ τῆ πτερὸν) diminutiuum est πτερύγιον, τὸ, *alula*, quarum vtraque variis rebus tribuitur, tam in Physiologicis, quàm in Pathologicis. In illis. 1. πτερύγια dicuntur *narium pinnæ*, quæ nonnisi coactæ respirationi seruiunt. 2. πτέρυγες ab Hipp. in Coac. vocantur etiam *pulmonum lobi* in brutis. 3. πτέρυγες item vocantur *extantia scapularum*, quà spinam respiciunt, *ossa*; Hinc πτερυγώδεις, *alati* appellantur, quibus, ob angustiam pectoris, ossa illa valdè attolluntur, & qui phthisi obnoxij sunt. 4. πτερυγώδεις ἀποφύσεις sunt duo *processus magni* ossis sphenoïdis, quod est communium capitis alterum, quos *Vespertilionum alis* similes faciunt Anatomici. 5. πτερυγώδεις σιώδεσμοι *Vespertilionum* itidem *alis similia lata* (his opponuntur rotunda) ligamenta, quibus instrata est *Tuba vteri dicta*. Hæc si *Eminentias* vocauit Gorræus, parùm Anatomicus fuit. 6. πτερύγια etiam vocantur *Nymphæ* aliàs dictæ.

§. 2. In Pathologicis tribuitur duobus affectibus. *In oculo* pterygion dicitur, quantum ex collatione autorum apud Foës. colligere licet, Cùm, post exulcerationem *tunicæ* oculi *Adnatæ*, seu *Albi oculi*,

An in Def.Med. leg. est? ἔκφυσις, χιτῶν@ ἐπιπεφυκότ@, ἐπιφυομένη τῷ κερατοειδεῖ. An aliquando ἧλ@, *clauus* dicitur.

tanta sit ὑπερσάρκωσις, vt ad Corneam, quà pellucida est, progressa, obstruat pupillam quoque. *In vngue* pariter ὑπερσάρκωσις est, cùm, exulceratâ carnis portione illâ, quæ vnguem tegit, caro luxuriat, vnde corruptio radicum vnguis. Ab hac parte affectâ quomodo *vnguis* ad oculum apud Celsum transierit, fateor me nescire. Multò minùs scio, quomodo *recessioni carnis ab vngue* tribui vox possit, apud eundem Celsum. Multò minimè, an affectus hic digitorum sit *Reduuia* veterum.



CAPVT CXIX.

De Suffusione oculi.

§. 1. ΑΠὸ τ͂ ὑποχέω, ἢ ὑποχύω, ἢ ὑποχεύω fit ὑπόχυμα, ἢ ὑπόχυσις, quod *Suffusionem* verterunt nostri, quasi *Subterfusionem* dicere voluerint. Hunc affectum nemo meliùs descripsit Paulo l.6. c.21. quamuis & locus ipse in vitio sit, & Interpretes cespitent. Lego ita, ὑπόχυμα σύστασις ἐστιν ἀργοῦ ὑγροῦ, ἐπὶ τ͂ κερατοειδῆ χιτῶνα καὶ τ͂ κόρην, ἐμποδίζουσα τὸ ὁρᾶν. Verto ita, *Suffusio est concretio (in membranam) otiosi cuiusdam humoris, consistens inter Corneam tunicam & Pupillam, visum impediens.* Heic primùm aduerto, Generalem τ͂ σύστασις significationem esse restringendam ad hanc particularem. Alioquin enim & τὸ γλαύκωμα est σύστασις, *coagulatio totius humoris crystallini*, vt non ampliùs sit perspicuus. Secundo loco dico, Τὸ ἀργὸν ὑγρὸν abducere nos à cogitationibus illorum, qui volunt, Membranam hanc concrescere ex ipso *Aqueo* humore dicto. Imò verò est ex admisto humore p.n. Eius rei argumentum est, quòd depositâ (vt Chirurgi loquuntur) membranâ, visio redit. Hoc verò signum est, Aqueum humorem s n. se habere. Tertiò, quid hoc dictu est, *In corneâ tunicâ*? Τὸ ἐπὶ cum Accus. est *Inter*: cui vt respondeat, quod sequitur, pro κατὰ lego καὶ, & sensus fit, quem dixi. Quæritur autem, vbi exactè fit? *An inter Corneam & Vueam? An inter Vueam & Aranei-formem, quæ Crystallini tunica est? an vtrobique?* Memini, quid scripserim Com. in 10. Vs.p. 1. esse tantùm inter Corneam & vueam: sed reuerà est inter Vueam quoque & Crystallinum, atque ita vtrobique.

§. 2. Cæterùm, morbus est eâ ratione, quâ *Calculus*, de quo mox. Vt enim *Calculus* in hac parte, in quâ est, facit morbum, seu dispositionem morbosam: ita membrana hæc. Itaque non valdè repugno illis, qui, non morbum, sed causam morbi esse dicunt. *Obstructio* enim est morbus, vt in pterygio quoque. Reuera, vt suprà dixi, membrana est fundamentum potiùs relationis huius, quàm materia morbi.

CAPVT



CAPVT CXX.

De Polypo nasi.

§. 1. NE quis offendatur, monendum est, Græcam quidem esse vocem, πολύπες, quæ facit πολύποδ☉: sed haberi sæpè pro Latinâ, vt apud Ouidium & Horatium, apud quos & prima producitur, & vltima corripitur. Scio, qui causentur Dialectorum apud Gr. varietatem: sed nihil moror.

§. 2. Est *vlcus cancrosum*, dicunt, *in naribus, non minùs multos quasi pedes ostentans, quàm Cancer.* Sed quia ὑπερσαρκοῖ, eáque ipsa caro respirationem impedit: heic inuenit locum, βλάστημα, quam vocem Gal. habet, de Tum. p. n. Tu verò vel hinc intelligis, *Causam morbi* potiùs esse quàm *Morbum.* Ego à carnis potiùs mollitie dictum puto. Curatur enim sæpiculè. A Polypo σάρκωμα distingui non patiar.



CAPVT CXXI.

De Verrucis, & consimilibus duritiebus omnibus.

§. 1. V*Erruca* Latinis est illa pars montis, quæ ἀκρώρεια dicitur, quasi ἄκρον τ͂ ὄρες, *vertex, seu apex montis.* Hinc deducta fuit appellatio ad durities quasdam exiles, quæ in cute se ostendunt, præcipuè in extremis manuum & pedum, in palpebris, in aliis, nî fallor. Summum genus est σκίρρ☉, τύλ☉ ἢ τύλη, ἢ τύλωμα, *callus*, πῶρ☉, ἢ πώρωμα, *tofus*, &c. species sunt ἧλοι, *claui*, πτερύγια, *alulæ*, θύμοι, ἢ θύμια, *thymi & thymia*, μυρμήκια, *formicaria*, ἀκροχορδόνες, *verrucæ pensiles.* De posterioribus duabus vocibus dicam tantùm, quia apud Hipp. & Gal. modò alterutra sola ponitur, modò vtraque, vt videri possit, has solas esse huius loci.

§. 2. Ἀκροχορδὼν, ἡ, όν☉, non ὠν☉, indubitatò est quasi ἄκρα χορδὴ, è *tenui chordâ, seu fide dependens*, vnde *Verrucam pensilem* dixi modò, διὰ τὸ διάστενον ἔχειν βάσιν, *quòd perangustam habeat basin*, vt loquitur autor Def. Med.

§. 3. Μυρμηκία, ἡ, apud Gal. constanter scribitur, vt & apud Hipp. Mihi consensus ille non obstat, quò minùs liberè dicam; acceptare me à Celso, lib. 5. cap. vlt. vt & Paulo lib. 4. cap. 15. diminutiuum plurale, μυρμήκια, &c. Sed quid cum *formicis* commune habent? Dicunt ex Aëtio lib. 12. c. 47. Si vel mediocriter contrectentur, sensum faciunt quasi reptantis formicæ. Et talis est *Gradus formicinus* apud Plautum in Menæchm.

An μυρμηκιὰ, ᾶς, *horreum formicarium* leg. est? H. Stephanus in Lex. Med.

mutat apud vtrumque. At verò cū Gen. plur. sit vtrobique μυρμηκίων si esset à fœm μυρμηκία, debebat esse μυρμηκιῶν.

Menæchm. Talis est ὁ σφυγμὸς μυρμηκίζων, *pulsus, qui vix sentitur.* Interim quædam harum insigniter dolent, prout (puto) vel magis, vel minùs callosæ sunt, vel plures, paucioréſve nerui miscentur. Accedit etiam dolor à frigore externo, vt in lotricibus, &c. Hæc, ad differentiam priorum, *Verrucæ sessiles* dicuntur.

§. 4. Morbus ipse μυρμηκισμὸς dicitur, aut potiùs μυρμηκιασμὸς, ἢ μυρμηκίασις, *Formicatio* apud Plinium, & *Formicosus*, qui verrucis plenus est. Ego obiter dico, si quis pro Gal. dicere volet, fieri illi iniuriam: huic respondeo; Non habere illum vel aures tam delicatas, vel ingenium tam morosum, vti soloecismos aliorum, vel non admittat, vel non vtatur ipsis.

§. 5. Ad hanc classem refero *Cornua* quibusdam adnata, de quibus videatur Illust. Sennertus lib. de Tum. p. n. c. 38. An sunt ἐξοστώσεις Gal. & veterum aliorum? Hæc cornua *Nodi* ab initio vocantur.



CAPVT CXXII.

De Atheromate, Steatomate, Meliceride, & his similibus.

§. 1. QVia, teste Gal. Tum. p. n. 5. proprium est his tumoribus includi propriâ tunicâ; &, quod nostri addunt, habere peculiare vas, per quod augmentum accedit illis: indubitatò huc refero.

§. 2. Ἀθήρωμα est ἀπὸ τῆς ἀθήρα, ἢ ἀθάρα, ἢ ἀθάρη, quod *Pultem* significat. Nemo igitur patiatur se abduci à Gorræo, aliísque, qui ἀθέρωμα scribunt, cogúntque dicere, esse ἀπὸ τῆς ἀθὴρ, ἔρος quod duo longè alia significat, vt est apud Gal. in Gloss. De reliquis duabus vocibus, res est clara. στεάτωμα enim est, in quo quasi στέαρ, *seuum*, vel *sebum* continentur. Ita μελικηρὶς, in quo μέλιτι ἢ κηρῷ, *melli*, aut *ceræ liquidæ* simile quid est. Quæ alia significet μελικηρὶς, vide apud Foës. Ad has tres species referri debent & possunt tres alij Arabum tumores, *Testudo*, *Talpa*, seu *Topinara*, voce Italicâ, & *Natta*. An χοιράδες quoque, *strumæ*? de quibus ego cum Herniis.

§. 3. Quo loco id moneo, Quamdiu res stat intra hos terminos, à Naturâ aberrante esse: at verò cùm capilli in abscessibus sunt, claui, ossa, & nescio quæ alia, à Diabolo est.

CAPVT

CAPUT CXXIII.

De Calculo.

§. 1. To *Calculus* neque dimin. esse credo, neque deriu. à *Calce*, seu *Calcaneo*. Apud Græcos cùm multa sint vocabula, quæ *Lapidem* significant, ὁ λίθος, & dim. ἡ λιθὶς, & ab hoc alterum dim. τὸ λιθίδιον ferè sola regnant. Et hinc λιθίασις, morbus, quíque eo affecti sunt, λιθιῶντες, *Calculosi* vocantur. Quo loco tria in considerationem voco 1. cùm Gal. 9. Simp. c. de Lap. concedit, posse τὸ λίθος, ϋ. etiam in fœm. efferri, fortassis latet ibi confusio. Aliud enim est ὁ λίθος vulgi: aliud ἡ λιτὰς, ἀδος, Poëtarum 2. τὸ λιθὶς apud Hipp. 4. de Morb. non esse λιθίασιν, *Calculationem* à Cœl. Aurel. dictam, quod Foes. vult: sed ipsum lapidem. 3. τὸ νεφρῖτις apud Hipp. 3. Aph. 39. non necessariò esse eandem λιθίασιν. Analogia enim persuadet, τοὺς νεφριτικοὺς esse eosdem cum τοῖς στομαχικοῖς, καὶ ἡπατικοῖς suprà dictis. Hinc vlteriùs prouectus, dico contra pseudo-Gal. l. de Ren. aff. 2. τὴν νεφρῖτιν latè quidem significare omnem renum morbum, propriè autem *Calculum renum*. Imò verò significat imbecillitatem tantùm, siue intemperiem frigidam. Atqui Gal. Aph. cit. vt & 6. Aph. 11. de Calculo explicat, inquit Foesius. Resp. Post. Aph. loco τῆ νεφριτικοῖς, libri meliores habent φρενιτικοῖς. Priore, explicatio Gal. nullam necessitatem infert. Interim absurdi nihil est, si veteres latiùs extenderunt.

§. 2. De causis hoc in primis amoliendum est, propter eundem pseudo-Gal. Non omnes quatuor huc accersendas esse: sed sufficere duas, *Materiam* & *Efficientem*. Non enim consideramus lapidem in homine, Physicè. De vtraque lites sunt grauissimæ.

§. 3. De *Materia* tantò diligentiùs dispiciendum est nobis, quò verius est, non in renibus & vesicâ vrinariâ tantùm (quanquam in his frequentissimè,) generari lapides: sed penè in omnibus corporis partibus, etiam visceribus densissimis, hepate, corde, &c. Gal. vbicunque de hâc materiâ loquitur, pituitam nobis occinit. Hanc nō simpliciter recipere possumus, sed cum hac distinctione: Si propriè loqui volumus, oportet seorsim ponere tofos à lapidibus nostris. Tofi in podagricis, tam in artubus quàm in visceribus illorum, fiunt ex crassiori & terrestriori parte pituitæ ex capite stillantis, quomodo etiam in pulmonibus quorundam *Grandines* dicti. Sunt enim friabiles, instar calcis. At lapides seu calculi, de quibus nos agimus, fiunt, non ex pituitâ tantùm, sed ex quouis etiam alio humore, cui serum misceatur, quatenus exhalatio sicca & terrestris in eo soluta est, instar salis, aut aquæ calcis. Et hoc docuit

me incomparabilis Scherbius, tam in lectionibus publicis, quàm in &. Medicis à me publicatis. Nisi fallor, prorsùs ad rei naturam accedit vtriusque nostrûm præceptor, Ill. D. Platerus, qui ait, serum solum esse causam materialem, quatenus (vt ego intelligo) mistæ ei sunt exhalationes siccæ plurimæ, sed tamen non attingit scopum. Re enim verà, nisi inueniat humorem aliquem crassum, præcipuè pituitam, seu crudum humorem, nihil fit. Hinc ratio peti potest, Cur Calculi gignantur in omnibus partibus? Quia serum in omnibus est quatenus est ὄχημα τῆς τροφῆς, *vehiculum alimenti:* & potest illi iungi pituita. Ibi igitur fit, vbi coniunctio illa. Reddi etiam ratio potest, cur alij calculi sint aliûs coloris? Prout exhalatio magis, minùs vsta & attenuata est, eò color vel intensior, vel remissior est: prout plus, minúsve pituitæ ammiscetur, eò substantia solidior, friabiliórve est. Sed vnde est *exhalatio* illa? In omnibus, quibus, vtimur, vel alimentis, vel potulentis, est fuligo (vt sic dicam) quædam, quâ in serum depositâ, fit id salsum. Et hæc ratio est, cur vrina & sudor sint salsa. Hoc ostenditur pulcerrimo φαινομένῳ, *Cur brodia carnium fiunt salsa, quamuis sal adiectus non sit?* A dictis fuliginibus. Cur, si iteratò igni apposita sint, fiunt salsiora? Quia fiunt euidentiores, absumtis tenuioribus aquæ partibus. Ideò coqui denuò affundunt aquam. Sed & in ipsâ coctione aspergi fuliginosum quid ab igne, absurdum dictu non est.

Tomo alt. praxeos inter Dolores hypochondriacos, f. 600. mihi.

§. 4. De *Efficiente* res non minùs difficilis est. Celebris est heic sententia Cæsalp. 2. Quæst. Med. vlt. quam Scherbius etiam amplectebatur, geminam esse causam, *Calorem* & *Frigus* quorum ille coquat; hoc condenset. Rem explicant hoc exemplo. Lateres ab igne coquuntur: remoti ab igne (hoc verò frigus est) densantur. Caloris rationem habent partes ipsæ: frigoris, membranæ, quæ illas ambiunt. Sed parcant mihi Manes summorum virorum: Vbi est frigus, cùm lapides crescunt in ipsâ renum substantiâ, quæ sanguinea est? In ipso hepate? in ipso corde? Stat igitur sententia Gal. multis locis ab ipso tradita: Solus calor est causa efficiens, ísque acris, & tantum non igneus. Hinc vsus increbuit vnguentorum & emplastrorum frigidorum, plumbearum item laminarum foris: intùs syruporum & aquarum refrigerantium. Hinc Erastus, interrogatus, autore Scherbio, Quo præseruatiuo in calculo vteretur? nihil respondit, sed ostendit tantùm lumbos discinctos.

§ 5. Quod ad *symptomata*, sunt illa multa quidem & dira: sed communia cum vicinis partibus adeò, vt nemo pronuntiare ausit Calculum esse, antequam viderit excidentem. Hanc rem quia fusè deduxit Syluaticus, Controuers. 32. potes visere ad illum. Si non displicet tibi breuitas nostra, inuenies in Patholog. c. 211.

CAPVT



CAPVT CXXIV.

De Lumbricis.

§. 1. HEic primùm optionem facio lectori, vtrùm penultimam producere velit, an corripere? Serenus quidem producit, sed non est authenticus: alij corripiunt, à *Lubrico* deducentes.

§. 2. De numero vermium res est intricatior. Hipp. 3. Aph. 26. nonnisi duas species habet, ἕλμινθας στρογγύλας, καὶ ἀσκαρίδας. Vbi accepto excusationem Gal. Hipp. non meminisse τῶν ἑλμίνθων πλατειῶν, quia in ætate puerili, de quâ agit, non sunt. Apud Arist. 5. Hist. 19. mentio est omnium trium, *Rotundorum, Latorum*, & *Ascaridum*. Idem numerus apud Gal. est, Aph. l. c. 14. Meth. 17. & 19. ext. Hac in re quid turbare voluerit Cæsalp. 2. Quæst. Med. 22. videat, qui vult.

§. 3. Hinc occasionem sumo dicendi quædam de nominibus. Quod *Lumbricum* seu *vermem* dicimus nos, ἕλμινς, θος, est Græcis, non ἕλμιγξ, γος. Fatendum tamen est, non semper esse genericum: sed aliquando attribui *Rotundis* solis, aliquando *Latis* quoque. Loca Galeni si vis, dabit tibi Altimarus 1. Meth. 81. Hipp. aliquando θηρία, *feras* seu *bestias* vocat. Tu vide Foës.

§. 4. Iam, ἕλμινθες στρογγύλαι sunt nobis vocati *die Spulvvürm*. Sunt similes illis, quæ γῆς ἔντερα *terræ intestina* dicuntur. Quidam repudiato τῷ *Rotundum*, volunt *Teres*, aut *Longum*, quod non est magnæ rei.

§. 5. Ἕλμινθες πλατεῖαι, (quæ & μακραὶ Gal.) Celso etiam *Lati* dicuntur, aliis *Plani*. Vocantur etiam vno verbo Græcis ταινία, à similitudine *fasciæ, institæ, limbi, laciniæ*. Vbi videndum est ne cum *Tineâ* Latinorum confundatur. *Tinea* enim est animal sui generis, vestibus inimicum, *ein Schabe*: at ταινία est κειρία, *fascia, limbus*, &c. vt Gal. explicat. Et hoc quidem, cùm vel totus vermis exit, vel magna eius pars: at verò cùm per partes, quia partes illæ sunt ἐμφερεῖς τῷ τ̃ κολοκυνθης σπέρματι, *cucurbitæ semini similes*, vt ex Gal. 1. Loc. aff. 5. A. Paulus loquitur l. 4. cap. 57. *Cucurbitini* nostris dicuntur. De his, qui multa egregia cognôsse volet, adeat Spiegelium nostrum. tr. de Lumbr. lato.

§. 6. Nisi fallor, ἀπὸ τ̃ σκάρος est σκαρίς, *paruus scarus*, mox Atticè ἀσκαρὶς, vt ἄσταφις, ἄσταχυς, quæ idem sunt cum τῷ σταφὶς καὶ στάχυς. Hinc est σκαρίζω καὶ ἀσκαρίζω, idem quod κιγκλίζω, *leuem motum edò*. Τὸ *Ascarides* retinere oportet, cùm *Tipulæ* & *Tineæ* longè aliò eant. Sunt autem σκώληκες ἢ σκωλήκια, *vermes aut verniculi*, in extremo ano geniti, ferè ex immunditie. Nunquam excrescunt in *Rotundos* dictos. Præter has species quæ obseruatæ sunt, negari quidem non debet: sed huius loci non sunt.

§. 7. Non

§. 7. Non minùs heic, quàm in cap. sup. locum habent causæ tantùm duæ, *Materia*, & *Efficiens*. Consideramus enim *Vermes* quoque Medicè. In vtrâque res est longè facilior quàm ibi. Quia enim *Putredo* heic est; putredinis etiam mater quidem *Humor* est, pater autem *Calor*: quiuis videt, quid sit dicendum.

§. 8. Sed qualis humor requiritur? qualis calor? Gal. 3. Aph. 26. D. vult *Magnum calorem*. Hoc profectò intelligere oportet eo modo, quo quis diceret, flatus gigni à calore magno. Tantùm abest, vt maior sit vtrobique, vt ne quidem proportionatus sit materiæ. Et quod ad rem nostram, si calor esset tantus, non sineret materiam putrescere. Huic rationi adstipulatur experientia, quæ docet, pueros, & præcipuè voraciores, vermibus obnoxios esse. Est igitur mediocris potiùs, quem frigus appellare iure possis. Hinc intelligitur, Qualis sit *humor? Crudus*, vno verbo, qui plurimus gignitur in ἀδδηφάγοις & otiosis, præcipuè cùm panem copiosè ingurgitant, & eum quidem purissimum etiam, nedum impurum, qualis fit, cùm in penuriâ auena miscetur, hordeum, lentes, & legumina alia.

§. 9. Heic interponunt quidam Pauli & Aëtij autoritatem, dicentium, Fieri vermes ex interiore intestinorum tunicâ. Hoc cùm per rerum naturam fieri non possit, excusant alij, dicentes, intellexisse illos *Crustam* intestinorum ab Anatomicis hodiernis dictam. Quod si concedam de *Cucurbitinis*, negabo de reliquis duabus speciebus.

§. 10. Dubitant quidam, *Generentúrne in solis intestinis*? Non: generantur in ventriculo quoque, quod multis exemplis doceri poterat. Alij, *Sintne morbus, an causa morbi*? Eadem quæstio Logica de calculo fuit. Dico paucis, *Et calculus & vermes, in se considerati, sunt causa morbifica: tam calculus, quàm vermes faciunt in intestinis eam dispositionem, quæ morbus est, obstructionem*, vno verbo.

§. 11. Quod ad *symptomata*, sunt illa ferè diriora, quàm in calculo, sed eiusdem conditionis. Nam neque exercitatissimus Medicus certò ausit affirmare, vermes esse, antequam viderit excidentes. Quod quia demonstrauit Syluaticus, Contr. 33. è quo ego in Patholog. parco iam operæ.

AVCTARIVM.

§. 12. Meminit Gal. 6. Loc. aff. 7. D. τῶν δρακοντίων, quæ in Arabiæ locis, in venis tibiarum crescant: verùm negat Th. à Veiga in Com. *in venis* esse, & rectè. Vide Paulum l. 4. c. vlt. Aëtium l. 4. c. vlt. Albucasin l. 2. c. 94. Amatum cent. 6. obs. 64.


§. 13. Ab his proculdubio differunt *Vari, die lopendte Varen* VVestphalorum, *die springendte gicht* Belgarum, de quibus peculiariter scripsit VVierus, & sunt in eam rem duæ Epist. apud Forestum in Coronide l. 20. Brà & Heurnij.

§. 14. Ab

§. 14. Ab his ipsis differunt *die dürmaden* nobis dicti, *die mitesser* aliorum, de quibus vide Epistolas Scholtzij, n. 27. & 215. An sunt alterum genus Dracontij Pauli loc. cit?

§. 15. Huc pertinent scabiosis familiares *Sirones* vel *Schirones*, *die Reitniesen*. Item, capillis arrodendis nata bestiola, ἀκαρὶ, τὸ, 5. Hist. 32. *die Milben*. An ἀκαρὴς legi debet, vt sit ἀπὸ τ͂ α. καὶ κείρω, *tondeo*? Huc Scal. it, Apotelesm. 299.

§. 16. Φθειρίασις, siue in locis pilosis tantùm, siue in toto corpore sint pediculi: huc etiam facit.



CAPVT CXXV.

De Hermaphroditis.

§. 1. Ἑρμῆς *Mercurius* est, Ἀφροδίτη *Venus*. Ex his genitus filius quomodo cum Salmaci nymphâ coaluerit, dicat tibi Ouidius in Metam. Atque hinc dici cœperunt illi, qui vtriusque sexûs genitalia ferunt secum ex vtero materno, vel ἀνδρόγυνοὶ, vel γυνάνδροι, prout prævalet, vel hoc, vel illud. Hinc transferuntur vocabula ad mores, dicuntúrque ita, tam οἱ γυναικοκρατούμενοι, *qui mulierum imperium tolerant*: quàm οἱ παθικοὶ, ἢ αἰσχροποιοὶ, ἢ κιναιδοὶ, nisi mauis κυναιδοὶ.

§. 2. De his quia lata est controuersia, decîdam illam vnico Aristot. loco, à Gaza deprauato, ideò à μισέλληνι non intellecto. Is est 4. Gen. anim. 4. & hunc habet sensum, si quid video: *Quibus accidit duplex habere genitale, maris alterum, fœminæ alterum, in ijs id, quod prædominium habet, semper fit maius: quod inutile, minus, ob defectum alimenti, præter naturam quippe.* Ex hoc sensu reddi potest ratio, Cur crediti fuerint quidam, quædámve sexum mutâsse? Non enim accidit tale quid, nisi iis, qui, Naturæ errore, vtrumque habent, sed indistinctum, vt difficile sit primis à partu diebus iudicium, maribúsne, an fœminis accensendi sint? Naturâ igitur perficiente quidem id, quod vincit, deserente autem, quod inutile est, tum denique fit sacra illa Metamorphosis, de quâ tam magnificè loquuntur. Falsum igitur simpliciter est, fuisse, & qui gignerent, & quæ parerent. Falsa sunt & alia quædam, quæ non attingo.

§. 3. Differentiæ quot sint, dicet tibi Leonides apud Paulum l. 6. cap. 69.



CAPVT CXXVI.

De Mola.

§. 1. MΥ'λ@, ὁ, & μύλη, ἡ, πολύσημα sunt: ego heic loquor de vitioso conceptu, quem Plutarch. in Præc. cõnub. vocat ἄμορφον καὶ σαρκοειδὲς κύημα, σύστασιν λαμβάνον ἐκ διαφθορᾶς. Sic enim lego & verto, *Mola est fœtus informis & carnosus, ortum habens ex corruptione (seminis masculi.)* Neque enim ad quamuis corruptionem humorum pertinet, vt Interpretes volunt: sed ad semen masculum solum, cùm frustratur (vt sic dicam) fine suo. Tu puta, cùm vel ipsum frigidius & aquosius est, vel sanguinem offendit talem. Deleo enim τὸ ἐν ἑαυτοῖς, siue vertas *Ex se ipsis*, siue *In seipsis*. Nam neque ad τὸ κυήματα referri potest, neque ad fœminas ipsas. Tollitur verò hac ratione dogma falsum, de quo in hoc vestigio.

§. 2. Quæritur, *Possitne gigni talis caro absque consuetudine viri?* Gal. iis, qui id asserunt, 14. Vs. p. 7. D. duo obiicit. 1. Semen fœmineum vulgò dictum, substantia illa alba, quæ in quibusdam fœminis est, non habet vim δραστικὴν *nihil agit*, quia crudiusculum est, ob fœminæ naturalem frigiditatem. 2. Non constat τὸ ὅτι, *nemo id vidit.* Quo loco siquis mihi obiiciat, Galenum aliis locis tribuisse semini vim actiuam: respondebo, Non pertinere id iam ad me, qui aliud ago.



CAPVT CXXVII.

De Excrescentiis Carneis, præcipuè cordis.

§. 1. MEminero huius rei h. l. tantùm, vt commendem Practicis obseruationem Neretij apud Shenckium, 2. Obs. 200. quam ego, duce DD. Dolidio, locupletaui in Patholog. cap. 218.

§. 2. Debent omninò huc referri οἱ μύκητες, *fungi*, quos Gal. 1. Loc. aff. 1. vidit in vulneribus cerebri, Chirurgi nostri frequentiùs in articulis. Vocant *den gliedschvvam*. Et quis credat *Tumorem esse* p. n. Cæterùm Hipp. 3. in 3. Epid. 48. σῦκα, *ficus* appellat.

§. 3. Debet etiam *Caro in vlceribus* luxurians, *dass faule fleisch*. Quis enim iure vocet *Vlcus*, cùm vlceris accidens sit? Quin etiam contrarius affectus (ad quem iam venio) huc pertinet, cùm vlcus cauum est, & dicitur κόλπ@, *sinus* perinde vt in Apostematis hodie dictis.

CAPVT

CAPVT CXXVIII.

De Capillorum defectu.

§. 1. ITa loquor, vt comprehendam vno fasce *ἀπώλειαν τῶν τριχῶν, φαλάκρωσιν, ἀλωπεκίαν, καὶ ὀφίασιν.* Quam dixi ex Gal. 1. κ. τόπ. 1. *ἀπώλειαν, perditionem*, alij ἀπόῤῥοιαν, *defluuium* vocant, & est genericum. Eiusdem sortis ἡ μαδαρότης, ἡ μαδάρωσις est, ἀπὸ τοῦ μαδᾶν, quod apud Hesychium est ἐκρεῖν, *effluere*. Ab hoc est imitatiuum μαδίζω, à quo μάδισις. In his omnibus, meo iudicio, nulla est *Glabrities*: nam neque *Scabritiem* rectè dixeris iis locis in quibus pili naturaliter sunt. Est autẽ *Humiditas* seu Putredo, ob nimiam humorum corruptorum abundantiam. Ideò (vt obiter dicam) nec ἕλκη μαδαρὰ, & Ionicè μαδηρὰ, vt & περιμαδαρὰ *Glabra*, aut *Circumglabra*: sed *Putrida*, & *Valdè putrida*. At verò τὸ μυδᾶν, quod volunt esse æquipollens est, vox ἀδόκιμος pro μαδᾶν. Φαλὸν dicunt esse *Album*. Hinc φαλακρὸν, caluum, φαλακρότης, ἡ φαλάκρωσις, *caluities*, specificum, cùm pars aliqua capitis tota sit nuda. Specifica etiam sunt ἡ ἀλωπεκία, ἡ ἀλωπέκεια, ἡ ἀλωπεκίασις, καὶ ὀφίασις, qui duo affectûs duo quidem habent communia, tertium autem proprium. *Communia* vtrique sunt, capillos quidem primùm colorem mutare: deinde autem defluere. *Proprium* Alopeciæ est in certis quibusdam capitis locis fieri nuditates: Ophiaseos, ab vno loco incipere, & tendere in longum, ὄφεως, *serpentis* ad instar. In posteriori igitur hoc constat ratio denominationis: in priori dissensus est. Mihi animus inclinat ad naturam *vulpis*, quæ est, certis annis mutare pilos, non animum, vt in prouerbio est. Has duas affectiones Hipp. l. περὶ παθῶν vocâsse ἀλώπεκας, vt consentio Foësio: ita dissentio, cùm confundit cum ἀλωπεκίᾳ. Quo enim modo hæc duo simul stant? Easdem Latinis *Areas* dici credo Celso, ab areis hortorum, aut alioqui planitiebus syluarum, vrbiúmque, siquidem capillos arboribus & domibus compares.

Atqui Hesychius habet? Refert tanquam vitiosam scripturam, cuius rei apud Gal. quoque in Gloss. exẽpla sunt.

§. 2. Heic notandum venit, τὴν μαδάροσιν ἢ μαδαρότητα tribui nonnunquam defluuio ciliorum, quod aliàs peculiare nomen habet, μίλφοι, μίλφαι, μίλφωσις, de quo infrà cap. vlt. §. 58.

§. 3. Quidam ineptè se heic opponunt, Cum pili non sint partes, quâ fronte tu das illis morbos? Sunt partes etiam per definitionem Fernelianam, quia vsum præbent. Vide Mont. 4. Morb. 14. Reuerà, sunt subiectum morbi, non nisi consideratione vulgari. Medicus enim non curat pilos, sed cutem subiectam, quæ frigidior & humidior est.

§. 4. Sed quid sit de Gal. qui modò morbum simplicem facit, *Intemperiem*, modò in numero, modò in superficie, modò ne pro morbo

quidem habent, sed pro symptomate? Nolo ego immorari talibus, tu vide apud d.Mont.vel si mauis, apud Mass..1.Pract.1.



CAPVT CXXIX.

De Curtis.

§. 1. TA κολοβώματα quid sint, dixi suprà: iam hoc moneo tantùm, Scripsisse sub hoc titulo egregium opus Casp.Tagliacotium, Medicum Bononiensem, qui consuli potest, præcipuè l.1. c.19. vbi & Veteres & recentiores laudat, qui de hoc negotio scripsêre.

ABERRATIONES.

§. 2. Fuchsium f.305. de morbis numeri rectè scripsisse dicam, si ostenderit, *Quid sextus digitus obsit apprehensioni?* Sed & culpâ non vacat, cùm ignorare vult Instituendum suum nomina vtriusque huius morbi. In *pterygio* vtroque f.415. & 441. hoc desidero, quod non idem illi tribuit genus. Hoc vero est ἐκβλάστημα, siue, vt ego loquor, ὑπερσάρκωσις. In *suffusionis* loco f.417. indistinctus est. Inter *Corneam* enim, & *Crystallinum* duplex est spatium, ceu dixi. In *Polypo* f. 420. inconsultò vult esse cum Gal. qui 3. κ.τόπ. 3. ὄγκον vocat. Libertatem enim heic suam habet Gal. quâ vtitur etiam Tum.p.n.17.cùm sinit vocare Inflammationem, φῦμα, βλάστημα, aut quomodo velit quis. Reuerà est βλάστημα, vt dixi. Paulum l.6.cap.25.eodem modo excuso, quà de ὄγκῳ. Cæterùm, Codd. nostros esse in vitio, facilè concedo: sed τὰς ἐλνας quidem intactas esse volo, deleo autem τὸ αὐτῆς. Ita sensus erit: *Polypus est tumor occupans nares, & impedimentum afferens tam respirationi, quàm dialecto.* Σάρκωμα, quod distinguit Fusch. à *Polypo*, puto idem esse. Scio, quid moliatur Gorræus: sed quia sine autore est, non accepto. An tum diuersum nomen sortitur affectus, cùm, vt est apud Celsum l.6.c.8. adeò increscit caro, vt vel extra nares propendeat, vel in palatum deerret? De τῷ ἥλῳ & τύλῳ quæ affert 441. possum

Heurn. f.243. tribuit hoc omni polypo.

illi

illi dare. De λιθιάσει f.430. nimis concisus est. Cùm f.427. tacitè excusat ventriculum de lumbricis rotundis, fallitur. Fallitur, & quidem apertè f.432. cùm schirrum vteri Aëtij & Pauli confundit cum *Mola* Gal. Tam enim sunt diuersa, vt nec deferre possim illis, qui scirrhum illum pro impropriè dictâ Molâ habent.

§. 3. Sennertum qui defendere volet, f.351. accusantem *Aqueum* humorem, quasi illius vitio suffusio fiat, illum respondere iubebo ad argumenta mea. Ille idem excusabit, quòd f.seq. tantumnon absoluit humorem illis verbis, *Aut alienæ substantiæ aliquid illi admiscetur.* Idemmet dicet mihi, cùm, (ceu dixi) duobus locis esse possit, de vtro egerit Medicus? Quæ de incremento huius mali differit, placent, nisi quòd ruinosæ basi res incumbit, *visionem fieri per emissionem. Suffusio notha* f.353. est νεωτερισμός. Ob id aërem ferit, non Platerum. De iride circa candelam nimis subtilis est, ne dicam, alieno tempore id fieri, & loco. De locis, vbi calculi generentur, quia tam laborat, vt integram suam bibliothecam in medium afferat, f.228. passus est humani aliquid. Sententia decisiua de generatione eorundem, f.231. desinit in *occultam qualitatem* (vt ferè alibi quoque) quæ solis literis differt *à purâ ignorantia.* Si graue hoc est illis, qui pro Pythagorâ habent, dicant mihi, quæ sit illa Fernelij *arenosa, calculosaque renum constitutio?* quas indicationes det? *Refrigerandi & humectandi*, inquit αὐτός. Hei mihi, quid est Institutiones tam ponderosas scribere? Si verè ita sentiebat cliens tuus, cur non rectâ eò ibat? quid opus erat sapientiâ Fernelianâ? Dixisset igitur, *Est intemperies calida & sicca renum.* Non poterat vir bonus, quippe cui obstabant priores assertiones, neque à caliditate, neque à siccitate esse: sed opus esse interno coagulationis & concretionis principio. Illud quale sit cùm circumspicio, nihil aliud reperio quàm *Succum lapidescentem* Agricolæ, qui ab *occulta proprietate* ne latum quidem vnguem abest. Quid igitur faciemus? Id, quod ipsemet heic submissâ voce, in Praxi verò clarâ, acceptabimus, inquam, *Serum* Plateri, sed

aliter pictum, hoc videlicet modo, *Serum, quatenus salsum nitrosúmque, siue, vt Arist. loqueretur, quatenus in se habet exhalationes terrestres, requiritur ad omnem lapidis generationem: sed non fit lapis, nisi exhalationes illæ inueniant pituitam, siue*, vt loquitur, *materiam viscosam, lentam, crassam, faculentam, &c.* Ex hac societate peto rationes problematum, suprà propositorum. Dicis, vnde est exhalatio illa? Vnde pituita? Exhalatio est pars excrementitia alimenti, tam cibi solidi, quàm potûs, illud (inquam) terreum, quod in lignis combustis fuliginem constituit, in animalibus, partim excrementum crassum cordis, partim tertiæ coctionis, quod *Fuliginem* vtrobique vocamus. Hæc, in foco quidem facit, vt omnia brodia sint salsa, quamuis salem non habeant: in animalibus autem, vt omnis vrina sit salsa, quamuis animal salem non comederit. Hæc eadem facit, vt in omnium quidem matulis sit sabulosum quid: non sint autem calculosi, nisi in quibus pituita accedit. Hinc intelligitur, *Cur serum solum non sit satis generando calculo?* Serum, quà serum, non magis facescit in calculum, quàm in nutrimentum. Densari enim aqua non potest. Sed & non minùs in his imperfectè mistis, quàm in perfectè, duo requiruntur ad rei constitutionem, *agens & patiens*. Vnum enim, quà vnum, non agit in se. Vt ergo concludam, Vbi exhalationes seu fuligines copiosæ sunt, quod fit in renibus calidioribus, si accedat pituita, quæ à fuliginibus fermentetur, calculus fit. In quibus alterutrum deest, non fit. In me sunt exhalationes tales, quia video in matulâ: at quia vtor victu moderato, & renes sunt temperati, calculo (per Dei gratiam) obnoxius non sum. In hanc sententiam deduxit me Platerus ipse, qui *Impurum* & *Lutosum* quid requirit, cum quo ille vult citiùs fieri calculum: ego verò sine illo fieri posse non credo. Sed hæc hactenus: de vermium generatione f. 232. planè consentio illi.

§. 4. Abs Lidd. f. 189. audire cupiam, quid sit illud, *Morbos in numero non esse morbos per se, sed respectu membri, cui insident?* Omnes morbi hoc respectu dicuntur, quia faciunt in parte dispositionem talem, quæ p. n. sit. Ab eodem

dem sciscitari lubet, quomodo sextus digitus lædat apprehensionem? Calculum dum ait. f. 457. per exsiccationem (solam) fieri, multis est obnoxius telis, huc non afferendis. Idem dico, tam de materiâ, quàm de efficiente. De cæteris solicitus non sum. De lumbricis rectè ait f. 395. disponere partem p. n. Sed quid illud est, *Speciei constitutionem ingredi, vicem formæ gerere, causæque continentis?* Pudet, pigétque.

§. 5. Heurnij l.8. c.7. ἀντίθεσιν hanc solam noto, Quòd lumbricos Physicè considerat.



SECTIO VII.

CAPVT CXXX.

De morbis in Magnitudine.

§. 1. HEic quoque dicendum est, duûm generum morbos esse sub hac rubricâ, alios in excessu magnitudinis, alios in defectu. Deinde, Esse hos morbos, vel in toto corpore, vel in vnâ parte. In toto, vel est nimia *Obesitas*, vel *Macies*, quam ἀτροφίαν Græci vocant: in parte, vt raro, aut nunquam fit, vt pars vna fiat maior alterâ, ita *Atrophiæ* sunt frequentissimæ, *vvan ein glied schvvindet.*

§. 2. Sunt heic quoque difficultates. I. An, vt in numero, ita in magnitudine, alia est s.n. alia p.n.? Paucis, vt ibi, *Magnitudo s.n. quæ simul sit p.n. mihi inimaginabilis est.*

§. 3. II. An in morbis magnitudinis seruatur figura naturalis, contrà quàm in morbis numeri? Instituitur autem hæc quæstio, propter κολοβώματα, *curta.* Dico igitur, vt suprà, κολοβώματα pertinent ad morbos numeri, ideò comparatio institui non potest. Sed sint magnitudinis imminutæ: Non seruatur figura naturalis.

§. 4. III. Fiúntne in vtero materno, & ita à causâ internâ tantùm: an ab externâ tantùm? Ab vtraque. IV. Morbi in magnitudine auctâ quei differunt à Tumoribus p. n.? Reuerà tumores p. n. sunt Intemperies cum affluxu substantiæ: cæterùm, si eò vsque excrescant, vt magnitudine quoque lædant, huc reducuntur. Est quæstio Logica, vt & superiora. Plura vide in Chirurgicis.

CAPVT



CAPVT CXXXI.

De nimiâ Corporis mole.

§. 1. ITa loquor: non enim de solâ pinguedine intelligo, vt videtur præ se ferre *Obesitas*, sed de carnis quoque accretione. Dicuntur tales Græcis φύσκωνες, γάςρωνες, ἢ γαςρώδεις, quòd in *Ventre* potissimùm appareat tumor, cùm, vt Poëta loquitur,

——— ———*protenso sesquipede exstat*
Pinguis aqualiculus.

Quale quid de D. Thoma Aquinâte scribitur. Ita *Ventrem* apud Plautum explicant, licèt alij de *Parasito* capiant.

§. 2. Sed actio his læditur? Nec incedere possunt sine molestiâ, nec sedere, nec liberè respirare, vt ferè Gal. loquitur 14. Meth. 15. Exemplo sit Nicomachus Smyrnæus, Diff. morb. 9. Horum curatio apud Aëtium l. 4. c. 32. & Paulum l. 1. c. 37. est καθαίρεσις τῶν σαρκῶν, *absumtio carnium.*



CAPVT CXXXII.

De Atrophia.

§. 1. VT clarior sit doctrina, oportet initium facere à vulgatâ læsarum actionum distinctione. Aut enim abolentur: aut imminuuntur: aut deprauantur. Hoc posterius cùm in nutritione fit, καχεξία dicitur, de quâ suprà ante Hydropas. Errauit igitur insignitè Celsus, cùm inter *Tabis* species recenset, l. 3. cap. 23. Prius cùm accidit, ipsa mors est. Vita enim & nutritio pari passu ambulant, vt alibi docui ex Arist. Oportet ergò vocabulum heic accipiatur de imminutâ nutritione, adeóque τὸ α. ςερητικὸν non esse heic merè negatiuum, sed difficultatem afferre. Huis rei exempla multa sunt apud Græcos, quorum vnum attulisse sufficiat. Απέραντ☉ θάλασσα non est *mare innauigabile:* sed quod cum periculo superatur, ob scopulos & voragines. Hinc κακοτροφία quibusdam dicitur malè κακοχυμία. Hæc, vt dixi, aut vniuersalis, aut particularis est. Vniuersalis, etiam φθίσις dicitur, & Latinis *Tabes,* aut *Macies.* Hæc ipsa vocabula, vel latè vsurpantur, vel pressè. Latè, pro consumtione totius corporis ex quâcunque ex causa id fiat; pressè pro ea

quæ

quæ ex vlcere pulmonis, & Atticis φθόη dicitur, vt infrà c. prop. Ita ἰσχνότης latè significat omnem *gracilitatem*, siue illa s.n. sit, siue p.n. pressè *naturalem*. Vide Foëſ. in ἰσχνὸς. Particularis, vel oculi est, vel brachij vel pedis, &c.

§. 2. Dicis, Vnde est difficultas illa? Partim à caloris natiui imbecillitate, partim à sanguinis boni penuriâ. Hoc legeris apud Gal. 1. San.tu.8.D.3.eiusd.op.vlt.verbis, 3.Præſ. pulſ. vlt. A.1. Fac. nat. 11. A. Diff.sympt.4.A.3.Cauſ.sympt.1.G. Vide Gorræū in hac voce. Quo loco non possum non increpare væcordiam Fernelianorum quorundam, qui persuadere nobis volunt, Partem, quæ atrophiâ laborat, v. g. brachium, viuere quidem, quia sanguis arteriosus influat: non nutriri autem, quia venosus desit. Μέγα λίαν καύχημα: quin ψεῦδος ἀκατάληπτον.



CAPVT CXXXIII.

De Marasmo.

§. 1. Ἀπὸ τοῦ μαραίνω est μάρανσις ἢ μαρασμὸς, quorum illud quidem est *species mortis naturalis*, cui opponitur σβέσις: hoc autem est *mors violenta*, à siccitate, l. de Marasm. in ipso frontispicio. Interim non semper obseruatur distinctio.

§. 2. *Conuenit* marasmus cum ἀτροφίᾳ in eo, quòd vterque aff. causam proximam agnoſcit, siccitatem cordis, & inde ortam debilitatem. *Disconuenit*, quòd in ἀτροφίᾳ solus sit defectus boni sanguinis: in Marasmo etiam alij defectus, de quibus iam.

§. 3. Marasmus alius est simplex, alius compositus. *Simplex* licèt fieri possit quatuor modis, pro numero scilicet quatuor elementorum, aut potius quatuor primarum qualitatum: dicitur tamen is tantùm, qui ex siccitate est, vt iam præmonui.

§. 4 *Compositus*, vel naturalis est, (accepto τοῦ *Natura* in secundâ significatione) vel præternaturalis. *Naturalis* est siccus-frigidus, vno verbo, *Senectus*. Hic accidit, non à Calore-nostro, vt falsò dicunt quidam ex Hipp. sed à causis tam externis, quàm internis, 1. San. tu. 2. B. de Marasm. c. 3. A.

§. 5. Marasmus *compositus* præternaturalis pariter est *siccus-frigidus*, cùm ex morbo accidit, quod aliàs ex decursu naturæ fieret. Quamobrem *Senectus ex morbo* dicebatur Philippo Medico, quem sæpè laudat Gal. Fit vel per ἰδίο: vel per συμπάθειαν. Per ἰδιοπάθειαν fit, primariò affecto corde. Per συμπάθειαν, affectis visceribus imi ventris, sed sine inflammatione, cùm propter contumaciam morbi sensim & sensim cor tabescit.

§. 6. Marasmus *Compositus* præternaturalis alius est ille, qui ἀειφρυ-

γῆς, *valdè siccus & torridus* dicitur, & accidit in febribus *Hecticis* illis, quæ *Marasmodes* vocantur, hoc est, cùm calor natiuus iam victus est. Fit pariter vel per ἰδίο: vel per συμπάθειαν. *Illud* in febribus iam dictis, sine inflammatione viscerum inferiorum. *Hoc*, cum inflammatione eorundem, 10. Meth. 8. Et hic Marasmus iam est *Calidus-siccus*. Horum quidam est ex renibus, & peculiariter dicitur *Tabes renalis* ab Hipp. Ab hac diuersa est *Tabes dorsalis* Hipp. quæ τοῖς νεογάμοις accidit, vt docet Solenander extremo Consil. Vide Patholog. nostra, c. 160. F.

§. 7. His addere oportet *Syncoposum* dictum, de Marasm. 5. extr. cùm in Marasmo crebræ se ostendunt syncopæ seu lipothymiæ, signa valdè affecti cordis.

ABERRATIONES.

§. 8. Mirabilis est Fusch. f. 385. duplex proponens incrementum, *connatum, & ascititium*, dicam enim πῦ κειται? *vvo stehts geschrieben*? Sed & exempla claudicant. Magnum caput est morbus in figurâ.

§. 9. Incircumspectus est Sennert. f. 131. cùm ad *Membra* alligat hos morbos, quasi in toto non sint? quasi non potiùs in membris sint? Non minùs in circumspectus est, cùm f. 275. ἀτροφίαν vocat *ablatam* nutritionem. Hæc enim mors est, vt dixi. Sed & quo modo simul *Defectus* est? Quis verò Medicorum illi dabit, ἀτροφίαν totalem desinere in *Marasmum*? Ita enim *Marcorem* accipio? Quis itidem dabit illi, quod ait f. 697. omnes, qui obeunt lentâ morte, Marasmo obire? Verum est, obeunt tales μαραίνει, quatenus opponitur τῇ σβέσει: sed Schola Medica τὸ μαρασμὸς iam ad siccitatem adstrinxit, siue illa sit sola, de quâ peculiariter loquitur Gal. siue iungatur illi frigiditas, caliditásve. In causis f. 316. prorsus ad mentem meam loquitur, cùm ἀτροφίαν cum *Gracilitate* facit eandem: sed errat cùm *ad vitium alimenti* properat. Hoc enim ad καχεξίαν pertinet. Heic *Penuria sanguinis boni* locum habet. In iisdem parum cautus est; cùm non animaduertit, Gal. 3. Caus. sympt. 1. causis internis, quæ sunt solæ illæ duæ à me propositæ, iungere externas, quæ nihil aliud sunt, quàm *Error externus*, de quo ibid.

Atqui Gal. 3. Caus. sympt. 1. G. τὴν ἀτροφίαν opponit τῇ ἰσχνότητι?

ibid. agit, qui continet ſub ſe, vt alibi deduxi, cauſas tã illas, cũ quibus melius res fit, quàm illas, ſine quibus non fit, quas τρόπους τῆς γενέσεως, *modos generationis ſanguinis* vocat ib. v. g. τὰ ἐπιτηδεύματα vniuſcuiuſque quid faciunt ad confectionem ſanguinis? Si talia ſint, vt impediant certum comedendi tempus, quietem poſt paſtum, iuſtum ſomni tempus, & ſi quæ alibi à me relata ſunt: impediunt coctiones. Hoc ipſo verò gloriari poteſt, & pro Peripatetico ſe gerere, quòd Cordi ſuum dat honorem. Cæteris manum non admoueo.

§. 10. Lidd. f. 189. claudicat, cum non explicat, quatenus morbi in magnitudine ſint iidem cum Tumoribus p. n. Claudicat vehementiùs, cùm f. 443. atrophiam opponit habitui plethorico. Ita enim omnes ſani, ſiquidem atrophia non adeſſet, plethorici eſſent. Interim rectè diſtinguit atrophiam à *Gracilitate*, modò de latitudine ſanitatis accipiat. Quod ipsum an permittat τὸ *Macies*, valdè dubito. Non ſatis capio, velítne Maraſmum vocare Atrophiam impropriè dictam? Nouitas enim eſſet. Sed rectè diſtinxerit: cur in veſtigio non ſtat? Miſerè enim confundit vtrumque affectum in cauſarum redditione. Quin confundit etiam Atrophiam cum Cachexiâ, licèt κακοτροφίαν ſeorſim ponat. Et quid ſibi vult, cùm vocabulo *Alimenti* non vult vti pro *ſanguine*? Sed tranſeat. De *Maraſmo* cur agit tam multò ante, f. 362. Sed largior illi vltrò, quia pleráque omnia benè habent.

§. 11. Heurnius f. 104. omittit *Atrophias particulares*. Facultatis inedia f. 224. quid ſit, intelligere velim.

SECTIO VIII.

CAPVT CXXXIV.

De morbis in Situ.

§. 1. IN hoc morbi genere primam, eámque denſam vmbram facit nobis vitium Cod. quod eſt Diff. morb. 10. vbi legitur συνθέσεως, compoſitionis, cùm θέσεως, *poſitionis* legi deberet. Alteram, den-

siorémque multò facit idem locus, Sitne vnum tantùm horum morborum genus, an potiùs duplex, tripléxve? Ne longiùs abeam, Ego locum dictum, collatione factâ cum aliis, ita concipio, *In situ naturali mutato in non-naturalem*, dicere debet Gal. *morbi fiunt, ratione aut Positionis, aut Coniunctionis. Illius, cùm non habent partes situm illum, quem s.n. habere debent, vt in luxationibus accidit; & ramicibus quibusdam. Huius, cùm ligamenta vel laxiora sunt, vel breuiora, sinúntque partes vel fluere, quò non debebant, vel non pertingere, quò debebant, quorum vtrumque in linguâ est, cùm ob ligamenta vel non pertingit ad dentes, vel fortiùs alliditur illis. Huc pertinet & coalitus partium, qui facit τὰς ἀτρήτας dictos, imperforatos, idque tribus locis, ore, ano, vtero.*

παρεσάρτησις deest Autori Def. apud Gal.

§. 2. Heic tu vides, quisquis es, vtrobíque quidem θέσιν, illinc autem κοινωνίαν ἢ ὁμιλίαν, quo modo Gal. se explicat, 1. Loc. aff. 1. C. & hanc duplicem, alteram in figurâ, alteram in meatu clauso. Vbi si argutari voles, Pertinere hæc ad *Conformationem* quoque, dicam ego, Ita est. Sed quia vlterius quid præsupponunt, θέσιν (inquam) vetus sapientia huc potiùs transtulit. Cuius rei ignoratione quidam in conformationis morbis iis, qui ad cauitates seu meatus pertinent, fecerunt subdiuisionem non necessariam, in cauitates seu meatus magnos, & paruos.



CAPVT CXXXV.

De Luxationibus.

§. 1. Ἐξάρθρημα ἢ ἐξάρθρησις, *luxatio est totalis*: παράρθρημα, ἢ παράρθρησις, *subluxatio*, siue *luxatio ex mediâ articuli parte tantùm*. Prior affectus etiam ὀλίσθημα dicitur, vt posterior διάκίνημα. Vide Foës. vt & in στρέμμα καὶ διάστρεμμα.

§. 2. De his duo tantùm nota. 1. Cur Hipp. dicat, subluxationem in femore frequentiorem esse, quàm in brachio? Contrarium enim verius est, ob ligamentum teres, quod in femore est, in brachio non est. 2. Cur Montanus 4. Morb. 27. neget, eandem subluxationem in femore fieri posse? Atqui Hipp. & Gal. 4. Art. 1. ext. admittunt τὸ μᾶλλον καὶ ἧττον. Huic calculum addit Ill. D. ab Aquap. 4. Chir. 1. Apud hunc, alióśque videris plura, quæ ad Chirurgica pertinent.



CAPVT CXXXVI.

De Hernijs & Strumis.

§. 1. H*Erniam* dicunt linguâ Sabinorum esse *Saxum*, à duritie. Atqui non omnis hernia est dura, vt saxum est. Latinis est *Ramex.* Κήλη, & Atticè *κάλη*, cum τῷ κηλέω, *mulceo*, nihil commune habet.

§. 2. *Prima* heic distinctio Herniarum est, quòd alia est morbus *in situ*, de quâ propriè heic agimus: alia *in numero*, de quâ nonnisi ob communionem nominis. *Morbus* in numero est. 1. σαρκοκήλη, *ramex carneus*. 2. ὑδροκήλη, *ramex aquosus*. 3. φυσο: ἢ πνευματοκήλη, *ramex flatulentus*. 4. στεατοκήλη, *ramex ex collectâ materiâ pinguiculâ*, qui aliis in partibus στεάτωμα esset. Fortassis & pulti & melli analogi dātur ramices. *Morbus* in situ est 1. ὀσχεοκήλη, *ramex scroti*. 2. βουβωνοκήλη, *cùm locus, qui vtrimq; circa pudenda est, intumescit. Inguinalis* dicitur quibusdam. 3. πωροκήλη, *cùm glandulæ adiacentes indurescunt.* Ita enim putem ego, ne hic affectus, quem vidi, innominatus sit. 4. κιρσοκήλη, *cùm vasa scroti ἀνεύρυσμα patiuntur.* Scio quid possit obiici: sed sino, ne frustrà nouos titulos comminiscar. 5. ὑγροκιρσοκήλη. An tum est Confusio propriorũ nominum?

§. 3. *Secunda* distinctio, ratione loci affecti, iterum est. 1. ὀσχεοκήλη. 2. βουβωνοκήλη. 3. πωροκήλη. 4. ὀμφαλοκήλη, *cùm vmbilicus tale quid patitur*. Ita affecti ἐξόμφαλοι dicuntur. 5. βρογχοκήλη, *cùm ad asperam arteriam*, quæ βρόγχος etiam dicitur, tale quid se ostendit. 6. ὑστεροκήλη, *ramex vteri*.

§. 4. *Tertia* est morbus in situ, ratione partis exeuntis. 1. ἐντεροκήλη, *ramex intestini*, qui frequens est, quia intestina adiacent processibus peritonæi, qui vasa spermatica & demittunt ad scrotum, & reuertentia sursùm iterum admittunt. Accidit, vel in scroto, vel in bubone, cùm pro loco dicta vox sumitur. 2. ἐπιπλοκήλη, *ramex omenti*, qui rarior est, quia paucis eò vsque descendit. 3. ἐντερεπιπλοκήλη, *cùm vtraque pars vel huc, vel illuc inclinat.* Ita dantur alij compositi ramices, ὑδρεντεροκήλη, ὑδροφυσοκήλη, ὑδροσαρκοκήλη. Ita in vmbilico mirifica finxerunt nomina, ἐντερόμφαλος, ἐπιπλόμφαλος, ὑδρόμφαλος, &c.

§. 5. Quæritur, An fœminæ, quoque laborent ὀσχεοκήλῃ, Ita enim accipio, cùm extra dubium sit *bubonocele*, quod infortunium plerísque accidit in difficili partu. Quod tu verò mihi monstri affers, dicat aliquis, cùm ὄσχεον, *scrotum*, non habeant fœminæ? ὀσχεοκήλη in viris non fit ratione scroti, sed ratione processuum peritonæi, qui comitantur vasa spermatica in scrotum. Hos procesſûs quia fœminæ quoque habent, vtique & illis dilatatis vel omentũ, vel intestinorum aliquod illabi potest.

Hæ tales virum admittere non possunt. Cùm enim processus cùm Clitoride iungantur, quæ ipsa caua est, verisimile est, locum illum tantoperè impleri, vt sinus pudoris occupetur. Quod si ita se habet, desinant nobis obstrepere ij, qui *bubonocelem* vrgent. Cùm enim illâ parte, quâ fit, eadem fit peritonæi structura in vtróque sexu, quis dubitandi locus est? Et quid bubonocelæ cum processibus peritonæi? Et hæc de Herniis.

§. 6. His socio *strumas* Latinis dictas, χοιράδας, *scrophulas* Græcis, fortassis quia bronchocelæ sunt. Sed cur ita dicuntur? Nescio. Quæ enim de *scopulo* seu *saxo in mari* dicunt, nimis longè abeunt. Quæ de *affectu porcorum*, longiùs. Quæ de *numero porcellorum*, (χοιρὸς enim *sucula* est, 4. Acut. 102.) longissimè. Intelligit autem quiuis, iungi cum herniis, non ratione situs, sed numeri. Harum præcipuus locus est in collo, quâ glandulæ sunt numerosæ, quæ scirrhescentes malum hoc faciunt. Collocant quidam tamen sub alis quoque. Addunt alij, non tantùm glandulas induratas ita dici, sed & cùm tumores ibi oriuntur, qui propriâ tunicâ induti continent vel adipi quid simile, &c. Summa, tenebræ sunt. Ego nuper dixi, confundi nomina rerum. Ita inflammationes, siue benignas, siue malignas hinc arceam.



CAPVT CXXXVII.

De Procidentia vteri, ani, & mucronatæ.

Moneo tantùm, in genere quidem de his affectibus, quò pertineant: in specie autem de *Mucronatâ*, procidere non posse, licèt vulgò credatur. Si vis sententiam meam, incuruari posse credo, tam extrorsùm, quàm introrsùm; quod posterius si fiat, apparere symptomata illa ventriculi, quæ apparent, præcipuè vomitum.



CAPVT CXXXVIII.

De Ancylijs linguæ.

§. 1. Ita loquor cum Paulo l. 6. c. 29. certus, esse affectũ illorum, quos ἀγκυλογλώσσους alij vocant, quemadmodum affectum ipsum ἀγκυλωτὸν. Et est τὸ ἀγκύλιον dim. ἀπὸ τῆς ἀγκύλη. Hinc, non aliunde, sunt *Ancylia* Rom. ideò scriptura hæc seruanda. Cæterùm, an hi ἀγκυλ. soli vocentur μογιλάλοι, vt & ex Aëtio deducitur, valdè dubito. Nã Marci 7.

c. 7. exponuntur per ἀλάλυς, eos omnes, qui *difficulter loquuntur*. Vide Not. in 6. Aph. 32. Consistit malũ hoc ἐν ἀμετρίᾳ τῶν τ̃ γλώττης δεσμῶν, *in moderatione ligamentorum linguæ*, vt cum Gal. loquar, Diff. morb. 10. ὅταν ἢ χαλάζονται, ἢ συντείνονται, *cùm vel laxiora, longioráve sunt, vel strictiora, breuioráque*, vt ex eodem loco possum dicere. *Laxantur* in balbutientibus, cùm, oppleto à linguæ nimiâ mobilitate toto palato, subinde repetunt τὸ *Ba*, aut, *Bar*, quòd Barbarorum, præcipuè *Carum vanalitiorum* esse Græci dicebant. Habebat, credo, inde nomen *Battus* ille, qui Cyrenen in Africâ condidit. Inde enim est τὸ βατταρίζειν Græcorum, nobis *Stammern, Stamblen, Stottern*. *Stringuntur*, cùm lingua breuior, nec satis contingit dentes, nec vibrare se potest ad expressionem literarum quarundam, præcipuè caninæ R. Hoc Græcis est τραυλίζειν, ἢ ψελλίζειν, vt ipse affectus τραυλισμὸς, τραυλότης, ἢ ψελλισμὸς, ψελλότης. Idem enim significare has duas voces facilè concessero: at *Balbutiem* includere non concedo. Nobis *lispeln*.

§. 2. Hac occasione emendo & Pauli & Aëtij codicem, illius quidem, scribendo σκληροτέρων, ἢ κολοβωτέρον, vt hoc ad effectum naturalem pertineat, illud ad p. n. cùm ex incisione *Ranæ*, aliâve occasione ligamentum fit durius: huius autem delendo illa καὶ κολοβωτέρων. Vtérque enim affectus seorsim describitur. Locus Aëtij est l. 4. c. 36. tetr. 2.

§. 3. Hac eâdem cùm Galeni quidem βραχυλογίαν explico per duos hos neotericos; rursùs autem eosdem per Gal. nemo mihi vitio vertat, quòd ex Gal. addiderim vitium oppositum. Vix enim vllum τ̃ χαλάσεως indicium, quàm hoc Gal. loco. Quamobrem dico, Balbi fiunt ex laxitate & humiditate ligamentorum linguæ, ideóque mirum non est, si longis diarrhœis capiantur, 6. Aph. 32. Nimirùm censeo, & Hipp. & Gal. ibi impropriè loqui, τραυλὺς καὶ ψελλὺς accipiendo pro *Balbis, Balatronibus, & Bambalionibus*. Idem enim hæc mihi significant, ἀπὸ τ̃ βά, seu Ba, vnde & βαμβαλίω, quod alicubi inuenio. Horum quidam semper pleno ore loquuntur, *als vven sie breii immaul hetten*. Hoc vitium πλατειασμόν ex Quintiliano vocâro.



CAPVT CXXXIX.

De ὑποσπαδιαίοις.

§. 1. QVandoquidem Gal. loco, quem præ manibus habemus, Diff. morb. 10. meminit affectûs penis, qui impediat, quò minùs semen rectà in vterum feratur, cuius causa itidem sit ἐν ἀμετρίᾳ τῶν δεσμῶν: oportet de illo quoque pauca dicere.

§. 2. Describit ita affectos idem 15. Vs. p. 3. & ὑποσπαδιαίυς appellari ait

ait, vbi vide Com. nostra. Videtur eò alludere, quamuis satis obscurè, pseudo Gal. in Def. Med. cùm ait, esse πάθος, ἐφ' οὗ ἡ βάλανος ἐφέλκυσται. Quod verbi explicant Interpretes, tanquam simplex foret: sed Gal. locutio, quæ de ligamentis est, cogit nos fateri, τὸ ἐπὶ esse heic aduerbium loci, & significare *Deorsum*. Quidquid sit, valdè dubito, an leuicula penis inclinatio tantum mali causari possit? Crediderim causam fuisse hanc Paulo l. 6. c. 54. cur longè aliter descripserit τοὺς ὑποσπαδίας, esse videlicet illos, quibus glans perforata sit, non in anteriori parte, vt debet, sed in inferiori, quà ligamentum est, quod *Canis* appellatur. Et hoc planè vult τὸ ὑπὸ, quod Arist. 4. Gen. 4. ext. explicat per ὑποκάτωθεν. Vnum enim foramen tantùm est naturaliter pro vrinâ & semine. Quo dato facilè credo, tales esse *spadonibus* æquiparandos, quatenus & ipsi steriles sunt. Propterea etiam ὑποσπάδωνες lego omnibus locis.



CAPVT CXL.

De Contractis hodie dictis.

§. 1. HEic res paulò altiùs ordienda est. De Celso habemus l. 5. c. 18. in malagmate Euthyclei, ἀγκύλας Græcis dici *ex recenti cicatrice contractos articulos*. Et Polluci ἀγκύλη est *durities callosa in articulis*. Res si ad Hipp. referatur, inueniemus quidem 3. Fract. 29. τὰς ἀγκύλας, sed in longè alio sensu, pro ansâ seu λαβῇ simpliciter. Quo sensu si quis accipere volet illud in Gloss. ἀγκυλιδωτὸν, (μέρος) τὸ ἀγκύλας ἔχον, *pars quæ ansas habet*, tantumnon ridiculus erit. Præsuppono autem nunc, pro profligatissimo illo ἐπὶ ἁρμάτος, legendum esse cum Foësio, aliisque, ἐπὶ κυρτώματος. Præsuppono etiam, τὸ κύρτωμα heic non afferre vllam *Gibbositatem*, sed ἀγκύλην prægressam. Illa verò est *articulorum contractio*, (Foësij verba sunt) *vbi præ tumoris duritie, aut crassioribus infarctis humoribus, contrahuntur, cùm extendentibus membrum musculis tendo non obsequitur*. Hoc exponit idem pulcerrimo Hipp. loco, ex l. de humid. vsu, vbi ἡ ἀγκύλη iungitur τοῖς ἄρθροις ἐσκληρυσμένοις, *articulis induratis*. Apud Gal. affectus hic reperitur, non tantùm in spuriis, Medico, inquam, & definitionibus: sed & in legitimis, vt 11. Simpl. c. de Ping. 3. Artic. 96. κ. γέν. 6. vbi cum aliis loquens, συντάσεις etiam vocat ἐκτάσεις, συνολκάς, & fortè aliter. In quibus, quàm præter rationem ingeniosi esse voluerint Interpretes, annotatum est mihi ibi. Paulus etiam l. 4. c. 55. ἀγκύλας habet & ἀγκυλώσεις. Vbi moneo, sicubi ἁγκύλη legatur, Atticum id esse. Hi enim sæpè ingerunt densum spiritum, vt Florentini hodiè in suâ linguâ. Et hoc quidem vitium est musculorum in artubus interiorum, seu flectentium.

§. 2. Huic

§. 2. Huic opposito vitio, in musculis quippe exterioribus, seu extendentibus, qui laborant, ὀρθόκωλοι dicuntur, 3. Art. 96. & 100. vbi tamen vitiosè legitur ὀρθόκαλον, & vitiosiùs ὀρθόκυλλον. Τὸ κυλλὸς enim cùm sit idem cum τῷ βλαισὸς propriè dicto; illud verò sit distorsio quædam: quo modo aspiret ad τὸ ὀρθὸν, quatenus τῷ ἀγκύλῃ opponitur.

§. 3. Quo loco duo moneo. *Alterum*, Galenum in illo de Differ. morb. significare vtrumque affectum vnico verbo ἀπορραγεὶς, *si ligamenta sint abrupta*. Interioribus enim si accidat membrum fit ἀγκυλιδωτὸν: si exterioribus, ὀρθόκωλον. Tu verò absque etiam me intelligis, locutionem esse exemplarem. A vulnere enim fieri pariter potest, vt & ab vlcere. *Alterum*, Foësij verba suprà opus declaratione habere. Imò verò, non puto affectum mereri alterutram appellationem, antequam à tumore exulcerato corrodantur ligamenta.

An ad vtrumque pertinet quoque τὸ ἠγκυροβολεῖν apud Galen. in Glossis? Puto. Tū verò explicari nō poterit per τὸ ἐγκαταπεφυκέναι. Vide Foës. in Oecon.

§. 4. Addo *tertium*, ex pseudo-Medico, cap. 15. hos affectus, non in artubus tantùm apparere, sed & in collo. Meo in Italiâ tempore, cùm ad curandum illum Patauio Florentiam vocaretur Illust. D. ab Aquap. in natu maiore Principe Ferdinandi, Magni-Ducis Hetruriæ, qui postea Cosmus III. fuit, accepisse scio, à patre quidem catenam auream 12. marcarum, à matre autem 8. solidi auri.



CAPVT CXLI.

De Imperforatis.

§. 1. EX Arist. scimus 1. Hist. 2. omnia animalia opus habere trium partium generibus, ore, quo alimentum capiunt: ventriculo, quo elaborant: denique illâ, per quam excrementa exeunt. Quæ cùm duplicia sint, *Sicca & humida*, pro illis quidem *Anus* est factus, pro his autem *Vesicæ* collum. De ventriculo heic dicendi locus non est: at quibus vel os clausum est, vel alteruter exitus, ij ἄτρητοι (non ἄτρυτοι) dicuntur, 3. Caus. sympt. 5. Morbus autem est in censu eorum, qui in *Situ*. His accedit, in vtroque quidem sexu palpebrarum coalitus, meatûs auditorij, digitorum, &c. In fœminâ duplex aliud malum. *Alterum*, cùm vteri orificium clausum est. *Alterum*, cùm hymen tam densum & carnosum est, fitque adeò sinus pudoris tam angustus, vt penem admittere non possit. De posteriore cùm ageret modò dictus D. ab Aquapendente, affirmabat satis frequens esse malum, & se multas Veneri habiles reddidisse incisione carunculæ huius. Videtur huic malo proportione respondere in viris, cùm præputium annascitur glandi.

§. 2. Et hæ quidem συμφύσεις dicendæ erant Gal. in illo de Differ. morb. De quo duo moneo. 1. Palpebrarum σύμφυσιν videri esse φίμον, ἢ φίμωσιν, de quâ infrà. 2. Digitorum σύμφυσιν morbosam non


esse, nisi lædat actionem. In pueritiâ meâ vidi puerum rusticum, cui in vtroque pede coaluerant duo digiti, sine vllo ambulationis vitio.

ABERRATIONES.

§. 3. Fuchs. f. 386. errat quidem cùm morbos hos *Compositionis* vocat: Cæterùm laudandus in eo, quòd triplicem eorum naturam luculenter describit. In *Herniis* f. 431. quæ desint, conferenti patebit.

§. 4. Sennert. f. 131. & breuis, & obscurus est in explicandis his morbis. Et cur non declarat per exemplum vel vnicum? cur Fuchs. illi tam despicabilis est? Nec excusant hoc factū specialia, quæ sunt f. 159. Sed & labitur in iis non semel. 1. cùm titulum præfert *Compositionis*. Si enim scisset, θέσεως in Græcis Cod. melioribus esse, non venisset ad falsarium συνθέσεως. 2. Hoc habito, lusoria fit distinctio in morbos generales & speciales. 3. Non duo, sed tria heic spectantur. 4. Duo illa redeunt in vnum, si accuratè consideres, in θέσιν. Nec refert, si Gal. θέσιν explicat per κοινωνίαν καὶ ὁμιλίαν. A generali enim sermone ad specialem descendere oportet, vt ego quoque feci. Tribus verbis, *Morbi sunt in situ*: situs ille est triplex 5. τῶν συμφύσεων disertè non meminit, in explicatione (inquam) generali. Reliqua non attingo, licèt non desint monenda.

§. 5. Lidd. f. 189. non tantùm fouet errorem *Compositionis*: sed & tres *situs* morbos non satis lucidè explicat. In ὑποσπαδιαίοις duo cupio ab illo discere. 1. Quâ ratione glans possit penem vehementer deorsùm trahere? 2. Qui sint illi penis flexus, in quibus semen hærere potest? Et hi quidem fuerint morbi Organici omnes.



SECTIO IX. & *vlt.*

CAPVT CXLII.

De Continui solutione.

§. 1. QVi morbus à Gal. nobísque dicitur λύσις τῆς συνεχείας, *solutio cõtinui*, seu *vnitatis*: is ab Hipp. olim 3. Off. Med. proæ. vel ἀπόστημα, *abscessus*, quòd partes, quæ continuæ erant, ab se inuicem discedant, & quasi hient: vel ἀπόσπασμα, ἢ διάσπασμα, *abruptio*, aut *diruptio*, quod ipsum probat fusè Mont. 5. Morb. 17. Diximus nos quoque aliquid in hanc rem in Isagog. cap. 4. Vtrumque vocabulum à generali hac significatione transiit ad specialia, de quibus fortassis infrà.

§. 2. Quod ad propositum nostrum, latè sparsa fabula est, Morbum communem esse in partibus, tam similaribus, quàm dissimilaribus, hoc est, tam *Intemperiem* esse, quàm *morbum Organicum*: sed quei id fiat? &, an semper? non video satis explicatum esse. Quid Mont. cap. 19. seq. ex Gal tentet, in procliui est videre volentibus. Mihi, post longam meditationem, locorúmque inter se collationem, hoc subuenit. Diff. Mor. 4


§. 3. *Solutio continui*, vel in ossibus est, & dicitur *solutio continuitatis* illorum, ἀγμὸς, ἢ κάταγμα, *fractura*, quæ sub se habet alia etiam nomina: vel in partibus aliis mollibus, & dicitur τραῦμα, ἢ τρῶμα, *vulnus*, & ἕλκος, *hulcus* dicendum, si originem spectaremus, quod vulgò omnes dicimus *Vlcus*. Vtrobique partes organicæ, à suâ continuitate descíscentes, hiatum faciunt.

§. 4. Rursùs, cùm in partibus mollibus (ita loquor, non ignarus, in ossibus quoque tale quid aliquando accidere) inter fibras ipsarum insinuat se humor aliquis, dolor fit. Is humor, vel tantillus est, & facit *Intemperiem nudam* suprà dictam: vel satis copiosus, & facit *Intemperiem cum affluxu substantiæ*. Eædem vel vulnerantur, vel vlcerantur.

§. 5. Hinc intelligi potest, quando, vt Montanus proponit 5. Morb. 19. in *Similaribus* tantùm sit? quando in *Dissimilaribus* tantùm? quando in *vtrisque* simul? In *Similaribus* tantùm est, cùm adest *Intemperies alterutra*: In *Dissimilaribus* tantùm, cùm *Vulnus, vlcúsve* ἀπείρατον, vt Græcè dicam: In *vtrisque* simul, cùm *Vulnus, vlcúsve cum Intemperie alterutrâ*. Atque hi sunt modi tantoperè quæsiti.

§. 6. Hi tantò amiciores debent esse nobis, quò acceptior est omnibus distinctio, *Continui solutiones* esse dûum generum, aut *Dolores*, aut *Vulnera, vlceráve*. Hac acceptatâ (esto autem vnicuíque liberum, melius

quid inueniendi, quod est votum Montani quoque) diuidam totum negotium in duas partes, facto initio à *Doloribus*.



CAPVT CXLIII.

De Dolore, in genere.

§. 1. TO' πόνος apud Antesignanos nostros tria significare, accipio quidem, sed admisso hoc lumine. *Aut* pertinet vox ad *Res non-naturales* dictas, & nihil aliud est, quàm γυμνασία *exercitium*: *aut* ad *Res p.n.* Heic iterum, aut *latissimè* sumitur, pro omni eo, quod βλάβην, *noxam* infert, siue *Morbus*, siue *Causa morbi*, siue *Symptoma* sit: aut *pressissimè*, pro symptomate illo solo, quod est in læsâ actione: aut medio modo pro morbo & symptomate iam dicto. Et hoc modo accipitur nobis heic.

§. 2. Huius symptomatis quot & quæ sint *Causæ*, tam incertum est apud Gal. quàm quod incertissimum. Ego, dimissis locis, recensitis in Patholog. cap. 234. accipio inde illos tantùm, qui docent, Duas esse, *Intemperiem*, & *Continui solutionem*, sed ita, vt prior possit reduci ad posteriorem.

§. 3. Nimirùm, vt iam innui, *Continui solutio* alia est sensilis Medico, alia non est. *Illa* dicitur suo nomine, cùm videlicet vel ab externâ, vel ab internâ causâ partes à se inuicem discedunt, & hiatum ad oculum manifestum faciunt. *Hæc* Intemperies, vel *nuda* est, vt suprà descripta fuit: vel *cum affluxu substantiæ*, quæ iterum quadruplex est, vt pariter dictum fuit. Et hæc posterior potest etiam degenerare in hiatum sensilem, si suppuretur, & vlcus fiat.

§. 4. *Intemperies* fiunt ab omnibus illis causis, quæ vel sanguinem vitiosum gignunt, & sunt *Remotæ* seu προηγούμεναι: vel in partem aliquam deturbant, & sunt *Proximæ*, seu προκαταρκτικαί.

§. 5. *Continui-solutiones* fiunt à quatuor causis. 1. est ἀνάβρωσις, ἢ διάβρωσις, *corrosio, erosio, exesio*. Tu puta, cùm prægressa *Inflammatio*, aut huic quid simile, suppuratur, & pus sibi exitum parat, nisi à Chirurgo præueniatur. Quod verò fit ab extrinsecus imposito medicamento acri, venenóve, iam ad causas externas pertinet. 2. est τομὴ, ἢ τρῶσις, *sectio* aut *vulneratio*, cùm à telo acuto, punctim vel cæsim vulnus fit. 3. est θλάσις *contusio*, cùm quis vel ab alto cadit in corpus durum & renitens, vel fuste, saxóve percutitur, vel globo sclopetario petitur. 4. est τάσις, *tensio*, seu *extensio*, tam valida, vt ῥῆξις, *ruptio* sequatur. Vnde intelligitur, me iungere iam τάσιν καὶ ῥῆξιν.

CAPVT



CAPVT CXLIV.

De Capitis dolore.

§. 1 QVæ ſit differentia inter κεφαλαλγίαν καὶ κεφαλαίαν, notum eſſe poteſt: quæ inter ἡμικρανίαν ἢ ἑτεροκρανίαν, & dictas duas, ſatis etiam nota eſt. At quæ ſit illa, quam ἡμίτονον vocant, & quartæ capitis partis eſſe volunt, priſcis ignota eſt. Illa accidit, quia homo eſt biſfidus: hæc nullam baſin habet. At ἡμικραίρα (ἡμίκραιρα alij) toti Græciæ eſt ignota, quantumuis receptam illam velit H. Stephanus in Def. Med.

§. 2. Præcipua diſtinctio eſt, quòd quidam dolor ſit externus, quidam internus. Qui internum tantùm ad oculorum radices peruenire volunt, falluntur. A pericranio enim orta tunica *Adnata* dicta, amplectitur totum oculum.

§. 3. De *interno* mouetur hoc dubium, Sítne ipſius *Cerebri*, an potiùs *Meningum*? Eſt meningum. Subſtantia enim cerebri alba non ſentit, fabricata quippe ideò, vt refrigerandis, ſeu temperandis ſpiritibus animalibus vacet, qui ſpiritus ſunt proximum animæ inſtrumentum, 1. Cauſ. ſympt. 8. A.

§. 4. Sed qualis eſt dolor? Qui grauatiuos ſemper eſſe volunt, inſigniter falluntur. Sunt enim non raro tenſiui & pungitiui, iique tam graues, vt neque lumen Solis ferre poſſint, multò minùs lucernæ.



CAPVT CXLV.

De Oculorum & Aurium doloribus.

§. 1. DE vtroque duo monebo. De *Oculorum*, cur in quibuſdam illi tam immanes ſunt, in quibuſdam delacrymationes continuæ ne ſenſum quidem moueant? Præſuppono ego, *ſerum* eſſe, vt clariùs dicam, *ſeri partem* illam, quæ ſanguini ad oculos ituro vehiculum præbuit, in cauſâ eſſe. Huic vacuando quia Natura per nares viã ſecuit, ſiquidem via illa, vel non ſufficiat, vel intercludatur, fiunt delacrymationes iam dictæ. Hæ modò dolorem faciunt nullum, modò exiguum, modò inſignem: cur Serum naturâ ſuâ, in temperatis præcipuè, eſt ἄπιον: prout autem vel plures, vel pauciores exhalationes terreſtres miſcentur illi,

eò acriùs est, præsertim in Melancholicis. Hæc tu accipies, spero de sero in corpore viuo: illius enim quod bibimus, siue ex caprâ sit, siue ex vaccâ, longè alia est ratio, non tantùm pro diuersitate animalis sui, sed & separationis, quæ fit ad ignem, & addito aceto, aliisque talibus.

§.2. De Aurium (ὠταλγία) cur illi tam crudeles, feriníque sunt? Mihi demùm persuasit Ill. D. Bauh. 3. Theat. 22. extr. in *Tympano* latere causam. Cùm enim ortum habeat ex neruo auditorio dilatato, siquidem ab inclusis p.n. vaporibus vrgeatur, quiuis videt euentum.

§. 3. Hæc dici à me de *Intemperie*, quatenus ab *Inflammatione* distinguitur, manifestum est.




CAPVT CXLVI.

De Dentium dolore.

§. 1. AN, & quatenus dentes doleant? obscurum est negotium. Ego alibi professus sum, didicisse me à Bono-amico, 5. Alim. 33. opus esse distinctione. Considerantur enim dentes, aut quà dentes sunt, seu ossa: aut totum hoc, cum immissis in cauitates illorum vasis, præcipuè membranâ illâ, quæ cauitatibus instar periostij est. Primâ consideratione non sentiunt: imò, contra prouidentiam Naturæ est, corpora duo, quæ in masticatione violenter sibi occursura erant, sentire. Et alioqui verum est, quod Gal. 16. vs. p. 2. ait, ossa non debere sensum habere. Sentiunt igitur secundâ consideratione, sed non (quod Fall. docet in Obs.) antequam alteratio ad membranam dictam perueniat. Hinc responsio debet peti ad problema, ex Aretæo petitum, *Cur dentes percipiunt tantillum frigidi potiùs: sectionem, vstionem non sentiunt?* Qualitas frigida penetrat ad membranam, per substantiam dentis, quæ porosa est non minùs quàm aurum: at ferrum non habet qualitatem vllam.

§. 2. Heic ego illud moneo, Videndum est, ne gingiuarum dolor nobis imponat. Tactus enim sensus confusus est. Hinc sæpè nescimus, qui sit dens ille, qui dolet.



CAPVT CXLVII.

De Oris Ventriculi dolore.

§. 1. SAtis notum est, τὴν καρδίαν priscis vocatam fuisse etiam hanc partem, quàm præscripsi. Hinc sunt & καρδιαλγία & καρδιωγμὸς, quæ voces idem significant.

§. 2. Heic

§. 2. Heic cauto opus est, ne confundamus cùm *Cardiacâ*, quæ est syncopis species, tantò magis, quod & olim, & hodie confunduntur. Eodem modo, ne cum θλίψει τȣ̃ στομάχȣ, quam illi vocare videntur *Angorem* & *Exsolutionem ventriculi.* Distinctionis ratio est. Cardiaca est cordis simpliciter dicti affectus, cùm à copioso sanguine suffocatur calidum natiuum; θλίψις est partis illius, de quâ agimus, ab intemperie frigidâ, ceu dictū est suprà. *Cardialgia* est ab intemperie calidâ, vno verbo, à bile rodente os ventriculi, suâ naturâ valdè sensile. Hæc bilis, vel generatur in ventriculo, vel ex hepate eò corriuatur. Generatio vel ex pinguibus est, butyro, aliis: vel ex alimentis calidis, cepis, allio porro, à quo *Porracea* dicitur. Quæ corriuatur eò, vel *vitellina* est, vel *æruginosa*, vel *isatodes*, &c. Et hi sunt praui, & acres humores Gal. 2. in 2. Epid. 1.

§. 3. Hic affectus hinc & hinc duos alios habet, quorum *alter* est in defectu, *alter* in excessu. *Defectum* constituo in *Ardore stomachi* dicto nostratibus. Non enim aliunde est, quàm ab ebulliente bile, & mordente os ventriculi. *Excessum* pono in ἀλύκῃ Græcis dictâ, seu ῥιπτασμῷ, cùm præ anxietate subinde se iactant ægri. Vide Foës. in ἀλύκη καὶ ῥιπτασμός.



CAPVT CXLVII.

De Iliaco & Colico dolore.

§. 1. VT res ordine procedat, hinc ordior. Ἀπὸ τȣ̃ εἰλεῖσθαι, *circumuolui*, εἰλεὸς est, morbus ita dictus à symptomate, ait Gal. 2. Meth. 2. Sed quod symptomata illud? An, dolorem esse vagum? Putem: licèt enim non semper ita sit, satis tamen est, aliquando esse. An potiùs τὸ εἰλεῖσθαι heic non est *circumuolui*, sed στενοχωρεῖσθαι, *in angustum cogi*? Imò, dicet aliquis, est à circumuolutione. Est enim confessum apud Practicos, morbum ita dici, quòd intestina ita distorqueantur, vt ex ouium intestinis chordæ fiunt. Hinc *Voluulus*, & *Conuoluulus* dicitur. Hanc sententiam expresè confirmat Gal. 6. Loc. aff. 2. H. Respondeo paucis, Gal. quidem loquitur ex vulgi opinione: res ipsa autē falsa est. In viuo enim homine quis ausit dicere, se tactu deprehendisse? Longiùs enim à manu absunt intestina, quàm vel hepar, vel lien. Et horum viscerum obstructiones, quia tactu deprehendi nō possunt, nisi valdè increuerint, quis de intestinis sibi promittat? In cadaueribus, in tantâ scribentium obseruationes raras, &c. multitudine, quis vidit? πȣ̃ κεῖται, diceret Vlpianus apud Athenæum.

§. 2. Atqui, inquis, & altera morbi denominatio huc alludit. χορδαψὸς enim est τȣ̃ χορδῆς ἅψις. Accommoda, sociéne! τ χορδὴν esse *Intestinum* scio: ἡ ἅψις quid est? Ego hactenus nihil melius inueni, quàm

ἀπὸ τ. ἅπτομαι esse, & dici quasi *Intestinorum incendium*, si Medicum vocabulum vis, *Inflammationem*. Nimirum, ita oportet explicare Aretæi locum, vt & στρόφους, *tormina* recipiat; & πίεσιν, quæ eadem est cum στενοχωρίᾳ, *angustia*; ὑπερέσχησιν, quam ex Gal. ὄγκον, *tumorem* exponas licet. Sunt enim hæc omnia vnius huius morbi symptomata, quæ ab vnâ *Inflammatione* meritò exspectes. Ab hac autem fieri ὡς τὰ πολλά, *vtplurimùm*, docere possum ex aliquot Gal. locis, quos repereris in Patholog. c. 241. Sed exile hoc sit.

§. 3. Vt *Iliacus dolor* est ab *Ileo*, siue sit Intestinorum aliquod, siue non: ita *Colicus dolor* aut, vno verbo, *Colica*, est ἀπὸ τ. κῶλον, poëticè κόλον, cùm significat medium inter tria crassa intestina.

§. 4. De his affectibus, si omninò duplices sunt, tres sunt grauissimæ controuersiæ, de parte affectâ: de causis: de signis, de quibus agam ordine. Hac in re hoc mihi sumo, probatum quippe à Mercuriali 5. Var. lect. 11, Veteres, Galeno priores, tam accuratos non fuisse in nominum horum distinctione, sed omnem intestinorum omnium affectum dolorosum vocâsse *Ileon*. Quamobrem meritò dico, Totum hoc esse Logicum, & contemni posse ab eo, qui res sectatur. Eâdem de causâ vel vulgu respuo distinctionem inter propriè & impropriè dictum *Iliacum, Colicúmque*, quorum alter in tenuibus sit intestinis, alter in crassis. Hoc intelligetur ex seq.

§. 5. Quod ad *partem affectam* ostendo primùm aduersariis loca duo Gal. 2. Loc. aff. 5. D. & 6. eiusd. op. 2. H. vbi concedit, vtrúmque affectum, loco affecto differëtem, esse σφοδρότατον, *vehementissimum*. Deinde porrigo illis locum 2. in 6. Epid. 6. vbi ait, Cùm periculosus sit omnis Ileus, longè deterior est ille, qui in tenuibus. Et addit rationem, Quia contagio afficit & hepar & lienem. Heic quamuis fundamentum sit caducum, ex canibus quippè petitum, cùm in homine veriùs id dicatur de Colico: accipio tamen cum Salio, *Maius in Colo periculum esse propter datam rationem*. Addo locum Trall. l. 10. vbi disertè ait, Ileus nihil aliud est, quàm Colici morbi grauitas. Hunc si contemnere voles, quod profectò iniquum est, dabit tibi idem Salius, Annot. in Altim. Hipp. ipsum in Epid. quà de muliere Ileosâ ex inflammatione.

§. 6. Quod ad *Causas*: I. & periculosissima est *Inflammatio*, de quâ actum mihi est suprà, cap. 43. Hanc in scriptis Gal. legitimis, quà de Colicâ, nondum reperi: satis autem esse potest, quod in Pseudo-Medico cap. 14. K. id fit. Post hunc meminere illius Paulus l. 3. c. 43. Trall. lib. 10. In Ileo res est expedita. Nam 3. Aph. 22. C. 6. Aph. 44. A. 6. Loc. aff. 1. I. ferè vtitur his verbis, ὡς τὰ πολλὰ γίνεσθαι ἐπὶ φλεγμονῆς, *vtplurimùm ab inflammatione esse*. Quo loco addo, Necessitatem adeò nullam esse, vt Colica quoque sit ab inflammatione, cùm præsupponamus Colicam esse Ileum mitiorem.

§. 7. II. Causa est *scirrhus*, exempli loco propositus in Ileo à Gal. in 6. illo Aph. vbi cùm dicit, facessere in ἀπόστημα, *abscessum*, non opus est,

est, vt nouam heic causam statuamus: Statuo tamen, vt distinctior sit doctrina.

§. 8. III. Causa complectitur sub se *Intemperies nudas omnes*, siue simplices illæ sint, siue compositæ. Quod ad Calidas, huc pertinet Gal. locus 12.Meth.7. & 8. de Colicâ calidâ. Cura etiam Amati 1.Cent.2. Foresti,21.obs.12. Huius generis Colica est illa, quæ in paralysin desinit, orta ex vinis halituosis,Vngariæ, Austriæ, Alsatiæ, &c. Pertinet & illa,quæ fit ex contactu vesicæ felleæ, ob quam Colum sæpè totum flauescit; In his qui calidis vti volet, & ægro damnum, & sibi infamiam parabit. Contrà si in frigidis vtare nimis calidis,præsertim scammoniâ, malum facies grauius,quin & rheumaticum,12.Meth.7.K.Talis Colica fuit Gal. ex *Pituitâ vitreâ*,quâ vsu clysteris eiectâ, subitò quieuit, 1.Loc. aff.2.D.2. eiusd.5.C. Ad hanc classem pertinent Colicæ, quæ ex certis visceribus sunt, iis (inquam) omnibus, quæ *Diarrhœas* causantur. Hinc Colica quædam est rheumatica, Meth.l.c.

§. 9. IV. Causa *Flatus* sunto, qui, vt suprà dixi, pro matre quidem habent pituitam, pro patre autem calorem non proportionatum, qui frigus à Medicis dicitur. Hinc post errores in victu fit *Cruditas*, de quâ Practici loquuntur, præsertim si expultrix sit ignauior. Heic quoque locum habent temperata potiùs, Chamœm.anethum,&c. dimissis,lauri baccis, castorio, &c.

§. 10. V. Σκύβαλα dicta faciunt, 6.Aph. & Loc. aff. Hoc accidere, cùm intestinis sua negatur bilis, vt non credo: ita censeo, oblitis interiùs intestinis pituitâ multâ, itaque factâ læuitate, quasi tectorio quodam, fieri morbum, quem suprà innui, cap.110.§.6. Tum enim morâ exsiccantur excrementa. Idem accidit in bubonocele, cuius rei domesticum exemplum habeo: fortassis etiam in oscheocele. Attingit Senner. hāc causam, 2. Inst. 3. fol. 333.

§. 11. VI. *Calculi*, vt ex historiis habemus. Ex iisdem VII. comperimus, *Lumbricos*. VIII. *Pinguedinem*. IX. *Ingressum intestinorum mutuum*,apud Columbum. X.*Venena* quædam,auripigmentum,lithargyrus, buprestis. Tandem & *Error externus* heic locum habet, v. g. cùm quis ingurgitat cibos frigidos multos, lactucam, brassicam crudam, peponas,cucurbitas. Item si frigidiss.actu potum infundat.

§. 12. An licet mihi dicere, quod suprà c.60.§.2. omnes obstructionis causas,à Gal.scriptas,Diff.& Caus.morb.7.locum habere posse heic, si rectè explicentur? Certè ἡ σύμφυσις, quæ in ordine prima est, visa fuit à Iouberto in sorore Rondeletij. Nec refert, si tum in aliam tribum transponantur hi dolores.Alio enim respectu alij sunt morbi,sine omni medentis detrimento. Ita Colica fit rheumatica, ceu dixi.

§. 13. Quod ad *Signa*, in maximâ illorum confusione, audebo ego promittere ordinem aliquem. I. idque proprium & inseparabile dicit esse Galen.7.Aphor.10.A. *In Ileo nihil descendere per inferiora.* Quin 6. Aphor. 44. A. addit, *Etiamsi quis acerrimo vtatur clystere.* Hinc 3.Caus. symptom.2. F. G. docere potest, In ileo, cùm descensus excrementorum

mentorum sit interclusus, redire illa sursum. Id adeò fieri vult, Diff. sympt.4. I. ob vitiatum motum peristalticum deorsum. Huius consequens esse videbatur, Vomitum stercoris esse in omni Ileo. Hoc verò negat vtroque Aph. loco, dicens, *Esse in ijs tantùm, qui perniciosè laborant.* Atqui, inquis, omnis Ileus, cum Colicâ comparatus est perniciosus: Rectissimè. Et hac παραμυθία meliorem non inueneris. Hac ipsâ solidaueris etiam ea, quæ ex 3. Epid. 2. t. 6. afferuntur, in historiâ mulieris, quæ apud Tisamenum, *Ciebantur vomitiones crebræ*, inquit Hipp. *potum non continebat.* Et mox: *Deiectiones paucæ.* Huic iunxeris id, quod ex 3. Morbis, N. 15. apud Marinell. obiici solet. Parat enim senex suppositorium. Reuerà, tanta est latitudo in his, quanta fuit causarum. Res est, Nihil descendere est signum morbi desperati. Quo casu, anus aliquando ita clausus est, vt nec tubulum admittat. In leuiori malo, etiam fluidior est aluus. Tum verò excrementa bubulo stercori sunt similia, aquæ innatantia, ob permistos flatus, Loc. aff. F.

§. 14. II. *Vomitus* est. Hunc primùm omnium, doctore Gal. in eodem de Loc. aff. E. à nephritico separare oportet. Fortassis etiam ab vterino, vt Mass. admonet. Deinde, cum vomitu iungere oportet nauseam, subuersionem ventriculi, inappetentiam, quæ mala sunt leuiora, & accidunt ideò, quòd ventriculus instratus sit colo. Tum verò considerare oportet, qualia sint vomita? Aliquando enim chylum inalteratum inuenies, cum tenuia intestina sunt inflammata: aliquando chylum iam exsuccatum, siue stercora, cùm crassa intestina laborant. Quam ob causam error grauis est, dicere stercora esse signum affectorum tenuium. Fiunt enim illa demùm in crassis. Imò in vniuersum falsum est, dolorem supra vmbilicum signare tenuia intestina, &c. Colum enim in homine inequitat omnibus intestinis, vt innui modò. Cæterùm, vomitur stercus, non tantùm, cùm ab Inflammatione est malum, sed & ab aliis causis. Vt ad chylum redeam, vomitur ille aliquando etiam corruptus. Vomitur & pituita, modò sola, modò cum bile.

§. 15. III. Flatus sunt, qui si exeant in copiâ, in propinquo spes est. Sed desino plura, cum hac conclusione, *Tam mirificè variant hæc symptomata, vt excusatio veterum hæc vna sit, Vix aliquid certi scribi potest.*

ABERRATIONES.

§. 16. Fuchsius, quia f. 386. præter rationem turgidus est in defendendo Gal. præter etiam rationem facerem, si me immiscerem, vel ideò, quia *Logica quæstio* est, *Quatenus Continui solutio sit morbus communis?* Idem f. 422. miserè confundit τὴν καρδιαλγίαν cum καρδιωγμῷ, vt suprà innui. Idem f. 427. insistit veteri errori, quo *Ileus* quidem sit in tenuibus intestinis

testinis tantùm, *Colica* autem in crassis: Etymologiæ *Volvuli* & *Convolvuli* eadem est ratio.


§. 17. Sennertus quæ f.47.& iterum f.163.contra Auerroëm & Argenterium dicit, non sunt pro captu ætatis illius quam instituimus. Eiusdem conditionis sunt, quæ mox contra Fuchsium. Fortè dicam, ea, quæ f. 268. de dolore disputat, esse eiusdem ordinis. Tamen, quia res Gal. attingit, dicam breuiter, quid rei sit. Definit Gal. dolorem 2. aff. 2. A. quòd sit αἴσθησις ἀνιαρὰ, *sensus tristis*, vt Interpres vertit. Heic multi multa audent. In rei veritate, est ἀκυρολογία. *Dolor enim* (sæpè dicebat Scherbius) *non est sensus*, (ita enim sensus esset sensûs) *sed perceptio seu sensatio rei tristis*, quemadmodum voluptas est perceptio rei suauis. Quid igitur est illud, quod tristitiam inducit? Dispositio p. n. sensum corrumpens. Hæc ipsa dispositio est morbus, à quo dolor, tanquam symptoma, pendet, qui morbus primò lædit actionem, cùm symptoma id faciat secundariò, intercedente morbo. Hinc intelligitur, quo sensu verum sit, quod ait Noster, *Dolorem non ad morbum referri, sed ad symptoma.* Nisi enim morbum simul cointelligas, vt sic dicam, ne possis quidem intelligere symptoma. Idipsum instruit nos, quid sit iudicandum de discursu illo, *Dolorem esse actionem deprauatam seu corruptam.* Reuerà dolor non pertinet ad primum illud genus, in quo Natura deposcit sibi partem aliquam: sed ad secundum, quod à solo morbo est, Naturâ nihil agente. Et quid est illud, *Quod propriam speciem & formam deponat?* Video de sensu illum interpretari: sed quæ est sensûs *propria species, propria forma*? An *Temperamentum*? Hoc mutari & corrumpi non nego: sed quâ ratione differt à Naturâ, seu, vt ipse loquitur, à Naturæ limitibus? Ambages igitur hæ quidem sunt: non melioris conditionis sunt, quæ sequuntur de sensu ipso, & facultate sentiente, nec potest Gal. hac ratione defendi. Eiusdem farinæ sunt, quæ ex *Recente sententiâ* cumulat, de distinctione sensûs à re per sensum perceptâ. Quídni verò? Oportet omninò distinguere dolorem, quatenus est effectus quidam, symptoma, à morbo, qui est causa efficiens. Hic morbus, si constituit

ſenſorij corruptionem, vt ipſe denique vocat, iam ſumus concordes. Et hoc videtur ſibi velle, cùm ait, Galenum definiiſſe per cauſam. At verò hæc corruptio annon potiùs eſt abolita actio, quàm deprauata? Tum verò quid erit ἀναισθησία ἢ νάρκη, *ſtupor*? Summa, redit res eò, quò ipſemet dicit f. 187. a. *In dolore neceſſariò duo concurrunt, &c.* Huius verò conſectarium eſt, Galenus malè definiuit, ſiquidem definiuit. Ego enim nego, & dico ne cogitâſſe quidem de definitione, ſed locutum eſſe cum vulgo. Extremum, cupio omnibus de dolore diſputantibus cordi eſſe, quod tandem nobis porrigit Sennertus ex Diff. ſympt. 3. In tactu eſſe ἴδιον ἐξαίρετον σύμπτωμα, τὸ ὀδύνην. Ita enim intelligo. Dolor non poteſt redigi ad diſtinctionem illam trimembrem, quâ actiones læduntur, vel abolitè, vel diminutè: quia tactus habet id *peculiare, & proprium.* Sed ſatis de Dolore: Ilei meminiſſe tantùm, f. 333. Colicæ ne meminiſſe, quidem, admodum miror! Tantámne rem tam negligenter agier!

§. 18. Multus eſt Lidd. f. 307. in tradendâ ratione *Voluptatis* iuxtà & *Doloris*: ſed reuerà Phyſicum agit. Medico enim ſufficiunt cauſæ, & quidem doloris tantùm quo carere vult. Dolorem cùm alium facit propriè dictum, alium impropriè, καταπείζει. Cùm definitionem, φιλονεικίας crimen incurrit. Cauſas quidem exponit duas, & rectè, ſed nimis ſubtilis eſſe vult. Reuerà qualitates primæ dolorem faciunt, non alterando, ſed fibras partis ſenſilis diuellendo, &c. In *Cardiaca* f. 310. errat errorem Fuchſij. In *Colica* & *Ileo* f. 389. quid deſiderare poſſim, ex collatione apparebit vnicuíque.

§. 19. Heurnius f. 249. in *Voluptate* & *Dolore* cum Liddelio penè facit paria: at in cauſis Medicis explicandis mutus eſt. Eadem ipſius culpa in *Colica* & *Ileo* eſt. Et hæc de Doloribus.

CAPVT



CAPVT CXLIX.

De Dysenteria.

§. 1. Δυσεντερίαν esse *difficultatem intestinorum* notum est omnibus. Non ita notorium est, Dysenteriam quandam esse propriè dictam: alias tres impropriè. Illam simpliciter etiam dici: has cum additione, αἱματώδεις ἢ αἱματηρὰς, *Sanguineas* seu *Cruentas*. Quia igitur similitudo in nominibus tantùm est; in curatione dissimilitudo longè maxima: operæ precium fuerit distinctam persequi doctrinam.

§. 2. Quid ergo est *Dysenteria* præscripta? propriè & simpliciter dicta? Ἕλκωσις τῶν ἐντέρων, *Exulceratio*, seu *vlcus intestinorum*, 6. Loc aff 2. A. 2. eiusd. 5. G. 3. Caus. sympt. 3. S. 4. Art. 40. Hanc *Tormina* vocâsse Celsum, l. 2. cap. 8. vt certum est, ita mirum videri possit, Cur autor hic Latinus tam longè discesserit ab ὀνοματοθεσίᾳ Græcâ? Acquieui quondam illorum sententiæ, qui dicunt, κατ' ἐξοχὴν ita esse vocatam, ob doloris immanitatem. Nunc puto, quia sanguis non nisi in ἀκμῇ morbi se ostendit, voluisse illum (aut siquis alius) nomen figere tale, quod principio morbi conueniat. Sed profectò infeliciter. Dolores enim non mitiores sunt in Colicâ, in Calculo, &c.

§. 3. Quidquid fiat de nominibus, in quibus faciles esse debemus: verisimiliter in dubiū vocârit aliquis, *An Dysenteria hæc rectè sit collocata inter Continui solutiones?* Cùm enim, quod ex dicendis elucescet, non minùs rheumatica dispositio sit, adeóque tot fluxionis initia habeat, quot vel *Diarrhœa*, vel *Colica*, ne alios iam morbos accersam: cur non potiùs cum dictis morbis duobus censetur? Possit & hac de re dubitari: cùm *Dolor* heic sit præcipuum symptoma, & sanguinis excretio non nisi serò accedat, cur non fuerit accensita doloribus? Ne longiùs abeam, Multis iam memoratis morbis accidisse hoc vidimus, vt sub pluribus essent tribubus, quid miri, si heic quoque fiat? Quâ in re, si quis nouare quid velit, cum eo ego non ero.

§. 4. Quin, vt ad praxin quàm proximè accedam, ponam iuxta *Diarrhœam*, & dicam primo loco, Qui ad curandam dysenteriam accingere se volet, *ante alia omnia* dispiciat, *Criticáne* sit, an *Symptomatica*? *Secundo* loco distinguat partem mandantem à recipiente, vbi inueniet, Hanc semper esse Ventriculum cum intestinis, perinde vt ibi: illam esse aliquando Cerebrum, aliquando aliam atque aliam partem, prout syllabus describendus dabit. *Tertio* loco inquirat in signa, & præcipuè in id, de quo in Colicis quoque & Iliacis, sintne peculiariter affecta, vel *Tenuia*, vel *Crassa* intestina?

§. 5. Quo habito, licebítne mihi definitionem apud Gal. in defin. putatitiis accommodare rerum naturæ? Versor? ἐν μέρει τῆς θεραπείας, *vt medear ignorantiæ & confusioni.* Ideò ita transpono & corrigo, Δυσεντερία ἐστὶ ῥευματισμὸς τῶν ἐντέρων, μετὰ τοῦ δάκνεσθαι καὶ ἀλγεῖν τὴν κοιλίαν, καὶ τὰ ἔντερα, καὶ ἀποκρίνεσθαι τρυγώδη, ἤγε καὶ αἱματώδη ἀπολείμματα, *Dysenteria est fluxus alui, cum morsu & dolore circa ventriculum & intestina, necnon vacuatione fæculentorum, aut etiam strigmentosorum excrementorum.* Nimirùm hic est Naturæ ordo, & ita sibi succedunt signa, ceu dicetur. Quòd si pro τρυγωδῶν fas esset scribere ξυσματωδῶν, rem confectam haberemus. Intelligetur id autem ex seq. In mutatione casuum, & transpositione vocum quid fecerim, in oculis est. Sed neque deleui expletiuas illas voculas, vt olim, ἤγε καὶ, tandémque τὰ ἀπολύματα: quod verbi Græcum non est, mutaui in ἀπολείμματα, ἀπὸ τοῦ ἀπολείπω, vt sit idem quod ὑπολείμματα. Sed ad rem: Prima distinctio aliûs loci est; de secundâ fas est nos diligenter cogitare.

§. 6. I. Quemadmodum ibi *Diarrhœa cerebralis* occupabat primum locum: ita fiat heic quoque. Hæc fit cùm serum in capite collectum fit salsum & acre, hoc est, cùm vel putrescit, vel miscentur illi salsi serosi humores. Hi enim sunt duo modi apud Gal. quibus pituita salsa fit. Et hoc est, quod 6. Aph. 2. dicitur, cùm, quod destillat è capite, ἁλμυρώτερον πως γένηται, *salsius quodammodo factum fuerit.* Tu verò memineris distinctionis alibi traditæ, vocare me heic pituitam, non propriè dictam, quæ in ventriculo & intestinis generatur: sed impropriè, quæ *Serum capitis* est. Hanc pituitam si contingat repere in thoracem, phthisis fit, vt ibi dicetur. Tales dysenteriæ fiunt in calidis constitutionibus, 3. Aph. 12. & 16. in corporibus humidioribus, Ib. 11.

§. 7. II. Cùm pituita propriè dicta salsescit modis iis, qui dicti sunt, fit altera Dysenteriæ species, quæ partem mandantem non habet, nisi tum, cùm vel ex capite, vel aliunde venit serum illud, quod permiscetur, qui alter salsescendi modus est. Huc pertinet dysenteria illa, quæ fit à *Cruditatibus* præcipuè nidorosis, cùm à calore fit corruptio, durátque malum etiam, cùm cruditates verisimiliter finem habent. Pertinet illa quoque, quæ in dentitione. Ferè enim febricitant.

§. 8. III. Cùm in hepatis intemperie calidâ, seu intra latitudinem sanitatis, plus satis bilis gignitur, & Natura se exonerat hàc, accidit *dysenteria hepatica* dicta, seu biliosa. Quo loco non prætereundum est, quod in Diarrhœâ monui. Gal. aliquandò ita vocare, cùm à cruditatibus calidis malum est, siquidem diutiùs duret, quàm par est.

§. 9. IV. Cùm fit in eâdem tam hepatis, quàm lienis intemperie translatio genitæ *Atræ-bilis* ad intestina. Hoc malum ferè lethale est, præsertim si generata sit ex bile, vel vitellinâ, vel æruginosâ, vel harum aliquâ. Contrà, si sit ex sanguine torrefacto, quam non *Atram-bilem* solet vocare Gal. sed *atrum humorem*, in confinio atræ-bilis consistentem.

§. 10. V. Cùm

§. 10. V. Cùm in Meſenterio collecta illuuies quædam variarum ſordium putreſcit, & conſtituit *Dyſenteriam Cacochymicam*. Huic oppoſita *Plethorica* ſeu *ſanguinea* ad cap. ſeq. ſpectat.

§. 11. VI. Huc referunt illam quoque, quæ ab medicamentis purgantibus fit, à venenis propriè dictis, arſenico, hydrargyro, &c. Cuius generis quia *contagium dyſentericum* eſt, refero hûc, & dico, A causâ externâ eſſe tales dyſenterias, ideóque in indagatione cauſarum ſeorſim collocandas eſſe. Vbi quæri ſolet, quatenus verum ſit, à fructibus eſſe, ceraſis, prunis, pyris, pomis? Cùm malum Epidemium eſt, non eſt. Et hoc eſt, quod excipere oportet, ne obiiciatur nobis, Atqui ſæuiit dyſenteria antequam matureſcerent fructus iſti! Alioqui cùm putredini valdè obnoxij ſint fructus, quiuis videt, quid ſibi ſequendum ſit.

§. 12. Sunt, qui ex 1. in 6. Epid. 13. pus addunt, poſt ruptos interiores abſceſſus. Hos non auſculto. Vide Sennert. in Praxi.

§. 13. Ex his diſtinctè ſciemus, Quatenus & quando in hac dyſenteriâ ſit affectum *hepar*, nec poſſit ſine piaculo in curatione negligi? Dico *In hac*. Quàm enim certum eſt, in cruentarum dyſenteriarum ſpeciebus duabus eſſe affectum, veluti dicetur mox: tam incertum eſt, an in hac quoque ſit? Si autoritatem ſpectemus, liberabimus hepar omnino. Gal. enim 9. *κ.τόπ.* 5. A. & iterum 6. Loc. aff. 2. A. diſertè illud exculpat. Contrà 6. Aph. 3. non obſcurè accuſat. Reſpondeo, neque in vniuerſum onerari poteſt, neque in vniuerſum releuari. In dyſenteriâ biliosâ, tam intra, quàm extra latitudinem ſanitatis, præſertim ſi hepatis intemperies ſit inſignis, niſi illi occurras, deduces hominem ad tabem. Hoc deduco ex 6. illo Aph. ſimúlque excuſo Gal. *In hac dyſenteriâ vtplurimùm hepar non eſt affectum*. Interim, ſi alia ab hepate ſit pars mandans, neque illam deſerere fas eſt.

§. 14. His ita peractis, veniendum fuerit ad *ſigna*. In his tantum non ſecuros nos facit Gal. dum 6. illo de Loc. aff. necnon 12. Meth. 7. extr. & facilem, & ſcientificam huius mali cognitionèm eſſe aſſeuerat. Vtinam ita eſſet! Ego conabor lucem huic negotio fœnerari hac oratione. Primus mali inſultus *ἐν τῇ ἐπὶ συνισταμέναις δυσεντερίαις, dum fiunt*, 4. Aph. 26. 6. Loc. aff. 2. *deiectio crebrior cum torminibus eſt*. Vtriuſque ſymptomatis cauſa eſt *χυμὸς δακνώδης, ἐν ἀρχῇ ἀποῤῥύπτων καὶ ξύων*, 1. Loc. aff. 2. F. Nimirùm, hoc pro confeſſo accipere oportet, omnem illum *humorem*, ex quacunque parte fluat, eſſe *δακνώδη, acrem, mordacémque*, qui proinde *rodit, lancinat, fodicat, laniat, radit, ſcalpit*, inteſtina. Quod quia in itinere illo deorſum multis locis fit, quò altiùs orditur, eò grauiores dolores accidunt.

§. 15. II. *Cùm aliquandiu durauit, προϊόντος τοῦ χρόνου*, 4. Art. 40. ſuccedunt *ξύσματα τῶν ἐντέρων, ramenta inteſtinorum*, 4. Aph. 26. quæ ſunt, vt ibidem ſe explicat, *ἡ ἔνδοθεν ἐπιφάνεια, ὑμενώδης οὖσα καὶ πυκνὴ, ἀνάλογον τῇ κατὰ τὸ δέρμα τοῦ ἐκτὸς ἐπιδερμίδι, interior inteſtinorum ſubſtantia membranoſa, denſa, quæ proportione reſpondet cuticulæ extimæ*. Vno verbo, *Cruſta carnea*, noſtrorum

ſtrorum Anatomicorum. Hæc ξύσματα adeò manifeſtum Dyſenteriæ argumentum præbent, vt, cùm Hippocrates in Clazomenio, 3. in 1. Epid. meminiſſet excrementorum *Dyſentericorum*, Gal. explicet per ξυσματώδη.

§. 16. Heic diſputatio ſe ingerit, An hæc ξύσματα differant ἀπὸ τῶν σωμάτων πιμελωδῶν, *à corporibus pinguedinem referentibus*, eodem 4. Aph. Ajo ego, non differre, adeóque loqui Gal. cum aliis, qui vel ignorabant appellationem Hipp. vel ſapere volebant vltra illum. Vidi ego tantam habere ſimilitudinem cum *pinguedine*, vt alij valdè contenderint eſſe pinguedinem. Verùm ignis ſoluit litem. Interim pro certo hoc habendum eſt, Veram pinguedinem nunquam heic eſſe. Neque enim vlla ſ. n. in interiore inteſtinorum cauitate eſt. Dolus autem eſt laniorum, qui inuerſa inteſtina nobis porrigunt. Interim p. n. eſſe poſſe, non dubito.

§. 17. Alia ſe offert difficultas, An eadem ξύσματα ſint idem cum τῇ ἐφελκίσι? Certè Gal. 3. Cauſ. ſympt. 3. R. ſubſtituit, augétque confuſionem Interpres *Ramentum* vertens. Ego verò duco illum ad 6. illum Loc. aff. B. vbi ſeorſim ponit vtrumque. Tum verò quid eſt ἐφελκὶς? τι αὐτῆς τῶν ἐντέρων οὐσίας, 4. illo Aph. *aliquid ſubſtantiæ inteſtinorum*, σάρκες, *carnes* Hipp. Ib. Hoc igitur fuerit iam III. ſignum Dyſenteriæ, longiùs progreſſæ.

§. 18. Quid igitur fit de IV. ſigno, *Sanguine*, qui videtur pertinere ad eſſentiam huius morbi? Certè, Gal. in illo de Cauſ. ſympt. ſtatim ponit, eúmque vel liquidum eſſe ait, vel concretum. Mihi probabile videtur, ante *Ramentorum* excluſionem apparere non poſſe. *Cruſta* enim illa dicta non minùs tegit orificia vaſorum Meſaraïcorum, in cauitatem inteſtinorum hiantium, quàm Cuticula vaſorum capillarium, in cutim veram euntium. Quamobrem, vt Dyſenteria ſit, ſatis eſt cum dolore inſigni oſtendere ſe *ramenta*. Hoc confirmo ex 6. Loc. aff. toties laudato, B. vbi ſanguinem collocat, & poſt bilem mordacem, & poſt ramenta. Eſt autem ſanguis hîc omninò paucus, & in ſtillis.

§. 19. Iam tandem hoc reſtat, *In vtris inteſtinis ſit? tenuibus, an craſſis?* Falſum eſt, quod in Colicâ iam detexi, & à canibus petitum, Craſſa eſſe affecta, cùm dolor eſt infra vmbilicum, &c. Ideóque noſtri aliò conuerſi, duo afferunt ſigna. 1. Cùm dolor ſatis longo ſpacio præcedit deiectionem, in tenuibus malum eſt: Contrà, ſi ſtatim ſequatur. 2. Cùm ramenta fortè etiam ſanguis, exactè miſta ſunt excrementis, in tenuibus eſt: contrà, ſi contrà.

CAPVT



CAPVT CL.

De Tinasmo.

§. 1. QVia, ſcribente Gal. 7. Aph. 27. affectus hic habet eandem cauſam, quam Dyſenteria: nemo negabit locum hunc ei deberi. Scribo autem Τινασμὸς, & deriuo ἀπὸ τῦ τινάσσω, quod idem eſt ac τείνω, quia deriuatio alia nulla ſuccedit.

§. 2. Differt à *Dyſenteriâ*, 1. loco affecto. Eſt enim recti inteſtini tantùm. 2. genere doloris. Heic enim ſunt *τάσεις, ἢ ἐντάσεις, tenſiones*, ſeu *intenſiones σφοδρότεραι, πολὺ σφοδρότεραι, vehementiores, multo vehementiores*, quàm in Dyſenteriâ. Ne verò mireris tu, quòd aliud conſtituam doloris genus. In artibus enim variat ſpeciem, quod magis eſt, & minus. Et Gal. ſolet has *τάσεις* explicare per *ῥήξεις*, per *τρήσεις ἢ διατρήσεις, rupturas, forationes, perforationes*, quod de Dyſenteriâ non inueneris. Sed quis dolor eſt? *Perforatiuus*, talis, inquam, quaſi quis clauum aut palum adigeret: in Dyſenteriâ eſt *Tenſiuus* tantùm. 3. Copiâ excrementorum, quæ omninò pauca heic ſunt, cum quibus ſi eant *ξύσματα*, ſeorſim ab excrementis eunt. 4. Sanguis etiam heic paucus eſt, ſi cum Dyſenteriis cruentis compares.

§. 3. *Sed à quibus humoribus fit?* Non dubito aſſerere, fieri ab omnibus à quibus Dyſenteria. Patiantur igitur ſe erudiri illi, qui ex 3. in 3. Epid. 70. vrgent ſolam pituitam acrem, putredinoſámque, quam cum ſalsâ eandem eſſe vix dubito. Nec quidquam impedit τὸ διαγλισχρόν Gal. quod ad viſciditatem referunt illi. Non enim omnis pituita ſalſa eſt viſcida: & τὸ διὰ ad dolorem commodè referri poteſt.



CAPVT CLI.

De Dyſenteriis cruentis.

§. 1. IAm anteà dixi, *Dyſenterias* cum additione hac, *Cruentas*, tractari heic ob ſolam ſymptomatis ſimilitudinem. Non enim ſunt *Continui ſolutiones*: ſed *morbi Organici* in viarum laxitate, vt dixi.

§. 2. Has consistere in numero ternario consensus est, licèt Gal. mirificè variet. Quæ res quia Instituendum nostrum morari non debet, breuibus & paucis me absoluo. Qui plura volet, adeat Patholog. cap. 245.

§. 3. Ab initio explico, quibus differant ab *Dysenteriâ simpliciter vocatâ.* 1. Insignis dolor, quem explicui, in nullâ harum est. 2. Sanguis, qui dictus est fluere paucus, & nonnisi in progressu morbi, in omnibus satis copiosus est, statim ab initio. 3. Idem sanguis in Dysenteriâ simpliciter nominatâ, est ex ipsis Intestinis affectis: in his, saluis intestinis, ex hepate est, præbéntque intestina tantùm iter. 4. In harum duabus posterioribus (vt ego quidem collocabo) hepar insigniter est affectum: in illâ tum tantùm, cùm *Biliosa* dysenteria est.

§. 4. *Prima* igitur Dysenteriæ cruentæ species est, cùm, integro hepate, sanguis laudabilis vacuatur per sedem, idque certis quibusdam temporum periodis. Hoc accidit ferè tribus de causis. 1. Cùm præcisa pars aliqua fuerit. Tum enim cùm Natura tantùm gignat sanguinis quantùm anteà; supersit autem ille, qui parti præcisè debebatur: solet se Natura exonerare. 2. Cùm quis à vitæ genere negotioso transit ad otium, nec simul demit aliquid de victu: solet accidere idem. 3. Cùm habitus calidior transiit in contrarium, adeóque ex viro facta est mulier: idemmet fit. Hoc accidere solet post longas sanguinis vacuationes, post longum vsum balnearum aquæ dulcis, &c.

§. 5. *Altera* species est, vbi ex imbecillitate, aut potiùs frigidâ intemperie hepatis, sanguis generatur, ἡμίπεπτος, *semicoctus*, quem loturæ carnium recentium similem aiunt esse prisci, qui per anum exiens, facit *Diarrhœam lotiuam*, vti ignari antiquitatis Practici loquuntur. Hoc de negotio actum est mihi suprà, cap. 31. Videris etiam aliquammulta in Collect. de Ichorib. §. 16. & seq.

Dysenteriā hepaticam vocat Tral. ex causâ frigidâ, l. 8. cap. 4.

§. 6. *Tertia* est, cùm sanguis crassus, splendénsque deiicitur, idque ob contrariam hepatis intemperiem, *Calidam.* Hoc fit, vel ab initio statim, in φλογώσει hepatis, quâ diu durante, degenerat sanguis tandem in *Atram-bilem*, eam scilicet, quæ benignissima est inter Atras-biles, vt sic dicam. Vel, postquam aliquandiu laboratum fuit intemperie frigidâ dictâ, cùm, quod crassum in hepate subsistit, obstructionem fecit, quam excepit calida intemperies. Qua de re eod. c. 31. Heic quæritur, Annon ex liene quoque fieri possit tale quid? Potest: Sed sanguis non splendet.

§. 7. Quæro ego, *Annon ex cerebro quoque fieri possit talis dysenteria?* Si enim in thoracem cadere potest sanguis, quo vacuato, creditum fuerit phthisin curatam fuisse: quidni in ventriculum cadere pariter possit? Tum verò sanguis proculdubio thrombosus erit.

CAPVT

CAPVT CLII.

De Phthisi.

§. 1. Loquor enim cum vulgo Practicorum, non nescius aliàs distingui apud Gal.eos, qui quocumque modo tabescunt, ab iis, qui ab vlcere pulmonis id patiuntur. Vt rem altiùs ordiar, *αἱ φθινάδες νόσοι, καὶ οἱ φθινώδεις ἄῤῥωστοι* sunt duplices. *Aut* enim competunt voces iis, qui *quouis modo ad tabem eunt*, & dicitur morbus *φθίσις, ἢ ἀτροφία*, vt supra: *aut* iis, quibus accidit *ob vlcus pulmonum*, vel præsens, vel futurum, & dicitur morbus Atticis *φθόη*. Nimirum, solent ita dici, non ij tantùm, qui iam actu laborant: sed & qui dispositionem naturalem eò habent. Ij sunt, qui angusto sunt pectore, cuius conformationis ratione duplex iterum habent nomen. Aut enim *πτερυγώδεις*, *alati* dicuntur, quòd scapulas habeant eminentes, alarum ad instar: aut *σανιδώδεις*, (non *σανιώδεις*) *coassati*, vt ita dicam, quasi ex duobus asseribus compacti.

§. 2. Concludens dico, Loquor de illâ phthisi, quæ *vlcus pulmonum* habet. Hoc excipit extenuatio totius corporis, 7. Aph. 16. quæ fortassis non malè *colliquatio* vocabitur, & *tabes*, cum febre paruâ. Cùm ad extremum ventura est, capilli defluunt, & venter fit fluidus, 5. Aph. 12. & 13. vbi hoc additur, viuere tamdiu, quamdiu expectorare possunt.

§. 3. De *febri* hoc tenendum est, Esse quidem, ratione vlceris, perpetuò *putridam continuam*, cui tandem superuenit *hectica*: ratione autem humorum, in corpore dominantium, posse adsciscere peculiarem naturam, v. g. vt sit *τεταρταιοφυὴς*, *erratica*, *&c.* De vapore, ex vlcere manante, Esse quidem semper cordi inimicum à totâ substantiâ: sed in tantâ latitudine, vt quosdam iugulet intra paucos menses, quosdam ad multos annos affligat. Is ipse tam est contagiosus, vt non tantùm res animatas, etiam ad distans, afficiat, sed & inanimata, vestes, lectos, tabulata, vt ex 1. Diff. febr. 2. A. persuadent. Et non possit malum dici *θηριῶδες*, *ferinum*, ex 2. in 6. Epid. 17.

CAPVT CLIII.

De Empyemate.

§. 1 Τὸ ἐμπύημα, ἢ διαπύημα, ἢ ἐκπύημα esse *πολύσημον*, constat doctis: sed distinctè nondum. Ego, è locis à famigeratissimo Foësio allatis, quatuor exsculpo significata. 1. est latissimum, pro quâuis

cuiusuis inflammationis suppuratione, in quâ verum pus est. 2. non minùs latum, cùm quiuis tumor, siue calidus ille sit, siue frigidus, à quocunque humore conceptus, vertitur in simile quid puri. 3. iam strictum est, cùm in internis inflammationibus tantùm, rupto abscessu, pus colligitur in vicino ventre. 4. strictissimum, cùm in thorace hoc fit, siue post pleuritidem, siue post peripneumoniam, siue post alias. De aliis vlceribus, vt & vulneribus agant Chirurgi.


ABERRATIONES.

§. 2. Fuchs. f. 426. manifestè labitur, cùm non distinguit Dysenteriam propriè dictam, symplicitérque, à Dysenteriis cruentis vocatis, quatenus (inquam) τὸ *Cruentis* non addit. τεινεσμὸς scriptura est ἔξίτηλος, neque vllo modo ἀπὸ τῆ τείνεσθαι deduci potest.

§. 3. Senn. f. 280. rectè quidem explicat distinctionem: sed, quantum equidem scio, fallitur in tertiâ, referendo ad solius ἀναδόσεως vitium. Idem f. 332. Dysenterias cruentas dictas rectissimè ad ἀναστόμωσιν vasorum Mesaraïcorum; non minùs rectè Dysenteriam propriè dictam ῥευματισμὸν vocat: in eo verò nimis apertè fallitur, cùm eiusdem initium statuit esse *Pinguedinis* vacuationem. Platerus enim (is enim, nî fallor primus hoc detexit) manu prehensum ducet illũ ad αὐτοψίαν, *In interiori intestinorum substãtia nulla est pinguedo.* Nescio, an deuitare voluerit additis illis, *Intestinis substrata.* Non enim intelligo modũ loquendi. Et vbi *Crusta Anatomicorum* est? vbi ξύσματα? Vbi ἐφελκίδες? Omnia in vnum chaos confusa.

§. 4. Lidd. f. 497. fallitur, cùm Dysenterias impropriè dictas *Fluxus hepaticos* vocat. Vna enim tantùm ita dici potest, cùm ob debilitatem hepar coquit sanguinem aquosum. Fallitur etiã, cùm in propriè dictâ subitò ponit *Deiectionẽ cruentã*, quæ nonnisi in ἀκμῇ est. Fallit insigniter, in tãtâ Anatomiæ luce, cùm *Pinguedinem* nobis cum Senn. occentat. Quin potiùs dicit, Aliud esse σῶμα πιμελῶδες, aliud πιμελὴν: σῶμα illud nihil aliud esse, quàm ξύσμα Hipp. *Crusta* dicta, quæque ab initio statim se ostendat, &c. Cætera non attingo, mirificè quippe intorta, ne quid grauius dicam.

AVCTA



AVCTARIVM

Morborum particularium, superioribus addendorum.

CAPVT CLIV.

§. 1. VTar heic, tam in morbis ipsis, quàm in partibus, eo ordine, quem mihi ipsi præscripsi. In morbis cùm magna sit nominum confusio, redigam singula ad suas classes.

De Intemperiebus nudis.

§. 2. Οξυρεγμία, Gal. doctore, est ἐρυγὴ ὀξεῖα, *ructus acidus*, qui fit à causis frigidis, diligenter distinctis à Gorræo. Huic oppositus affectus, apud Gal. quidem, veterésque alios, proprium nomen non habet: apud posteriores autem σύγκαυσις ἢ σύγκαυμα τῆς κοιλίας dicitur, *Combustio ventriculi*. Oportet enim hoc addere, vt distinguatur à συγκαύσει simpliciter dictâ, quæ est inter causas febriles, 1. Diff. febr. 3. Atque vt ibi intemperiei certum signum est ἡ ὀξύτης, ἢ τὸ ὀξὺ, *aciditas, acidum*, per ascendentes vapores se prodens: ita heic ἡ κνίσσα, ἢ τὸ κνισσῶδες, *nidor, nidorulentum*, vt Interpretes vertunt, & ostendit *ructus talis*. Intelligitur autem hac voce, quidquid acidum non est, & fit à causâ calidâ, sed tum tantùm, cùm ventriculo præcalido offeruntur cibi teneri, v.g. oua sorbilia, pisces minuti, &c. Hoc mali vt ventriculo proprium est: ita sequens cum intestinis communicat.

§. 3. Πνευματώσις ἢ ἐμπνευματώσις est, *cùm flatu turget ventriculus cum suis intestinis*. Ita enim heic accipio τὸ κοιλίας, vel inde persuasus, quod ait Autor Defin. impediri aliméti distributionem. Ea verò intestinorum est. Huc refero τοὺς κλύδωνας, *fluctuationes*, inuito licèt Gorræo. Flatus enim excitati à debili calore, impediunt τὴν περισταλτικὴν δύναμιν, quò minùs faciat officium.

§. 4. Huc refero etiam στρόφους, *tormina*, seu vt Nonius *tormines*, quatenus à Dysenteriâ separantur, 4. Aph. 11. Dolor est ferè circa vmbilicum & lumbos.

§. 5. Est & vteri ἐμπνευματώσις apud Paul. l. 3. c. 70. quam ex Hipp. αὐεμώσιν ἢ ἐξανεμώσιν voces. Vide Foës.

§. 6. In facultatum rectricum vitiis *Melancholia* est, quâ affectorum quidam ἐκστατικοὶ dicuntur, ἢ ἐνθεαστικοὶ, ἢ ἐνθουσιαστικοὶ, ἢ ἔνθεοι, ἢ θεοφορούμενοι, & fortè aliter. Nimirùm, hæ voces omnes sunt apud me æquipollentes, & significant primariò, eos qui raptus quosdam

habent, vt vulgus loquitur, post quos vaticinantur, alienis linguis loquuntur, &c. Secundariò & vt apud Hipp. ἔκστασις est vehemens insania, vt Foësius nos docet.

§. 7. In facultate ministrâ *visoriâ* Gal. 2. Meth. 6. agnoscit intemperiem crystallini. Hanc octuplicem ait esse, 1. Caus. sympt. 2. Mihi videtur, contentos nos esse posse duplici, *Caliditate*, quæ trahat secum Tenuitatem: *Frigiditate*, quæ crassitiem. ita *Cornea*, vel Tenuior potest esse, quàm debebat: vel *Crassior*. Eodem modo se res habet in cæteris, quà humoribus, quà tunicis: Imò in ipsis spiritibus. Potest enim & crassior esse & tenuior, sed vtrumque ab inelaboratione, *Crassior*, cùm cerebrum frigidius ammiscet illis aliquid de vaporibus suis: *Tenuior*, cùm non elaboratur eò vsque, quò debet. Eodem prorsus modo fit in facultate *auditoriâ*, si rectè capias. Vt non nego, quandam κώφωσιν, βαρυηκοΐαν, δυσηκοΐαν esse ab intemperie frigidâ: ita sibilos, fragores, tonitrua, &c. ab eâdem esse assero. Hoc cùm dicat Gal. 3. κ. τόπ. 1. miror statim subiungere, *Quidam sibili ob exquisitam sensorij subtilitatem*! Non magis enim spiritus auditorius heic peccare potest, quàm semen masculum in calore & crassitie, quod alibi deduxi. Loquor de statu s. n. Phreniticos & Maniacos non moror. Interim, quod posteà dicam, cùm sensoria hæc laborant ab inopiâ spiritus sui, est morbus in numero.

§. 8. Inter morbos oculorum plurimos, inuenio huc pertinere duos præcipuè, *Corneæ flauitiem*, & *Glaucoma Crystallini*. Vt agam per πρωθύστερον, τὸ γλαύκωμα, ἢ γλαύκωσιν definit Gal. 10. Vs. p. 6. ξηρότητα καὶ πῆξιν (non τῆξιν) τοῦ κρυσταλλοειδοῦς ὑγροῦ, *siccitatem* (hanc solam habet 3. Aph. vlt. vbi, quæ sequuntur de suffusione deleo) & *concrescentiam* crystallini. Vnde intelligitur primùm, quid sentiendum sit de Autore Defin. qui ad omnes humores transfert. Deinde, quæ sit μεταβολὴ illa εἰς τὸ γλαυκὸν χρῶμα? Videl. vt ex colore & substãtiâ pellucidâ fiat densa & minùs perspicua. Nimirùm, vt ego intelligo, nisi cũ colore mutetur etiã substãtia, non fieri glaucomam, vt Plautus solet efferre. Hinc videmus, quosdam habere quidem oculos glaucos, seu albos, vt nos interpretamur, sed nihil illis deesse. Heic quærunt docti, cur Paulus l. 3. cap. 22. τὴν ξηρότητα mutârit in ὑγρότητα? Consentio Gorræo, legendum heic quoque esse ξηρότητος. Huc cur veniam, Gal. facit, qui explicat ξηρότητα suam per πῆξιν. Hæc enim fit absumptâ humiditate natiuâ crystallini. Verùmenimverò, oportet hoc accipere de natiuo glaucomate, non de artificiali, de quo vide Com. in 10. Vs. p. 732. An à Naturâ quoque fieri potest tale quid? omnino. *Corneæ flauities* (vt huc tandem veniam) symptoma est Icteri. De hoc mirificæ sunt Doctorum concertationes, quas colligit Sennertus noster 2. Instit. 1. c. 6. qui concludit, ἀχροιαν, *decolorationem* esse, quæque pertineat ad morbos Conformationis. Cui ego: Erit igitur aut morbus in figurâ, aut in cauitatibus, aut in superficie. Non puto cogitaturum quemquam, vel de figurâ, vel de superficie: quare in cauitatibus erit, quod ipsum tamen negat. Dico breuiter, Morbus est in *intemperie*

[Margin: De genuinâ glaucedine vide Rungium, de sympt. visus, θ. 95. & seq.]

[Margin: An ἐκχυμωμάτων quoque, cùm omnia rubra apparet?]

perie, & is quidem non in primis qualitatibus, sed in secundis; vno verbo, in Modo *substantiæ*. Vide Patholog. c. 70.

§. 9. An huc quoque pertinet ἡ μανία ὑστερικὴ Aëtij, de quâ videre tibi est Mercatum 2. Morb. mul. 10. An is ipse morbus est ἀγριασμός τῶν μητρῶν Hipp. 2. de Morb. mul. Nimirùm, pro eo quod vulgò legitur, ἀγριωθῶσι, cum Erotiano lego ἀγριωθῶσι, ἀπὸ τοῦ ἀγρίζομαι, effero, efferatum facio. Nec dubito symptomata ibi dicta sequi posse, si diu duret. Vide Foëss.

§. 10. An pertinet etiam θρόμβωσις, *coagulatio* quà sanguinis, quà lactis, & huius quidem, tam in mammis maternis, quàm in ventriculo infantum? Sed à quâ intemperie? *Frigidâ*. A quâ quia indubitatò est τὸ χείμεθλον, cur ad classem seq referimus? Et hæc est vera scriptura, quippe ἀπὸ τοῦ χειμών, *hyems*. Sed *Pernio* vnde? Nihil dubito, A pede qui Priscis *Perna*, vnde *Compernes*. An id ipsum est à πτέρνα?

De Intemperiebus cum affluxu substantiæ.

§. 11. De his in vniuersum ita est habendum. Suprà dictum fuit, Olim quidem τὴν φλεγμονὴν καὶ τὴν φλόγωσιν fuisse æquipollentia: posteà autem τὴν φλεγμονὴν tributam fuisse *Intemperiei calidæ illi* tantùm, quæ est cum affluxu substantiæ. Quo facto, ἡ φλόγωσις apud nostros relicta fuit *Intemperiei nudæ*, eo modo acceptæ, quo dixi.

§. 12. Rursus, ἡ φλεγμονὴ dupliciter accipitur, latè & presse. Latè significat omnem tumorem calidum, siue ex sanguine sit, siue ex bile, siue ex vtroque humore misto. Presse, illum tantùm, qui ex sanguine.

§. 13. Vterque si curetur κατὰ πρῶτον σκοπὸν, hoc est, *per digestionem insensilem*, nihil mutatur in nomine: sin suppuretur, & vacuetur pus sensibiliter, incipit dici ἀπόστημα ἢ ἀπόστασις, aut etiam ἀπόσκημμα, ἢ ἀπόσκηψις. Euacuato puri succedit κόλπος, *Sinus* dictus.

§. 14. Rursus, τὸ ἀπόστημα tripliciter accipitur, latissimè, latè, & presse. *Latissima* significatio est, cùm sub se habet omnem *Continui-solutionem*, ceu dixi nuper, cap. 142. *Lata*, cùm idem est cum τῷ ἀπόσκημμα. *Pressa* cùm pro *Inflammatione* latè dictâ iam suppuratâ.

§. 15. Rursus, τὸ ἀπόσκημμα quoque tripliciter accipitur. *Presse*, cùm pro apostemate presse dicto. *Latè*, cùm pro eo, quod dicitur κατ᾽ ἀπόθεσιν, *per depositionem*, quæ sub se habet omnem διαδοχὴν, διάδεξιν, ἔνδεξιν, vno verbo omnem ῥευματισμὸν, cùm ex morbo morbus fit, translatâ materiâ de parte in partem, propter morbum Conformationis in viis laxioribus. Sub hac significatione sunt etiam *Atheromata*, *Steatomata*, & *Meliceriдes* quæ ego morbos in numero feci. *Latissimè*, cùm de eo quoque, quod dicitur κατ᾽ ἔκρυν, ἢ ἐκροὴν, ἢ ἔκκρισιν, *per effluxionem*, qualis est *Crisis* omnis propriè dicta, cùm morbus curatur per sensilem vacuationem. Hæc qui confirmata velit locis Hipp. & Gal. is adeat Foësium.

§. 16. Iam

§. 16. Iam Inflammationes nomina accipiunt, vel à parte affectâ, vel à morbo alio succedente, vel à magnitudine & paruitate, vel à similitudine quadam, quam formam dicam. Huc accedit affectus vnus & alter, propter generationis affinitatem.

§. 17. Orsus igitur ab *Inflammationibus*, à loco affecto appellatis, in frontispicio pono illam, quæ *Amygdalas* vulgò dictas, *Tonsillas* Latinis, occupat. Heic primùm hoc mihi sumo, Græca duo vocabula, τὰς ἀντιάδας, καὶ τὰ παρίσθμια esse ἰσοδυναμοῦντα. Deinde, eadem tribui ipsi affectui, de quo agimus. Quâ de re qui plura volet, videat Isagog. nostra, cap. 15.

§. 18. Tonsillis oppositus est ὁ γαργαρεὼν, *gurgulio*, qui & σταφυλὴ *Vua*. Huius affectus quia duplicem idéam habet, duplex etiam nomen accipit. Aut enim æqualiter intumescit, & propendet, dicitúrque κίων ἢ κιονὶς, *columna* seu *columnula*: aut inæqualiter, cùm superior quidem pars lori instar (inde ἱμὰς, & ἱμάντωσις) tenuis est, inferior autem crassa & rotunda; σταφυλὴ, *quod acinum vuæ* cum pediculo suo non malè referat. Vide Foësium. Cæterùm, κιονὶς κεχαλασμένη, vt & γαργαρεὼν, vterque affectus dicitur 6. κ. τῶν. 1.

§. 19. Ab his proximum *cœlum palati*, vt sic dicam, si superficie tenus exulceretur cum rubore, aut nigrore, quod malum signum est, vlcera ipsa ἄφθαι, *aphthæ*, vocantur. Fit vtplurimùm in lactentibus à calore acri lactis. Interim in aliis quoque partibus malum est, de quibus Foësius. Vocabulum videtur esse ἀπὸ τοῦ ἅπτομαι, mutato accentu. Ab ἧπται enim est ἀφθεὶς, *accensus*. Inde ἄφθα, & ab hoc rursus ἀφθάω.

§. 20. *Gingiuarum inflammationes* proculdubio sunt ἐπουλὶς καὶ παρουλὶς: sed non satis constat, quâ differentiâ? Si quæ est, infert illam τὸ ἐπὶ, quod *eminentiam* vult, vt ἐπουλὶς sit *maior inflammatio*.

§. 21. Παρωτίδες, quòd sint παρὰ τὰ ὦτα, ἢ ὤτια, *in glandulis, quæ circa aures*. Hæ χοιράδες, *strumæ*, fiunt, cùm inflammatio degenerat in scirrhum. Ἀπὸ τῶν χοίρων, *à porcellis*, dici certum est: incertum, quid cum illis commune habeant, vel ideò, quia in aliis quoque glandulis, sub alis, ad inguina, quæruntur.

§. 22. In iisdem glandulis βουβὼν est, præcipuè ad *inguina*, cùm ad suppurationem tendit. Transfertur etiam aliò.

§. 23. Ὀφθαλμία, quæ totius *oculi inflammatio* credi possit, est *Tunicæ* tantùm *adnatæ*, vt suprà dictum fuit. Habent differentias quasdam. Τάραξις enim dicitur principium morbi. An idipsum est *Panus*, *paniculus*, *Sebel Arabum*? Fortassis & ἐπιφορὰ, subintellige ῥευμάτων? Fortassis & ῥεῦμα simpliciter: Fortassis & ἄρξις? Vide Foës. Et hoc cùm morbus est cum multâ delachrymatione: at cum sine illâ, cum rubore & dolore tantùm, ξηροφθαλμία vocatur. Ψωροφθαλμία & σκληροφθαλμία ad palpebras pertinent, vt accuratiores volunt.

§. 24. Oculo accubans *caruncula*, ἐγκανθὶς dicta, cùm inflammatio ei accidit, dicitur & ipsa hoc nomine. Cùm absumta est (fit idipsum

ab

ab aliis etiam causis) ῥοιὰς, ἢ ῥυὰς, cùm videlicet aqua, quæ per subditum foramen in nares fluere debebat, per genas it, magnâ cum molestiâ. Hoc modo cùm *fistula* sit facta, σύριγξ deinceps vocatur. An idem affectus est αἰγίλωψ? Sic enim scribo, non ἀγχίλωψ. Hic enim qualis sit morbus, iuxta cum Foësio scio. Τὸ λ. agnosco pro insititio, euphoniæ gratiâ. Quod de λώψ affertur, inane est.

§. 25. Παρωνυχίαν (an παρονυχίαν?) esse inflammationem digitorum ad radices vnguium, notum. Latinis est *Reduuia*, vel *Redinia*. Differt ab hac *Panaritium Arabum, der Vvurm*. Et hæc de loco affecto.

§. 26. Ab *Inflammatione* transitus ad γάγγραιναν καὶ σφάκελον, ἢ σφακελισμὸν esse, nimis verum est. Differunt inter se, quòd gangræna quidem sit incipiens νέκρωσις, *mortificatio*, quarumuis partium inflammatarum, etiam ossium: Sphacelus autem absoluta. Huius originem vt nemo indagare ausus est: ita illius duplicem inuenio. Vulgò ἀπὸ τοῦ γραίνω deriuant, quod apud Hesychium est Comedo. Serpit enim de parte in partem. Illustr. Casaub. Notis in Strab. ἀπὸ τοῦ γάγγα deducit, quæ vox nescio quibus Græcis, *Capram* significet. Huius enim more omnia depascit. *Gangrænam* Fabricius noster Hildanus *den heissen brandt* vocat, quia superuenit in ipsâ inflammatione: *Sphacelum den kalten*, quia pars iam ad tactum frigida & emortua est. Ab vtroque affectu quomodo differant *Phagedæna* & *Herpes*, dicetur infrà.

§. 27. Χήμωσις (falsò χύμωσις vtrius partis, oculi, an palpebrarum sit, in ambiguo est: quin Paulus coniungit. Ego ex originatione probo, palpebrarum esse. Χήμη (quæ & χηραμὺς & μύαξ) *Hiatula*, conchæ species est, cuius testâ Veteres vtebantur pro mensurâ, vt ex Gal. facilè probari potest. Cùm ergo ab influente humore ita distenduntur palpebræ, vt committi non possint, fit morbus in situ.

§. 28. Quod ad formam seu similitudinem, In iisdem palpebris κριθὴ est, *Hordeum* seu *Hordeolum*. Est & σύκωσις, ἢ σύκωμα, *ficatio*, σῦκα item, *ficus* seu *fici*. Vtrumque enim accepto, contra Martialem, aliósque. Hoc vitium ab initio τράχωμα dicitur, *asperedo*, sed non quæuis, verùm cum quasi sulcum ducit, vt σύκῳ κεχηνότι, *ficui maturo & dehiscenti* res similis fit. Et est malum in ano quoque, feréque ab hæmorrhoïdibus externis, quæ inde *feigvvartzen* dicuntur. Interim, vt in *Excrescentiis* dixi, Hipp. in Epid. σῦκον vocat *Fungum, palpebris adnatum*.

§. 29. Τέρμινθος, ἡ, est *Terebinthus*, vel arbor tota, vel fructus ipsius, à cuius fructus similitudine dicitur *pustula* quædam *nigra*, vt Gal. explicat 3. in 6. Epid. 37. vbi Interpres ἐρέβινθος, *cicer*, legit, & sequitur illum H. Steph. in Dict. Med.

§. 30. Ab accidenti dictum est 1. φῦμα, ἢ ἔκφυμα, ἀπὸ τοῦ φύεσθαι, ἢ ἐκφύεσθαι, quod *celerem* (& hoc est signum calidi humoris) habeat *ortum*, præcipuè in glandulis, & quidem sine causâ externâ. *Tuberculum*, aut *Panum* vocant Interpretes. 2. φύγεθλον huic cognatum est, vel ideò, quia ad erysipelas inclinat. 3. Cum horum vtroque conuenit

τὸ ἐξάνθημα, τὸ ἔκθυμα, ἡ ἔκθυσις, τὸ ἔκζεσμα, ἡ φλυκτὶς, ἡ φλύκταινα. ἐξανθέω enim est *per ebullitionem effloresco*: ἐκθύω, ἐκζέω, φλύω, φλύζω, φλύσσω est *Ebullio*. Huc pertinet τὸ ψύδραξ, ἡ ψυδράκιον, licèt origo incognita sit. 4. κονδύλωμα videtur his affine esse, in rugis ferè ani situm: τύλις enim *ruga* est, non *callus*.

§. 31. Ab alio accidenti sunt ἐπινυκτίδες, quod videlicet *de nocte* potiùs, quàm de die crucient. Ab alio, nescio quo, δοθιῆνες, ἡ δοθίωνες, *furunculi, vari*, *&c*. Ita loquor, vt me absoluam à tricis, quas nectunt veteres. A magnitudine est ὀξυφλεγμασία Hipp.

§. 32. Similem cum inflammatione generationem habet, 1. ἐκχύμωμα, ἡ ἐκχύμωσις, καὶ πελίωμα, *sanguinis integrâ cute ex vasis exitus* per ἀναστόμωσιν, vel διαπήδησιν. Dicitur & ὑπόσφαγμα. Latinis *Sugillatio* vocatur. Ab hac voce distinguere oportet τὸ ἐγχύμωμα, ἡ ἐγχύμωσις, *Sanguinis ad partem nutriendam reuocationem*. 2. αἱμάλωψ, cùm id ipsum oculis accidit. Plura tamen significat, quæ videris apud Foës. Nisi fallor, cum hoc idem est τὸ ὑπώπιον, non ὑπόπυον. 3. αἰθόλιξ, & est ἔκζεσις, *ebullitio sanguinis in summâ cute apud Erotianum*. 4. φαῦσιγξ est σπίλος, *macula rubra*. 5. φῳῒς (vt & ἔγκαυσις aliquando) videtur eiusdem generis esse. 6. His aggrego ἐφηλίδα, quamuis aliùs à sanguine coloris sit, quæ & φακὸς, *Lenticula* Celsi. Deriuo ἀπὸ τοῦ ἥλος, *clauus*. An licet cùm Aëtio addere τὸ ἴονθον? Dicunt enim deturpare faciem, instar ὄνθου, *fimi*. Et hæc de Inflammationibus: in quibus multam esse περιεργίαν, vt Galen. alicubi loquitur, quis non videt? Sed cur τῆς σειριάσεως Pauli non meministi? Quia περιεργία est. Morbus est *Causus*. Ad hunc accedemus, si mutemus scripturam, & deriuemus, non ἀπὸ τοῦ σιῤῥὸς, ἡ σιρὸς, (vide Notas in 2. Alim. 38.) sed ἀπὸ τοῦ Σείριος, *Sirius*, astrum, quòd vstulet ægros instar *Caniculæ*.

§. 33. Ab Erysipelate hoc vno me absoluo, *Erysipelas* (legitimum) esse à sanguinis tenuiore parte: sobolem eius *herpeta* triplicem, esse à merâ bile, modò tenuiore, modò crassiore.

§. 34. De *Oedemasi* pluscula moneo. 1. *Oedematis* hodie dicti speciem esse τὸ ἐμφύσημα, *tumorem flatulentum*, qualis φυσοκήλη, &c. 2. *Ganglium* nihil aliud esse, quàm pituitam circa articulos tofescentem. 3. τὸ βάτραχον, *ranulam*, ἡ βάτραχον ὑπογλώσσιον, *ranulam sublingualem*, aut simpliciter ὑπογλωσσίν, esse mistum quid ex pituitâ & aquâ. Vidi enim. Interim absurdum dictu non est, aliquando phlegmonosum quid accedere. 4. τὴν ὑδατίδα, *Aqulam* quibusdam dictam, nihil aliud esse, quàm *serum*, collectum intra duplicaturam pericranij, quà concurrit ad constitutionem palpebrarum, 10. Vs. p. 7. Hoc videtur nobis esse πιμελῶδες, *vnctuosum*, quia miscetur illi aliquid de substantia alimenti, iam aliquo modo albescentis. An *Ranula* est ὑδατὶς quædam? quam eandem esse puto cum *Grandine*? infrà §. 58. 5. His iungo tumores aquosos, *hydrocelen*, *hydropem* ipsum, *Essere* Arabum, quem & *Sora* & *Sare* dicunt.

§. 35. Tam scirrhi, quàm scirrhosi tumores fiunt quidem ab omni humore indurato: at scirrhus propriè dictus à melancholiâ est, aut potiùs atrâ-bile. Ab hac quia procul omni dubio fit *ἄνθραξ*, *Carbo* seu *Carbunculus* (non enim differunt) & *ἀνθράκωσις*, *morbus ipse*, adeóque vel *Inflammatio* est, vel *inflammationi congener*: miror rapi aliò! Tantò magis, quòd ferè initium habet à pustulâ vnâ, pluribúsve, quæ non multò pòst degenerat in *crustam*, *ἐσχάραν* Græcis dictam, non minùs flagrantem quàm pruna, vnde etiam *Pruna*, seu *Ignis Persicus Arabibus* dicitur. Quæras fortè, Cùm tam multa pustularum nomina habuerimus, quo dignanda sit hæc? Tacentibus omnibus, nolo ego occupari in re nihili. Si vis, intuere chaos Ingrassiæ, quod repræsentat Sennertus etiam noster.

§. 36. Ab eâdem atrâ-bile fit *Cancer*, *καρκῖνος*, *ἢ καρκίνωμα* dictus, mirúmque non coniungi. Qui dubitant, calidúsne, an frigidus tumor sit? non rectè instituti sunt in Physiologicis. Primò enim non distinguunt inter Melancholiam & Atram-bilem. Deinde nesciunt, quatenus vterque hic humor sit frigidus? *Subiecto* tantùm. Cæterùm, omnis habet *ἐμπύρευμα*, & quidem maius, minus, pro cuiusque materia, quod alibi deducitur. Differt initium *Carbunculi* & *Cancri*, quòd ille quidem semper in epidermide præfert pustulam, pustulásve: hic autem sub cute ad tactum exhibet duritiem, duritiésque rotundas, pisi, aut fabæ magnitudine, quibus in vnum coëuntibus, fit similitudo quædam animalis multipedis.

§. 37. *Φαγέδαινα*, & inde *φαγεδαινικὰ ἕλκη* quæ sint, video in obscuro esse. Mihi autorum loca conferenti apparet, esse *tumores*, & hos excipientia *vlcera cancrosa*, hoc est, minùs maligna, quàm cancer, *Chironia* aut *Telephia* dicta. Hinc concludo, esse illa quoque ab atrâ bile, verùm mitiore, fortassis illâ, quæ fit ab adusto sanguine. Differunt *ἀπὸ τῶν νομῶν*, *à Nomis*, quòd illa quidem sine putredine sint, hæc cum putredine. Hæc ipsa sunt recentiorum *Lupus*, & *Noli me tangere*. Omnia hæc habent initium, quale *Carbunculus & Cancer*, cuius ratione ad *Tumores p. n.* referuntur. Sed quâ re distat ab his *ἕρπης ὁ ἐσθιόμενος*? Est in *cute* solâ, cùm illa *carnem* etiam subiectam depascant. Prætereà, *herpes exedens* est à bile crassiore, (collatâ scilicet cum *herpete miliari*) non autem ab atra bile.

De morbis Conformationis in figurâ.

§. 38. De his ne nihil dicam, addam, quæ de *Scauris* monuit me Cl. Reinesius, ciuis meus. Scaurus è Græco *γαῦρος* est, quod & *γαῦσος*. Hoc Galen. in Exeg. exponit *κυρτὸς εἰς τὰ ἔξω*: at Hippocrat. lib. de Fract. pro quauis curuaturâ accipit. Hinc *γαυσόπους* idem quod *στρεβλόπους*, qui inuersis ad interiora pedibus est. Apud Varronem *Scau-*

ripeda est,& contractè *Scrupeda.* Reliqua de *Pansis*,aliisque crurum distorsionibus, videsis in variis lect. Reinesij dicti.

In Superficie.

§. 39. Moneo heic iterum, Quos suprà cap. 108. descripsi affectus, & vulgò iacent sub hac rubricâ, reuerà longè hinc abesse, & pertinere ad ἀποδοχὰς seu ἀποδέξεις, quas malim appellare ῥεύματα, aut potiùs διαθέσεις ῥευματικὰς, *Morbos fluctiuagos* dicam, ex fluxionibus ortos, & vt plurimùm sæpiùs repetentes, quos descripsi.

In Cauitatibus patentioribus seu laxis.

§. 40. His addam nunc duos quidem, si nomina spectes, vnum, si rem, τὸ ἀνεύρυσμα (nullo modo ἀνεύρεισμα) καὶ τὸ κιρσὸς ἢ κελατὸς, quorum his in venis est, ille in arteriis. Ita loquor, vt quamprimùm me absoluam à disputationibus quibusdam inanibus, quas aliis commendo. Nimirùm ὁ κιρσὸς nihil aliud est, quàm φλὲψ ἀνευρυσμένη, *vena dilatata*. Hoc cupio scire, Quæ actio heic lædatur? & quidem tanta, vt excisione sit opus? Addo, κιρσοὺς Græcis dictos etiam ἰξίας vocari, Latinis *varices*, vtrâque correptâ.

§. 41. Superaddo hoc quoque dubium, *An diabetes quoque huc trahi possit*? Tu puta, An fiat dilatatis nimiùm vasis emulgentibus? Ego, qui symptoma esse puto febrium colliquatiuarum, non sino huc trahi, præsertim, si comparetur cum Diarrhoeâ. His oppositi affectus sunt.

In cauitatibus angustioribus seu strictis.

§. 42. Has *Obstructiones* me vocâsse, notum esse potest. Ad has an referendus sit *Color oculorum in Ictericis* quibusdam (quibus Iridem etiam occupauit) flauus adeò, vt visa omnia appareant flaua? dubium est. Idem fit in ecchymomate, in quo omnia apparent rubra. Montanus Vincent. ait: ego in Patholog. negaui. Sed quis tum morbus est? Non sufficit dixisse, *Symptoma* esse. Lædit enim actionem primò, & nullo alio intercedente. Est *intemperies nuda*, quatenus cum primis qualitatibus iunguntur secundæ, seu *Modus substantiæ*. Hinc sæpè tam difficilis curatu est, cùm, ante mutationem habitus, non mutetur. Hunc si ad intemperiem calidam & siccam (qualis scilicet est bilis) referre voles, non peccabis. Idem *Modus substantiæ* contingere potest à contrariâ intemperie, cùm *Cornea* non satis est elaborata, crassior scilicet, & minùs perspicua. Vide §. 7.

De

De morbis in Numero.

§. 43. Incipiam ab *Oculo*, & quidem à numero deficiente. *Primùm* autem omnium Censoriâ autoritate postulo à turbatoribus veteris Sapientiæ, dent mihi, *Spiritus esse partes.* Hoc facto, sumo mihi, vel inuitis illis, *Spiritus, non minùs quàm cæteras partes omnes, posse & deficere, & causari actionem abolitam: & distemperatos esse, vt actio non nisi imminutè fiat.* De deprauatione enim non agam. Denique pro confesso ab ipsis quoque accipio, Actionem aboleri, diminuíve, vel ratione organi, vel ratione facultatis desuper immissæ. V.g. Oculus sit omnibus suis partibus illæsus, quod ad aspectum externum, & tamen vel non fiat actio, vel malignè: quid causæ? Quia inquiunt, spiritus visiuus, aut prorsus non influit, aut non talis, tantúsque, qualis, quantúsque desiderabatur. Ergò, inquam ego, ad primum ratiocinationis membrum, est *morbus in numero.*

Vide Sennertũ nostrum l. Pr. 1. cap. 15. & iterum l. 1. p. 3. s. 2. c. 28.

§. 44. Explico. Αμαύρωσις est affectus oculi, dictus ἀπὸ τ̃ ἀμαυρὸν, quod est, quasi ἄαυρον, *sine splendore*, in quo visio prorsus deperdita est, non apparente vllo vitio in oculo. Hinc ratiocinor, Quandoquidem in oculo, organo, vitium nullum est: restat vt sit in facultate. Si hoc, est morbus in numero. Ad actionem enim complendam deest hæc pars.

§. 45. Αμαύρωσις, vel subitò fit, vel successiuè. Cùm *illud*, ἀμαύρωσιν vocant omnes: cùm hoc, ἀμβλυωπίαν, & ita affecti ἀμβλυῶπες dicuntur, ἀπὸ τ̃ ἀμβλὺς, *hebes, obtusus*, & ὢψ, *oculus.* Ego, vitandarum ambiguitatum ergò, ἀμαύρωσιν quidem, si fieri posset, appellem tantùm, cùm visio tota periit: ἀμβλυωπίαν autem, cùm imminuta est. Illud *prius* fit ab vnâ causa, obstructione nerui optici, antequam cranio excidit.

§. 46. Hoc *posterius* duabus de causis. Aut cùm spiritus bene habet cætera, sed nimis paucus est: aut cùm malè habet, tenebrosus quippe, & nebulosus, ob cerebri temperamentum frigidius. Quare illic quoque morbus in numero erit: heic intemperies frigida. Et hanc quidem accepto à Doctissimo Rungio, Θ. 82. & ab hac dico esse senum ἀμβλυωπίαν, Θ. 84. anteriorem autem Θ. 79. calidam, in quâ tantus sit spirituum feruor, vt cerebrum non sit satis refrigerandis & densandis illis.

§. 47. *Amblyopiæ* affinis est ἡ νυκταλωπία, & inde dicti νυκτάλωπες. Hi duplices sunt. *Aut* enim de die, & dum Sol super horizonte est, nihil vident: sub crepusculum aliquid: ad lucernam ampliùs quid. *Aut* contrà, ad lucernam nihil vident: ad Solem aliquid. Illos νυκτάλωπας vocare, qui de die laborant; accepto: ἡμεράλωπας Pseudo-Medici repudio, quod non temerè legatur vox alibi: Et hæc quidem nunc ita determinare mihi libuit: tu autem si pulcerrimas quasdam dubitationes legere voles, abi ad Cagnati 2. Var. lect. 3.

§. 48. Affinis quoque est ἡ μυωπία, &, qui inde dicuntur, μύωπες.

Ita ſcribo. Quia eſt ἀπὸ τοῦ *μύειν conniuere* & *μύωψ* propriè ad palpebras pertinet: non ἀπὸ τῆς *μυῖα*, *muſca*, quòd tantùm videant, quantùm muſca, licèt verùm ſit quòd quia non habet oculos, ſed analogum oculorum, obſcuriſſimè videat: non etiam ἀπὸ τοῦ *μῦς*, *mus*, qui etiam de noctu videt. Hi quoque duplices ſunt. *Aut* enim propinqua tantùm vident, remota neutiquam: *aut* contrà, remota vident, propinqua non item.

§. 49. Sed quæ diuerſitatum harum cauſæ? *Amblyopias* in genere cauſa eſt ſpirituum & paucitas & denſitas. *Nyctalopias alterius*, quia lucerna minus præbet lucis, quàm opus ſit. *Hemerolopias* (ita enim appellem primam ſpeciem) quia lumen Solis maius obfuſcat minus. *Myopias* ad remota, quia interius lumen indiget maiori colluſtratione. Ad propinqua, quia idem lumen interius eſt debilius, quàm vt extendi poſſit in longius ſpatium. Ita enim loquor cum Platone & Gal.

§. 50. Sed quei fit, quòd quidam inter homines, non de die tantùm acutiſſimè vident, ſed & de nocte? Talis fuit Tiberius Imp. vt è Suetonio habemus. Tales fuiſſe ſcimus Iul. Cæſ. Scaligerum, patrem, & Ioſephum, filium. Noui, qui ad ſoliditatem iuxtà & pelluciditatem corneæ referebat. In noctuis, dicebat, cartilaginea eſt: in bubonibus, tota oſſea. Alius ad maiorem, minorémve foraminis vueæ mobilitatem. In felibus, aiebat, leonibus, pardis, tam ſtringere illas poſſe partem illã, vt oræ coëãt. In hominibus qui poſſunt idem, conum faciunt tam anguſtũ, vt non opus ſit illis externo lumine. Platerus, & qui hunc ſequitur, Sennertus, ad ſitum cryſtallini profundiorem referunt. Hinc adeò fit, dicũt, vt ſenes parùm videant, quia pendulus per tot annos cryſtallinus, iam planè ad anteriora inclinat. De prioribus duabus ſententiis ſuſpendo iudicium: de vltimâ pronuncio. 1. In primâ conformatione tale quid fieri poſſe credo, & ſcribit Gal. 2. Cauſ. ſympt. 1. A. 2. In ſenectute videri rem eiuſdem dignationis, cuius illa, Cœlum nobis longè vicinius eſſe, quàm erat olim. Vt enim falſum eſſe hoc, ſciunt Mathematici genuini: ita perſuadere mihi non poſſum, muſculorum fibras tantoperè laxari, vt ſinant fluere cryſtallinum. Quin exſiccantur potiùs per ætatem, per quam etiam Cornea fit tam exſicca, vt rugas contrahat, & aliam Amblyopias cauſam præbeat. Etiam epidermis craſſefacta præbet aliam, vt Veſalius, aliique perſuadent.

§. 51. Quæro etiam obiter, *Quei fit, quòd quidam perſpicillis iuuantur, quidam non iuuantur, inter quos ego ſum*? Mercurialis dicit, vitium vel in ſpiritibus eſt, vel in humoribus. Si illud, adiumentum dant: ſi hoc, lædunt potiùs. Sennertus inuertit, cui ego ſubſcribo. Neque enim video, quâ ratione poſſint augere ſpiritus. Addo & hoc, & expertus ſum in meipſo, Vbi in humoribus vitium non eſt, repercuſſio illa lucis cauſatur perpetuas delacrymationes, nõ ſine dolore. Sed cur per aliquot horas ſine offenſâ ſcribo: vix per quadrantem ſine moleſtiâ lego? In legendo vna eſt

est & continua oculi intensio: in scribendo subinde mutatur situs oculi. Vide Doctissimi Rietmanni, amici nostri, θ. de visûs obscur. n. 51. & seq. Sed hæc quidem vicinia affectuum extudit.

§. 52. Ad defectum spirituum refero etiam ἴπον Hipp. Ita enim rescribo, contranitente licèt H. Stephano iuxtà & Foësio, qui vitiosissimum ἴππον defensant. Est enim ἀπὸ τοῦ ἰπόω, vnde & ἴπωσις & ἰπωτήμιον, quæ ipsæ voces vulgò geminum π. habent, errore inexcusabili. Et est non *Conuulsio*, quod ex Gal. deducunt quidam, sed *Tremor*, qui non permittit oculos stabiles esse. An δῖνος quoque appellari potest affectus? Vide Foës. in ἐνδεδινημένοι ὀφθαλμοὶ.

§. 53. Huc quidam collocant τὰ ἄπρακτα μόρια Pauli l. 3. c. 58. ab aliis Græcis μωρὰ *fatua* dicta, & qui ita affecti sunt, *Frigidi*, aut *Malè-calceati*, 4. Var. lect. 43. His debetur σατύριον, medicamentū ἐντατικὸν, quemadmodum contrario modo affectis, *Lactuca* ἄστυτις (non ἀσυλὶς) ἀπὸ τοῦ a. καὶ στύω. Vide Casaub. in Athen. l. 2. 27. Sylburg. Notis in Gorr. ad p. 60.

§. 54. Ἀπὸ τοῦ μαδᾶν fit μαδαρὸν, & iterum μαδαρότης, καὶ μαδάρωσις, καὶ μάδησις, ἀπὸ τοῦ μαδίζειν, quod, vt & primitiuum, exponunt per τὸ ἐκρεῖν, *defluere*. Ternæ hæ voces significant quidem omne pilorum defluuium: sed à plerísque ad affectum *Tarsi* in palpebris, quo intemperie humidâ affecto defluunt *Cilia*. Idem malum μίλφωσις vocatur, &, qui ita affecti sunt, μίλφοι ἢ μίλφαι. An ab hoc verbo est nostrum *Miluen*? Cum vtróque idem volunt esse πτίλωσιν, (non πτίλλωσιν) quòd pili hi peculiari nomine πτίλοι ἢ πτιλοὶ appellentur. Alij non simpliciter signare volunt *Ciliorum* casum: sed quando iungitur tumor palpebrarum durus & callosus. Vide suprà c. 1.

§. 55. Huic contrarius affectus est, φαλάγγωσις, cùm quasi plures pilorum acies gignuntur, quorum interiores pungunt oculum. Dicitur etiam τριχίασις ἢ τρίχωσις, quemadmodum apud curiosiores διστιχία ἢ τριστιχία. Huc facit δασύτης Aëtij l. 4. c. 27. cùm in iis partibus crescunt pili, in quibus non debebant.

§. 56. Notant in palpebris & λιθίασιν, & φθειρίασιν, & πτυρίασιν.

§. 57. A *pterygio* oculi supra dicto distinguunt quidam τὸν ὄνυχα, *vnguem* quem à pure deducunt, cùm suprà oculi nigrum albicans quid nascitur, quod ὑπόπυον etiam vocant, & πύωσιν, & λεύκωμα. Tu autem vide, ne confundas cum hoc morbo τὸ ὑπώπιον, quod & ὑποφθάλμιον, & est *sugillatio* quædam. Tu idem caue, ne cum τριχιάσει oculi dicta, idem credas esse τριχίασιν in vrina, de qua Gal. 3. Loc. aff. 3. Nam & hæc morbus in numero est.

§. 58. Ab ὑδατίσι suprà dictis volunt quidam distinctam τὴν χάλαζαν, ἢ τὸ χαλάζιον, & huc collocare. Tribuitur vox aliquammultis rebus. In *ouiparis* est semen masculum, licèt Arist. id neget. In *subus* est morbus, cùm vel totum corpus, vel certæ partes concipiunt pustulas albicantes, in quibus modò serosum quid^a, modò subpingue. Hic morbus quia in sue ferè ostendit se sub lingua, solent emtores illam inspicere. *Grandinē*

vocant

vocant Latini. Tale quid quia in superiori palpebræ parte aliquando se ostendit, datur illi peculiare nomen, ne quid περιεργίας desit. Sunt distincta τὰ σῦκα καλούμενα, de quibus ego in *Excrescentiis*.

§. 59. Tandem in numero deficiente sunt λιπόδερμοι, *apellæ*, *Verpi*. In eodem sunt Eunuchi, siue intestabiles tantùm sint, vt ita iocer, siue toto etiam cole priuati.

De morbis in Magnitudine.

§. 60. Hic statim ab initio repeto ex c. 108. Vulgo inter *tumores p.n.* ideóque morbos in magnitudine censeri affectus ibi numeratos, cùm reuerà sint in cauitatibus laxis, &, si porrò eas, Intemperies viscerum, in quibus genita excrementa propelluntur ad cutim, partem omnium debilissimam. Quare, symptomata tantùm sunt in excretis, quæ dicunt mihi læsam esse facultatem nutricem, & ibi, & in cute ipsâ.

§. 61. Horum plerósque quia iam, ceu promiseram, explicui, addam eos, qui supersunt. In palpebris præcipuè sunt quidam, qui diuersa habent nomina, licèt morbi diuersi non sint. 1. Τράχωμα est, ἡ τραχύτης, quæ eadem δασύτης, vnâ Latinâ voce appellanda, *Asperdo* seu *Asperitas*. Hæc est inflammatio interioris partis palpebræ, cum rubedine quippe, pruritu, & dolore, qui fit ob inæqualitatem, cùm oculus mouetur. 2. Τύλωσις, *callositas*, cùm tubercula illa inæqualia accipiunt duritiem, ob ob quam in motu iam maior est dolor. Ab hac distinguo σύκωσιν per eas notas quas dixi. §. 28. 3. ψῶρα, ψωρίασις, ψωροφθαλμία, fortè etiam σκληροφθαλμία differt à superioribus, quòd externam etiam palpebræ faciem occupet, & dimittat corpora quædam furfuracea, cum pruritu intenso. Vide §. 23.

§. 62. Veri in magnitudine morbi sunt *Hydropes omnis generis*: est etiam moles totius, de quibus suprà. Particularis est, cùm in recèns enixis mammæ fiunt valdè tumidæ, cum duritiebus quibusdam χονδρώδεσι, *cartilagineis*. Σπαργάνωσιν vocant Fuchs. & alij. Ego non video, quid σπάργανα, *fasciæ*, commune habeant cum hoc affectu. Si igitur est ἀπὸ τοῦ σπαργᾶν quod idem est cum τῷ ὀργᾶν, *exuberare*, *luxuriare*, *ad exitum properare*, σπάργωσις potiùs apud Diosc. alióſque leg. fuerit, aut σπαργασμὸς, vt ὀργασμὸς. Nescio, annon ita vocari possit vitium in mammosis quibusdam Phyllidibus, quæ stricturis opus habent, ne propendeant. In viris certè cùm tale quid accidit, γυναικομασθοὶ vocantur. Huius oppositum est αἱ ὀρθοτίτθιαι, ὀρθομάζιοι, ὀρθομαστικαὶ, vnde *Poma* ὀρθομαστικὰ apud Plin. Particularis etiam est *magnitudo linguæ* tanta, vt ore contineri non possit: verùm nomine caret.

De morbis in Situ.

§. 63. Heic primùm locum habere τὴν χήμωσιν suprà tactam, par est.

Licèt

Licèt enim genere ſit inflammatio : tamen quia facit, quò minùs palpebræ naturalem ſuum ſitum habeant, hoc eſt, non exactè claudant oculum, heic quoque locum inuenit. Vt enim dixi, hiant, inſtar χήμης, μύακ☉.

§. 64. Ab hac quomodo differt τὸ λαγώφθαλμον, *oculus leporinus*? Credo, cùm vitium Conformationis eſt naturale. Lépores enim ne dormientes quidem, exactè claudunt oculos. Ab hoc quo differt modò ἡ ἐκτροπὴ, ἢ τὸ ἐκτρόπιον? Dicunt, illud eſt in ſuperiori palpebrâ : hoc in inferiori. Nugæ! Eſt appellationis vnius affectus à diuerſis autoribus.

§. 65. Τὸ ἀγκυλόγλωσσον ſuperiùs dictum reuocat mihi in memoriam τὸ ἀγκυλόφθαλμον, quod etiam ἀγκύλωπς dicitur, cùm palpebræ connaſcuntur non inter ſe, quâ de re mox, ſed vel albo, vel nigro oculi. Vnde πρόσφυσις vocatur. An ex Hippocr. dici poteſt ἐγκαλίωπς.

§. 66. In hunc numerum refero τοὺς γαλιάγκωνας apud Hippocr. quibus brachium alterutrum breuius eſt, & gracilius, inſtar muſtelæ. Vide Foëſ.

§. 67. Pertinent huc ἡ πρόπτωσις τῆς ἀπευθυσμένου, *procidentia ani*: τῆς ὑστέρας, *vteri* : & tandem τῆς ὀφθαλμοῦ, *oculi*, in quo ἐκπιεσμὸς, *expreſſura* etiam dicitur. Quo de caſu dubito, de toto, inquam, oculo. Nam nec muſculi tot, nec ligamenta tam fortia permittere videntur. Eſt igitur πρόπτωσις in oculo affectus proportione reſpondens *herniæ inteſtinali, aut omentali*, cùm videlicet eroſâ corneâ, prominet vuea. Hoc malum dum leuius eſt, μυοκέφαλον dicitur, quod *Capiti muſcæ* non diſſimile ſit id, quod foris apparet. Cùm grauius fit, σταφύλωμα vocatur ἀπὸ τῆς σταφυλῆ *Vua*.

§. 68. Φίμ☉ ἢ φίμωσις apud Paulum, ſiquidem coniungas duos locos, lib. 3. cap. 73. & lib. 6. cap. 55. pertinet ad vtrumque ſexum, *penem* & *vterum*, cùm vtraque pars ita eſt clauſa, vt neque ſemen ex pene elabi poſſit, neque in vterum illabi. Verumenimverò, vt ſe explicat poſt. loco, in pene fit duabus de cauſis, *Aut* poſt inflammationem, obducto carne foramine : aut præputio tegente foramen. Solam hanc cauſam agnoſcit Celſus lib. 7. cap. 25. quamuis corruptè φύμωσιν ſcriptum ſit ibi. Hunc ſequi volens Fuchſ. in Inſt. miſerè ſe implicat. Παραφίμωσιν enim (omninò rectiùs, quàm περιφίμωσιν, vt exemplaria Pauli habent) vocat contrarium vitium, cùm glans tegi non poteſt præputio, vel quia abſciſſum ſit quidpiam, vt in λιποδέρμοις nuper dictis, credo : vel quia naturâ eſt breuius, & retrò abactum. Nulla heic contrarietas eſt, & Paulus παραφίμωσιν propriè dici ait, cùm poſteriori modo accidit. Et hoc ipſum Celſus vult. Vocant affectum quidam *Capiſtrationem*. Et ita quidem res Pauli & Celſi habet : apud Gal. 2. off. Med. 32. latiùs patet vox, de omni ſcilicet naturali meatu

clauso, tu putà, in palpebris in ore, in pene, in ano. Dixi de *omni*: puto enim addendum esse vterum cum sinu pudoris, quâ de re suprà cap. 141. Vbi hoc notandum venit. In Græcis Cod. Gal. esse χύμωσιν, malè. Hoc cùm Felicianus Interpres mutârit in φίμωσιν, Gorræus simpliciter dicere potuit, φίμωσιν apud Gal. esse affectum talem. Dicit & Foësius, sed monet de vitio.

§. 69. Φίμος quidam est obturatio pororum cutis, στέγνωσις dicta multis Gal. locis, præcipuè 3. San. tu. 10. vbi docet, quàm facilè febres incidant in talibus, primo quidem *Ephemeras*, deinde autem *Putridas*, si causa non tollatur.

§. 70. Μυδρίασιν esse affectum oculi, & quidem huius classis, penè in confesso est: at quæ sit origo vocis; cuius etiam exactè partis, obscurissimum est. Esse ἀπὸ τοῦ μυδᾶν, & quod idem esse volunt μαδᾶν, quorum vtrumque sit *diffluere*, *humescere*, credere non possum. Ita autem puto. Μύδρον Hippocr. est διάπυρον, *ignitum*, *candefactum*, *splendidum*. Hinc ἄμυδρον, idem quod ἀμαυρον, *obscurum*, *tenebrosum*, *minimè lucidum*. Inde μυδρίασις, quasi ἀμυδρίασις, quò Gorræus etiam peruenit. Huc me comitatur Autor Defin. apud Galen. qui ait esse ἀμαύρωσιν τοῦ ὁρατικοῦ (subintellige τόπου, qui locus est pupillæ) ταραχθέντων τῶν χυμῶν, *confusis humoribus*. Quibus verbis collineat ad σύγχυσιν Pseudo-Medici, cap. 16. qui ait, *Confusionem* (in oculo) *fieri*, *cùm humores non manent suo quisque loco*, *sed inter se confunduntur*. Huius rei historiam luculentam, imò alteram quoque, legeris in Patholog. nostris, cap. 230. Vbi cùm concluserim, Perturbationem humorum oculi creditam fuisse ἀμαύρωσιν suprà descriptam: iam hoc addo, ἀμαύρωσιν & μυδρίασιν esse idem malum. Hoc me credere iubet Gal. qui in legitimis scriptis ἀμαύρωσιν habet, μυδρίασιν non habet. Sed nec Pseudo-Medicus habet. Iubet etiam Paulus, qui inter Recc. Græcos solus describit, & ita, vt planè ad ἀμαύρωσιν accedat. Ait enim primò, *Pupillam non esse aliûs coloris*, *quàm per sanitatem*. Id verò τῆς ἀμαυρώσεως est. Deinde, *Impedire visionem*, modò ὁλοσχερῶς, *totaliter*, modò ἐπιπολὺ, *magnam partem*. Id ipsum etiam τῆς ἀμαυρώσεως est, apud Galen. 2. Prorrh. 11. Tertiò, videri Paulo idem heic contigisse, quod in χημώσει dixi §. 27. Cùm enim variarent sententiæ, coniunxit ille vtramque. Vt enim prima verba manifestè volunt ἀμαύρωσιν: ita τὸ πλατυτέρα subitò vocat nos aliò, eò scilicet, quò etiam vltima verba, αἰτία αὐτῆς περιττωματικὴ τις ὑγρότης ἐστι, *Causa μυδριάσεως est humor quidam excrementitius*. In horum verborum explicatione valdè liberalis est Gorræus, vt scire cupiam vnde hauserit. Scio, quæ de amplitudine, seu laxitate pupillæ scribuntur à Gal. 1. Cauf. sympt. 2. sed non propterea affectus ipse est μυδρίασις. Quin obscuram fuisse vocem etiam Celsi ætate, argumento sit, quòd lib. 6. c. 6. *Paralysi oculi* vicinam facit. Quò minùs assentior nostratibus, qui subitò irrumpunt, αὔξησιν

Locus est lib. 3. c. 2.

τῆς κόρης appellantes, aut etiam vnâ voce, eáque nouiter effictâ, πλατυχορίαν. Pariter non assentior illis, cùm & hunc affectum,& oppositum illi, μείωσιν ἢ φθίσιν τῆς κόρης, morbos faciunt conformationis in viâ. Neque enim simpliciter,quatenus via est talis, nocent visui:sed quatenus hanc θέσιν habent, hanc cum vicinis partibus κοινωνίαν. Dispiciant igitur inposterum docti, siquidem non satisfaciam, quem affectum τῆς μυδριάσεως nomine vocare velint. Idem dictum esse volo de *Commotione cerebri* ipsis dictâ. Cùm enim cerebrum sit alligatum cranio Vulcaniis vinculis, vti iocatur Galen. & quidem ab omni parte; cùm neque spatium sit in quod cedere possit: non video, quâ ratione cogitari possit de morbo *in Situ*.

§. 71. Ego ad hanc refero classem τοὺς πικροχόλους ἄνω dictos, ob vitiosam conformationem pori choledochi.Cùm enim eat, non in intestinum,vti debebat, sed in ventriculum, quiuis videt, non esse hanc naturalem κοινωνίαν.

§. 72. Restant (paucis notis) κρυψόρχιδες dicti ab autore Definit. *Quibus scrotum vacuum est testibus, sed generant*, abditis scilicet illis adhuc in abdomine. De his legeris aliquot historias,1. Gener. hom. 18. Contrarium huic vitium est ῥάκωσις τοῦ ὀσχέου, *laxitas scroti*, quæ facit nimis propendere testes.

§. 73. Apud eundem Def. est ῥοπάλωσις, neminídum Recc. cognitus morbus. Verba sunt, Ῥοπάλωσίς ἐστι κατὰ τὸ ἄκρον τῶν τριχῶν ἀμερὴς σχέσις μετὰ τοῦ μηκέτι συναύξεσθαι. Hunc ego Not. in eum locum dixi esse *Plicam Polonicam*, quòd pili intorti sint instar ῥοπάλου, *clauæ*, seu *fustis* ἀμερεῖς quippe, cùm singuli illorum seorsim esse deberent. An legendum est ἀμορφὴς, *turpis, inhonestus habitus*?

De Continui solutione.

§. 74. Diuido iterum in *Dolores* & *Vlcera*, latè accepto vocabulo. *Vlcera* subdiuido in *Vlcera speciatim dicta*, sub quibus *Vulnera* sunt in partibus mollibus & carnosis, & *Fracturæ* in ossibus.

§. 75. Inter *dolores* primo loco pono τὴν αἱμωδίαν, *stuporem dentium*, licèt reuerà dolor non sit, sed stupor ab intemperie frigidâ. Hoc verbi quisquis intuetur, vt & factum inde verbum αἱμωδιᾷν, subitò cogitat de τῷ αἷμα & ὀδοὺς: sed quis accommodabit? aut, quis aliam originationem dabit?

§. 76. Post αἱμωδίαν colloco τὸν ὀδαξισμὸν, *dentitionem*, quamuis non dentium, sed gingiuarum affectus sit. Est autem ab imitatiuo ὀδὰξ, cuius primitiuum est ὀδάξω, quod crebrò permutatur cum τῷ ἀδάξω, ἢ ἀδαξάω, quâ de re Foësius. Pro iisdem habeo & ὀδοντιᾶσιν, & ὀδοντοφυΐαν.

§. 77. Huic iungi debere videtur ὁ ὀστοκόπος (ὀσοκόπος) quartanariis proprius affectus, in *periosteis* potiùs sedem habens, quàm in *Ossibus* ipsis.

§. 78. Et hæc de doloribus: *Vulnera* fiunt, modò ab Internâ, modò ab Externâ causâ. *Illud* accidit, vel post Inflammationes, cùm ad suppurationem veniunt, & tum *Vlcera* vocantur, vel *Apostemata*, post quæ κόλποι, *sinus* fiunt, & aliquando σύριγγες, *fistulæ*, callosâ circumcircà carne, præcipuè, si apostemata non rectè curentur. *Hoc* euenit à foris incidentibus, siue vulnerent cæsim, punctímve, siue rumpant, siue contundant, & sortiuntur peculiaria nomina.

§. 79. Τραῦμα ἢ τρῶμα *Vulnus*, propriè quòd hiat, & fit, ceu dixi, vel punctim, vel cæsim.

§. 80. Σπάσμα, πλῆμα, καὶ ῥῆγμα sunt ἰσοδυναμοῦντα quantum mihi compertum est. Fit, cùm neruosi generis quiddam, hoc est, vel fibræ musculorum, vel ligamenta, vel tendines, vel neruus, per transuersum rumpitur. Hoc quia in palæstris veterum frequenter fiebat, mirum non esse debet, apud alios alia habuisse nomina. Vide Isagog. nostra, cap. 4. vbi etiam expeditam reperies difficultatem, quam peperit Interpretum ignorantia, nata ex confusione τοῦ σπάσμα cum τοῦ σπασμός. Adde, si vacat, Foësium.

§. 81. Nisi fallor, cum simplici hoc idem sunt τὸ ἀπόσπασμα, καὶ διάσπασμα. Deduco id autem in iisdem Isagog. c. seq.

§. 82. Ἀπόσυρμα quid verè sit, non explicat satis Foësius. Ego Notis in Gal. 1. κ. τόπ. 6. & 13. & alibi doceo, *Esse tum, cùm vel cutis tantùm, vel cutis cum musculi parte auellitur, abscinditúrve, vvanns herunter hengt*, quod ipsum in palæstris sæpe fiebat. Huic affine malum est ἀπότριμμα, *intertrigo*, cutis solius.

§. 83. Θλάσμα est vel contusio à re graui, qualis fustigatio, vel lapsus ex alto, cùm sine vulnere aperto est. Huc pertinent οἱ θλασίαι (θλαδίαι apud Suidam in vitio est) dicti, iidémque θλιβίαι, qui habent contusos & commirutos testes, de quibus I C. Est species τοῦ θλάσματος.

§. 84. Ἀπὸ τοῦ ἀργὸς, *albus*, est ὁ ἄργεμος, τὸ ἄργεμον, καὶ τὸ ἄργεμα, τὸ, *albor*, seu *albugo* oculi, vlcusculum superficiale, partim in nigro, partim in albo, quo augescente fit primò μυιοκέφαλον, posteà σαφύλωμα, de quibus suprà. Dicitur etiam λεύκωμα.

§ 85. Ἀπὸ τοῦ βόθρος, *fossa*, est βοθρίον, *fossula*, quæ vox & dentium alueolis tribuitur, & cauo oculorum vlceri. Hoc quâ re differat ab *Argemo*, nemo me docet.

§. 86. Ὄζαινα est *vlcus narium fœtidum*; à similitudine τῆς ὀζαίνας, quæ est *Polypi fœtidi species*. Differt igitur à *Polypo* morbo, non genere tantùm morbi, sed & hoc symptomate, fœtore, ob multam putrilaginem, ob quam à *Fœtore narium* distingui non patiar.

§. 87. Ῥαγάς,

§. 87. Ῥαγὰς, ῥαγάδιον est *vulnus labiorum*, *manuum*, *ani*, callosum. Dicitur non ἀπὸ τῆς ῥὰξ, γὸς, *acinus vuæ*: sed ἀπὸ τῆς ῥήγνυμι, *rumpo*, vnde & ῥαγὴ, ἡ ῥηγὴ dicitur, *fissura*, *scissura*, à Gal. in Gloss. σχίσμα, ἢ ῥῆγμα.

§. 88. Θηρίωμα quale sit vlcus Celso, vide apud ipsum l 5. cap. 28. An significare voluit differentiam inter vlcera benigna & maligna, quæ maligna *Telephia* & *Chironia dicuntur*.

§. 89. Ἀχὼρ, καὶ κηρίον, aut ἀχῶρες καὶ κηρία, sunt vlcuscula capitis manantia, secundum magis & minùs differentia. In *Achoribus* enim foramina sunt tenuissima, è quibus etiam ichor effluit tenuissimus. In *Ceriis* ampliora, & ichor melli similis. De origine vtriusque vocis incertus sum. Τὸ Ἀχὼρ dici ab a. στερητικῷ, & χῶρος, *locus*, ridiculum apud me est. Ita, dici quasi ἄχνων, quod *furfur* interpretantur, parum verisimilitudinis habet, licèt fortè sit verum, πτυελίαν præcedere. Existimo dici quasi αἰχὼρ, cùm τὸ a. est ἐπιτατικόν. Ita fuerit q. *Multus ichor*. Κηρίον esse diminutiuum ἀπὸ τῆς κηρὸς, *Cera*, vt verum est: quæ similitudo est inter consistentiam mellis & ceræ, nisi de cera liquefacta intelligant? Interim patiar τὸ κηρίον exponi *Fauum*, in quo quemadmodum distinctæ sunt cellæ, in quibus mel: ita heic distincta sint vscuscula, ichorem fundentia.

§. 90. Hi affectus reuocant mihi in memoriam affectum ossium non dissimilem quoad foramina. Dicitur is τερηδὼν, ἡ, quasi τρηδὼν, inquit Gal. *Caries* Latinis. Accidit sæpe in vulneribus capitis. Vidi in sceleto pueri totam compagem ossium peluim constituentium tam foraminulentam, quàm vllum potest esse lignum putridum. Erat ex lue Venerea hæreditaria. Malum dicitur etiam σφάκελος. Vide Foësium. Et hæc quidem de Continui solutionibus in partibus carnosis.

§. 91. Quæ in Ossibus, ἀγμὸς ἢ ἄγμα, ἀπὸ τῆς ἄγνυμι, ἢ ἀγνύω, *Fractura* dicitur. Eiusdem significationis est compositum κάταγμα, & Ionicè κάτηγμα. Est etiam apud vulgus ἄναγμα: verùm apud Medicos, autore Gal. 6. Meth. 5. est illa fractura tantùm, quæ prope caput articuli est, & dicitur etiam ἀπόκλασμα. Ἄγμα ἢ κάταγμα in genere duplex est. Aut enim fit per transuersum, & dicitur καυληδὸν *caulis fracti in modum*: aut in directum, seu, vt Mathematici κατὰ κάθετον, *ad perpendiculum*, *ad lineam*, & dicitur σχιδακηδὸν, *scissuræ modo*.

§. 92. In Caluariâ peculiares sunt species, apud Gal. quidem Method. loc. citat. sed cap. seq. duæ, ἐγγίσωμα, καὶ καμάρωσις, apud Paulum etiam lib. 6. cap. 90. vt & Defin. Gal. adscriptis. Videat hos, qui velit, cum suis nominibus, dictis

locis : Ego de Gal. duabus duo moneo. *Alterum* , amplecti me positam scripturam , ἐγγίσωμα , vt sit ἀπὸ τοῦ ἐγγίζειν , *appropinquare.* Non enim video , quomodo γεῖσα ἢ γεισώματα , *grundæ* , *subgrundia* , huc faciant. *Alterum* , Gorræum manifestè accusare Paulum , quòd Gal. mentem peruerterit. Videat , qui volet.





INSTITVTIONVM MEDICARVM LIBER IV.

In quo τὰ Σημειωτικά.

SECTIO PRIMA.

CAPVT I.

Signorum doctrina in Methodum redacta.

§. 1. ΗΜΕΙΟΝ, *Signum*, quid ſit, vulgus nouit: quàm latè pateat, ne Medici quidem omnes. Hoc ego docebo ex notione nominis. *Signum eſt*, inquit Galen. 5.Loc.aff.7.BB. *quidquid ab aliquo, tanquam cauſa, procedit.* Hoc declarandum eſt.

§. 2. Medicinæ ſunt duæ ſummæ partes, ὑγιεινὴ, καὶ θεραπευτική. Vtraque in ſubiecto ſuo, quod eſt corpus humanum, duo conſiderat, *Conſtitutionem ſ.n.* & *Conſtitutionem p. n.* In vtraque eſt duplex ſignorum ordo. *Alter* quidem eorum, quæ *Naturalia* vocabo: *alter* autem eorum, quæ *Præternaturalia*, *Illa* ſunt, quæ Medicum introducunt in cognitionem temperamenti tam totius, quàm partium, vnde eſt indicatio *Similium* & in victu, & in medicamentis, ne Socratem v. g. febricitantem, vltra quàm par eſt, refrigeret. *Hæc* ſunt, quæ eundem erudiunt, ἐν ὑγιεινῇ quidem de ſtatu morbi pullulantis, ne eò vſque excreſcat, vt ægrum lecto affigat: ἐν θεραπευτικῇ autem, cùm ad lectum iam ventum eſt, vnde eſt indicatio

Contrariorum

Contrariorum, iterum tam in victu, quàm in medicamentis; Socratem mors occupet.

§. 3. Hæc opus habent maiori luce. Quamuis παράδοξον sit in vulgus, verum tamen est, *In corpore, quod tractat Medicus oportet subsit aliquid Sanitatis.* Hæc est *Constitutio illa s. n.* quàm dixi. Et est æqualiter vtrique proposita & ὑγιεινῷ & θεραπευτῇ, ideò opus habet signis *Naturalibus*, è quibus discat rationem conseruandæ Sanitatis illius, quæ superest. In *Constitutione p. n.* est differentia quædam, illa scil. quæ est inter ipsas duas Medicinæ partes dictas. Quæ verò illa est?

§. 4. Ἡ ὑγιεινὴ curat lapsus paruos: ἡ θεραπευτικὴ insignes, 7. Meth. 11. Hinc adeò, quod alibi deduxi, limes inter vtramque positus est τὸ ὀρθοβαδίζειν. Tu puta, Quamdiu ambulare potest homo erectus, tamdiu ἡ ὑγιεινὴ tractat illum: quàm primùm decumbit, cedit τῇ θεραπευτικῇ. Aut, quod idem est, Quamdiu vtcúnque præesse potest rebus suis, tamdiu præfectus est illi ὁ ὑγιεινὸς: cùm non potest, ὁ θεραπευτής. In affectibus partium est analogum quid.

§. 5. Ergóne inquis, & signa præternaturalia respicit ὁ ὑγιεινός? Ita, sed eo modo, quem dixi. Ὁ ὑγιεινὸς considerat illos morbos tantùm, qui sunt, vt ita loquar, in herba, v. g. cùm ex plethorâ vel cacochymiâ morbos fore dicit, nisi maturè obuiam eatur. Hac consideratione Hipp. 1. Aphor. 3. solui iubet habitum Athleticum. Hac Celsus iubet nitidiores solito suspecta habere bona sua. Contrà ὁ θεραπευτὴς illos curat morbos, qui iam sunt in esse. Hinc fit, quòd vterque & venam secat, & purgat, & remediis aliis magnis vtitur. Verumtamen, ille quidem, quatenus oculos habet intentos in morbum futurum, hic in morbum magnum præsentem. Vt dici debeat, alterum quidem præseruationis gratiâ agere: alterum autem curationis, & propterea τὴν ὑγιεινὴν vix differre, ἀπὸ τῆς προφυλακτικῆς. An absurdū dictu non est, τὴν ὑγιεινὴν admittere ἀειπάθειαν? Dum enim quotidiano victu resarcit, quòd ob substantiæ fluorem singulis diebus decedit, profectò curat lapsum paruum.

§. 6. Heic aliquis, vbi est *Neuter status*, quem Gal. *in Arte* profitetur? Vno verbo, ἡ μικροτέχνη dicta tam est Gal. quam mea. Cuius igitur? Herophili, cui alibi quoque transcribit Gal. *neutrum illum statum.* Hunc cùm & perturbatissimum esse videret Gal. & verò indicationes nullas afferre: prætulit illi *Sanitatis latitudinem*, constituto ex Hipp. limite illo, quem dixi. Tu puta, vt *Sanus* dicatur tam is, qui pisculos sex minutos, aut passerculum vix concoquit, quàm is, qui ℔. ß. carnis bubulæ, porcinæve. Tam is, cui pro potu ordinario sufficit sextarius cereuisiæ, viníve ἐλιγοφόρου, quàm is, qui duas mensuras bibit. Tam is, qui per integrum diem ligna findit, aut aliud quod opus graue facit, quàm is, qui stadio vno peracto concidit. Tam is, qui quossuis in victu errores tolerat, quàm is, qui ne minimum quidem. Et sic de cæteris actionibus humanis, tam totius corporis, quàm partium, v. g. visus, &c.

§. 7. Sed

§. 7. Sed vnde pendet mirifica ista varietas? *A varietate* præcipuè *temperamentorum.* Quod enim alibi deduxi, *Schola Medica* in actionibus ad *Animam* non ascendit, quia alterabilis non est: subsistit autem in proximo ipsius instrumento, *Temperamento,* (quod ipsum sæpe *Animam* vocat, sæpe *Facultatem,* sæpe *substantiam facultatis*) quo alterato alteratur anima ipsa, forma quippe ἔνυλος, *in materiam immersa.* Hoc temperamentum quia ratione indiuiduorum variat, cognoscit Medicus singula per signa certa, & docet, *Hoc quidem est inculpatum, & quasi Canon Polycleti in statuariâ & picturâ: ad hoc relata omnia alia sunt alterationes quædam.* Hæc signa sunt *Naturalia* illa, quæ dixi in initio, quæque huc ferè tendunt, vt sciat, quàm vel robustum sit corpus, quod tractat, vel debile, ad definiendum remediorum robur, & alia. Hoc ipsum proportionaliter in partibus est.

§. 8. Exemplum totius sit. Laborat aliquis per totum diem in sutrinâ, in textrinâ, in officinâ aliquâ fabrili, nec defatigatur: alius post horam vnam, alterámve defetiscit. Vterque tamen sanus est. Potat aliquis totos dies, totas noctes, nec quidquàm molestiæ inde capit, si modò edormiat crapulam: alius vix vnum haustum supra demensum suum tolerat. Vterque tamen sanus est. Exemplum partis sit in oculis. *Sanos oculos* habet, tam qui acutissimè videt, & in longinquum spatium, quàm is, qui obscurè, & per perspicillum. Summa, cùm in *Neutro statu* ambages sint prolixissimæ, & quas nemódum Commentatorum in Artem penè infinitorum, vsui accommodauit: per *Sanitatis latitudinem,* Arist. etiam acceptam, paucis defungimur. Dicimus enim ἡ ὑγιεινὴ habet sub se omnes eos, qui à vulgo sermonis magistro, *Sani* dicuntur: ἡ θεραπευτικὴ omnes, quos idem vulgus *Ægros* vocat. Vtraque indiget τῇ σημειωτικῇ, quatenus vtraque opus habet cognitione Constitutionis tam s. quàm p. n. Hinc sequitur, in hac Medicinæ parte duplicia esse signa, *Naturalia,* quæ sunt *Constitutiones s. n. Præternaturalia,* quæ sunt *Constitutiones p. n. Illa* vt proprium nomen sortita non sunt: ita hæc παθογνωμονικὰ, dispositionem seu constitutionem p.n. prodentia vocantur.

§. 9. Iam, quatenus, vt dixi §. 3. in *Constitutione p. n.* semper superest aliquid *Constitutionis s. n.* seu *sanitatis,* absque quâ si esset, nemo conualesceret: eátenus oritur tertium genus signorum προγνωστικὰ dictum, quod medio loco incedit inter duo dicta. Quatenus enim Naturæ conatum in morbis salutaribus indicant, eátenus ad primum genus pertinent: quatenus ἐν θεραπευτικῇ tantum conspiciuntur, eátenus ad alterum. Sunt autem duûm generum. Aut enim *Coctionis Cruditatisve* indicia sunt, & aliud nomen non habent: Aut post factam *Coctionem & separationem* vtilium ab inutilibus, Expulsionis, quæ actio peculiariter & propriè κρίσις dicitur, quemadmodum signa illam præcedentia, κρίσιμα ἢ κριτικὰ appellantur. Hæc posteà latiùs explicanda erunt.

§. 10. Mihi, antequam vlteriùs eam, instituere libet quæstionem, Annon hæc signa apud Veteres propria & peculiaria nomina habuerint? Omninò. *Naturalia* fuisse vocata συμβεβηκότα, *accidentia*, probo nunc ex vnico Gal. loco, qui est 1. Progn. 27. Cùm enim ibi Hipp. proposuisset naturalem hypochondriorum in morbis constitutionem: Gal. in Com. ait, Medicos quosdam νεωτέρους ἀποσυμβεβηκότα vocâsse μὴ ὑπαρχόντων, *cùm non adsunt*. Hinc concludo, Ergò cùm adsunt, συμβεβηκότα fuêre appellata. Nec quidquam refert in Medicinâ si *Actus secundi* vocentur *Accidentia*, v.g. visio. *Præternaturalia* vocata fuisse συμπτώματα, vocabulo apud Latinos quoque hodie vsurpato, extra omnem dubitationis aleam est. *Media* fuisse nominata ἔργα τῆς φύσεως, *opera naturæ*, nôrunt illi, qui sciunt, Galenum non vno loco distinxisse *Symptomata* ab *operibus naturæ*. Et hæc quidem videtur mihi constitui posse Methodus σημειωτική.

ABERRATIONES.

Heic ab initio hoc moneo, Quia in superioribus sensim dereliqui Institutionistas quosdam, velle me heic substituere tres Simiotices scriptores, quorum *primus* sit Iacobus Syluius, Parisiis, 1548. in fol. *Alter* Æmilius Campolongus VVittebergæ, 1601. in 8. curante Iessenio. *Tertius* Ioan. Iac. Huggelius, Basileæ, 1560. in fol.

§. 11. Fuchsium 4. Instit. s. 1. tam latè commendare hanc Medicinæ partem, non ægrè fero: hoc doleo, tam parcè loqui de signis Pathognomonicis, tã fusè de Prognosticis! Atqui, ὁ ἄριστα γνοὺς, ἄριστα θεραπεύει, *quò quis melior in cognitione, eò felicior in curatione est*. Contrà, cùm prognosis tam fallax sit, præstat silere, quàm pudefieri. In c. 2. docere illum velle, quid sit *Signum*, aliter quàm Gal. quid γελοῖον apud me est. Inculcare verò velle *Statum neutrum*, ἠλίθιον. Τὰ διαγνωστικὰ quid differant ἀπὸ τῶν παθογνωμονικῶν, scire aveam. Cæterùm, quod in confusâ illâ farragine ne mentio quidem fit *Naturalium*, res digna est admiratione. Tantò magis, quod in doctrina de Temperamentis non obscurè innuit tale quid.

§. 12. Sennertus l. 3. p. 1. cap. 1. *Methodi* vocabulo cum Capivaccio valdè impropriè vtitur. Quod subiicit de

differentiâ

differentiâ inter cognitionem curationis, & curationem ipsam, id quoque Capiuaccianum est. Quo enim modo curabimus affectum non cognitum? Cap. 2. statim nauseam mihi mouet illatione *status neutrius*. Nec omninò placet ex eodem stabulo petita distinctio signorum in διαγνωστικὰ, προγνωστικὰ, καὶ ἀναμνηστικά. Quorsum enim vltima hæc separantur à Diagnosticis? Placeret distinctio ex 1. Diff. febr. 3. nisi morborum esset. At sermo illius generalis esse debet. Idem dictum esto de Pathognomonicis, quæque his adhærent. In fontibus signorum idem desidero. Proponit enim præternaturalium tantùm, cùm omnium deberet.


§. 13. Liddelium miror & demiror, partim, quia non sentit se l.2. tradere signa *Naturalia*, partim quia l.4. cœno *status neutrius* se immergit, nec animaduertit, sub *Constitutione sanâ* latere illas *Temperamenti notas* l. 2. Miror etiam cùm proposuisset triplicia signa, explicare τὰ διαγνωστικὰ sola, τὰ προγνωστικὰ longè pòst, c.8. τῶν ἀναμνηστικῶν ne meminisse quidem amplius. Quod posterius de Sennerto etiam dici potest.

§. 14. In pari cùm Liddelio reatu est Heurnius, qui l. quidem 2. cap. 3. inquirit in notas temperamenti tam totius, quàm partium, non factâ mentione τῆς σημειωτικῆς: at l.5. demum huc peruenit. Quo loco non possum non mirari consilium ipsius, quòd est, vno fasce ligare velle doctrinam de *Symptomatis*, & *signis*; Aliud enim est tradere doctrinam de *symptomatis*, quatenus morbum sequuntur: aliud, quatenus *symptomata* illa indicium faciunt huius vel illius morbi. Hoc fatetur, quamuis obscurè, per illa, *Ratione diuersorum*. Cæterùm de signis ita sentio, vt post docebitur, τὰ παθογνωμονικὰ ἢ διαγνωστικὰ morbi sunt propria: τὰ συνεδρεύοντα, ἐπιφαινόμενα, τὰ ἐπιγινόμενα sunt eadem, & pertinent ad τὰ προγνωστικά. Et hoc applicari potest Fuchsio quoque, Sennerto & Liddelio.

§. 15. Syluius f.25. subitum mihi terrorem incutit tot crucibus, quibus ornat *statum neutrum* Herophili, qui nauci apud me est. Nec moratur me Akakia, & Com. ipsius absolutissimus.

§. 16. Campolongus ſtatim faſtidium mihi parit, cùm Capivaccium, hominem intricatiſſimum introducit. Faſtidium auget, quòd ex 1. Phyſ. initio, ſignificationem vocabuli μέθοδος valdè alienam affert. Auget idem, cùm locum Gal. ex 1. Artic. 33. affert, qui longè aliò it. Gal. ibi tantùm excuſat Hipp. Auget ampliùs cùm ita concludit, *Methodum ſuam non eſſe neceſſariam gratia cognitionis curationis, ſed gratia eiuſdem curationis.* Quis enim intelligit hæc? Maximè quia dicit in veſtigio, Signorum doctrinam præcedere indicationes? Quis hoc intelligit? Medicinam rectè diuidi in *theoriam* & *praxin*: & tamen Medicos non ſpeculari occulta, vt in cognitione acquieſcant, ſed vt operentur? Breuiter, tota *Medicina* eſt *Practica*, & quæcunque facit Medicus, propter finem ſuum facit. Hoc verò à Philoſopho alieniſſ. eſt. Quæ ſequuntur vſque ad f. 13. obſcura adeò ſunt, vt Delio natatore opus habeant. Sed & mutila ſunt, cùm ſigna *Naturalia* mihi dicta prorſus excludat.

§. 17. Tabulator Huppelius tam nihil agit heic, vt ego malim otioſus eſſe.



CAPVT II.

De fontibus Signorum.

§. 1. QVia omnes ita loquuntur, non ero ego ſingularis: ſed in re ipsâ quia cogor eſſe ſingularis, non id mihi vitio vertent, ſpero, boni.

§. 2. Principio repetendum eſt, quòd pleriſque neglectum eſt, Alia ſigna eſſe *Naturalia*, alia *Præternaturalia*. *Natura* vocabulum quia homonymum, proculdubio heic accipitur pro *Constitutione triplici corporis noſtri* quatenus in ea conſiſtit *ſanitas*. Hæc Conſtitutio facit mihi τὰ ὑπάρχοντα κατὰ τὸν τῆς οὐσίας λόγον, vt Autor Artis loquitur cap. 8. quæ inſunt ratione *ſubſtantiæ* h.e. explicatore eodem, partim ſunt in temperamento, partim in organiſatione, vt ſic dicam, partim in vnione, quam ego addo ex ſeq. & fit primum ſignum οὐσία, *ſubſtantia* ſeu *eſſentia*, quia nunquam eſt ſine ἐπισημασίᾳ, quæ idem autor vocat τὰ ἐξ ἀνάγκης ἑπόμενα.

ἑπόμενα quæ necessariò sequuntur substantiam, h. e. vt idemmet docet, sequuntur ἐνεργείας, *actus secundos*, vt Philosophi vocant: & fit alterum signum. Vbi hoc obiter moneo, esse hunc alterum locum, ex quo probare mihi licet, *Actiones s. n.* in veteri Scholâ propriè quidem συμβεβηκότα esse: impropriè autem συμπτώματα. Hæ ἐνέργειαι sunt vt iterum ille, ἡ τελειότης, perfectio ἣν δὴ καὶ ἀρετὴν αὐτῶν ὀνομάζομεν: *quàm sanè & Præstantiam* (ita enim vertendam esse vocem Casaubonus me docuit) vocamus. Hæ siue ἐνέργειαι, siue τελειότητες, reuera sunt *Actus secundi*, vt dixi: nihil tamen prohibet quo minùs vocentur *Symptomata*. Vide infrà cap. 26. §. 4. Et hinc pendent signa *Naturalia*.

§. 3. Iam, quia Morbus est vitium triplicis illius constitutionis, fortean *Præternaturalia* pendebunt ex iisdem? Non in vniuersum. Non enim video, quid ex *substantialibus* peti possit. Pendent ergò ex solis *Postsubstantialibus*, si sic loqui mihi fas est. Hæc *Postsubstantialia* nihil aliud sunt, quàm *symptomata* Medicis propriè dicta, præcipuè *Actio læsa*. Hinc enim sola illa in definitione morbi Medicâ ponitur. Nimirum, hoc me probaturum confido, omnia morborum signa consistere in triplici symptomatum genere vulgò recepto. Et hæc sunt signa παθογνωμονικά, *morbum ipsum indicantia*, quæ eadem Διαγνωστικὰ *distinctiua* vocantur, & sunt signa *Præternaturalia*. His intellectis, credin' tu iam me singularem esse? Peruetera dico, cùm videar dicere noua.

§. 4. Porrò autem quia, ceu dixi, in morbo semper superest aliquid *Sanitatis* quod constituit *Naturæ officium illud in sanitatis negotio*, de quo mihi actum est seorsim: ab illo sunt signa προγνωστικά, vt pariter dixi, quæ in morbo salutari ostendunt *Conatum Naturæ*, Medico manus auxiliares porrigentis, & dicuntur etiam συνεδρεύοντα, ἐπιφαινόμενα, ἐπιγινόμενα. Dixi *in morbo salutari*. Vbi enim Natura ita est obruta, h.e. vires ita prostratæ, vt agere nihil possit, desperata res est. Hinc oritur tertium genus, quod ibi quidem *Coctionis* appellatur: heic autem *Cruditatis*. Illam *Salus* excipit: hanc *Mors*. Illa obuenit duobus modis. Aut enim sensim & sensim dissipat Natura humorem morbificum: aut confertim expellit. Hæc actio, hæc expulsio, est *Opus Naturæ*, & κρίσις dicitur à Græcis, vti signa, quæ illam præcedunt κρίσιμα, ἢ κριτικά.

§. 5. Quo loco id monere fas est, *Vrinam & Pulsum* quasi medio loco consistere, quia & παθογνωμονικὰ præbent signa, & προγνωστικά, & hoc quidem primariò, illud autem secundariò. De respiratione eodem modo se habet.

ABERRATIONES.

§ 6. *Primus* Fuchsij lapsus est f.445. quòd signa *Neutra* admittit. *Alter* est, quòd τοῖς ἀναμνηστικοῖς locum tribuit, cùm, si omninò recipienda sunt, pertineant ad *Naturalia.* Qui enim constitutionem corporis p. n. indagat, considerat etiam, *Quibus morbis laborarit antea? Tertius*, quòd signa *Naturalia* prorsùs negligit. *Quartus*, quòd pro morbo incipiente peculiare fingit nomen γνωρίσματα inducens. *Quintus*, quòd distinguit τὰ ἐπιφαινόμενα, & τὰ συνεδρεύοντα. *Sextus*, quòd non satis se explicat, qualia sint hæc, προγνωστικὰ scil. ex *coctione* & *cruditate. Septimus*, quòd admiscet aliena, ea, quæ modò adsunt, modò absunt. Hæc enim ad morbi magnitudinem & paruitatẽ, ad benignitatem & malignitatem, ad alia pertinent, & sunt διαγνωστικά. *Octauus*, quòd seorsim ponit *salutaria* & *lethalia*, *bona* & *mala* magis minus, nec dicit ex quo fonte fluant, ex *coctione* sc. & *cruditate*, quæ προγνωστικὰ sunt. *Nonus*, quòd de *Iudicatoriis* ipsi vocatis valde perplexus est. *Decimus*, quòd de *Morborum temporibus* heic agit tam fusè, nec vspiam dicit, ad quod signorum genus pertineat res, ad προγνωστικά, inquam ego.

§. 7. Apud Sennertum f.460. & seq. inuenio mirificum chaos. Cur enim 1. aliud Cap. instituit pro *differentiis signorum*, & pro *fontibus*? Quot enim differentiæ, tot fontes. 2. Cur infercit *signa neutra*? nisi & *statum* ipsum *neutrum* agnoscit? 3. Cur separat διαγνωστικὰ καὶ παθογνωμονικά? 4. Cur subdiuisionem τῶν διαγνωστικῶν in propria & communia, 1. Diff. febr. 3. seorsim collocat, pro peculiari differentiâ habens, cum sit, vt dixi, subdiuisio, nec possit competere τοῖς προγνωστικοῖς? τῶν ἀναμνηστικῶν enim nulla mihi ratio, ceu innui, quatenus sc. signa *Præternaturalia* inquirimus, quòd vnicè facit homo. 5. Quàm libenter do illi τὰ παθογνωμονικὰ rarissimè constitui ab vno, sæpè autem numero consistere in syndrome plurium, vt in pleuritide: ita audire cupio, cur παθογνωμονικὰ sint, διαγνωστικὰ non sint? 6. Pace tanti viri dixero,

συνεδρεύοντα quæ ſint, nunquam intellexit. *Sunt* inquam ego, *ſigna coctionis & cruditatis.* His enim ſolis competunt illa, ποτὲ μὲν συνεισβάλλεται, ποτὲ δ᾽ ἐπιγίνεται, ποτὲ δ᾽ οὐδ᾽ ὅλως γίνεται, 1. Aph. 12. Cuius Aph. ſenſus planè conuincit, ſigna *coctionis* & *cruditatis* intelligi per τὰ ἐπιφαινόμενα. Et licèt rariſſimè fiat, coctionis ſigna in principio vniuerſali apparere: ſatis tamen eſt, ſi cruditatis adſint, v.g. ſputum in pleuritide, quod exemplum eſt Hipp. ipſius, & quòd profectò præbet πρόγνωσιν quandam. Ex eodem Aph. & quidem verbis ab ipſo Sennerto allatis, conuincam, τὰ ἐπιφαινόμενα eſſe eadem cùm τοῖς συνεδρεύουσι, vt pluribus ſubtilitatibus opus non ſit. 7. Pace iterum magni Viri dicam, locum in Arte cap. 8. non ſatis diligenter perpendit. Cùm enim acceptet τὰ ὑπάρχοντα κατὰ τὸν τῆς οὐσίας λόγον: cur inſuper habet τὰ ἐξ ἀνάγκης ἑπόμενα? Ita quidem eſt, αἱ ἐνέργειαι in ſanis, & τὰ συμπτώματα in ægris ſunt *Effectus*, quos ſecundo loco ponit: ſed enim non debuit ille fruſtrà mutare τὴν κειμένην λέξιν, vel ideò, quia turbat lectorem. 8. Quid de *Cauſis* dicam? ſunt ſub *Eſſentialibus*, ſeu τοῖς ὑπάρχουσι, ipſo Sennerto docente, volente. Hoc ſi graue alicui eſt audire à me, audiat à Plempio l. 5. Fundam. Med. cap. 1. qui valdè dormitabundum ideò vocat. Ex dormitante fecero ſomnolentum, ſi digitum intendere volam in τὸ σύμπτωμα. Quei enim inter *eſſentialia* poteſt ſtare, quòd *Signum* eſt, 1. Aph. 12. ἑπόμενον vno verbo, *Effectus*? Verùm quia iſta ad abſurditatẽ deductio parùm proficit, vbi audiero ab fautore aliquo Sennerti, *Quomodo Cauſæ, tam internæ quàm externæ, &c. poſſint eſſe ſigna?* Quomodo *Cauſa & Cauſatum* poſſit eſſe idem? (repugnat hoc etiam definitioni ſigni) cogitabo fortè de ſolidiore reſponſo. Idem Plemp. ait, Gal. ibi non conſtituit fontes ſignorum generales, ſed tantùm ſignorum optimæ corporis habitudinis. Quod vt verum eſt: ita falſum non eſt, poſſe accommodari etiam vitioſæ corporis habitudini. 9. De *ſimilibus* & *diſſimilibus* accipio ſententiam eorum, qui dicunt, Non eſſe fontem peculiarem, ſed rationem potius aptè conferendi ſigna huius corporis cùm ſignis alterius corporis. Hoc Plempius diceret, Eſt ab *effectis*, quatenus hæc *ſymptomata* huius morbi

similia sunt *symptomatis* morbi eiusdem, qui in alio corpore fuerit. 10. De *Iuuantibus* & *lædentibus* dico, coincidere illa de sententia ipsius Sennerti, cum similibus & dissimilibus. Ego verò ad Causam refero.

§. 80. Liddelium miror, qui l. 2. agat de signis temperamenti tam totius, quàm partium: l. 3. cap. 1. omittat prorsus signa *salubria*, vt ille quidem appellat. Eiusdem subtilis admodum est distinctio inter *signum simpliciter dictum*, & *signum Medicum*! Si enim verum est, quod cap. seq. scribit, signa Medica peti ex triplici symptomatum genere, doctrina autem symptomatum Medicis propria est: quid frustra aliò excurrimus? Eiusdem subtilior est altera, cognosci signatum vel ab effectu, vel à causâ euidenti. Si ab effectu, seu causato, quomodo simul à causâ? Sed sit: quomodo hinc fontes signorum fluent, si quod ipsemet dicit, à triplici symptomatum genere pendent? Cum his quomodo cohæret triplex constitutio corporis Herophilea? & triplicia signa? Quomodo iterum conditio corporis triplex, è quâ triplicia iterùm signa? In subdiuisione *insalubrium*, vt loquitur, nõ vnus etiã error est. παθογνωμονικὰ, dicere debebat ex 1. Diff. febr. 3. vel *propria* & *inseparabilia* simul sunt: vel *propria* tantùm, non *inseparabilia* tamen: vel *inseparabilia*, non etiam *propria*. Tum verò exempli gratiâ subiicere, In pleuritide propria & inseparabilia sunt, quæque cum morbo incipiunt & desinunt, Dolor lateris pũctorius, cum difficultate respirationis, &c. In eâdem proprium, sed separabile est, dolorem ascendere ad iugulum, vel descendere. In eâdem inseparabile, sed proprium non est, sputum. Nec refert (quod ad rem nostram) si pleuritis quædam ἄπτυστος est. Eodem modo dicere debebat, συνεδρεύοντα sunt illa quæ quouis modo euentum morbi nobis demonstrant, & modò citiùs, modò tardius succedunt, modò prorsus non, vnde ἐπιφαινόμενα, ἢ ἐπιγινόμενα vocantur. Dico, *Quouis modo*: Non enim necessariò morbis cohærent, imò ne sunt quidem ex morbi essentiâ, sed ex *operibus Naturæ*, quæ ideò προγνωστικὰ appello, & habent sub se *Critica* quoque. Hinc intelligitur, quò referenda sint deliria, vigiliæ, sitis, alia. quæ

febribus

febribus ardentibus superueniunt. Quia enim sunt à vehementiâ morbi, non autem à naturâ, non sunt etiam συνεδρεύοντα, sed παθογνωμονικά, secundi, tertiíve generis, propria, sed separabilia, &c. Sed quò pertinent hæmorrhagiæ ab initio, deiectiones intempestiuæ, sudores, & excretiones aliæ? Cùm accidunt in principio, & sine signis coctionis, adeóque vi morbi, sunt signa παθογνωμονικά posterioris ordinis: cùm posteà, cum signis coctionis, sunt κριτικά. Hinc adeò manifestum fit, Discrimen inter παθογνωμονικά & συνεδρεύοντα constituere, non *tempus*, quod primâ fronte apparet: sed *causam efficientem*. Ibi enim *Morbus* agit: heic *Natura*, quæ ipsa etiam dat nobis in salutaribus morbis quatuor illa tempora, de quibus dicetur. Dices, sed quid de lethalibus? *Cruditas* iungitur coctioni, quia *oppositorum eadem est doctrina*.

SECTIO ALTERA.

CAPVT III.

De Signis naturalibus seu salubribus: Cautelæ pro iis, qui de Temperamento tam totius, quàm partium singularum iudicare volunt.

§. 1. SVpina nostrorum hominum negligentia facit, vt cogar heic operam sumere prolixiorem. Quidam enim prorsus omittunt hanc Simiotices partem: quidam indiscretè irrumpunt, & ἄνευ διορισμοῦ, vt necesse sit in multis falli. Hos monitos volo, 1. Cùm paucissimorum hominum omnes partes eiusdem sint temperamenti, sed huius quidem sint, huius non sint: videndum ante omnia fuerit, *Vtrùm omnes partes attestentur vni, vel duabus qualitatibus*, v.g. caliditati: an hæ quidem caliditati, illæ autem frigiditati, 2. Temp. 6. A. 1. San. tu. 6. C. Res exemplis declaretur. Qui pectus habet planum, depressúmque, vt inde στηνώδης dicatur; scapulas ita prominentes, vt πτερυγώδης: is pectore & corde procul dubio frigidus & siccus est. Non tamen ob id toto corpore talis est. Qui femora & crura habet gracilia, non propterea gracilis totus est dicendus. Fieri enim potest, vt brachia & scapulas satis fa-

certosas habeat. Qui caput habet, vel magnum, bouis instar, vel paruum, non propterea, vel calidus est, vel siccus toto corpore. Qui pectore est hirsuto, non ob id toto temperamento calidus est, cùm cor solum possit excedere in calore, reliquæ partes ad frigus inclinare.

§. 2. Ergo antequàm quis de toto pronuntiet, examinabit *seorsim partes omnes*, & quatenus vna respondeat alteri. V. g. sit aliquis hirto pectore, si præter hoc habeat thoracem amplum & elatum, scapulas patentes, venas superficiales tumidas, musculos in motu conspicuos, pulsum vehementem, audax, temerarius, vigil, capillis in primà quidem ætate nigris & crispis, sed qui sub primũ statim senium decidant, faciántque hominem ridiculum: is procul dubio calidus erit toto corpore. Contrà sit aliquis nudo glabróque pectore, si totum corpus simul sit glabrum, cutis mollis & alba, capilli rufi, extremo senio caput destituentes, venæ exiles, pulsus debilis, ipse timidus, ignauus, somnolentus, pinguis, & ob id ἄμυνος, vt Græci loquuntur: is procul dubio frigidus erit toto corpore. Ita, viderit Medicus aliquem, cuius cutis alba & mollis, instar fœminæ; viderit alium, cuius cutis nigra & dura: non ob id, vel calidum dicet hunc, vel frigidum illum. Euenit enim ferè vtrumque horum ob externum aerem, qui potestatem etiam habet immutandi animi mores, quâ de re alibi.

§. 3. II. Id, quod *per se* est, distinguere oportet ab eo, quod *per accidens* est. Corpus enim, quod iudicium subire debet, non debet, vel frigore enectum esse, vel sub sole, ignéve torrefactum, 1. Temp. 9. C. Ita ille, qui iudicat, non debet vel frigidior esse, vel calidior. Ita de partibus quoque se res habet. Fieri enim potest, vt quæ pars ex accidenti talis est, credatur esse talis suâ naturâ, 2. Temp. vlt. A. Proponatur cum Gal. *Ventriculus*. Incumbat mihi necessitas quærendi temperamentum ventriculi Socratis. Ante omnia perpendere heic oportet propriam actionem, quæ est *coctio alimentorum*. Est verò hæc vel melior, vel deterior, pro ratione assumtorum. Si enim coquit nonnisi temperatos cibos, temperatus & ipse est. Sin solidos & duros, qualis caro bubula, suilla, fumo indurata, salpa, brassica, &c. non is temperatus erit, sed calidus. Ex aduerso, si nec temperatos, nec temperatus, nec calidus, sed frigidus fuerit. Ita, si quis ab vsu ciborum mollium, præcipuè si aromatis conditi sint, cùm multâ pinguedine, sentiat ructus nidorosos: illius ventriculus calidus est. Non enim coquit dictos cibos, sed corrumpit. Rursus, siquis à cibo sentiat ructus acidos, qualescunque etiam sint cibi: illius ventriculus frigidus est. Inchoat enim coctionem, non perficit. Et hi quidem ventriculi hactenus tales sunt *ex se, ex sua natura*: at qui sentiunt horum aliquid propter causam externam, iam hoc *per accidens* est. V. g. Si ex capite decidat pituita in ventriculum, quæ coctionem turbet, non oportet accusare ventriculum. Ita si in frigore ambulet, aut dormiat. Ita (quòd iam ad vitiosam conformationem pertinet) si ex vesiculâ felleâ eat porus aliquis ad

ventriculum

ventriculum, qui bilem suam deponat eò, & faciat eos, qui πικρόχολοι ἄνω dicuntur: non ob id ventriculus calidus est, nec causa est æstuationis illius, doloris capitis, vomitus, &c. Eadem ratio est hepatis, lienis, mesenterij, cùm ex capite, aut alia quapiam parte excrementa eò ablegantur, *per accidens* læduntur.

§. 4. III. Id, quod à *causâ externâ* est, separare oportet ab eo, quòd *ab internâ* est, 2. Temp. 6. F. Et hoc Hipp. effatum est, diligenter & sæpè à Vallesio inculcatum. An verbis tantùm differt à priori? An idem est cùm Errore externo, de quo alibi? Accidit hoc (ne à ventriculo discedam) cum bilis vomitus superuenit iis, qui tale quid comederunt, v. g. porrum, allium, cepas, nasturtium, &c. Tum verò distinctionis ratio subitò est in promtu. In πικροχόλοις ἄνω iam dictis, bilis vomita est illa, quæ naturalis est, flaua seu pallida cognominata: in aliis est porracea appellata, quæ sola inter alias species in ventriculo gignitur: Propterea desinit vomitus, cùm abstinent à talibus: in πικροχόλοις non desinit. Huc pertinent, quæ docentur 5. Aphor. 15. *Ventriculi hyeme calidiores, &c.* Non enim temperamento tribuere oportet, quod frigoris est, calorem concentrantis. E contrario, si æstiuo tempore supinior sit ventriculus, non debet culpari temperamentum.

§. 5. IV. Non oportet æstimare temperamentum partis ab *eiusdem excrementis*, Ib. ter. V. g. Pituitam quis eiicit per superiora & inferiora: non ob id ventriculus est frigidus & humidus. Quod enim ex Gal. deduxi alibi, generatur pituita, non à temperamento ventriculi, sed è cibis pituitosis, siquidem calor illis non sit proportionatus. Eodem modo generatur in Melancholicis, qui frigidi sunt & sicci. *Non enim*, inquit Gal. *sicut corpus siccum est: ita excrementum quoque siccum esse oportet.* Et hoc verum est de senibus in vniuersum.

§. 6. V. Oportet distinguere temperamentum *ascititium* à *natiuo*. Ib. Si enim quis firmo natus ventriculo, qualis Saxonibus est, diu vtatur piscibus, aliisque cibis humidis & frigidis, ille tonum ventriculi corrumpet. Ita, qui vino assueuit, si posteà vtatur cereuisiâ, peiùs coquet.

§. 7. VI. Oportet distinguere *ætates ab ætatibus*, *mutatum vitæ genus, a quiete ad turbas*, aut contrà. Hoc est, quod Hippocr. ait 6. Epid. 8. t. 1. *Videndum esse, quæ mutationes in quas fiant.* Et alioqui sæpiculè fit, quod eodem 2. Temp. vlt. Gal. habet, vt nota aliqua obiiciatur alicui, quæ non sit huius tẽperamenti, quod adest: sed vel illius, quod fuit, vel illius quod futurum est. V. g. Sexagenarius aliquis densum habeat capillitium. Hoc signũ erat temperamenti iuuenilis, quòd erat calidum & siccum. Quomodo tamdiu durare possunt capilli illi? inquis. Non fit in omnibus. Quidam enim capilli similes sunt plantis illis, quæ per hyemem etiam virescunt: quidam illis, quæ exarescunt. Hoc facit alimentum magis minùs vnctuosum. Ita iuuenis 20. annorum fit valdè

hirsutus. Hic melancholicus quidem non est: sed erit ætate declinante. Cùm enim plurimum flauæ bilis colligat, quæ tamen dilutior est, ob aliquam hepatis humiditatem: vbi hepar euaserit terrestre & siccum, bilis illa flaua vretur in nigram.

§. 8. Tandem cautio est, ne *similitudo* nos decipiat, & signa communia habeamus pro propriis v.g. *Melancholicorum* vulgò dictorum alij reuera tales sunt, alij videntur. Rursus, eorum, qui sunt alij nascuntur tales, alij demum fiunt. In vniuersum sunt quinque generum. *Videntur* melancholici, *non sunt*, 1. frigidi & humidi, seu pituitosi. 2. frigidi & sicci, quales sunt senes omnes, cuius, cuius temperamenti aliàs sint. Vtrique abundant excrementis pituitosis, propterea pigri sunt, tristes & somnolenti, quas virtutes vulgò tribuimus melancholicis. 2. *Reuerà* sunt, & tales *nascuntur*, qui hepar habent calidius cũ substantiâ terrestri, ob quam sanguinem gignunt crassum & fæculentum, instar vini rubri. Et hoc obseruandum est contra popularem opinionem, *Melancholicos omnes esse frigidos*. 3. *Reuerà* sunt, & *non nascuntur*, *fiunt* autem in iuuentute statim, *Biliosi*, cùm flaua vritur in atram, ceu dixi. 4. Reuerà *sunt* & *fiunt* demum in consistente ætate, *sanguinei*, cùm sanguis fit crassior & parcior. Et hi postremi sunt *Melancholici* illi *sapientes* apud Arist. 30 probl. 1. vt Vallesius Com. in Art. persuadet.

§. 9. An huc quoque facit monitum Gal. 1. Temp. 6. de rectâ nominum significatione? & quòd heic agatur de Temperato actu? An illud quoque 2. Temp. 3. & 4. Quomodo sit procedendum in iudicio de temperamentis actu?



CAPVT IV.

Signa Temperamenti Totius, & primùm æqualis.

§. 1. Constat inter omnes Philosophos, obliquum censeri non posse, nisi habeatur ad rectum quid, quod sit quasi *Canon Polycleti*; in latitudine autem sanitatis octo cùm sint, vt ita dicam, obliquitates: necesse est, aut detur, aut fingatur *Temperamentum* aliquod *Rectum*, cuius respectu *obliqua* illa vel talia, vel talia sint. Hoc à Gal. vocatur ἶσον, καὶ σύμμετρον, καὶ εὔκρατον, καὶ μέσον; *Æquale*, *Moderatum*, *Temperatum*, *Medium*.

§. 2. Rursus, cùm medium in omnibus rebus sit duplex, *Arithmeticum* & *Geometricum*, quorum illud quidem dicitur πρὸς σταθμὸν *ad pondus*, hoc autem πρὸς δικαιοσύνην, *ad Iustitiam*: de vtro heic sermo est? Gal. & qui eum inconsultò sequuntur, mirificam nobis texunt telam

de.

de temperamento *Ad pondus*. Reuerà enim ita est, vt ex Accorombono docui alibi, In totâ rerum naturâ nihil est temperatum *ad pondus*: omnia autem *ad iustitiam*, ita, inquam, vt postulat natura vniuscuiusque. Cur igitur proponitur illud *Ad pondus*? Doctrinæ gratiâ, ne confundatur cùm altero *Ad iustitiam*.

§. 3. Hinc distinctè respondeo ad confragosam quæstionem illam, *An detur temperamentum æquale?* Ad pondus non datur: ad iustitiam datur. Sed cur non datur illud? Si aliquid constitueretur ex paribus ignis & terræ partibus, ignis consumeret terram, nec vnquam fieret mistio. Sed & hoc dari, valdè difficile est creditu, aiunt. Vbi enim inueniemus hominem v.g. qui præstet in omnibus? In Vtopiâ fortè! Tu tibi imaginaris, quod non est. Neque enim opus est, vt temperatus homo sit vbique in summo gradu, vt, inquam, optimè coquat omnes cibos, vt Milo sit viribus, vt sapientissimus, vt visum Aquilinum habeat, auditum Aprugnum, & si quæ alia: satis est, si præstet in omnibus *actionibus humanis*. Nudam hanc assertionem meam corroborabunt

---

ABERRATIONES.

§. 4. Immensum fallitur Fuchs. l. 1 s. 3. cap. 2. cum Temperamentum, de quo agimus, duplex facit, *Ad pondus*, quod simpliciter vult dici, in quo elementorum & contrariorum æqua sit portio: *ad Iustitiam*, quod cum additione; cùm vid. tanta vniuscuiusque elementi & contrarij portio, quantâ opus est, vt optimas in suo genere actiones edat. Tu verò noli mirari, quòd dicam, *Cum additione*. Quantumuis enim dissimulet homo: exigit tamen sequela orationis. Et quid sibi vult, quod ait, à iunioribus Medicis esse hanc προσθήκην, cùm antiquissima sit? Quid etiam, quod definitionem Iustitiæ à Iurisconsultis celebratam, huc trahit? Quid *Voluntas* commune habet cùm *Mistione elementorum*? Facessat hinc, vt dixi, temperamentum *ad pondus*, & in considerationem veniat, quod ad Iustitiam. Horum vnum Temperatum esse, reliqua octo Intemperata, quàm rectè docet, tam rectè obiici illi potest, & breuem & obscurum esse. Schema ipsius f. 52. non vni patet obiectioni.

Vt defendat Temperamentū ad pondus Sennertus, vide quid comminiscatur l. 1. f. 17. Ego hoc oppono posśūtne qualitates libellæ imponi?

§. 5. Sennertus l. 3. f. 453. tenebras cogitat, cùm *Temperamentum æquale* transformat in *Corpus saluberrimum*. Sed

sit. Quàm rectè extendit τὰ ὑπάρχοντα κατὰ τὸν τῆς οὐσίας λόγον, in Arte, cap. 85. conformationem etiam & Vnitatem: tam frigidè describit hominem suum optimè sanum ἐκ τῶν ἑπομένων *ex Actionibus*. Non improbo, quòd illa 1. Temp. 9. I. ἄριστα ἔχει τῆς οἰκείας φύσεως, explicat per ea, quæ mox sequuntur initio l. 2. sed video in re ipsâ deficere illum. Τὸ ἄριστα quidem infert illa, *Corporis temperatissimi & optimè constituti actiones esse perfectissimas & optimas*; item illa, *Ad omnes actiones homo temperatus promptior est*: sed repugnat tam rerũ natura, quàm Gal. ipse. Natura rerum, quòd non possit esse vna omnium & singularum partium eadem præstantia. Vt in Rep. ceu pulcrè Valles. in Artem comparat, non oportet omnes ciues esse potentissimos; sed quẽlibet illorũ par est tantùm habere potentiæ, quantũ requiritur ad conseruationem, nõ ad turbationẽ Reip. sic in Rep. hominis Monarchia quædam est, in quam dirigũtur omnia; in quâ quædam partes sunt principes, quæ imperant, quædã ministræ, quæ parent, quâ in re cõsistit pulcerrimus ille cõcentus, quẽ Gal. prædicat in lib. de Vs. part. Quòd si omnes esśẽt æqualiter præstantes, non possent stare simul. Huc respicit Platonis illud, *in iuuenẽ non cadere prudentiam, quòd* τὸ ἐπιθυμητικὸν *sit nimis potens*. Imò verò, debet habere iuuenis maiorem calorem, vt corpus capere possit incrementum: debuit senex minorem habere, vt, deficiente oculo corporis, florere incipiat oculus animi, quod Socrates in Alcibiade ait; Et hoc apud Gal. Heraclitus ait, αὐγὴ ξηρὴ σοφωτέρη *Anima sicca sapientior*. Hinc adeò videmus, iuuenes, quò calidiores sunt, eò magis præcipites esse, & temerarios: contra senes cunctatores. Hoc natura spectauit in cerebro frigido, quod opposuit cordi calido, vt fiat spirituum contemperatio. Hac impeditâ, vt in phreniticis & maniacis, quid fiat videmus. Et hæc de Naturâ: Galenum si volumus consentire sibiipsi, oportet tandem huc deueniamus. Quo enim modo τὸ ἄριστα, quod est fine l. 1. Temp. conuenit cum τῷ ἀμέμπτῳ, quod est principio 2. Temp. Certè, quod in summo gradu est, non cohæret cum eo, quod in mediocri; quod actiones habet præstantissimas, nõ potest consistere cum eo, quòd non habet quod

conquera

conqueratur? Dico, Ἄριστα superlatiuus debet exponi καλῶς positiue, vt sensus fiat, *Temperatus est ille, qui omnes actiones habet mediocres, nullas excellentes.* Ita, quomodo Temperatus simul est ἀκρατότατος, simul μέσος? Vtramque enim vocem habet Gal. 2. Temp. Dico iterum, *Superlatiuus stat loco positiui*, μεταπλασμός Græcis non infrequenti. Ita, quo sensu Temperatus apud Gal. est φρονιμώτατος καὶ σοφώτατος? Possum eodem diuerti, sed nolo: *Temperatus est prudentissimus, quatenus hi duo habitus ab ἀφυΐα sunt.* Cùm enim ratio ipsius, nec à calore turbetur, nec à frigore obtundatur: quiuis sequelam videt. At verò, quatenus habitus dicti sunt à doctrinâ & rerum vsu, longissimè abest ab excellentiâ illâ.

§. 6. Hinc patet responsio ad duas quæstiones Sennerti, quarum *prima* est, *an Temperati actiones sint præstantissimæ?* Hoc alij, atque adeò Sennert. ipse f. 459. tantumnon in infinitum extendunt, addúntque encomia planè histrionica: sed reuerà consistunt omnia in mediocritate. Vt enim medicamenta temperata sunt πολύχρηστα, sed nihil egregij præstant: ita actiones Temperati nostri neutiquam mediocritatem superant. Quamobrem longissimè aberrat à scopo. Repugnat etiam illi, quòd Gal. ait in 1. Temp. G. *Omne Temperatum non nisi vnam actionem habere præstantiss. quæ fuerit in homine Prudentia*, quatenus *Ratio est homo*, 4. Vs. p. 13. *Altera* quæstio est, *An temperatus maximè resistat omnibus causis morbificis?* Scio quid Vallesius moliatur 1. Controu. 11. Dico ego paucis, *Temperatus non facilè capitur morbis vel calidis, vel frigidis, quia ipse, nec calidus est, nec frigidus. Non facilè*, dico, si excessus non sint nimis magni: at verò si insignes sint, facilius afficitur morbo calido quàm frigidus, frigido, quàm calidus. Hinc pendet delucidatio tertiæ quæstionis, *An temperatus sit maximè longæuus?*

§. 7. Liddelius l. 2. f. 44. occupatur in asserendo duplici temperamento, *ad pondus*, & *ad iustitiam*: frustrà omnia. Idem temperamentum *ad pondus* concipit imaginatione, quod fieri non potest, propter argumentum suprà propositum.

§. 8. In

§. 8. In Syluio fol. 26. & 27. tantùm abeſt vt quidquam magnopere deſiderem, vt potiùs dicam diligentiâ ſuperâſſe omnes. Inprimis placet, quòd non tantùm corporis dotes, ſed & animi penſiculatè exponit, eáſque collocat, non in ſummo gradu, ſed quatenus homini datum eſt. Ex quâ determinatione ſi explicetur τὸ *ſapientiſſ. & prudentiſſ.* nihil erit periculi. Non minùs placet, quòd Temperamento ſubiicit *Conformationem*, quæ facit, vt corpus *Temperati* ſit omnis deformitatis expers, *Quadratum*, vt Latini vocant, vno verbo, *pulcerrimum*, quale repræſentauit Polycletus in Canone ſuo δορυφόρῳ.: Idem corpus erit colore roſeo, quod de meo addo. Hæc dico ideò, vt excuſem factum meum. Nam, quomodo equus quidam percitus, vt Interpr. Gal. loquitur 8 Vſ. p. 9. extr. metam prætergreditur: ita oratio aliò conuerſa, *Conformationis* oblita eſt.



CAPVT V.

Signa temperamentorum totius inæqualium.

§. 1. HEic præſuppono, *Octo* numero eſſe, *quatuor ſimplicia, & quatuor compoſita.* Hæ ſunt *Intemperies naturales*, 3. Meth. 9. B. *Intemperies ſanitatis*, 3. Temp. 4. F. *Morboſæ corporis constitutiones*, 6 San. tu. 2. & ſeq. *Exceſſus parui*, qui in latitudine ſanitatis pertinent ad ὑγιεινὸν, ſuprà in veſtibulo ipſo.

§. 2. *Calidi*, ſed *in paſſiuis temperati*, tangentibus quidem manifeſtum dabunt calorem, maiorem ſcil. quam temperato conueniat: in viſceribus autem (de quibus infra) clariſſima hærebunt caloris ſigna. Eorundem corpus hirſutum erit, ad tactum ſolidiuſculum. Sed pili cuius coloris? Non *flaui*, ſed *nigri*, in Arte, cap. 52. Facies horum impensè rubra. *Conformatio* quidem ſatis concinna: ſed graciles potiùs quàm craſſi, agiles, actiui, venis exſtantibus. Ipſi callidi & ingenioſi. Cæterùm craſſitiem diſtinguere oportet in eam, quæ à *carne* eſt, ac eam, quæ à *pinguedine*. Noſter carnoſior, quàm pinguior eſt.

§. 3. *Frigidi, in paſſiuis temperati*, ad tactum minùs calent, molliuſculi, glabríque. Pili, qui adſunt, rufi ſunt, hoc eſt, ad flauitiem tendentes, nón autem rubri, vt quidam confundunt voces. Facies exalbida eſt: ſi paululùm progreſſa ſit frigiditas, vt ad Cachexiam tendat, liuida

liuida seu plumbea, subtumida. Corpus malè conformatum est, & musculi ad motum non distinguuntur, venæ vix conspicuæ sunt. Ipsi segnes sunt, parùm prudentes.

§. 4. Quæritur, sitne frigiditas, perinde ac caliditas, actu & tactu talis? Minimè. Frigiditas enim heic comparatè tantùm adest, hoc est, vt dixi, minùs calent.

§. 5. *Sicci in actiuis temperati*, habitu sunt graciliore, cutis ad tactum arida, & virilis. *Humidi in actiuis temperati*, habitu præditi sunt pleniore, cutis est mollis & fœminea.

§. 6. *Calidos, & humidos sanguineos* vocamus. Hi in iuuentute facie sunt præditi floridâ, plenáque, quæ progressu ætatis, rubicunda fit. Habitus corporis mollis & carnosus est, venis cutaneis latis, tumidísque, capilli in pueritiâ albi, progressu temporis, nigri. Cùm ad pubertatem accedunt, incipiunt fœtere hircorum ad instar. Hic odor cùm ducat nos ad putredinem, quæritur, *Quo modo concedi possit, hoc corpus esse idem cum temperato?* Quamdiu calor benè gubernat humidum suum, temperatum dici debet: cùm superat humidum, incipit in vitio esse, & sunt hi tales obnoxij febribus putridis. Vnde intelligitur, Non esse verum simpliciter, tales esse longæuos, vt neque temperati, ceu dixi. Hi sunt simplices, pacifici, pueriliter hilares, præsertim cùm vino incaluére.

§. 7. *Calidos & siccos Biliosos* appellamus. Horum facies cum virore pallida est, χλωροὶ vnâ voce Græcis, quales plerique Iudæi. Hi corpore gracili sunt, duro ad tactum, feruidi, pilosi, pilis nigris, crispísque. Iidem iracundi sunt, contentiosi, nemini parcentes, subitò ad arma prouolantes, implacabiles superbi, temerarij, inconstantes, sed ingeniosi.

§. 8. *Frigidos & humidos pituitosos* dicimus. Hi frigidis-tantùm similes sunt in multis, facie modò albâ, modò liuidâ, toto corpore subtumidi, molles ad tactum, pilis vel nullis, vel tenuibus & planis. Ipsi timidi sunt, & ignaui, ingenio hebeti, iudicio nullo.

§. 9. *Frigidi & sicci* sunt *Melancholici*. In his præcipuè locum habet cautela cap. 3. §. 8. vt discamus discernere putatitios Melancholicos à veris, siue illi nati sint tales, siue facti. In vtrisque opus est hoc scire, Tam *Melancholiam*, quàm *Atram-bilem* frigidam quidem & siccam esse: sed ὑποκειμένῳ, *subiecto* tantùm, vt *cinis*. Hic enim vt habet ἐμπύρευμα, vnde lixiuij acrimonia: ita vterque humor habet. Vterque iterum, licèt crassus & terrestris sit: dilutus tamen est multo sero, vt in tract. de Vsu lien. ostendi. Loquor autē heic præcipuè de *Melancholia naturali*, &, quæ facilè inde fit, *Atrâ-bile*. Hac qui abundant, facie, totóque corpore nigri sunt, & pilosi, habitu gracili, & malè curato, venis extuberantibus ob permistos flatus. Ipsi taciturni, auari, morosi, mirabilibus occupati imaginationibus, præcipuè per noctem, ingenio tam varij, quàm ipse Proteus. *Melancholici sapientes Arist.* qui sint, dixi.

ABERRATIONES.

§. 10. Fuchsius f. 149. valdè ieiunus est.

§. 11. Ieiunus quoque Senn. est in quæstione, cuius decisio heic est §. 6. f. 22. Quid enim est dictu? *In quâ caliditas frigiditatem superat, & frigiditatem siccitas, & quidem moderatè superat*. Hoc enim in omni calidâ & humidâ intemperie est, nec quidquam determinat τὸ *Moderatè*. Oportet cõferre has duas qualitates, non cũ oppositis, sed inter se, vt actiua superet passiuam. Ieiunior est defensio sanguineorum, biliosorum, pituitosorum, & melancholicorum. Vbi enim sunt humores alimentarij, distincti ab excrementitiis? Non possum non excruciari, cùm video adolescentibus obtrudi deliramenta talia! Solus sanguis alit, & præter eum alij humores nulli. Hic sanguis cùm sit calidior & siccior, vt bilis est, voco *Temperamentũ biliosum*, & sic de cæteris. Et hoc est, quòd posteà dicit ipsemet. Ad ea, ad quæ se refert l. 1. cap. 9. f. 65. respondi l. 2. Instit. cap. 124. Quæ f. 23. iterúmque l. 2. c. 461. de Iouialibus, Saturninis, Venereis, &c. aspergit vir egregius, indigna seipso. Quis enim est sanus ille sensus, qui explicat & specialibus determinat rem? An ille, *quòd multa fiunt in corpore humano, quorum causæ ex primis qualitatibus reddi non possunt*? Concedo multa talia esse: verum, quia alterari illa & mutari non possunt, non pertinent etiam ad Medicum. Quæ ex diuinatrice Astrologiâ petuntur, Gal. ipse à Medicinâ separat, cùm dicit, se in prognosticis falsum nunquam fuisse: verùm id non habuisse ex habitu Medico, sed ex naturali quâdam ad vaticinandum inclinatione. An ille, *quod inferiora hæc gubernentur à superioribus lationibus*? Concedo hoc quoque, si non admisceãtur Stoïcæ influẽtiæ. Apud Hipp. & Arist. fiunt ista mediante aëre. Ideò Hipp. dicere potest, *Cum tempora non sunt tempora, morbos exspectare oportet*. Ita Luna in catarrhis multa potest ratione aëris ab illâ humectati. Et quæ est *Insignior illa differentia*, à primis qualitatibus diuersa? Quia

non explicat se homo, iure dico, esse in numero illorum, qui nihil docent.

§. 12. Liddelius l.2. f.49. paucis se absoluit, nec repugno illi. Paucioribus Heurnius l. 2. cap. 3. cui statim me oppono: *Falsum esse, τὸ εὔκρατον optimè resistere turbulento incursui omnium causarũ externarum.* Vt enim dixi, *Violentis causis non æquè resistit, ac mediocribus.* Hinc falsi conuincuntur & illa, *Quæ ab εὐκράτῳ longiùs recesserunt, faciliùs labuntur & expugnantur.* Frigidus aliquis longè difficiliùs febricitat, quàm temperatus.

§. 13. In Syluio f.29. hoc imprimis desidero, quod temperamenta hæc exorbitantia vocat *Mediocria.* Deinde & illud, quòd in frigidis tactu percipere vult frigiditatem. Quis enim de corpore viuo ausit hoc cogitare? Tertiò, quomodo calidis tribuere possit Corpus densum, frigidis rarum? Contrà enim potiùs est. Et hæc de Toto: sequitur de Partibus.



CAPVT VI.

Præscienda illi, qui de temperamento partium agere velit.

§. 1. PArtem heic appello, quidquid ad constitutionem hominis concurrit, 1. Meth. 5. Concurrunt autem tria apud Hipp. & Gal. *Spiritus, Humores, & Partes solidæ.* Si quis ausit dicere, *Solas partes* huc facere, ei contrarium ostendam, hoc iam vnico argumento, Gal. in lib. de Temp. de omnib. agit. Quod verò idem seorsim scripsit de singulis tribus, clarioris doctrinæ gratiâ fit.

§. 2. De *Partibus solidis* iterum resumo eandem definitionem, & dico, Fernelium iniustè fecisse, cùm conculcauit pilos & vngues. Harum temperamentum cùm inuestigat Gal. sæpè vocauit *Facultatem,* sæpe *substantiam*, aut *essentiam*, sæpè *Animam ipsam.* Et hoc facit habitu Medico, qui permittit talia, vt alibi ostendi.

§. 3. Hoc temperamentum apud eundem est duplex, *Proprium & Commune. Illud* est, quo partes omnes gaudent: *hoc*, quod ex Corde influit. Sine autem vtroque nulla fit actio. Ego ita explicare soleo. Duplex est calor in nobis, Alter *Materialis*, qui σύμφυτος dicitur, & ori-

ginem habet ab elementis calidis: alter *Formalis*, qui ἔμφυτ☉, & originem habet nobiliorem, à seminis paterni reliquiis, quæ in corde stabulant. *Cor* enim in μικροκόσμῳ est quod *Sol* in μακροκόσμῳ. Interim nobis de συμφύτῳ tantum est sermo.

§. 4. Heic quæri solet, Cum *temperamenta inæqualia* referantur ad suum *æquale*, an heic quoque tale quid sit? Hac in re valdè sudant, & gemunt hodiéque sub pondere, qui *Cutim volæ* dicunt esse partem illam æqualem, cuius respectu cæteræ partes sint inæquales. Sed reuerà πρῶτον ψεῦδος in eo est, quòd cutim illam iubent esse temperatam *ad pondus*. Quo enim modo id quòd συμμετρίαν Arithmeticam habet, potest diiudicare eam, quæ συμμετρίας Geometricæ est? Quamobrem iterum facessere dico *Temperamentum ad pondus*, & arcesso *Temperamentum ad Iustitiam*, hac ratione, Quia partes hominis sunt diuersi temperamenti, propter diuersas actiones, quibus dicatæ sunt: quæcunque in suo genere inculpata est, hoc est, quæ actionem suam perfectè absoluit, illa est mensura reliquarum in suo iterum genere.

§. 5. Hoc declaro, Cerebrum Socratis sit temperatum, hoc est habeat omnes sensus, tam externos, quàm internos, in eo vigore, in quo homo benè natus habere potest: hoc cerebrum est μέτρον, *mensura talis*, qualis est, *Temperamentum æquale*, in toto. Ita, Hepar Platonis sit temperatum, hoc est, optimum sanguinem humanum faciat: hoc Hepar est mensura hepatis Sophronisci, Petri, Pauli, omnium in omnibus indiuiduis.

§. 6. Rursus, Temperamentum hoc vel *Similarium* est, vel *Dissimilarium*. Quod ad *similares*, vt qualitates primæ sunt formæ Elementorum, quamuis hoc valdè controuersum sit: ita hæc *Qualitas*, quæ *Temperamentum* est, est forma mistorũ, quà mista. Neque enim aliam formam substantialẽ, præter temperamentum agnoscit Medicus. Quòd ad *dissimilares*, iterum est qualitas illa, quæ ex omnium similarium qualitatibus inuicem iunctis exsultat. Et quemadmodum forma similarium nomen habet ab elemento prædominante: ita forma dissimilarium à parte principe, vbi illa est. V. g. Oculi temperamentum est frigidum & humidum: quia humor crystallinus est talis. In reliquis, ab eo, quod prædominatur, v.g. in visceribus sanguineis superat sanguis, ergò sunt calida & humida: in cæteris quia natura membranacea, ergò frigida & humida.

ABERRATIONES.

Hæc quanti sint momenti vnusquisque videt: at quis omnium curat?

CAPVT.

CAPVT VII.

De Partibus calidis, & quem illæ inter se ordinem habeant.

§. 1. PArtium *similarium* calidarum, ὡς τύπῳ εἰπεῖν, hic est. 1. Sanguis. 2. Lac. 3. Caro, non tantùm propriè dicta, quæ musculorum est, quàm viscerum exsanguium, ventriculi cùm intestinis, vesicæ vtriúsque, venarum, arteriarum, fortassis etiam neruorum. 4. Caro viscerum sanguineorum, excepto tamen Corde, cuius carnem musculis iungit Gal. 2.Temp.3. 5. Pinguedo 6. Medulla ossium 7 Bilis, tam illa, quæ simpliciter ita dicitur, aut etiam naturalis, flaua, pallidáve: quàm bilis præternaturalis species. 8. Semen maris 9. Spiritus, seu calidum natiuum.

§. 2. *Dissimilarium*, eodem considerationis modo. 1. Genus musculosum. 2. Omentum. 3. Renes. 4. Pulmones. 5. Lien. 6. Hepar. 7. Cor.

De partibus frigidis.

§. 3. Harum fortassis hic erit ordo: *Similarium* quidem, 1. Fibræ. 2. Membranæ, quò pertinent vasa. 3. Melancholia & Atra-bilis. 4. Serum. 5. Ligamenta. 6. Tendines. 7. Cartilagines. 8. Vngues. 9. Ossa. 10. Pili. 11. Pituita. *Dissimilarium* autem 1. Ventriculus cùm intestinis. 2. Vesica vtraque cum vtero. 3. Glandulæ, & inter has præcipuè Testes vtriusque sexus. 4. Cerebrum cùm Medullâ spinali. 5. Odoratus sensorium, quod est pars cerebri. 6. Auditus sensorium. 7. Oculi.

De humidis.

§. 4. *Similarium* 1. Caro viscerum sanguineorum, in magna tamen latitudine, de quâ dicam. 2. Caro proprie dicta, cùm carne viscerum exsanguium, vasorúmque. 3. Lac 4. Sanguis 5. Semen maris. 6. Spiritus. 7. Pinguedo seu Adeps. 8 Medulla ossium. 9. Serum, quòd tamen sine siccitate non est. 10. Vrina, quæ maximam seri partem constituit, & insigniter salsa est, vt & Sudor. 11. Lacrymæ, quæ serum quoddam sunt. 12 Humor in pericardio 13. Saliua. 14 Humores oculorum. 15. Pituita. *Dissimilarium*. 1. Omentum. 2. Genus musculosum. 3. Lingua. 4. Cor. 5. Renes. 6. Hepar. 7 Lien. 8. Pulmones. 9. Testes, & glandulæ omnes. 10. Cerebrum, cùm medulla spinali. 11. Oculi.

De Siccis.

§. 5. *Similarium*, 1.Fibræ.2.Membranæ & Tunicæ cum vasis.3.Melancholia cum atra bile.4.Bilis tam s. quàm p.n. 5. Ligamenta. 6. Tendines.7.Cartilagines.8. Vngues.9.Ossa.10.Pili. *Dissimilarium* 1. Cutis,2. Ventriculus cum intestinis.3.Vesica vtraque.4.Vterus.5.Vasa.

§.6. Et hæc instituendo sufficere possint.Ordinis rationem in singulis inuenies in Tract.nostro de Temperamentis.Qui combinationes velit, facilè conficere possit.

ABERRATIONES.

§. 7. Verum est, quod Fuchs. l. 1. s. 3.cap.6. ex Gal.2. Temp. 3. scribit, Calidi, frigidíque solum iudicem esse *Tactum hominis*; Humidi, siccíque *Rationem*: sed falsum est, omnia signa à primis qualitatibus sumi. Sensibus enim qui credere nolit, illi dicetur ex Politico Platonis, *Exspecta, vsque dum res ipsæ loquantur, & naturam suam verbis suis explicent.* At verò sensui addere oportet *Intellectum*, quò firmior sit conclusio. Hoc ideò dico, vt erudiri se patiantur illi, & inter hos Fuchsius, qui simia heic Gal. est, *sensum quidem aliquatenus adstipulari Cuti volæ manus*: sed *Intellectum* repugnare multis modis. 1. Si temperatum ad pondus non datur, ipso Gal. doctore: quid frustrà heic palpitamus? *Ratio*, cur non detur, est, Ignis tanta portio perderet terræ tantillam portionem: 2. *Cutis dicta* non potest sustinere hunc locum, quia frigida & humida est, quippe ex quâ gluten fit. Talē autem volebat cutis humana, vt perforabilis sit, ad promouendam insensibilem transpirationem. 3. *Cutis* humana fit in primâ conformatione ex solo sanguine, à quo rubet in recèns natis. 4. Quæ proportio est inter carnem calidam, humidámque: & neruum frigidum siccúmque? quomodo ex duobus extremis potest constitui medium? maximè, quia sanguis & neruus sunt proportionis Geometricæ, mediū hoc Arithmeticæ? 5. *Neruus* est cerebrum exporrectum, constans ex tot partibus, quot cerebrum ipsum: quomodo


quomodo igitur cum sanguine, corpore tantumnon simplice, ita vniri possit, vt æqualitas elementorum fiat? 6. *Cutis* est nassa quædam apud Platonem, crebris pertusa foraminibus, quæ continua sunt cum extremitatibus venarum & arteriarum: cur ergo non potiùs ex sanguine & vasis dictis fit? Possent afferri plura, sed non est opus in re tam lucida. Est ita, vt dixi, *In iudicio de temperamento partium, temperamentum ad pondus non inuenit locum.* Pars enim temperata in Socrate, v. g. cerebrum, est mensura cerebri intemperati in reliquis omnibus hominibus.

§. 8. Sennertus l. 1. cap. 26. correus quidem Fuchsij est in cute: sed amicior mihi, quòd dubitanter loquatur, *si datur pars temperata ad pondus, Cutis est.* Verùm perdit iterum omnem gratiam, cum refert ad cutim partes ad iustitiam temperatas. Vt enim dixi, quam similitudinem habet proportio Arithmetica cum Geometricâ? His quidem terminis?

§. 9. Vehementer placet Lidd. cum f. 45. improbat fictionem Gal. de mistione artificiali aquæ frigidæ cum feruentissimâ, aut aquæ cum cineribus. *Dei*, inquit, *& Naturæ hoc opus est, non hominis, quæque hoc modo fit mistio, non est perfecta.* Rursus displicet, cùm temperamentum istud factitium recipit pro normâ iudicandorum temperamentorum ad iustitiam. Iam de partibus ipsis.

Ratio Ordinis.

§. 10. Quia Medicus seruare vult vitam; vita autem & nutritio sunt idem: vtique à principe nutritionis parte initium capiet, & inde progredietur ad minùs principales.



CAPVT VIII.

De Temperamentis Cordis.

§. 1. VT ordiar inde, vnde Natura ipsa, repeto ex superioribus, Cordis naturalem temperiem capi, non collatione factâ ad cutim,

cutim, quòd Gal. velle dixi cum consectaneis suis: sed comparato *corde cum corde*. Quo modo? dicis. *Illo* quidem temperatissimo ad iustitiam, hoc est, tali, quale cor humanum par est esse: *hoc* autem, quod magis minùs declinet à symmetriâ, à bonitate illâ natiuâ, quæ hominis propria est.

§. 2. Hac in re nequa obscuritas subintret, sciendum est, *Cor* habere, præ aliis partibus omnibus hoc peculiare, quod vnum sit, non φύσει, *naturâ*, sed ἀφῇ, *continuitate*, vt Arist. loquitur, è quo explico. Vt in ouo fœcundo se habet, Aliud est ouum ipsum, à Gallina solâ editum, quod ὑπηνέμιον vocant Græci, *quasi à vento conceptum esset*; aliud quod Gallo superueniente, cuius ratione iam *Fœcundum* est: ita heic, aliud est *Cor*, aliud *Calidum natiuum*, per cor dispersum. Hoc latè explicatur in libb. de Gener. hom.

§. 3. Iam ergò cùm dicitur, *Cor* esse partium omnium calidissimum, quò respectu dicitur? *Calidi natiui*, quod in Corde hospitatur. Hoc probo. Cùm Hipp. aut quicunque alius dixisset, 2. Nat. 12. *Hominem primis à natiuitate diebus calidissimum esse, postremis frigidissimum*; explicat Gal. de *Calido natiuo*. Hinc idem 2. Temp. 2. A. & iterum G. fœtum ait in vtero matris esse calidiss. & humidiss. Quo sensu accipienda esse illa, quæ 1. San. tu. 2. A. leguntur, planè mihi persuadeo.

§. 4. Heic iure quæras, Quam prærogatiuam habeat hoc *Calidum*? Hanc, ipsum est *formale* quid, proximum *animæ instrumentum*, quod Hipp. 6. Epid. 5. autore Gal. ib. ideò ψυχὴν *animam* vocat. In corde enim sedem habens, præstat τῷ μικροκόσμῳ, quod Sol τῷ μακροκόσμῳ, vt alibi docetur. Et hoc est, quòd Gal. sæpè dicit, *Cor* esse fontem, originem, principium caloris, adeóque partes omnes calere, officiosásque esse, quamdiu illis aspirat gratiam suam.

§. 5. Ergò quia in corde ἐνέργεια est, *actus ipse*, in reliquis partibus αἱ δυνάμεις, *facultates* seu *potentiæ*, subitò heic abripimur ad facultates, de quibus aliquid prælibare oportet ideò, quia Gal. ab Arist. ipsáque Veritate longissimè discessit, vt alibi demonstraui.

§. 6. Apud Arist. *anima* est vna, in vno *corde* stabulans, & hinc emittens radios suos, *spiritus suos*, in Cerebro ratiocinatur, in hepate sanguificat, in ventriculo coquit, & sic de cæteris.

§. 7. Apud Gal. qui Platonem secutus esse videri vult, triplex est *anima*, substantiâ & sedibus diuisa, quarum vna in hepate sit, θρεπτικὴ Arist. *Nutrix, nutritioni Corporis præfecta*, quam, imitatione Stoïcorum, *Naturam* solet vocare, non *Animam*: altera in corde, cui nescio quid diuersum à nutritione tribuit, & ζωτικὴν *Vitalem* appellat: tertia in capite, quam λογικὴν (non λογιστικὴν) *Rationalem* vocat, quam solam appellat *Animam*, facultatésque cum actionibus inde pendentes, *Animales*, quemadmodum illas ab hepate *Naturales*.

§. 8. Heic quantæ sint difficultates, dicendi locus iam non est: nos quia Medicinam profitemur, in qua ista Logica sunt, sepositis omnibus

bus persequimur signa, quæ proposuimus. 1. Ab *Essentialibus* quia nihil nobis præsidij, cùm neque temperamentum, neque conformationem vllo modo attingere possimus: contenti cogimur esse iis, quæ ab *post-essentialibus* seu *actionibus* petuntur. 2. *Actiones* quia apud Gal. triplices sunt, triplicia etiam erunt signa, *A respiratione*, *A pulsu*, *Ab animi motibus*, qui motus constituunt τὸ θυμικὸν Platonis, quod Gal. copulat cum suo ζωτικῷ. His motibus cohærent mores, non quidem ascititij, sed natiui. 3. His tribus adduntur *Symptomata*. 4. Considerãtur etiam *partes circumstantes*. Thoracis enim vel amplitudo, vel angustia, quæ à conformatione pendent, indicant nobis, vel benè, vel malè habitare hunc hospitem magni nominis. Additur quin etiam, facilè vel difficulter laborare, siue externis iniuriis magis minus obnoxium esse, quòd ad *Temperamentum* sequitur.

Cor Temperatum.

§. 9. Verum est. *Cor temperatum* melius cognosci, si collocetur post intemperata, puta si dicam. Cor Socratis non est calidius æquo, non frigidius, & sic de cæteris, ergo est temperatum: tamen libet mihi heic in frontispicio ponere. Vbi tale cor est, & respiratio & pulsus intra mediocritatis terminos est: calore ad tactum, non flagrans, sed mitis: totum corpus benè conformatum, thorax inprimis; nec latior, nec angustior: homo ipse moribus commodis, nec audax, nec timidus, nec auarus, nec prodigus, nec callidus, nec simulator, nec superbus, nec abiectus, neque cunctator, neque præceps, nec loquax, nec taciturnus: Summa, prudens, circunspectus, candidus, & absque fuco bonus, sine inuidia, sine sordibus, suauis omnibus, molestus nemini, sensibus omnibus tam internis quam externis integer. Nam horum quoque heïc meminisse oportet.

Cor Calidum.

§. 10. Heic illud resumendum. Quo respectu omnis homo in primâ ætate sit calidissimus? *Sui ipsius*, in ætatibus consequentibus. Semper enim calor decrescit, impugnatus, non à se ipso, quod vulgò creditur, sed à sex rebus non-naturalibus dictis, maximè, si quis sinistrè vtatur.

§. 11. Item illud, Quo modo homo calidissimus dici possit temperatus? *Temperatus* dicitur, collatus cum cæteris animalibus: *calidissimus*, cùm suâ specie. Ergò cor calidum heic est illud, quod supra temperiem humanam est. Intelligitur autem hoc ipsum hoc loco, quod in passiuis temperatum est. Hoc de tribus seq. etiam habendum est.

§. 12. Potissima signa sunt ab *actionibus*, quæ triplices sunt, vt modò dixi. De respiratione tam variè philosophari amicos, est admiratione

 dignum:

dignum: sed pertinet res ad Aberrationes. Breuiter, ita sentire nos oportet. *Pulmo* dilatatur, non vt impleatur perinde ac follis: sed contrà, dilatatur, quia impletur vt saccus. Impletur autem, non aëre, sed sanguine, è cordis dextro ventriculo effuso per ζέσιν, *ebullitionem* Arist. Atqui videmus aërem ingredi & egredi? Ita est: sed aër ille manet in bronchiis pulmonis, iterúmque egreditur in eadem quantitate. Sed neque attolli possunt bronchia, neque considere. Quei hoc capiam? Ebulliente in corde sanguine, pars eius in pulmonem sursum it, eúmque in tumorem attollit: pars altera per arteriam magnam deorsum it, & pulsum causat, quo mediante in corpus diditur. Vtroque modo, quemadmodum vtrobique fuligines vacuantur, partim per os & nares, partim per arterias cutaneas: ita posterior motus nihil facit ad respirationem, de quâ agimus. Pulmone à sanguine dextri ventriculi ita eleuato, vt spacium in thorace vacuum nullum sit, adeóque periculum suffocationis iam adsit: venit illi (pulmoni) in subsidium thorax, &, attracto aëre frigido, tumorem illum sedat, non secus ac si quis ignem flatu suo exstinguat. Vnde apparet, Respirationem quidem rectè iungi τῇ θυμικῇ ἢ ζωτικῇ: sed rem non intelligi vulgò.

§. 13. Quidquid sit, Cùm *finis* respirationis sit *ventilare* seu refrigerare calidum natiuum: quò intensior est calor ille, eò maiorem, celeriorem & crebriorem fore respirationem. Pulsûs est eadem ratio. Vnde intelligas, Ne heic quidem rem assequi istos (dicendum est enim, quod natura rei iubet) cum motum faciunt triplicem, Cordis, arteriarum, pulmonum, & ἐκ παραλλήλου ponunt. Sed & deest illis thoracis motus. Reuerà, vnus motus cordis creat ex se reliquos. Hinc variant pro intensione & remissione caloris.

§. 14. Idem *Cor*, si contingat (& hæc iam alia cordis actio) pulsari externâ iniuriâ aliquâ, exardescet in iram vehementiss. Vbi difficultas exsistit insignis. Apud. Gal. 2. in 1. Epid. 78. duæ sunt voces, ὀξύθυμος (cum quâ idem est ὀργίλος) καὶ θυμώδης, quarum hæc calidum cor denotat, illa frigidum. Res ita habet. Sunt inter homines, qui subitò, & ad leuissimas iniurias excandescunt: sed facilè remittunt, si videant aduersarium. Sunt alij, qui magnanimi sunt, & iniuriarum contemtores, non sine summâ ratione incalescentes; at vbi semel arma induerunt, non facilè placantur. Atque vt hi *magnanimi* rectè dicuntur: ita illi *morosi*, ad instar mulierum, puerorum & senum. De vtrisque q. ex vno ore loquuntur Valles. & Th. à Veiga, Com. in Artem: θυμώδεις inquiunt, *sunt animosi*, quales qui sunt, calidi sunt, qui multa & magna audent, sed semper cum ratione: ὀξύθυμοι sunt *Temerarij*, quales qui sunt, frigidi sunt, & multa aggrediuntur, veruntamen præcipiti consilio. Quamobrem θυμώδεις fuerint, qui iram sciunt sumere & deponere: ὀξύθυμοι, qui neutrum. Cæterum, quod de ira dicitur, trahendum est ad alia quoque, dolorem, metum, &c.

§. 15. Et hæc de *actionibus*. De *symptomatis* ita habendum est, Tales ferè:

ferè rubicundos fore totâ facie, aliquando cùm pustulis. Iidem ad tactum perpetuò ignei sunt, præsertim manus. Iidem venas habent conspicuas & magnas. Quidam, cum processit calor, pectus habebunt nigrum, & veluti atramento suffusum. Talis fuit Hercules toto corpore, præsertim podice, inde *Melampygus* dictus. Vide Erasmum in adagio, *In Melampygum ne incidas*. Quidam horum valdè siticulosi sunt. Ego autem noui pustulosum, qui minimè omnium sitiebat.

§. 16. Quod ad vicinum thoracem, erit is benè proportionatus, quamuis ferè amplior. Caloris enim est dilatare. Idem thorax pilis multis, densis, nigris obsitus erit. In quibus ad hypochondria & nates pertinent illi, penè monstrosum est. In quibusdam horum in corde ipso inuenti sunt pili, vt in Aristomene apud Plin. alióśque. Vide Schenkium 2.Obs.181. Tandem, si quis in intensissimo frigore non subitò tremat: Contrà, si vel leuissimum frigus ferre non possit.

Cor frigidum.

§. 16. Verum quidem est, esse hîc omnia contraria, & propterea paucis nos defungi posse: sed non ita simpliciter. Sequamur ergo filum nostrum. 1. Respiratio proculdubio est parua, rara & tarda. Verumtamen hoc ita intelligere oportet, si seruetur eadem dilatationum magnitudo, frequentia & crebritas. Alioquin, thorax paruus valdè dilatatus magnam facit respirationem, & consequenter tantùm trahit aëris, quantum thorax magnus parum dilatatus. Prætereà, magnitudo thoracis, aut respondet proportione calori cordis, aut non respondet. Si illud, quantò thorax est maior, tantò minor, tanto maior, (& sic de cæteris) fit respiratio. Vide Valles. Com. in Art. & Thom. à Veiga.

§. 17. 2. Pulsus necessariò est paruus, inquit Autor artis: sed non necessariò tardus & rarus. Nisi, addit Valles. frigiditas iungatur insignis. 3. Tales sunt è genere τῶν ὀξυθύμων illorum, qui hoc habent à debili calore, & vocantur μικρόψυχοι, de quorum natura est, autore Valles. furere in irâ, si mitius tractentur: cedere, si asperius. Sunt enim timidi, segnes, sibi diffidentes, cunctatores, &c. 4. Iidem sunt colore albo toto corpore, præsertim facie. Venas habent paruas & inconspicuas. 5. Thorax, plerisque omnibus & angustus est, & planus; scapulæ prominentes, vnde σανιδώδεις, καὶ πτερυγώδεις vocantur Græcis. Pili in hoc, aut nulli sunt, aut pauci, iique rufi. 6. De his verus est Aph. 24. sect. 5. Frigida enim pectori inimica. Faciunt enim catarrhos, hæmorrhagias, &c. Æstate melius habent, quàm hyeme.

Cor Siccum.

§. 18. 1. Respiratio, ob instrumentorum contumaciam iuxta & exilitatem, parua est, tarda & crebra. 2. Pulsus, durus, paruus & creber.

3. Ad iram (cæterorum affectuum penè eadem est ratio) cor hoc non est aptum natum: quia siccitas non admittit impressionem. Verùm vbi admisit, non dimittit. 4. Thorax semper est paruus, ob defectum materiæ. 5. Totum corpus ex-carne & osseum est: non autem necessariò nigrum. Pili si adsunt, subitò adsunt iuuenibus. 6. Læduntur tales siccis, iuuantur humidis.

Cor humidum.

§. 19. Hîc iterum omnia sunt contraria, & duo tantum monenda. 1. Thorax semper est magnus. 2. Non minus hîc quàm alibi rideo illos, qui hepar inclamant. Nugæ sunt scuticâ dignæ.

Cor calidum & siccum.

§. 20. Moneo hîc, quod de tribus etiam seq. coniugationibus cogitandum erit. Tres illarum gradus statui posse. Aut enim vtraque qualitas est intensa: aut vtraque est remissa: aut alterutra est remissa, alterutra intensa. Quod ad propositam συζυγίαν,

§. 21. 1. De respiratione vix certi quid poterit dici, antequam thorax inspiciatur, amplus, an angustus sit? Dubia enim hîc res est, quod caliditas quidem faciat quod solet, dilatet, inquam: siccitas autem repugnet. Si thorax sit amplus, non potest non magna esse respiratio, quæ vnâ διαστολῇ tantùm aëris attrahit, quantùm duabus angustus. Cum magnitudine & crebritas & frequentia adest: sine tamen inæqualitate. Sin angustus sit, & crebritas & frequentia maior est. 2. De pulsu res non minus difficilis est. Durum ait esse Gal. putatitius in Arte, magnum, celerem & crebrum. De duritie consentiunt Interpp. quos audio, in magnâ siccitate. De magnitudine res intricatior est. Mihi satisfacit Thom. à Veiga, qui ait, Calidos tantùm habere pulsum magnum, sed ob copiam carnis vix perceptibilem: calidos & siccos, ob contrariam causam, habere euidenter magnum, cum celeritate & frequentiâ, ob copiam fuliginum.

§. 22. 3. In animi affectibus (non in solâ irâ) tales non subitò cedunt: sed vbi cesserunt, persistunt. Sunt sanguinarij, &, si accedat potentia, Tyranni, immisericordes, illiberales, contemtores aliorum, audaces, arrogantes, libidinosi, alioquin actiui, vt sic loquar. 4. Thorax in mediocritate ferè consistit. Idem est hispidus pilis densis, nigrísque, fortè etiam crispis. 5. Colore sunt toto corpore nigri, solidi ad tactum, calidíque (siccitas enim est lima caloris, secundùm Auerroëm) venis tumidis, præsertim in senectute, cum iam amarescunt, vt Cic. loquitur, hoc est, fiunt melancholici, quibus flatus nunquam desunt. 6. Facilè laborant tales febribus tertianis, causis, erysipelatis, &c.

Cor Calidum & humidum.

§. 23. 1. In respiratione considerant iterum thoracis, vel latitudinem, vel angustiam. Illa si adsit, fiet respiratio magna, crebra & celer: sin, tantùm decedet de magnitudine & consequentibus, quantùm de latitudine. 2. Pulsus est mollis, ob humiditatem, quæ, quoniam obsequentem habet arteriam, meritò magnus etiam est. His addita est celeritas & crebritas, ob fuliginum copiam potiùs quàm acrimoniam. 3. In affectibus animi, præcipuè irâ, hîc magna est procliuitas, ob humorem, qui facilè recipit, facilè dimittit. Summa, hi tales facilè volunt, facilè nolunt, vt pueri. 4. Thorax vtplurimum est amplus, sed minimè pilosus. 5. Colore sunt florido, pilis rufis, mollicellis. Ipsi lenes & amicabiles, ad risum faciles.

§. 24. Hìc incidit iterum quæstio suprà agitata cap. 5. §. 7. Quatenus tales sint temperati? *Quamdiu*, dixi, *caliditas & humiditas stant in æquilibrio.* At verò si vincatur calor, præforibus est putredo, ex putredine febres putridæ, cum eò vsque ascendit, vt actiones lædat. Hoc est, quod Gal. dat nobis 10. Meth. 5. *Si contingat*, inquit, *laborare tales febre Ephemerâ, facilè fit inde putrida, quando etiam cum sani sunt tales, fœtent instar hircorum.* Et hæc quidem putredo est propriè dicta, vt quidam distinguunt: interim laborare possunt tales etiam putredine impropriè dicta, quæ *combustio* dicitur 8. Meth. 7. cum vid. Ephemera vltrà diem suum durat, & *Synochus fit imputris*, qui ipse tamen in *Putrem* degenerare potest, vt alibi docetur. An accidit hoc, cum flos sanguinis in bilem vstus est, ita tamen, vt non propterea Calidi & sicci sint dicendi? Quidquid sit, appellatur hic *Synochus* à quibusdam *Febris asthmatica*, quod, propter maximum circa cor incendium, respiratio valdè sit intensa, & cum stertore. Solet & *Inflatiua* dici, à peculiari symptomate, quo faciem attollit in tumorem, putátque vulgus ab aurâ venenatâ esse.

Cor frigidum & siccum.

§. 25. 1. In respiratione denuo inculcant thoracis amplitudinem & angustiam. Ego verò, vt in humido vix agnosco angustiam, ita in hoc neutiquam amplitudinem. Repugnat enim vtraque qualitas. Dico liberè, 1. Respiratio in hoc statu est parua, tarda & rara. Frigus enim pessundat omnia naturæ opera. 2. Pulsus procul dubio sunt parui, durique. Sunt & rari, quamuis dubitet Valles. 3. In irâ, in amore, in odio, in metu, in gaudio, in aliis tales sunt stipites: interim, si occæcati erint tale quid, non facilè aliò transferuntur. Tu verò iram distingue à morositate & impatientia, vt in senibus & mulieribus. Hi omnes auari sunt. 4. Thorax angustus est, quò respicit

qualitas, vt dixi. Idem de pilis est. 5. Cutis est talis, qualem qualitates suæ permittunt. 6. Valdè hi sunt miseri cùm Boreas flat. 5. Aph. 24. Vitales non sunt: quin mors ipsa est frigida & sicca.

Cor frigidum & humidum.

§. 26. 1. Respiratio hîc tarda & parua est, nec non rara. Modicus enim calor non nisi modicâ ventilatione indiget. 2. Præter has differentias, mollis est pulsus. 3. Iram hi non facilè sumunt, & facilè placantur. Tu verò accipe eo sensu, quo dixi. Mulieres enim & pituitosi omnes, canum more petaces sunt. Non enim benè difflantur ob pectoris angustiam. 4. Thorax angustus est, simúlque vel depilis, vel paucis, tendibusque vestitus. 5. Cutis est talis qualis esse potest. 6. Catharris valdè obnoxij sunt. Cor enim præbet cerebro copiosam materiam.

ABERRATIONES.

§. 22. Ego verò hîc magnificè exsulto, nactus tam validum ὑπερασπιστὴν, Ill. D. Sennertum. Quod enim f. 469. de cerebro dixerat, id repetit f. 481. *Partem quamlibet dici talem non absolutè, sed respectu habito ad suam speciem*, h.e. collatione factâ, non ad temperamẽtum ad pondus, sed ad iustitiam. Atat, cum subinde video bis illud *Cum cute*, non habeo quod dicam. Fortassis ipse dicet, *Vah, censen' me hominem esse*! Idem quam nudus est mox in triplici cordis motu? maximè cum agglutinat respirationem. Non poterat melius, quam si cum Arist. dixisset, de Resp. 20. τρία δὲ τὰ συμβαίνοντα περὶ τὴν καρδίαν, πήδησις, καὶ σφυγμὸς, καὶ τὸ τῆς ἀναπνοῆς. Hîc omnia sunt obscura apud nostros: ego iam olim fœneratus sum illis hanc lucem. Respiratio fit, protruso sanguine è dextro cordis ventriculo in pulmones, partim ad refrigerationem, sub quâ comprehendo fuliginum per os & nares vacuationem; partim ad deportationem vlteriorem in sinistrum cordis ventriculum. Pulsus fit, emisso sanguine è dicto iam ventriculo in arteriam magnam, partim ad distributionem ipsius sanguinis in vniuersum corpus, partim iterum ad expulsionem fuliginum per vasa cutanea. Ita loquor: quia venis etiam communicantur per ἀναστομώσεις mutuas. *Saltus*,

tus πήδησις, ἢ ἀναπήδησις quid ſit, nemo melius explicarit Gal. 2. Cauſ. ſympt. 5. R. quâ de motu Calidi natiui, *Primæ*, inquit, *& principaliſsimæ animæ motiones ſunt illæ, quæ in multis animi affectibus ſunt.* Hinc eò prouectus ſum, vt τὸ πηδητικὸν Ariſt. (licuit enim mihi ſpero, hoc verbi fingere) eſſet τὸ θυμικὸν ἢ θυμοειδὲς Platonis, cum θυμὸς *Ira* eſt. Vt enim Plato exemplariter loquitur, ſub irâ complectens alios quoque animi affectus: ita Ariſt. *Timorem* infert. Ex his, qua fortaſſis aliena videbuntur alicui, intelligitur vera ratio trium motuum, de quibus Noſter. Intelligitur quin etiam, quatenus reſpiratio adſcribi poſſit actionibus θυμικαῖς. Intelligitur quin etiam, quatenus Cor ſit cauſa reſpirationis. Omninò, immediatè concurrit, adeóque ζέσις Ariſtot. & facit reſpirationem, & modificat, ſi ita loqui mihi licet.

§. 28. Mirificum philoſophema de reſpiratione & pulſu, de quo in calido corde, pertinet ad hũc noſtrum: cui quia oppoſui aliud ſatis perſpicuum, ſatis eſto. Iam hoc in conſiderationem voco. Quei illud in Arte, *Niſi fortè hepatis intemperies obſtet*, tantoperè placere illi potuerit? Probauítne triplicitate animæ Gal. adeóque in hepate etiam quæſiuit, ἑστίαν, *focum quendam*? Haud credam. An intuitus eſt inæqualem cordis & hepatis intemperiem, cùm hoc eſt calidum, illud frigidum? Non putem. Declinat enim ipſius, cum conſenſum quærit, h. e. æquè magnum vtriuſque viſceris calorem. Sed & conſenſus & diſſenſus ille ſapit ἀήθειαν quandam. Quis enim vel è vulgo neſcit, ſi duo iſta viſcera æquè calida ſint, maiorem fore calorem? Sed neque hoc agitur: quin de ſolo corde loquimur. In animi affectibus f. 481. nimis longus eſt. In magnitudine thoracis f. ſeq. moleſtus eſt ἀρχαίῳ illo dogmate, partes reliquas conformari ad ſpinam dorſi. Multò moleſtior in propinandis argutiis Argenterianis. Quid enim illæ ad Inſtituendum noſtrum?

Hic iacet ἀντίπραξις viſcerũ de quâ idẽ f. 493. à quâ paucis me abſoluo: Aut nugatoria eſt, aut perparum abeſt.

§. 29. Syluium miror f. 35. 1. omittere cor temperatum! 2. approbare manifeſtè falſum dogma, *Hepar frigidum retundere poſſe calorem cordis!* Cerebri eadem eſt ratio. 3. iactare iam damnatum ἀρχαῖον dogma!

CAPVT



CAPVT IX.

De temperamentis Pulmonis.

§. 1. DE Pulmone fas est agam post cor, quod sit, vt Arist. loquitur, ὅρος τῆς θερμότητος φυσικῆς, *h.e. definiat mensuram caloris natiui.* Hoc ita accipiendum est, *In vniuerso animalium ambitu, quæcunque pulmonem habent, sunt calidiora illis, quæ non habent.* Et iterum. *Quæ pulmonem habent sanguineum, calidiora sunt illis, quæ exsanguem.* Hinc est, quod idem Arist. multitudinem vel paucitatem potûs; item maiorem, vel minorem sitim distinguit ex pulmone magis, minus sanguineo.

§. 2. Sex omninò signa sunt, quæ temperiem pulmonis indicant, Respiratio, pulsus, vox, sitis, thorax amplus, angustúsque, & iuuantia, lædentia; Auerroës. 4. Coll. 5. annumerat his sputum. De horum tribus oportet præmittere quædam antequam ad particularia veniatur.

§. 3. I. De *voce*, cum dicitur, instrumentum eius esse pulmonem, oportet assumere asperam arteriam, præcipue caput eius, *laryngem*. Rursus, cum distinctè sumuntur hæc, siue duo, siue tria instrumenta vocis, oportet iterum coassumere thoracem cum musculis & neruis ipsum mouentibus. De differentiis eius consulere tibi licet Sennertum, l. 2. Instit. f. 502. & seq. Item Syluium, qui concisior est, f. 39.

§. 4. II. De *Siti* res patet latiusculè. Vulgò creditur, sitim esse ex solo ventriculo, & si res benè cecidit, etiam ex hepate. At verò Arist. 8. Hist. 4. 3. Part. 8. vel ὀλιγόποτα esse vult animalia, vel διψητικά, prout pulmonem habent sanguineum, exsanguémve, quem *fungosum* vocat, & ouiparis tribuit. Hoc confirmarit vox ipsa *Naturæ*, quæ instituit, vt dum bibimus, semper aliquid distillet in pulmones. Autor etiam Artis, cap. 46. fatetur, non ventriculum tantùm sitim facere, sed & viscera thoracis. Hinc suppetias eat Gal. 4. Acut. 1. Agens enim de siti, quæ in *Causo* fit, distinguit illum, qui in habitu corporis est, ab eo, qui fit parte aliquâ inflammatâ. Ille, inquit, necessariò facit sitim, hic non facit: nisi si pars ipsa nata sit facere. Enumerans autem partes illas ait, primum omnium & maximè sitim facere os ventriculi: deinde ventriculum ipsum: postea (ita enim transpono. 2. Var. lect. 11.) pulmonem: tandem ieiunum intestinum. Quare etiam in inflammationibus harum partium sitis pro signo ponitur. 4. Loc. aff. 7. 4. Præ. puls. 2. Similis est locus. 6. Loc. aff. 3. sub finem. Agens enim de diabete, & inde ortâ siti, distinguit illam, quæ citra diabeten est, & pendet ab intemperie, vel calidâ tantùm, vel siccâ tantùm, vel calidâ siccâque simul, quæ combinatio ferè desinit in *Marasmum*: & ait, Primum

&

& maximè fieri id ex ventriculo, potissimum ore ipsius: deinde ex hepate, sed præcipuè simâ eius parte, quà mesenterio, ieiuno intestino, ipsique ventriculo incubat: tandem ex pulmone. Iam ergo, secundùm Gal. Cor, pulmo, hepar, ventriculus, & contiguum intestinum ieiunum, sitim faciunt; ego verò renes etiam addo, lienem, mesenterium & vterum, vt memini dicere nobis D. Saxoniam, ex 10. Meth. 8. nî fallor.

§. 5. III. Estne verum. *Et pulmonis & thoracis amplitudinem sequi bronchiorum asperæ-arteriæ magnitudinem?* Galen. quidem id affirmat 7. Vs. part. 4. 12. Vs. part. 7. Mihi verò longè probabilior est ratiocinatio eiusdem 4. in 6. Epid. 24. *In primâ conformatione*, vult dicere, *quibus calor natiuus est insignis, iis cor magnum fieri verisimiliter creditur: magnum cor vult magnum thoracem: magnus thorax vult magnum pulmonem: magnus pulmo postulat multas asperas arterias.*

Pulmo Calidus.

§. 6. 1. Hîc inspirationem quidem faciet magnam, ob thoracis secundùm omnem dimensionem dilatationem: exspirationem autem longam, ob fuliginum copiam, vt habet Autor artis. Gal. 4. Loc. aff. 7. exemplo inflammationis pulmonum, ait, *In caliditate visceris huius hoc peculiare esse, quòd præter respirationem magnam, frequentem & celerem, calidus, feruénsque spiritus ore exeat, quem adstantes etiam percipiant.* 2. Pulsum, autore Gal. 4. Præs. puls. 2. præstabit, qualem afferre solet vsus auctus. Qui si diuturnus sit, febris hecticæ metus erit, vt nuper dixi. 3. Vocem edet magnam, quæque continuari possit, vt explicant Hipp. 6. Epid. 4. t. 24. Qui enim calidi sunt naturâ, multùm trahunt aëris; sed enim vbi multus est calor iuxta & aër, necesse est, etiam vocem esse magnam. Verùm hîc negligendum non est, autore Gal. in Com. tum demum id verum esse, cum in primâ conformatione omnia benè sunt obita. 4. Talis pulmo sitim ciebit validam, etiam crebram. Hinc, qui multùm exercent pulmones dicendo, cantandóve, siticulosi sunt, licet etiam à consuetudine esse possit. Hîc ferè occupantur Commentatores Artis in eo, *Quomodo distinguant hanc sitim ab eâ, quæ ab ore ventriculi est?* Qui sitiunt à pulmone (dicunt) primùm iuuantur inspirato aëre frigido: non iuuantur illi, qui ex ventriculo. An hoc non est simpliciter verum? Aër enim frigidus in inspiratione ventriculum etiam ingreditur, vt ex Hipp. Com. in l. de Vs. part. docui. Deinde, hi nostri sentiunt calorem & æstum quendã in thorace: hi tale quid in hypochondriis, licet id ab alia etiam parte esse possit. Tertiò, in his talis est respiratio, qualis dicta est: in reliquis, nihil tale est. Quartò, sitis ex ventriculo statim sedatur gelido potu: ex pulmonibus, non nisi post aliquot haustus. Ideò pitissando bibere debent. Quintò, sitim ex ventriculo sedant etiam calida: ex pulmone, non nisi frigida. 5. Thorax his procul dubio amplus est, & pilosus, calidus ad tactum, nigra cutis. 6. Læduntur tales calidis,

& æstate peius habent. Si catarrhis affligantur ad pulmones, facilè defunguntur.

Pulmo frigidus.

§. 7. 1. Respiratio erit quidem calida: sed non eoúsque vt frigidum exspirent. 2. Pulsum respirationi analogum esse oportet, quique tandem ad hecticum inclinet, veluti dixi. 3. Vocem habent tales muliebrem, ob angustiam partiū spiritualium, præcipuè rimulæ arytænoïdis, cui epiglottis incumbit. 4. Minimè omnium siticulosi sunt tales, quod quidem ad hanc causam attinet. 5. Thorax his est paruus. 6. Vt in calido aëre benè habent: ita in frigido, præcipuè Boreali, pessimè. Hinc facilè fiunt phthisici, nisi caueant.

Pulmo siccus.

§. 8. 1. Respiratio procul dubio parua est, rara & tarda, idque ob instrumenti contumaciam. 2. Pulsus est analogus. 3. Vox acuta & tantùm non clangosa, cuius rei indicium ex febribus quibusdam lethalibus habemus. 4. Siticulosus fortassis hic non minùs erit quàm calidus. 5. Thorax his paruus. 6. Ab excrementis quidem non valdè molestabuntur, nisi cerebrum humidius ea suppeditet. Asthmatici ferè fiunt tales.

Pulmo humidus.

§. 9. 1. Respiratio est magna, ob instrumenti mollitiem: rara & tarda, ob caloris debilitatem. 2. Pulsus vndosus. 3. Vox obscura & rauca, ob inæqualitatem asperæ arteriæ. Huius rei indicia sumimus ex catarrhis. 4. Sitis nulla, quæ quidem huc faciat. 5. Thorax magnus, cæteris paribus. 6. Excrementa tam propria, quàm aliena, in magnâ copia, vnde licet æstimare, quibus morbis affines sint tales.

§. 10. De temperaturis compositis, vt de & ipso temperamento pulmonis, iudicet sapiens ex prædictis.

ABERRATIONES.

§. 11. Vt porrò fiat manifestum, quam nudum sit *Mendacium* dilucidemus, age, paucis, quæ §. 27. c. sup. dicta sunt, occasione sumtâ ab iis, quæ Sennert. dicit l. 1. f. 92. *Cum* (vult dicere) *respirationis & pulsus sit finis idem; pulsus autem fiat à facultate vitali, vtique respiratio etiam fiet ab eadem.* Ehodum, ô vir amice, tam facilè deseris, Gal. tuum, qui tam

certus

certus est de respiratione, esse merè animalem, vt sophistas appellet eos qui opponunt se? Verùm ille tantùm non cum imperio, *Propria vi* (intelligo, vitali Gal.) *moueri statuendum est.* Quid ita verò? *Licet thorax & pulmo simul moueantur: tamen neutrum alteri principium motûs est.* Atqui tu in hoc vestigio dicis, *Pulmonem dare principium motus thoraci*! Quem enim alium sensum habent illa? *Quamprimum pulmo sentit, &c.* Censen' te hominem esse? Ego verò ex hâc ipsâ oratione tua euincam ordinem motuum istorum successiuorũ meum. Calidum, in corde ebulliens, dat principium motûs pulmonibus, adeóque verum est, quod Mercatus scribit, *pulmo dilatatur, quia impletur. Pulmo repletus stimulat thoracem*, siue vt tecum loquar, *dat principium motus thoraci.* Hinc intelligere potes, si vis, quatenus respiratio sit actio mista ex naturali & animali. Tu verò cum naturali substituis animalem, litem nominis seris, quod idem obiicio Gal. alibi. Vt clarius dicam, Cum ego, *Respiratio est facta ex naturali & animali*: tum tu, *Non est ita, sed facta est ex vitali & animali.* Pax!

§. 12. In pulmone frigido, f. 502. tam intricatus est, vt, nisi concedatur σφάλμα τυπογραφικὸν vnum & alterum ibi esse, nemo possit se expedire. In horum numero vix est illud, quod ait, *Pulmonis excrementa ire partim per simplicem screationem, partim per tussim.* Vt enim tussis propria est asperæ arteriæ: ita screatus gulæ. Et quid est *Simplex screatio*? An κέρχνος? Tum verò simpliciter falsus sit. In sicco quod ait, *Posse tales longum declamare, & quidem alta voce*: displicet. Non enim res pendet à solâ excrementorum absentiâ, sed oportet adsint firma latera, vt ille ait. Hæc consistunt, puto, non in thorace angusto, qualis hîc est: sed amplo, robustóque. Huic nisi ancilletur abdomen benè musculorum, frustrà erit.

§. 13. In Syluio f. 39. hoc iam tantùm desidero, quod non minus quam Sennertus, screatum iunxerit cum tussi. Ex siti addo hoc, Inspiratum aërem frigidum iuuare aliquatenus sitim ex ventriculo.



CAPVT X.

De temperamentis Hepatis.

§. 1. VT integra sit doctrina de sanguine, qui verè nutrit, oportet iam descendere ad viscera imi ventris, & primùm agere de Hepate. Huius temperies petitur ex quinque signis, respiratione, (non etiam pulsu) siti, sanguine, iis, quæ extrorsum apparent, venarum amplitudine, corporis glabritie, cutis colore, pilis, & tandem, iuuantibus, lædentibúsve.

§. 2. Quorundam ex his rationem reddere oportet, & primùm *Respirationis*. Quia hepar pendet ex diaphragmate, simúlque cum instrumentis respiratoriis mouetur, 1. Diff. resp. 12. non potest non mutare respirationem, si maius & grauius sit naturâ, vel morbo. Quia apice suo os ventriculi tangit, si vehementius incalescat, non potest non sitim facere: veruntamen non semper, sed tum tantùm, cum pulmo & cor extra culpam sunt. Sed quomodo pulsum alterare potest? Dicunt, si hepatis vel calor, vel frigus sit intensissimum. Illud credo simpliciter: hoc in latitudine sanitatis, contingere non posse credo. De *venis* cutaneis res quidem pendet ex hypothesi Gal. quod ortus venarum sit ex hepate: sed recidit in idem. De *sanguine* eodem modo pendet ab eâdem, omnem sanguinem hîc fieri: ego verò dicere soleo talibus, *Aliud est loqui de sanguine, qui in hepate fit; aliud de sanguine, qui verè nutrit.*

Hepar Calidum.

§. 3. 1. Respirationem, intra sanitatis limites, non mutabit, nisi naturâ valdè sit magnum, id quod ex aliis fortè signis cognosci potest. 2. Sitis ab eo augetur. 3. Sanguinem gignit calidiorem, si rectè explicetur. Explicationem peto ex Sennerto nostro, f. 490. edit. secundæ, vbi hæc sunt. *Humores excrementitij in corpore, & secundùm naturam se habente, in venis non continentur: sed, pro diuersâ temperaturarum ratione, nunc sanguis calidior est, nunc frigidior, &c. qui biliosus, melancholicus, pituitosus dicitur.* Et hoc est contrà vulgarem sententiam, quæ vult, *In iis, qui hepate calidiore sunt, in iuuentute quidem bilem flauam abundare: in consistente autem ætate, atram. Non*, inquit ille, *ita est: sed calidum hepar sanguinem gignit calidiorem, quem biliosum vocant, &c.* Interim non negat, in hepate calidiore multum bilis gigni, sed quæ in vesicam suam colligatur. Quod si non fiat, tum demum tales sunt flaui & decolores, alioqui rosei coloris. 4. Hi in consistente ætate nigri sunt, cum sanguis crassescit,

ſeſcit, & minus fluidus fit. Quo loco ſi quæras, An talis ſanguis atra-bilis dici poſſit? Reſpondeo, non: Si enim hucuſque progreſſa eſſet, iam non nutriret. Propterea cautè loquitur Gal. 1. de Tum. p. n. eſſe ἐν μεθορίῳ, *in confinio potius* atræbilis, quàm atram-bilem. 5. Corpore ſunt tales nigro & hirſuto, ad tactum calido, præſertim manus, quæ in quibuſdam ſcabræ ſunt, pruriunt, &c. 6. Gaudent cibo & potu frigido, abhorrent à calidis. Iidem ferè ſtrictam habent aluum, &, cum incipiunt melancholeſcere, obſtructionibus viſcerum vexantur.

Hepar frigidum.

§. 4. 1. Quia vix magnum eſſe poteſt hoc hepar, ideò vix etiam mutabit reſpirationem. 2. Sitis planè abeſt. 3. Sanguis in toto corpore frigidiuſculus eſt, ideò facilè fiunt cachectici, & tandem leucophlegmatici. 4. Cutis eſt alba & depilis. Pili congeniti ſunt ruffi. Venæ cutaneæ vulgò habentur po magno frigidi hepatis argumento, ſi exiles ſint. Hoc eleuat Argenterius, *Quomodo? cum ſint priores hepate.*

Hepar Siccum.

§. 5. 1. Non credam, reſpirationem mutare poſſe, quia paruum eſt. 2. Sitis veriſimiliter hîc intenſa eſt. 3. Sanguis proculdubio paucus & terreſtris eſt, quîque parum nutrit. 4. Cutis dura & exſucca, non ſine pilis. 5. Corpus hoc morbis melancholicis obnoxium eſt.

Hepar humidum.

§. 6. In reſpiratione nil quidquam mutat. Sitis nulla, ſanguis copioſus, ſed non neceſſariò ſeroſus. Quo caſu ſi renes non faciant officium, Aſcites præ foribus eſt. Cutis mollis, & ferè depilis. Habitus carnoſus potiùs, quàm pinguis.

Calidum & ſiccum.

§. 7. 1. Reſpirationem non mutabit, niſi valdè ſit magnum, quod non præſumitur. 2. Sitim proculdubio faciet, præſertim, ſi ſiccitas ſit notabilis. 3. Tales ferè habent faciem rubicundam & puſtuloſam. 4. Sanguis craſſus & terreſtris eſt, minus quidem in iuuentute, magis autem in ἀκμῇ; maximè in ſenectute Huius ſequela eſt, quod paucus potiùs ſit, quàm multus. Graciles enim ſunt tales. 5. Cutis ad tactum dura eſt, nigra, in pleriſque. 6. Facilè cauſos incurrunt, potiſſ. ſi cor quoque tale ſit.

Calidum & humidum.

§. 8. Sitne intemperies? & quatenus? dictum eſt in corde. Nec reſpirationem, nec pulſum mutat. Sitis ne ſuſpicio quidem. Sanguis laudabilis, copioſúſque, quamdiu res ſtat intra terminos dictos. Cutis alba & mollis eſt, vt in fœminis. Capilli nigri & multi. De venis cutaneis ſolicitus non ſum. Febres putridæ familiares ſunt, non ſecùs ac in corde, ſed minùs.

Frigidum & ſiccum.

§. 9. In reſpiratione, pulſu & ſiti habet ſe res, vt modò. Sanguis paucus eſt & craſſus. Qui melancholicum dicunt, & fallunt & falluntur. Cutis alba quidem eſt ſed dura, ſine tamen pilis, in toto corpore. Debiles ſunt tales in omnibus actionibus, ſenſim enim proficiſcuntur ad mortem.

Frigidum & humidum.

§. 10. Sanguis & hic paucus eſt, ſed neutiquam pituitoſus, torpent tales ad omnia, flatuoſi, doloribus, præcipuè colicis obnoxij.

ABERRATIONES.

§. 11. Patiar Sennertum fol. 490. vocare hepar ſanguinis officinam, ſi intelligat vti par eſt. Neque enim ſanguis hic ſolus nutrit, vt deduxi alibi. Eundem obſecrarem, ſi poſſem, Quoniam rem ſanguinis, ab excrementis diſtincti, ſatis benè explicat: abiiciat etiam *Humores* ſuos *alimentarios*! Vnus humor nutrit, ſanguis, cuius partes dedignantur nomina ſordium, à naturâ tantâ cum induſtriâ ſeparatarum. Ab eodem cuperem audire, Hepar venarum principium quomodo ſit? Sed quia pro myſterio habet, non ego illi inuito extorquere cupio. Venas latas & amplas in calido hepate non exſpecto, niſi ſimul ſiccum ſit. Tum enim habitus gracilis faciet illas conſpicuas. Multò minus exſpecto ventrem & hypochondria hirſuta, niſi cum dicta conditione. Quæ de venarum amplitudine diſputat, fol. 491. nimis

nimis ſubtilia ſunt. Talia ſunt, quæ de Calido & humido hepate ſcribit fol.ſeq. Contrario modo ſe habent, quæ de hirſutis hypochondriis in eodem. Eiuſdem generis ſunt, quæ fol. 493. de eodem. Cum enim calor dominatur humori, nullius morbi metus eſt. Et quid dicam de illo, Hepar plus poſſe in hoc negotio, quàm Cor. Hoc enim potiùs alimentum corpori ſuppeditat, quàm illud. Sed huc pertrahunt hominem falſæ hypotheſes!

§. 12. Syluius fol. 37. Cum Sennerto multa habet communia, ex eodem quippe hauſta fonte, ex Arte. Hoc autem imprimis amicum mihi eſt, quod in Calido & humido habet, ſi multum ſit aucta caliditas, vitioſis humoribus non laborant. Hoc enim planè rationabile eſt.



CAPVT IX.


De Temperamentis Lienis.

§. 1. QVia certo certius eſt, *Lienem eſſe alterum hepar*, adeóque officium eius non minùs nobile eſſe, quàm hepatis, licèt alterum per ſe ſit, alterum per accidens: profectò par erat Inſtitutioniſtas noſtros vel tandem euigilare, & diligentiùs inquirere in temperamentum ipſius.

§. 2. Si igitur ſeruit coctioni, vt hepar, ſi non coquat, aut malè coquat, oſtendunt ſe læſæ huius actionis ſymptomata. Quantum hactenus comperi, Læſi temperamenti lienis conditio conſiſtit in tribus, ſi vel non attrahat debitam ſibi chyli partem: vel non conficiat: vel excrementa non pellat. Fieri hæc in corpore ſano vt vnico conſtat accidente, florido corporis colore: ita non fieri, *ἄχροια, decoloratio* oſtendit. Fiunt tales liuidi ſeu plumbei, cum actionum omnium quaſi ſtupore quodam. In hepate ſi fiat analogum quid, h. e. ſi veſica fellis non benè expurget humorem ſuum, fiunt χλωροὶ, quod Græci dicunt, *cùm virore quodam pallent.* De vtriſque coloris ideâ agens Illuſtr Scherbius, Com. in 3. Loc. aff. 7. qua de hiſtoriâ Steſiani, mirificè nobis rem commendabat.

§. 3. Quæritur, An poſſit mutare reſpirationem? Omninò. Præcipuè autem in iis, quibus diaphragmati connectitur Commouetur enim. An pulſum quoque? Omninò, propter Arterias cœliacas & meſentericas. Quin ſunt, qui dicunt, Per eaſdem arterias, ſæpè regurgitare quid ſucci melancholici in ſiniſtrum cordis ventriculum.

CAPVT



CAPVT XII.

De temperamentis Ventriculi.

§. 1. VEntriculum accipio hîc, vt ſæpè Gal. vnà cum appenſis inteſtinis, quippe eiuſdem ſubſtantiæ & naturæ. Hoc modo acceptus Ventriculus quid præſtet viſceribus duobus iam dictis, & quid viciſſim illa ventriculo, omnes nôrunt. Quò minus à me exſpectet quiſpiam rationem ordinis. Cæterùm, quia aliud officium eſt

Oris ventriculi,

Aliud ventriculi ipſius, ſeorſim agendum eſt de vtroque. Os ventriculi appellant omnes, ſiniſtrum ipſius orificium, quo œſophagum recipit, quod ipſum etiam ſuperius vocant, ex vanâ quâdam perſuaſione, quaſi ſitum altiorem habeat altero, ſeu dextro orificio.

§. 2. Huius officium eſt *appetitio* tam *ſicci*, quàm *humidi* alimenti, vno verbo, Cibi & potûs, quorum alterum *Fames* eſt, alterum *Sitis*.

§. 3. De *fame* mirabile eſt philoſophema Gal. 1. Cauſ. ſympt. 7. cui omnes deferunt. Diuidit famem in *naturalem*, & *animalem*: ſi ita vis, actionem facit miſtam ex naturali & animali. *Naturalem*, quatenus vaſa cutanea inanita trahunt è vicinis, hæc rurſus à vicinis, & ita conſequenter, quaſi in choreâ quadam, vſque ad ventriculum: à quo cum actio pertinet ad *Os ipſius*, de quo agimus, quòd ipſum valdè ſenſibile eſt, iam *Animalis* eſt.

§. 4. Totum hoc cùm maximis vrgeatur difficultatibus, adeóque, ſi dicendum eſt, quod res eſt, merè imaginarium ſit, veni olim in has cogitationes, quæ nondum diſplicent. Cum ventriculus coquat, non tam ſuâ vi, quàm viſcerum adiacentium, quæ doctrina eſt Ariſt. approbata à Gal. vt alibi deduxi; hæc verò actio naturalis ſit, quæque nunquam otioſa eſt, ſi contingat non habere, quod coquat, agit calor viſcerum, præcipuè hepatis, quod apice ſuo os hoc amplexatur, in carnem ventriculi teneram, & dolorem ciet, qui dolor *fames* eſt. Hinc, quamprimum ad ſatietatem edimus, fames ceſſat.

§. 5. De *Siti* ſum etiamnum eius ſententiæ, cuius ſuprà memini cap. 9. §. 4. Plures quidem eſſe partes, quæ ſitim cauſentur: ſed ita, vt perueniat πάθος ad os ventriculi, quod eſt primaria ſedes ſitis. Hoc volunt duo grauiſſimi viri, Valleſ. & Thom. à Veiga. Iam quis eſt.

Ventriculus

Ventriculus calidus.

§. 6. 1. Qui benè coquit, quamuis malè appetat. Quare cogendi sunt tales in mensa. Vbi notandum est, *Benè coquere* dupliciter dici, Aut *simpliciter*, Aut cum *adiectione*. Illud ad hunc ventriculum non quadrat, sed est temperati: hoc quadrat, cùm dico, Ventriculum calidum bene coquere cibos duros, & difficilis alioqui digestionis. Nam si offerantur huic ventriculo cibi temperati, qui & delicati vocantur, corrumpit illos in *nidorem*, qui est corruptio quædam indicibilis, modò oua frixa olens, modò pisces putridos, modò aliud. Hinc Gal. 1. Loc. aff. 4. A. causam indagaturus ructus à somno nidorosi, quærit ab ægro, *Quibus cibis in cœnâ vsus sit*? Placentis fortè in oleo frixis. Hoc si aiat, satis habes. Si neget, considerare par est excrementa, siue per vomitum eant, siue per aluum. Potuerunt enim ex hepate affluere biliosi humores, qui impresserint ventriculo igneam quandam qualitatem, &c. Ita coctionem violat, si vel calidi, vel frigidi ichores è capite defluant, 6. San. tu. 10. Et hoc est illud, quod apud Hipp. sæpè vrget Vall. Videndũ, si tale quid accidat, ne ab externâ causâ sit. 2. Hic ventriculus, nõ tantum bellè coquit proportionata sibi aliméta: sed & citò absoluit, & citò pellit excrementa. 3. Hic idem facit homines bibulos, quique crapulam facilè discutiant. 4. Quidam ex his sunt sputatores, præcipuè, si hepar sit igneum cum modo substantiæ terrestri, quod chylum quasi spumescere facit.

Frigidus.

§. 7. 1. Cibos etiam temperatos in acorem corrumpit. Et quia eos etiam, qui vltra temperiem sunt, non perfectè coquit, semper gignit aliquid pituitæ, quod facit, vt maior sit appetitus. 2. De siti ne cogitari quidem debet. 3. In tali ventriculo, sedato appetitu, ostendunt se, modò citiùs, modò tardiùs, pro maiore, aut minore frigore, nec non assumtorum qualitate & quantitate, quatuor symptomata, quæ Saxonia præceptor. 3. Pract. 13. hoc collocat ordine. Oportet autem, antequam numeremus illa, hoc monere, Dispice, siántne ratione ventriculi ipsius, an potiùs aliarum partium, sordes suas huc mittentium? De hoc enim casu non loquimur, vt iam distinxi. Primo igitur loco ponit ille ὑπτιασμὸν *supinitatem* vocatam, cùm, ob vitiatam δύναμιν περισταλτικὴν Erasistrati, quæ eadem est cum τῇ καθεκτικῇ, *retentrice* Gal. sentitur grauitas quædam cum difficili respiratione, ob compressionem diaphragmatis, à flatibus factam, quando calor exiguus aggreditur cibum & potum non proportionatum. Huic grauitati ferè comes it *fluctuatio* quædam *sensibilis*, quæ motus est imminutus, vt Saxonia ait. Aliquando etiam *rugitus* quidam se ostentat, qui ab iisdem flatibus accidit, & κλύδων vocatur Græcis. Tu verò distingue hunc à *borborygmis*, qui sunt in In-

 testinis,

testinis, & sine motu illorum. Hic affectus est mihi idem cum θλίψει τ͂ στομάχου, *attritione stomachi*, vt Int. vertit libro de Præcogn. 11. quo Marcus Imp. laborabat. Eius rei duo signa sunto. 1. βάρος, *grauitas*, de qua conquerebatur ille. 2. πνεῦμα, *flatus*, siquidem concedi potest, pro φλεγματωθείσης leg. esse πνευματωθείσης, vt deduco Notis in Gal. Secundo loco ponit Saxonia τ͂ ἀνατροπὴν *subuersionem*, quam ad motum deprauatum refert, cum, vt Gal. loquitur Diff. sympt. 4. G. τ͂ παλμωδῶς, ἢ τρομωδῶς, ἢ σπασμωδῶς, ἢ κλονωδῶς mouetur ventriculus. His, contrà quàm Linacer, hunc sensum do. Ανατροπὴ *est motus ventriculi, quem impunè compararis, vel cum palpitatione, vel cum tremore, vel cum motu Epileptico.* Coniungo enim posteriora duo, quod Gal. videatur velle τὸ σπασμωδῶς explicare per τὸ κλονωδῶς. Tertio loco ναυτία, *nausea* est. Quarto ἔμετος, *vomitus*. Hi affectus sunt prodromi *Melancholiæ hypochondriacæ* illius, quæ à causâ frigidâ originem habet. 4. Sunt inter hos quoque sputatores: sed hâc differentiâ. In calido ventriculo fiunt, durante μολιώσει, vt Aristot. vocat: in frigido ieiunis potiùs, quàm pastis. Sed qui sunt illi, quibus id accidit, quamdiu ad mensam sedent? Non patiuntur id ratione ventriculi, sed capitis. Hoc enim concalefacto ab ascendentibus vaporibus, pituita descendit, quam reuocant illi screatu.

Siccus.

§. 8. 1. Cum coctio, quæ hîc fit, sit *elixatio* quædam, non potest esse felix. 2. Huic malo remedium quærunt ex potu. Hunc finem suum assequantur, si pitissent potiùs quàm bibant. Si affatim ingurgitent, excitant fluctuationem & flatus. 3. Hi ferè semper habent, quod conquerantur. Infelicem enim coctionem, neque bona chyli distributio excipit, nec excrementorum suo tempore separatio & expulsio.

Humidus.

§. 9. 1. Ne ipse quide benè coquit. Agens enim ad patiens est improportionatum. 2. Sitis hîc nulla est: quin totos dies agunt sine potu. 3. Durante coctione, non potest non adesse molestiarum vna, alteráve. Finitâ, ne tum quidem sine querelâ sunt.

Temperatus.

§. 10. Ex hoc imprimis argumentum duco contrà eos, qui in homine temperato omnia summa volunt. Reuerà, ventriculus hic ne appetit quidem alios quàm temperatos cibos. Sed & si sumserit eos, qui vltrà, citráque sunt, labascit.

ABERRA-

ABERRATIONES.

§. 11. Iam video, Sennertum quoque f.497.esse in catalogo illorum,qui ventriculum temperatum tantoperè extollunt. Vt enim suprà dictũ est.Neque duros cibos concoquit, neque excessus magnos tolerat. Valdè miror, velle illum frigus appetitum excitare contrahendo & cogendo tunicas ventriculi, cùm mox Argenterio concessurus sit, *In corpore sano non posse esse frigiditatem actualem, quæ constringere possit*, &c. Idem mox in recensendis famis symptomatis ex Gal. psittacus est, nec cogitat vllum incommodum. Quod verò deinceps de frigido ventriculo ait, quamuis autoritate pseudo-Gal. in Arte, Acescere in eo frigidos & concoctu difficiliores cibos: valdè ἄτοπον est. An non talis cibus est caro infumata, salpa, halec, & huiusmodi alia? Hæc verò acescere posse, credat quis? *Temperatos* dixisset, vt lac. Cæterùm, quæ de appetitu similium dicuntur, indigent limâ. Aut enim respicit similitudo publicum ventriculi officium, aut priuatum. Non hoc: alitur enim sanguine, qui ventriculo actu similis non est, sed erit postquam substantificè alteratus fuerit. Ergò illud. At quis sibi persuadeat, calidum ventriculum quærere calida, frigidum frigida, cum Natura semper quærat excessuum medelam? Videtur ipsus prodere rem, cùm calidum ventriculum poscere ait calida δυνάμει. Quin disertè contrà se loquitur, cum f.500 concedit Argenterio, *Omnia velle perfectionem suam*, h. e. velle ad temperiem mediam itum potiùs, quàm ad augmentum intemperiei suæ.

§. 12. Quò minùs accepto Syluij illud f. 35. quamuis ipsum quoque pseudo-Gal. sit, *Gaudet cibo & potu calido.* Multò minùs credo, quia sine autoritate dicit, *Externis calidis promptè læditur, &c.*



CAPVT XIII.

De temperamentis Renum.

§. 1. RENES quid in indiuiduo præstent vtrique sanguini, cordiali & hepatico, notum est omnibus: quid ad speciei conseruationem conferant, non æquè notum est. Docuerunt hoc annis superioribus duo magni viri, Dantisci primùm Olhafius, Vvittebergæ posteà Sennertus. De vulgato vsu agendum est hîc, vt sanguinem aliturum ad perfectionem ducamus: de recenter inuento, quatenus ab indiuiduo descendimus ad speciem.

§. 2. Primo officio quia seruiunt *Vreteres* dicti, assumimus illos quoque: alteri quia *Vasa spermatica*, ne illa quidem relinquere possumus. Ergò

Renes temperati

§. 2. Sint illi, qui vtrumque benè obeunt, & educunt serum vtriusque sanguinis: & conferunt aliquid semini ad perfectionem suam. Intemperati contrà illi, in quibus aliquid dēsideratur. Intemperies omnium maxima est, quæ arenas & calculos gignit. Hi quamdiu in renibus consistunt, dolorem faciunt tantùm grauatiuum, quia vnus tantùm, îsque exilis neruus inseritur in ambientem renes tunicam. At verò cum in *Vreteras* delabuntur, causantur cruciatus illos immanissimos, quos habent calculosi. Intelligunt autem, vel leuiter eruditi, me loqui de renum calculo. Vesicæ calculi eadem est ratio, quamdiu quiescit: at cum per meatus vrinarios exire vult, non melior est carnifex. Hic ipse renum calculus in causa est, vt in aliis partibus varia accidant symptomata, quæ à vulgaribus practicis negliguntur, vt conquestus sum in Chrest. Patholog. cap. 160. In matēriâ calculi quò magis disceditur à sero, eò magis erratur. Verùm hac de re alibi, vt & de eo, quod ampliùs desideretur.

Renes Calidi.


§. 3. Faciunt 1. Mictionem crebram. Acrimonia enim vrinæ stimulat sæpiùs. 2. *Sitim*. Hæc excitare potest *Diabeten*, seu *Hydropem ad matulam*. 3. Hi tales obnoxij sunt renum inflammationibus, præcipuè si vrina non exeat eâ copiâ, quam potus ingestus postulat. Sunt etiam febribus marasmodesi, vnde *Tabes renalis*, fortè etiam *Dorsalis* Hippocr.

in

in νεογάμοις maximè. Hi ipsi, etiam dum sanissimi sunt, habent vrinas pingues, absque vllo dolore, vllóque calculi metu. Laborare possunt Ascite tam calido, quàm frigido, vt deduxi in iisdem Patholog c. 139. & 140. 4. Tales sunt salacissimi, habéntque aluum inobedientem.

Renes frigidos

§. 4. Arguunt, quæ geminum illud officium interpellant. 1. In vrina sunt flatus quos indicant bullæ, 7. Aph. 34. Hi mentiuntur aliquando calculum, crudelissimis excitatis symptomatis. 2. Accidit illis ischuria quædam, quæ fit non affectâ vesicâ, de quâ Salius, Aff. partic. 14. 3. Accidit etiam mictio cruenta, senibus familiaris, cum renes quidem trahunt sanguinem serosum, vt debent; sed non vertunt in alimentum suum, 6. Loc. aff. 3. 4. Accidit etiam τριχίασις, *morbus pilaris*, eodem de Loc. aff. An sunt fibræ sanguinis, ita à sero ablutæ, vt iam candidæ sint? 5. Accidit tandem & *profluuium muliebre* in viris, 2. in 1. Epid. 41. 6. Veneris cupiditas hîc aut parua, aut nulla. Et hæc quidem de partibus nutritioni seruientibus.



CAPVT XIV.

De temperamentis Testium.

§. 1. QVi hanc præscriptionem aspicient Peripatetici, procul dubio indignabuntur, Hui, parti tam abiectæ, quippe sine quâ viuere potest homo felicissimè, tot & tanta tribui! & loco alieno! Ego verò (vt ab hoc incipiam) non video locum commodiorem alium, post absolutam scilicet θρέψιν, cuius perfectio est φύσις, ad quam Renes iam nos duxerunt. Deinde, non considero hîc testes, quà Testes, Physicè: sed Medicè, cum illo, quod partim a corde habent per arterias; partim è toto corporis habitu, in συνουσίᾳ accipiunt. Compertum enim est Anatomicis, quò vel maiores, vel plures sunt arteriæ spermaticæ, eò libidinosiores & fœcundiores esse homines. Quod ad συνουσίαν, docuit me Illustr. Scherbius, ex Iacchini quæst. natur. 28. & produxi ego 1 Gen hom. 4. & 19. mutationem in animalibus, quæ sequitur excisos testes, non deberi testibus, quà testes: sed motui sanguinis, spirituúmque in illo libidinis æstu.

§. 2. Hoc supposito, dico, Signa temperiei testium sunt numero septem. 1 Citò & tardè cieri ad generationem. 2. Pilos circa partes genitales citiùs & tardius emittere. 3. Rariùs aut frequentiùs libidinari. 4. Magis, minùs fœcundum esse. 5. Cudere mares aut fœminas. 6. Semen

habere, vel paucum, vel multum, idémque vel crassum, spirituosúmque, vel tenue & aquosum. 7. Lædi aut iuuari à Venere. Hæc explicare oportet.

§. 2. Vt omnium actionum vigor est à calore viuido; & contrà, debilitas earundem à calore remisso, qui frigus dicitur, cum comparatè loquimur: ita hîc quoque. Calidi enim sunt, qui citò pubescunt, tam mares quàm fœminæ: frigidi è contrario. Vt notum enim est, principia nostra sunt calida & humida, quorum alterum rationem habet agentis, alterum patientis. Prout igitur calidum citiùs dominatur humido, eò citiùs fit id, de quo agimus. Huius dominij signa sunt, non pili tantùm pubetenus, sed & tentigo maturior. Hac in re insignis est latitudo, prout calori iungitur, vel maior humiditas, vel minor, quæ iam siccitas est. Hæc enim quia lima caloris est apud Auerroëm, sæpiùs irritat, quamuis semen paucum sit: illa, præcipuè si calor excellat, multùm præbet materiæ, vnde ab ipsâ copulâ stimulus. Quare 5.Aph 63. Gal.ait, Calidos, humidósque abundare plurimo semine, eóque fœcundissimo, &c.

§. 3. Quo ex loco soleo conuincere, adeóque ridere illos, qui semen optimum eovsque crassescere posse autumant, vti in vitio sit. Quod naturale est,& in summo gradu, sit illud culpabile? Sed sit: dissimulandum hîc non est illud, quod ait idem 6.san tu. 14. Pessimum hoc esse. Nam neque si sæpè libidinentur, neque si abstineaut, benè habent. Illud si fiat, sentiunt sibi affici os ventriculi, relaxántur toto corpore, gracilescunt, macescunt circa oculos, qui ipsi fiunt caui. Hoc si admittant, ab insomniis nocturnis multam molestiam habent: imò etiam vigilantes pluribus incommodis subiacent, quæ explicantur 6.Loc.aff.5. 1.Caus.sympt.6.extr.

An hæc est *tabes dorsalis* Hipp.

§. 4. Intereà pendet hinc fœcunditatis ratio. Pendet etiam masculorum ratio, non autem à victoriâ nescio quâ, vt nugantur. Ita loquor: quia Arist.habet aliam victoriam,soli semini masculo debitam.Si enim simpliciter vincat, mas apud illum gignitur:sin aliquo modo vincatur, fœmina. Et hoc respectu fœmina est *ὥσπερ πήρωμα*, *quasi mutilum quid*, 2.Gen.3. Est enim *ἀδυναμία* quædam, 1.Gen.20.

§. 5. Hîc quæras, Cur inter signa non sit mutatio totius corporis, quæ testes exsectos sequitur? Enumeraui illa in frontispicio 1.Gen.hom. ex Iacch.qu.r st.Nat.& iam respondeo cum Thom.à Veiga, *μὴ διὰ τοῦτο*, *non fit propter testes vel præsentes, vel absentes*. Hoc expono ex eodem Iacch. Sequuntur effectus illi, non ablatos testes, sed negatum exercitium Venereum, in quo motus sanguinis tantus est, quantus dici non potest. Interim hoc non semper fit. Quare inter signa collocari non debet. Ergò

Calidi testes

§. 6. 1. Facient hominem libidinari circa annum fortè 12. aut 14.

2.Idem

2. Idem pilis citò vestietur, non circa pubem tantùm, sed totis femoribus. 3. Idem per totam vitam inexhaustæ libidinis erit. 4. Hinc proles numerosa. 5. Et mascula potiùs quàm fœminea. 6. Semen eius erit calidiss. quod ipsum crassum & spiritu gignitiuo benè turgidum. Nec morantur me illi, qui ex 5. Aph. 62. calorem assantem metuunt. Est in latitudine sanitatis, qui humidus semper est. Multò minùs illi me morantur, qui intemperiem hîc crepant. Non est intemperies, inquam, est summus Naturæ vigor.

Frigidi.

§. 7. Faciunt omnia contraria. Oportet autem frigiditas sit modica: si enim vehemens, sterilitatem inducet.

Sicci.

§. 8. Semen habent crassius, ídque paucum. Gal. Aph. l. c. admittit tantam siccitatem, vt extendi non possit. Dico iterum, Tamen est intra latitudinem sanitatis, & comparatè tantùm siccum.

Humidi.

§. 9. Semen hîc copiosum est, sed aquosum. Intelligo hîc etiam eatenus, quatenus Natura fert, fœcundúmque sinit esse.

Calidi & Sicci.

§. 10. 1. Multò citiùs Venerem appetunt, quàm calidi tantùm. 2. Multò citiùs, & pluribus locis pilos habent. 3. Citiùs fœcundi sunt, quàm calidi tantùm. 4. Mares potiùs quàm fœminas cudunt. 5. Valdè læduntur à Venere. Augetur enim siccitas.

Calidi & humidi.

§. 11. 1. Tardè accedunt ad τὰ ἀνθοῦντα dicta. 2. Tardè pilos proferunt. 3. Crebriùs libidinantur, ob copiam seminis. 4. Fœcundiores sunt calidis tantùm. 5. Fœminas procreant. 6. Manifestè læduntur, si prorsùs abstineant, ceu iam dixi. Putrescit enim semen, vt aiunt, & epilepsias facit, apoplexias, & syncopas: in fœminis etiam suffocationes vterinas, & alia, quæ Gal. numerat in 6. illo de Loc. aff.

Frigidi

Frigidi & humidi

§. 12. 1. Tardiſſimè cientur ad libidinem, poſtquam ſcilicet, ratione ætatis, calor humori dominari cœpit. 2. Pubem habent glabram. 3. Penè cogi debent ad præſtandum officium coniugiale. 4. Gignunt non niſi rarò, & fœminas. 5. Semen habent aquoſum, quale fœmineum. 6. Læduntur vehementiſſimè, ſi ſæpiùs accedant ad ignem hunc.

Frigidi & ſicci

§. 13. Semen habent paucum, ſed non craſſum, vti voluit Autor Artis. Tales enim cum ſint melancholici, qui ipſi libidinoſi ſunt, ob copiam flatuum, 4. Probl. 31. quis credat, habere illos ſemen craſſum? An Melancholici non ſunt ſimpliciter frigidi & ſicci? Vt enim *Opium* habet multas partes calidas: ita humor hic habet ἐμπύρευμα. Tamen ſemen horum non poteſt eſſe craſſum, ob inopiam ſpiritus genitalis.

ABERRATIONES.

§. 14. Sennertus lib. 3. cap. 6. fol. 494. pro Iunone Nubem amplectitur, cùm à Teſtibus *virilitatem* quandam in vniuerſum corpus emanare ait. Quæ enim eſt illa? Paucis: Dico, quod dixi modò, μὴ παρὰ τοῦτο. Si ſatis non eſt, ito ad lib. de Gen. hom. aut ad Phyſiolog. cap. 150. Eandem Nubem fouet, cum *Fœcundiſſimos* ait eſſe *Temperatos*. Idem enim eſt ac ſi dicerem, Medicamenta temperata eſſe actiuiſſima. Ergóne, dicis, Intemperies quædam præſtat temperiem? Præſtat, his quidem terminis. Loquimur enim de latitudine temperamenti, in qua ſummus gradus conſtituit hanc, vt ita dicam, intemperiem. Tu verò, ne hæreas ampliùs, conſidera mihi, quod dicitur §. 1. Magnus enim teſtium calor hîc non pendet à teſtibus ſimpliciter, ſed à corde. Quò enim quis animoſior, eò libidinoſior eſt, vt de Hercule ſcimus, de aliis. Quod de ventriculo opponit exemplum, refutat ipſus, cùm ad cibos adſtringit. Quemadmodum enim ventriculus calidus, ratione viſcerum accubantium, meliùs coquit cibos craſſiores & duriores,

res, vt loquitur, temperatos, vt ego loquar, adurit & corrumpit, quos ipsos demum rectè coquit ventriculus temperatus: ita testes temperati, ratione caloris, à corde transmissi, mediocriter fœcundi sunt; calidi, in excellenti gradu. Summa, oportet ex oculis & animo delere dogma suprà refutatum, *Temperatum in omnibus excellere.* Satis est, si in vnoquoque genere, v. g. homo inter homines. Ita pars temperata hominis, non est illa, quæ vlteriùs ascendit, quàm homini par est: sed illa, quæ conuenit huic speciei; v. g. Ventriculus humanus non debet coquere posse carnes crudas, vt leo, canis, catus, vultur: satis est, si coctas conficere possit. Fortassis, ne coctas quidem comedere debet. Officiunt enim prudentiæ, quæ propria est hominis. Ita Gal. alicubi, *Caro bubula facit intellectum bubulum vel taurinum, camelina, asinina, ouilla, vnaquæque pro suo genere.* Et hoc fundamento vsi sunt illi, qui κρεοφαγίαν improbarunt. Rursus, vt in omnibus rebus dantur monstra quædam, de quibus non agimus: ita hîc quoque. Quemadmodùm igitur non propterea Milo temperatum habuit ventriculum, quia integrum bouem deuorare poterat: ita nec seruus ille, de quo Crusius in Sueuicis, temperatos testes habuit, quia vnâ nocte, decem, nî fallor, ancillas implêrat. Eodem modo, qui plus iusto salaciores sunt, hos tales calidos esse vt dubium est nullum: ita difficile dictu est, sicci, an humidi sint? Quod enim in his copia facit: facit in illis acrimonia. Ego pro humidis pronuncio. Vtrisque his quia præponit Sennertus *Temperatum*, videat, quod agat. Certè responsio quam dat, est nauci. Sic igitur finio. Quemadmodum ventriculus calidus non simpliciter est laudabilis: ita etiam testes calidi. Imò, vt ventriculus calidus officit prudentiæ, quatenus non nisi validos cibos vult, è quibus sanguis crassus & terrestris, qui mentem obnubilat: ita testes calidi eundem effectum habent, quatenus nimis frequenter ad illa ἀνόητα stimulant. Ex his intelligis, quid sibi velit illud, *His terminis.* Cæterùm quæ de ἀπεραξίᾳ hepatis aspergit, iam pro nugis declaraui.

§. 15. Apud Syluium, f. 38. duo mihi displicent. 1. Quòd calidos & siccos testes ait facere rariorem libidinem, & quòd offendantur, si cogantur. Acrimonia enim seminis neutrum permittit. 2. Quòd calidos & humidos vult esse moderatos in Veneriis, cum tamen seminis copiam illis tribuat.



CAPVT XV.

De temperamentis Vteri.

§. 1. HIc illud ab initio moneo, Cùm veteres vterum in brutis quibusdam viderent diuisum in duo quasi cornua, & putarent in homine quoque ita se habere: indifferenter vocabant, modò ὑστέραν, modò ὑστέρας, quos Interpp. nostri ferè æmulantur. At verò postquam compertum est aliter se rem habere, facescere debent *vteri*, ne imperitorum animi aliò rapiantur. De hoc cur agam hîc, non puto quemquam quærere.

§. 2 Hoc quæstione dignum est, *An habeat tantùm in efficiendo dignitatis, quantùm vulgò illi tribuitur?* Reuerà est ager Naturæ tantùm, vt venustè loquuntur quidam, h. e. materiam præbet fœtui tantum inchoando, perficiendóque. Materia verò illa omnis non est ab vllo semine: sed à solo sanguine tam venoso, quàm arterioso, è corde & hepate eò transfuso. Sed sequamur errorem communẽ, & ponamus vterum iuxta testes.

§. 3. Ergò signa vteri talis vel talis erunt quinque. 1. Citiùs vel tardiùs habere menses, eosque vel feliciter, vel infeliciter ire. 2. Pubescere citiùs vel tardiùs. 3. Magis minùs procliues facere ad libidinem. 4. Generare multos aut paucos, mares & fœminas. 5. Benè vel malè se habere gestationis tempore, faciliùs & difficiliùs parere, τὰ λόχεια dextrè aut secus procedere, commodè aut incommodè lactare.

§. 4. Vulgò sterilitatis causa in solas fœminas reiicitur: at verò non minùs frequenter viri causam præbent. Notum enim ex Philosophiâ est, nisi agens & patiens sint proportionata, non sequi effectum, aut certè difficulter. Hanc adeò ob causam sapienter Græci instituerunt, & meminit instituti Plato in Theat. Gal. 1. Nat. hum. 11. 5. Aph. 59. & 62. Vt obstetricum, quas *Medicas mulieres* vocabant, non tantum hoc esset officium, adesse parientibus: sed & vt pronubæ essent, & quidem cum hac potestate, ne liceret vlli, cuiuscunque sexus esset, matrimonium inire, nisi illæ priùs inspexissent corpora coniugandorum, & verisimiliter pronuntiâssent, fore vt fœcundi essent. Nimirum liberorum causâ nôrant

nôrant institutum esse coniugium, & permittebatur diuortium, si non responderet euentus.

§. 5. Hæ pronubæ persuasum habebant, Quemadmodum testes temperati, & vterus temperatus gignere potest cum plerisque intemperatis, modò intemperies sit mediocris: ita testes intemperati non gignunt, nisi cum vtero contrariè intemperato, non quouis modo; & vterus intemperatus cum testibus, non quouis modo, sed contrariè intemperatis; Inquit enim Gal. 5. Aph. 62. *Immodicæ intemperaturæ sunt causa sterilitatis: modicæ verò si sint, & contrariis iungantur, concipient mulieres. Si verò* (addit) *similibus, non concipient.* Neque enim fieri potest, vt frigidius semen in vtero frigidiore sit fertile, quemadmodum neque siccius in sicciore. Et ita de reliquis. Eodem sensu, l. de Nat. hum. *Humidius*, inquit, *semen commodius est vtero sicco, siccius humido, &c.* Et hoc est, quod Hipp. ait ibi, *Nisi calidum cum frigido, & siccum cum humido mediocritatem, & æqualitatem mutuam habeant, sed alterum altero sit robustius aut debilius: generatio fieri haud poterit.*

§. 6. Cæterùm, scire nos fas est, tradi hîc sterilitatis causas tantùm illas, quæ ab intemperie sunt. Præter has enim multæ aliæ sunt, ab Hipp. aliis locis censitæ, v. g. Os vteri, aut conclusum, aut distortum, aut callosum, aut perpetuò hians, &c. Ita in viris, nisi præter bonam testium temperiem, partium genitalium organisatio rectè se habeat, soboles sperari non potest. Potest hîc & penis esse occlusus, aut meatus distortus, quorum illi ἄτρητοι dicuntur Græcis, hi ὑποσπαδιαῖοι.

§. 7. Atque vt in viris maxima fœcunditatis pars consistit in semine bono, quod γόνιμον vocant illi: ita in fœminis cardo rei vertitur in laudabili sanguine menstruo dicto. Nimirùm hic sanguis verè demum est fœmineum apud Arist. quod sufficienter me probâsse confido. 1. Gen. hom. 5. Vbi si quæras, Quâ re differat hic sanguis a sanguine masculo? Respondebo ex eodem 1. Gen. hom. 22. *Quia fœmina est frigidior mare, non potest non sanguis crudior esse.* Hoc vt fit *necessariò* seu *symptomaticè*: ita maximi ad generationem momenti est. Cùm enim in vtero nouam coctionem subeat, nisi crudior esset, impediretur opus Naturæ maximum, vt generationé vocat Gal. Huius rei argumentum capitur ex viraginibus dictis. Cũ enim calidiores sint aliis fœminis, aut non concipiũt, aut conceptũ fœtum corrumpunt. Hanc ob causam vterus venas (& arterias) habet plurimas, grandissimásque, 1. in 6. Epid. 2. quò cum vergit sanguis, titillat, & ad Venerem citat. Hoc præcipuè accidit in calidioribus, in quibus etiam sanguis naturâ est tenuior & fluxilior, habéntque tales maturè menses suos. Contrà in frigidioribus fit, siue naturâ, siue ex erroribus in victu, vitâ sedentariâ, &c. Tum enim & vasa sunt angustiora, & sanguis crassior pigriórque, ideóque in talibus malignè eunt menses. Quin si diutiùs hoc duret, & obstructiones augeantur, succedit *Febris alba, Virginea* dicta, quæ non raro in *Asciten* degenerat, &c.

§. 8. Ex his nullo negotio intelligitur, Quis sit vterus calidus, frigidus, siccus, humidus, & sic deinceps? Vt iam nihil supersit, nisi fortassis hoc, Quis sit vterus πυκνὸς, *densus* Hipp. 5. Aph. 62. Ipse satis se explicat, cum præmittit τὸ ψυχρὸς, *frigidus*. Vt quæstio prorsus inanis sit futura, si quis quærat, *Quis sit morbus*? Ferneliani dicunt, Est morbus materiæ. Audacia & inscitia insignita! Interim, vt alibi me explicui, Est potiùs in modo substantiæ, quàm in vllâ qualitate.

Ratio Ordinis.

§. 9. Exactis partibus, tam nutritioni, quàm generationi seruientibus, veniendum fuerit ad partes sensibus destinatas. Licèt autem cor hîc quoque teneat principatum: non tamen resumere oportet, quæ consecutione quâdam coacti sumus dicere suprà. Oportet potiùs illa particulatim repetere, & diligentiùs excutere, quia cerebrum cum sensoriis externis sunt ὄργανα τῆς ἀντιλήψεως, vt Peripatetici loquuntur.



CAPVT XVI.

De temperamentis Cerebri.

§. 1. QVia Cerebrum est pars illa, quâ homo est homo, quâ, vt suprà loqui Gal. audiuimus, est σοφώτατος καὶ φρονιμώτατος, non quidem sapientiâ & prudentiâ ciuili illâ, quæ doctrinâ & vsu acquiritur: sed quæ homini præ aliis animalibus conuenit. Ergóne brutis quoque das rationem? Non simpliciter, & eo modo, quo homini: sed analogico quodam modo, quatenus de sensibilibus & caducis arbitrantur. Et hæc est sententia summi viri, Vallesij, Sacræ Philos. c. 55. ex Hiobo cap. 38. Homo igitur est animalium sapientissimus & prudentissimus, si comparationem admittis inter *Rationem simpliciter dictam*, quæ homini inest, & *Rationem sensualem*, vt sic dicam, quæ brutis. Sensus enim sine mente non est, vt disputat Vallesius. Quo habito.

Vide Plutarch. de induſt. anim.

Cerebrum Temperatum

§. 2. Erit, in quo sensus omnes, tam externi, quàm interni in summo gradu sunt, in eo putà, in quo homini datum est, ceu dixi. Sed præstat distinctè agere. 1. Talis homo (interna conformatio præsupponitur) caput habebit optimè conformatum, παραπλήσιον τῇ σφαίρᾳ τεθλιμμένη καθ' ἑκάτερον οὖς. Ita enim lego. 1. in 6. Epid. 3. vt sensus sit, *simile sphæræ vtrinque ad aures compressæ*. Idem caput, neque magnum neque paruum erit,

erit, sed mediocre, proportionatũ quippe cæteris ossibus, vt Hipp loquitur. Eadem pulcritudo obseruabitur in oculis, in auribus, in ore, & linguâ. 2. Horum immediatum consequens erit, vt sensus omnes habeant se eo modo, quo dixi. Quod ad externos, satis erit, si eò perueniant, quò homo peruenire potest, vt pariter dixi. A sensu quia pendet motus, erit in ingressu neque præceps, neque tardus. Quod ad internos, tantò se habebunt commodius, quò externi sunt feliciores. Nihil enim est in intellectu, quod non antè fuit in sensu. Ratio seu mens erit expedita: memoria rerum firma: vtrique famulabitur phantasia, non turbulenta & instabilis, sed sedata; acris tamen, quæ disciplinâ *adiuta det nobis Romanum sapientem*, qui consilium subitò inueniat, tanquam gladiator in ipsâ arenâ, quique non acquirere tantũ possit, sed & acquisita tueri. 3. Somnus iuxta & vigiliæ erunt moderatæ. Ille quidem non sine insomniis, sed quietis & suauibus: hæ non vltra tempus debitum extensæ. 4. Inter facultates naturales ministrantes iusta erit proportio, seu harmonia, vt nutritio fiat quàm felicissima. Hinc excrementa capitis, neque nulla erunt, neque multa, neque cruda & exusta, quæ suo tempore, locóque exeant. Tempus erit matutinum, cum surgit è lecto: locus erit duplex, per palatum & nares. 5. Cutis faciei, siquidem non sit alîus temperamenti, coloris erit viuidi, non illius, qui vulgò dicitur, ex lacte & sanguine mistus: sed sed ex vtróque extremo, albo & nigro æqualiter factus. 6. Capilli, eâdem cum conditione, mediocres erunt in colore, substantiâ, & copiâ. In colore non erit alterutrum extremum. Albi enim, vt dicetur, frigiditatem notant, nigri caliditatem. Seruatâ igitur ætatum ratione, in infantiâ quidem subruffi erunt, instar auri Rhenensis: in pueritiâ subflaui, qualis Arabici est: in iuuentute flaui, qualis est prunæ: in consistente ætate nigrescentes. In substantiâ neque nimis duri erunt, vt crispentur: neque nimis molles instar lanæ. In copiâ, neque nimis densi erunt, quod in calidis & siccis fit, neque nimis rari, quod in frigidis & siccis. Caluitiei eadem ratio. Neque enim maturè caluescet caput, quod calidis & siccis accidit: neque nimis serò, quod frigidis & humidis. 7. Facilè fert iniurias externas, si non nimis violentæ sint, & diuturnæ.

Calidum.

§. 3. Hoc loco, vt & suprà, intelligo *Calidum in passiuis temperatum*. Et ita de cæteris simplicibus intemperiebus. Hoc 1. omnium procul dubio cranium magnum efformabit, propter axioma vulgare *Calor dilatat*. Intelligere autem hîc oportet magnitudinem, quæ reliquo corpori proportionata sit. Secus si eueniat, argumento erit, calorem domandæ materiæ suæ imparem fuisse. Quæritur, An non paruum quoque esse possit huius temperiei caput? Certè Arist. 30. Probl. 3. scribit, τὺς μικροκεφάλυς φρονιμωτέρυς esse. An magnitudo & paruitas hîc consideratur

illa, quam lanij in visceribus mactatorum animalium? Hac ratione Aristot. hoc voluerit, Sapientiores esse, qui minùs magnum caput habeant, & per consequens cerebrum minus magnum, in quo vis vnita sit fortior. 2. Sensuum externorum organa prorsus vegetiora erunt, quàm in cerebro temperato. Motus quinetiam citatior. Interim sensus non eodem modo se habebunt. Ratio quidem acris erit: sed memoria labilis, ob copiam phantasiarum. Ideò, si plusculum augeatur calor, homo erit præceps, audax, parùm prudens, inconstans. 3. Idem somno contentus erit breui, & è quo facilè excitetur, maximè, si temporis progressu siccitas accedat. 4. Excrementa ratione caloris, pauca sunt hic. 5. Cutis faciei rubicunda ferè hîc est, & venæ tumidæ, præsertim in oculis. 6. Capilli, tam ratione efficientis, quàm materiæ, citò crescunt, & quidem pro proportione caloris, vel remissioris, huius, illiúsve coloris. 7. Grauiter hi ferunt externas iniurias, præsertim, quæ à calore, ab aromatis, à vino, &c.

Frigidum.

§. 4. 1. Caput ferè magnum est, cum figurâ inconcinnâ, ob materiam, à vi plasticâ non satis domitam. 2. Sensus omnes torpent, vt & motus. Difficulter aliquid mandant memoriæ. Pertinaces sunt in suâ sententiâ. 3. Somniculosi sunt. 4. *Κελόμυξοι* sunt, quo de verbo vide Notas in Gal. 6. Meth. 3. 5. Color faciei liuidus est, cutis ipsa inflata. 6. Capilli sunt vel albi, vel rufi, tardè barbescunt. 7. A frigido externo valdè læduntur. Catarrhosi sunt.

Siccum.

§. 5. 1. Caput argutum est, cum figurâ commodâ. 2. Sensus externi perspicaces, motus validi. Interim sunt perfecti. *Anima enim sicca sapientior est*, dicebat Heraclitus. Tu cape, si calor etiam adsit vegetus. 3. Vigiles sunt tales & acres. 4. Excrementis non abundant. 5. Cutis faciei ad tactum dura est, ob viciniam ossium. 6. Capilli à primo ortu sunt duri, nigri, copiosi, robusti, sed citò frontem destituentes. 7. Et calidis & frigidis læduntur.

Humidum.

§. 6. 1. Caput est magnum & deforme. 2. Sensus omnes hebetes sunt, & organa mucosa. Motus debiles. Prudentiam hîc non quæras. Memoria enim est debilis. 3. Excrementa abundant. 4. Somniculosi

sunt

ſunt. 5. Cutis capitis mollis, inflata. 6. Capilli tardè prodeunt, iique albi, promiſſi, molles, lanæ inſtar, non facilè cadentes. 7. Non facilè læduntur ab externis.

Calidum & humidum.

§. 7. 1. Conformatio capitis bona, maláve erit, prout ſuperârit hæc vel illa qualitas. 2. Si vtraque ſit infirma, propinqui ſunt temperatis. Si humor ſuperet, in vitio cubant tam interni, quàm externi ſenſus, ſomnia ſunt turbulenta, incubus, &c. Si calor, res in vado eſt. Color enim tum floridus eſt, cutis mollicella, ſenſus vegeti, &c. 3. In eiuſdem caloris victoriâ, excrementa ſunt pauca: contrà ſi contrà. 4. Variant pro varietate hac & vigilia & ſomnus. 5. Cutis capitis mollis & alba. 6. Capilli ferè ſubflaui, recti ob humiditatem. 7. Flante Boreâ hi optimè habent: contrà Auſtro.

Calidum & ſiccum.

§. 8. Iudicetur ex antecedentibus.

Frigidum & ſiccum.

§. 9. 1. Conformatio capitis procul dubio mala eſt. 2. Ætatis ſunt breuiores, quòd principia malè ſe habeant. Inter hos ſunt quidam, qui *Præcoces* dicuntur. 3. Si ſiccitas ſuperet, non ſunt ſine excrementis, contrà, ſi frigiditas. 4. Decolores ſunt tales, præterquam à cibo. 5. Cutis eſt exſucca. 6. Capillitium tenue, canities præpropera. 7. A frigore maximoperè læduntur.

Frigidum & humidum.

§. 10. Contraria hîc ſunt ſigna calido & ſicco, Summa, ſtupidi ſunt tales, ſomnolenti, catarrhoſi, &c.

ABERRATIONES.

§. 11. Riſum vix teneo, cum video Sennertum f. 464. laudare caput magnum, quòd ſpiritus in illo benè moueri, & liberè diſcurrere poſſint! tantò magis, quod motum & diſcurſum illum in ventriculis celebrari vult! Mihi profectò ſentẽtia illa de generatione ſpirituum in ventriculis,

ſemper

semper visa fuit delirio proxima, propter argumenta ἄφυκτα, quæ contrà attuli. Inprimis militat Cæsalpini illud; Si spiritus in ventriculis liberè discurrunt, quis mihi spondebit, ne per infundibulum dilabantur? Sint verò omnia nihil: quorsum sapientissima Natura instituit liberum illum, & quasi in diaulo factum discursum? Fortassis præmium aliquod propositum est victori? Vno verbo, *Neque egrediuntur spiritus vasis suis, neque vllum cursus certamen instituunt:* sed manentes in vasis, adeóque sub imperio Animæ, eunt quò debent. Hîc non opus est vllo spacio, vllo stadio, vllâ machinâ tragicâ. Quin, si caput sit paruum, paruum etiam cerebrum erit, hoc est, pauciora erunt vasa, pauciori stipata medullâ, in quibus etiam pauciores spiritus, à quibus nonnisi debiles actiones. Tamen, contra hanc sententiam nescio quâ verisimilitudine pugnant οἱ μικροκέφαλοι Arist. de quibus pronuper, & quos Auicennam etiam laudare ait Noster. Nec quidquam me mouet, quod in vestigio ait, *In paruo capite spiritus vim suam perdere, & quasi suffocari, aut clausos excandescere & exuri.* Quem enim caminum, quam officinam Vulcaniam sibi hîc imaginatur? Sunt περιττώματα, quæ Gal. vocare solet. Iis, quæ sequuntur meritò nigrum θῆτα præfigas. Melioris conditionis non sunt, quæ de figura capitis tam prolixè disputat. Experientia enim docuit τῶν φοξῶν multos optimè habuisse circa facultates principes. Vt dicendum sit, si Thersites obiiciatur, μὴ παρὰ τοῦτο. Ego verò hoc tibi secretum do, quisquis es, Latet hîc σόφισμα de facultatibus dictis loco distinctis, quod nemo bonus admittit.

§. 12. Laudo equidem, quæ de facultatum principum origine, déque numero earundem, fine fol. 466. incipit disputare: sed vultu etiam abominor, quæ pro explicatione pseudo-Gal. in Arte, præsertim de tenuitate cerebri tam fusè differit. Interim placet, quod aspergit de *Modo substantiæ*, quem addit qualitatibus manifestis. Perplacet, vt suprà innui cap. 8. §. 27. quod de cerebro temperato scribit f. 469. *Ad iustitiam tale esse.* De externis iniuriis eiusdem quæ narrat, intelligere fas est, vt dixi hîc, fine §. 2.

De

De pilis quæ disputat, ἀλλότρια sunt, ipsomet non diffitente.

§. 13. Quæ de calido dicit, confirmant thesin meam, *Intemperatum quoddam habere actiones præstantiores quàm Temperatum.* Hâc in re consensum reperio I. Alexandrini. 3. Salubr. 4. Quæ de rubore faciei scribit, restrinxi ego per τὸ *ferè.* An vera sint, quæ de citâ caluitie huius temperamenti dicit, valdè nescio. Reliqua probo.

§. 14. Apud Syluium f. 32. pro *Integerrimæ* vellem *Integræ.* Illud, *Virtute ortorum ab eo*, non capio. Virtus sola hîc est δύναμις πλαστική. Difficilis offensio, adde, *Nisi nimia sit.* Caliditati semper iungi Tenuitatem (de *Modo substantiæ* intelligo) non credo. In Cal. & Hum, τὸ *Paulò* ita applico mihi, *Quamdiu caliditas & humiditas est in æquilibrio.* Ita seq. erunt de ipsâ iam intemperie.



CAPVT XVII.

De temperamentis quinque Sensoriorum in genere.

§. 1. Scita est distinctio actionum animalium. 2. Progn. 6. εἰς ἡγεμονικὰς καὶ ὑπηρετικὰς, *in principes & seruiles*, quarum illæ à Cerebro fiunt, & in Cerebro: hæ à Cerebro quidem, sed non in Cerebro. De illis quia actum est, agendum iam fuerit de his.

§. 2. Numero hæ constant quinario, omnibúsque hoc commune est, quòd Cerebrum ad instrumenta illarum mittit Neruos, qui sunt, vt alibi docetur, ἐγκέφαλος πεπιλημένος, *cerebrum in se coactum & densatum*, vt Gal. loqui solet. Instrumenta censentur his nominibus, Oculi: Aures: Nares: Lingua: Caro propriè dicta.

§. 3. De omnibus & singulis hoc repetendum est. Vt dicantur temperata, non opus est extendant se super omnem animalitatem, vt sic dicam. Oculus v. g. humanus non debet Aquilino similis esse: satis est, vt tam accuratè videat, tam longè prospiciat, quam plerique omnes homines. Qui superat, v. g. qui de noctu videt, iam τερατώδης est, vt Aristoteles vocare solet: qui deficit in alterutro, vel etiam vtroque, intemperatus est. Et sic de cæteris.



CAPVT XVIII.

De temperamentis oculorum.

§. 1. Signa hìc quinque generum à Conformatione: à Positu profundiore seu exstantiore: à Facultatibus animalibus, visiuâ & motiuâ; à naturalibus ministrantibus: à iuuantibus & lædentibus.

§. 2. Per *Conformationem* intelligo non tantùm externam illam, quam videmus, vnà cum partibus circumstantibus, ciliis, superciliis, Palpebris, Ossibus quibusdam maxillæ superioris, Vasis apparentibus, non apparentibus: sed & internam, quæ consistit in iustâ partium oculi similariuu συμμετρίᾳ, *Commensuratione.* Vt enim oculus dici possit temperatus, oportet, & *Humores* habeat in eâ copiâ, in hoc situ, in hac temperie, cum hoc substantiæ modo, in tali amplitudine, crassitie, tenuitate: & *Tunicas* huius, illius substantiæ, hìc & non alibi perforatas, hìc, non ibi coloratas: & *Musculos* hoc situ, hoc robore: & si quæ sunt alia. Si enim vel minimum in vno aliquo mutetur, necesse sit oculum non rectè fungi officio suo. Hæc accurata proportio quia nondum ab vllo Anatomicorum explicata est, & verò quia vix fieri potest, vt oculus noster eò se penetret, quemadmodum de Vocis instrumentis dixi alibi: iure queritur doctiss. Rungius in θ. de Ocul. aff. multa nobis deesse, tam ad Physiologiam, quàm ad Pathologiam oculi. Nimirùm, quod verissimè ait Cæsalp. 2. Prax. 42. *Nullam partem nactam esse apparatum tam exquisitum.* Cui ego, *Adeò, vt neque scribi, neque dici possit.*

Visionem esse rem sumutuossimã, quia tam multis indiget ad perfectionem, ait Plato in Timæo.

§. 3. Per *positum*, vt innui, non intelligo locum in anteriori hominis parte, seu in fronte: sed situm in orbitâ. Si enim valdè profundi sunt oculi, quales sunt omnium animalium noctiuagorum, videbit quidem homo benè, & eminus, & exactè: sed non ad latera. Hoc verò est ex hypothesi Platonicâ, quæ est, visum fieri per emissionem.

§. 4. De *facultate visoriâ* scribit Gal. 1. Caus. sympt. 2. Si subministret illa spiritus multos, puros, lucidos: videri res, non eminùs tantum, sed & exactè. Sin multos quidem, cæterùm impuros: videri res cominus quidem, sed non exactè. Et est hoc ex eâdem hypothesi.

§. 5. De *Facultatibus naturalibus ministrantibus* fit idem, quod in aliis neruis, vehunt nerui optici secum alimentum ex cerebro. Ex quo orationis genere intelligis, me non negare, partes externas aliunde habere alimentum.

§. 6. Duo sunt, quæ vehementer lædunt oculos. *Alterum*, acria omnia, fumus, Boreas, vapor cæpæ viridis, aromatum puluis, &c. *Alterum*, excellens lumen. Ergò,

Oculus

Oculus temperatus.

§. 7. Erit ille, in quo nihil desideres ad visionem homini propriam. Idem, quod ad externam conformationem proportione respondet capiti : quod ad internam rectissimè habet. Idem neque nimis exstat, neque nimis profundus est. Idem spiritus habet, in qualitate & quantitate naturaliter se habentes. Idem neque mobilis nimis est, & instabilis, neque rigidus. Idem excrementa sua deponit in nares. Idem vasa habet non valdè conspicua. Læsionum externarum eadem est ratio, quæ aliarum partium temperatarum.

Calidus.

§. 8. 1. Paulò maior erit temperato : interim intrinsecùs non minùs artificiosè elaboratus quàm temperatus. 2. paulo eminentior etiam. 3. Spiritibus multis turgidus, ob quos & longiùs prospicit, & exactè diiudicat res. 4. inconstans est, modò non à debilitate sit. Hinc animo quoque inconstantes sunt tales. 5. Vasa eius sunt conspicua. 6. Pauca, aut nulla habet excrementa. 7. Læditur à calidis.

Frigidus.

§. 9. Contraria habet signa.

Siccus vt & humidus.

§. 10. Iudicabitur ex iis, quæ dicta sunt. De intemperiebus idem statutum esto. Vide Syluium f. 34.



CAPVT XIX.

De temperamentis Aurium.

§. 1. 1. Et interna ossis petrosi conformatio, & externa Auriculæ, debet esse Naturæ consentanea. 2. Idem dictũ sit de facultate, seu spiritibus auditoriis. 3. Idem de facultatibus ministrantibus. 4. vt & iuuantibus, lædentibúsque.

§. 2. Conformatio interna vt priscis penè incognita fuit : ita à nostris eò peruentum nondum est, quò Philosophus vellet. Quid enim facit diuersitatem illam, ob quam magis, minùs distinctè audimus?

Fortaſſis ex tibiis proportionale quid diſci poteſt ? Auricula dicta quò maior eſt, eò melior fit auditio. Errant igitur matres noſtræ, quæ culpant aures aſininas, vti vocant. Eadem ratio eſt ſitûs. Quæ enim longiùs à capite abſcedunt, ſunt commodiores. Errant igitur iterum illæ cum faſciis ſtringunt, vt quaſi agglutinentur capiti.

§. 3. De ſpiritibus auditoriis hoc certum eſt, multis modis vitiari, ſi flatus illis miſceantur. Horum indicia ſunt ſibili, in aliquibus fremitus quaſi fluentium aquarum. Hoc cauſatur pituita, parietibus anfractuum oſſis petroſi allita. Huius generatio, cum facultates miniſtrantes non faciunt officium. Venti impetuoſi multùm nocent.

Auris temperata.

§. 4. 1. Conformationem ſortietur talem, qualis dicta eſt. 2. Spiritus, aërémque implãtatum habebit purum. 3. Meatus auditorius vix erit ſine excrementis. Subſtantia enim tam ſolida apprimè tenue vult excrementum. Id verò cum neruo auditorio è cerebro illabitur, vt in oculo. 4. Non ſubitò læditur à quouis vento.

Calida.

§. 5. 1. Conformationem accepit elaboratiſſimam, auriculámque ſatis magnam. 2. Spiritus procul dubio erunt tenues, & ſibilorum expertes. Quæſtio eſt, an ita poſſint attenuari, vt ipſi ſibilos edant, non permiſtis flatibus. Gal. id credit. 3. *κ. τόπ.* 1. & credidit Solemander. 3. Conſ. 3. Credidi ego quoque olim: ſed reuocauit amiciſſimus Sennertus. 3. Facilè læditur à calore.

Frigida.

§. 6. Contraria habebit ſigna, præcipuè autem tinnitibus obnoxia erit, *βαρυκοΐαι-σι*, partim ab infelici coctione, partim ab irruente è capite pituitâ.

Sicca cum Humidâ.

§. 7. Quemadmodum etiam compoſitæ intemperies, iudicentur ex æquo, bonóque.

CAPVT



CAPVT XX.

De temperamentis Narium.

§. 1. HÆc signa ab aliis scripta non sunt, fortassis, quia nasus tantùm forinsecus apparens signa dat. Is verò tam vilis est, vt quædam animalia odorentur sine illo. Video ego non nisi bina externa signa, quorum *alterum* est forma illa nasi elata potiùs, quàm depressa: *alterum* naris vtraque aperta. *Conformatio* interna est, vt ossa spongiosa & cribrosa dicta sint peruia vsque ad processus cerebri mammillares, neruósque sui generis, *odoratorios* dictos. Horum enim foraminibus obstructis, coryzæ fiunt, & impeditur ascensus odorum.

§. 2. Narem temperatam statuo illam, quæ tantùm odoratur, quantùm homini par est: non autem quantùm odora canum vis, vt Poëta ludit. Quæ de siccitate processuum cerebri iam dictorum præscribunt quidam, non intelligo.



CAPVT XXI.

De temperamento Carnis, & peculiariter Linguæ.

§. 1. QVia *Gustus* est *Tactus* quidam, & vtriusque subiectum est *Caro propriè dicta*, Tactus quidem omnium partium sensibilium; Gustus autem Linguæ: de vtroque afferam pauca.

§. 2. Quo loco si cui insolentia videbitur esse, posuisse suprà *Carnem* inter similaria, nunc verò poni inter dissimilaria: is hoc responsi habeat. Quemadmodum tres prædicti sensus considerabantur cum suis neruis, qui facultatis ipsius baiuli sunt: ita hîc consideratur Caro, non simpliciter, vt suprà, sed cum neruis.

§. 3. *Carnem* hanc, non minùs quàm sanguinem, è quo recens coagulata est, substantiæ esse ex prædominio terreæ, probatum iam est alibi. Quò illa in vnoquoque animali terrestrior est, & in maiori copiâ: eò sensus hi duo obtusiores sunt, & confusiores. Et contrà. Hæc ipsa, ratione qualitatum tactilium temperata est, vt omnium illarum excessus percipere possit. Ideò etiam simplicissima dicitur, collatione

factâ cum reliquis sensoriis. Est enim & ipsa ex 4. elementis conflata, sed minùs operosè.

§. 4. An autem caro *Linguæ* sit temperatior & simplicior reliquarum partium sensilium carne, fateor me nescire. Quod si gemmarij frigiditatem gemmarum fictitiarum linguâ percipiunt, quam aliis partibus non percipiunt, iam id aliunde est, à calore linguæ æquabili. In ore enim perpetuò est, tuta ab iniuriis externis. Nec refert, quod aër, per inspirationem attractus, appellit ad illam. Maior enim semper in linguâ calor est, ob temperamentum sanguineum, quàm vt præteruolans aër officere illi possit.

§. 5. *Tactus* igitur & *Gustus* temperati sunt tum, cum sentiunt id, quod in homine sentire debent, & dextrè de illo iudicant. Iidem calidi sunt, si acutissimè sentiant. Frigidi, si parùm. Quod si lingua, bile ex ventriculo ascendente, corruptè sentit: iam hoc extra limites sanitatis est.

ABERRATIONES.

§. 6. Fuchsius quidem f. 63. simpliciter accipit *Cutim* pro instrumento Tactus: sed causam non addit, fortassis, quia pudebat. Esse enim temperatam ad pondus nemo dicet, nisi qui Galeni obseruantior est quàm veritatis. Quin temperata est ad iustitiam. Homo enim debuit habere talem cutim, mollem, tenuem, depilem: non autem duram, crassam, pilosam, vt bos & asinus.

§. 7. Sennertus quidem f. 26. contentus est assertione Gal. 1. Temp. 9. sed fol. 109. dicit, *Cutim* esse quidem præcipuum tactûs instrumentum, verùm non adæquatum. Hoc autem est *Membrana*. Sed profectò coniicit se in grauiores difficultates. Cogitur enim dicere, Non cutim tantùm esse temperatam ad pondus, sed omnes membranas. Quo quid audacius? Non datur temperamentum illud, nedum tam latè pateat.

CAPVT



CAPVT XXII.

De Temperamento totius Corporis.

§. 1. SI rectè constitutum fuit ab initio, Temperamentum totius cognosci non posse, nisi cognitis partibus omnibus: vtique rectè constituetur nunc, cognitis in specie partibus omnibus, cognitum fore *Totum.* Quare vbicunque in omnibus partibus eadem fuerit qualitas, v.g. caliditas, temperamentum fuerit æquale calidum. Ita si duæ caliditas & humiditas, temperamentum erit calidum & humidum. Contrà, vbicunque hæc quidem pars calida fuerit, illa autem frigida, & sic de cæteris, temperamentum erit inæquale, de quo distinctè pronunciandum, *Hic homo est calidus corde, est frigidus cerebro, & sic de aliis.*

§. 2. Mihi, Coronidis loco, duo libet superaddere. 1. Cum Gal. dicit, *Temperamentum* esse *Animam*, Medicam dico, vt alibi excusaui virum: non esse id intelligendum de primâ tantùm corporis nostri constitutione, sed & de secundâ & tertiâ. Vt enim ex quatuor elementis fit corpus ita mistum, ita temperatum, quod dici possit, Calidum v. g. ita ex partibus dissimilaribus fit corpus, quod conficit tale corpus, quod vocari possit Calidum & humidum, v. g. 2. Cum idem dicit idem, non id intelligendum esse de *temperamento proprio* tantùm: sed & *Communi.* Nimirum, vt suprà dixi, *Temperamentum proprium* est, quod singulæ partes à Naturâ sortitæ sunt, & quod post mortem durat aliquamdiu: *Temperamentum commune* est, quod ex corde influit, & sine quo homo non magis viuit, quàm sine Sole est hic mundus. Hoc in plantis quoque diuersum est. Rhabarbarum v. g. piper, zinziber, Medicamenta omnia, habent calorem, quo viuunt, crescunt, semen ferunt: Eadem, etiam arida, habent calorem alium, quo calefaciunt corpus nostrum. Illum vocare soleo *formalem*, ἔμφυτον, & est à calore illo, quem cœlo analogum vocat Philosophus: Hunc *materialem*, σύμφυτον, & est ab elementis calidis.



CAPVT XXIII.

De temperamento totius habitus.

§. 1. LIbet hæc mihi iungere superioribus, quòd reliqui ferè taceant. ἕξιν τ̃ σώματος opponunt Medici non tantum *imi ventris visceribus*

visceribus: sed & reliquorum duorum. Quoties enim mali humores ex imo, vel ad cutim solam, vel ad cutim, musculósque simul translati sunt, dicuntur iam ἐν ἕξει, *in habitu* esse. Vnde etiam prohibent, ne tales humores facilè sinamus rapi ἐκ τῶν μέσων, *ex hypochondriis*, vt illi loquebantur, in superficiem, id quod fit intempestiuis post cibum exercitiis, balneis, sudoribus, aliis.

§. 2. Hìc ante omnia videtur inquirendum in illud, an vtriusque lateris idem sit temperamentum? Cum enim homo sit bifidus, vt deduxi Com. in 11. Vs. p. 19. & fieri possit, vt alterum sit calidum, alterum frigidum: operæ precium fuerit nihil negligere.

§. 3. *Alterum* ab hoc sit, An omnes musculi sint eiusdem conformationis & temperiei? Videas enim, qui crura habent exilia, brachia autem benè torosa, & contrà.

§. 4. *Tertium*, An musculi proportione respondeant ossibus? Dantur enim tales, quibus moles ossium insignis, musculi debiles & exsucci: & contrà. Illi vt facilè defatigantur: ita hi videntur facere cursores illos, quos *Lakeien* vocamus. In hoc ordine sunt, ni fallor, qui robusti sunt, & sanguine bono distenti, quamuis graciles videantur. Et hi sunt illi, de quibus dicitur, *durre leutth haben viel blutt*. Qui enim reuerà macri sunt, non abundant sanguine. Huius rei indicium est caput, quod alioquin ex carne est. Et hoc ferè ad qualitates passiuas tantùm pertinet. Vbi enim responsus est musculorum cum carnibus, dicere licet, Habitum vel durum, vel mollem esse, prout tactus illum iudicat esse: vbi non est, non licet.

§. 5. Primum ergò signum hìc est ex qualitate, quæ tactui occurrit. Si quis enim ad tactum calidus sit, eius genus musculorum calidum est. Et sic de frigido.

§. 6. Veruntamen opus hìc est διορισμοῖς quibusdam. Hoc ab initio constare debet, Cutim esse eiusdem cum subiectis musculis temperamenti. Non esse, contingere potest à multis causis, præcipuè ab aëre. Æthiopes enim calidam vel siccam cutim semper habent, licet musculi substrati non semper tales sint. Contrà, Scythæ cutim habent semper frigidam & humidam, non ita musculos.

§. 7. Deinde illud ex sup. repetere oportet, Cum præter aërem multa alterent corpus: alterent autem non id tantùm, cuius temperamentum quæritur, sed & id, quod quærit: cauto opus est, ne vel alterutrum, vel vtrumque iam occupatum sit ab extrinsecâ qualitate. Hâc in re ne fallamur, consulit Vallesius, Sæpiùs tangamus vnum hominem, antequam pronuntiemus.

§. 8. *Alterum* signum ex colore cutis sumitur. Cum enim, vt Hipp. docet, princip. l. de Humor, talis sit color illius, qualis humorum (nisi reciprocatio quædam sit, de quâ Foësius in ἀμπωτις) sub cute contentorum: is, qui abundat sanguine laudabili, habebit etiam musculos sanguineos. Contrà, qui pituitoso, bilioso, seroso, melancholico.

§. 9. *Tertium*

§. 9. *Tertium* signum est ex pilis. Hi enim cùm cuti sint infixi, non secùs ac plantæ terræ; habent verò alimentum ex subiectâ carne: non possunt non pili aliquâ ex parte (quantum cutis permittit) testari de musculorum temperie.

§. 10. *Quartum* petitur ex duritie & mollitie. Vbi enim, vt iam dixi, magnitudo ossium respondet robori musculorum, multæ, eædémque molles carnes significant humiditatem, paucæ & duræ siccitatem. Mollities quia est à bono & laudabili sanguine; ille verò calidus & humidus est: procul dubio cum caliditate humiditas stabit. Contrà se habet res in duritie.

§. 11. *Quintum* & vltimum à iuuantibus & lædentibus est. Communi enim omnium excessuum hactenus dictorum lege, quæcunque temperamenta sunt calida, si contingat calorem ampliùs augeri, malè ferunt. Et sic de cæteris. Vide Valles. Com. in Artem. Et hæc quidem de signis *naturalibus* seu *salubribus*.



SECTIO TERTIA.

CAPVT XXIV.

De signis præternaturalibus seu insalubribus. Ex quibus fontibus petantur hæc signa; & quibus nominibus vocentur.

§. 1. Hic paucis repetere fas est ex cap. 2. Vnde petantur signa præscripta? Ante omnia distinguere oportet, sítne morbus internus, an externus? Et rursus, pendeátne fortè externus ab interno? In simpliciter externo non est opus aliis, quàm inspectione oculari, aliquando etiam tactu. His enim vsus benè institutus aliquis, subitò dicit, quid rei sit. In reliquis duobus casibus opus est diligenti accuratione. De his enim verum est illud, ὁ ἄριστα γνοὺς, ἄριστα θεραπεύει, *Quò quis melius agnoscit morbum, eò felicius curat.* Hinc adeò Gal. in Libb. de Loc. aff. sæpè ait, se agere de affectibus internis tantùm, non etiam de externis. Ideò barbari superioris sæculi Intt. de *Interioribus* inscribunt.

§. 2. Hæc signa duplex habent nomen. Aliquando enim παθογνωμονικὰ vocantur *Indicatoria* ipsius affectûs: aliquando διαγνωστικὰ *Distinctiua affectuum inter se.* Hæc apud Gal. 1. Diff. febr. 3. sunt triplicia. *Inseparabilia* sunt, quæ affectum significant, & ab affectu separari non possunt, vt calor tantus, qui lædat actiones,

à febri : *Propria*, quæ soli, sed non omni conueniunt, vt Calor putridus, si sic loqui possum : *Inseparabilia & propria* simul, vt dolor punctorius in pleuritide.

§. 3. Sed vnde petuntur ? Fortassis ex iis, quæ suprà ex pseudo-Gal. dicta sunt ? Non ex omnibus, sed ex *Postsubstantialibus* tantùm, tribus verbis, ex triplici symptomatum genere, Actionibus læsis : excretis & retentis: qualitatibus mutatis. Hoc ne nouum tibi videatur, hem tibi Ill. Sennertum, qui l.3. Inst. f.452. disertè id dicit: quin f.633. latè explicat. Fortassis hoc nouum videbitur ipsi Sennerto Galenum, in Libb. de Loc. aff. ex iisdem ducere, licet nuspiam satis clarè se explicet. Corpus quidem Int. l.1. cap.5. quem sequuntur viri magni, digerit in quinque ordines : frustrà in æternum, sat scio. Quod enim hîc dicendum est, licèt odiosum sit futurum sectariis quibusdam, *Opus illud est chaos eruditum.* Cum enim secundùm Methodum progredi deberet, exercitij gratiâ, arripit modò hoc, modò illud, securus quid de *Methodo* fiat. Quâ in re vt faciam officium boni viri, accipere placet ex libris dictis morbos omnes, exercitij loco confusè propositos, & cap. seq. disponere secundùm Methodum Galenicam, à Frisimelicâ olim promissam, sed quam primus ego hoc tempore præstiti.

§. 4. Hoc antequam faciam, duo præmoneo. Alterum, me signa Pathognomonica ita distinguere à superuenientibus, quòd illa sint, quæcunque eueniunt *ratione morbi*, siue ab initio accidant, siue posteà, v.g. delirium in febribus : hæc quæcunque fiunt *ratione Naturæ* operantis, v.g. coctionis signa quæ in vrinis, aliísque excrementis sese ostendunt. Quamobrem illa quidem ad διάγνωσιν tantùm pertinent, & præbent indicationes, tam præseruatorias, quàm curatorias : hæc ad πρόγνωσιν tantùm, & erudiunt nos, quid futurum sit. Ideò προγνωστικὰ sunt.

§. 5. Alterum, Non displicere quidem, quod Claudinus docet in elegantiss. opere de Ingressu Medici ad infirmos l.1. cap.1. initium huius indaginis fieri debere ex præscripto Hipp. l. de Affect. *Cum ad ægrotum deueneris*, inquit, *interrogare oportet, quæ patiatur, ex quâ causâ, & quot iam diebus, & an venter secedat, & quo victu vtatur :* Veruntamen videri multò antiquiorem, potiorémque illum processum, qui iubet vocatum Medicum meminisse. 1. Veniátne tanquam ὑγιεινὸς, an tanquam θεραπευτὴς ? Hic tantò amicior mihi est, quò propiùs ad illum accedit Sennertus noster l.3. cap.1. quamuis aliis verbis & obscuriusculè proponat. Quo loco monere debeo, Claudini librum aliud spondere in titulo, aliud præstare opere. Sed parco. 2. Vt quærendi initium sumat à sex rebus non naturalibus, quas ordine decurrat.

ABERRATIONES.

§. 6. Fuchs. f. 455. adhærens pseudo Gal. in Arte, mirificè turbat. Ego hoc solùm dico, Agitur hîc de solis Diagnosticis, quæ ipsa sũt Pathognomonica. At ἐπιφαινόμενα, quæ & συνεδρεύοντα vocantur, toto genere differunt. Illa enim cum fiant *ratione morbi*, ceu dixi: hæc fiunt *Ratione Naturæ*, quatenus, vt Scherbius meus loquitur in θ. Med. à me editis, *viuens non datur, quod nihil sanitatis includat*. Et hoc directò respicit illud Hipp. *Naturæ morborum medicatrices*, quâ de re alibi.

§. 7. De Sennerto, f. 624. hoc tantùm moneo, Placere mihi distinctionem inter morbum futurum & præsentem: sed velle magis Medicè locutum esse. Alius morbus τοῦ ὑγιεινοῦ, alius τοῦ θεραπευτικοῦ. Tum verò rectè atque ordine subiunxisset, *In sano corpore si quid mutetur, opus esse alteratione*, quatenus scilicet ὁ ὑγιεινός curat paruos lapsus, qui adhuc sunt in latitudine sanitatis. Rectiùs etiam subinferre potuisset, *Eadem signa, si cumulantur & augentur, morbum præsentem indicant*. H. e. si mutationes istæ eousque increscant, vt hominem faciant clinicum, iam transit ille ad θεραπευτικήν. Tum denique rectissimè docere poterat, Quâ in re potissimùm consistant illæ mutationes? Siue, quæ, & vbi sint *causæ morborum*? In sanguine vt plurimùm, vt Peripateticè loquar, qui modò laudabilis est, sed in maiore copiâ, quam debebat, sine vllo vitio, & *Plethoram* constituit simpliciter dictam: modò in vitiolo aliquo, & dicitur *Plethora cum adiectione, biliosa, pituitosa, melancholica, serosa*: modò cum vitio insigni, & vocatur *Cacochymia*, vt alibi me explicaui. A causis venisset ad *locos affectos*. Hos cognosci ex tribus symptomatis, qui tam clarè docuerat duobus locis: hunc mireris f. 623. diuerti ad quinque fontes. Copi! Non ita Syluius, qui satis commodè explicat, f. 40. & seq. Qui ipse si f. 43. & seq. contentus fuisset tribus symptomatis nostris, po-

terat illi decerni Corona Ciuica.

§. 8. Lidd. f. 543. valdè ieiunus eſt, quod monuiſſe ſatis eſt. Huic rectè ſociaris Heurnium f. 363.

§. 9. Hinc abituro occurrit φιλόγαληνος quidam. *Quid ergò ſibi volunt iſta quinque.* 1. Loc. aff. 5. ἡ βεβλαμμένη ἐνέργεια, τὰ ἐκκενούμενα, ἡ τοῦ τόπου φύσις, ἡ θέσις, ἡ κατὰ τὸν ὀδύνην ἰδιότης, τὰ οἰκεῖα συμπτώματα? Quinque? inquam ego. Vide annon ſex ſint, ſi rectè ponas calculum? Sed ſit: In contemtum barbæ tuæ, quod Italicum Prouerbium tutè ſcis eſſe, ero hîc quoque παῤῥησιαστής. Eſt talis catalogus, qualis de Diff. & Cauſ. morb. 7. ſex cauſarum, à quibus morbi conformationis: vno verbo, *fortuita recenſio fontium*, è quibus fluit notitia loci affecti. Et quemadmodũ ibi ἔμφραξις & ἀναστόμωσις tantummodò locum inueniunt: ita hîc *Actio læſa* & *Excreta*, quibus ſi addideris ex l. 2. cap. 9. *Qualitates*, habebis rem confectam. Quæ duo ſequuntur, *Natura loci* & *Situs*, nonne agnoſcis, ex Phyſiologicis eſſe, adeóque inter præſcita? Fortaſſis, meliùs, inter ſigna *naturalia*? Mecum & Plembius in Fund. Med. Proprietas doloris annon eſt *Actio læſa*? Quod verò ſatis mirari non poſſum, *Propria accidentia*, vt loqui volunt, quomodo diſtinguntur à *Symptomatis* nobis receptis? Vocat quidem Gal. infrà bis ἴδια σημεῖα: verùm explicat ſe ſatis, cum ait, *ſe loqui de iis, quæ propria ſunt vni parti*, v. g. ξύσμα in dyſenteriâ. Hoc verò eſt *Symptoma in Excretis*. Vtinam verò ita accommodari poſſet locus alter, qui eſt l. 3. cap. 3. C. Copus quidem ſubiicit facilè numerum ſuum quinarium: ſed quì quadrat ad ſenarium illum? Et quid plura? Gal. hîc non eſt accuratus.

§. 10. Videamus verò etiam Campolongi f. 13. fontes turbidos. *Natura rei*, quæ eſſentialiter inhæret, annon eſt ſignum *naturale*? ab hoc loco alienum? *Effectus* quàm obſcurè latent ſub tribus ſymptomatis, à nobis propoſitis: De *cauſa* ſuprà quæſiui, quomodo poſſit eſſe idem cum *Cauſato*? *Simile* & *Diſsimile* ex 1. Off. Med. 1. quomodo huc facit? Non nego Gal. referre ad τὸ διαγνωστικόν: verùm ille de totâ hac Medicinæ parte, Simioticâ, vocabulum accipit, & pertinet

tinet hoc, non primariò ad morbi dignotionem, ſed ſecundariò, quatenus morbum à morbo ſeparamus. Quam etiam ob rem diſtinctus eſt apud Practicos labor hic ab illo. Hîc ne quid deſit moleſtiarum, marginator aſſuit quintum fontem, qui nihil aliud eſt, quàm dilatatio ſecundi, qui ab *Effectu*. Quo loco ſi ſtetiſſet intra limites Symptomatum noſtrorum, poterat noſter eſſe: at verò quia allinit etiam illa, quæ non neceſſariò ſequuntur, vt ipſe accipit τὸ συνεδρεύοντα ἢ ἐπιφαινόμενα, intolerabilis fit. Hæc principia cum tam malè habeant, quis ſibi ſolidi quid ſpondeat in reliquis? Quò minus ægrè ferent boni, ſi mutato conſilio, ne attingam quidem in poſterum gerras iſtas Siculas.



CAPVT XXV.

Praxis Signorum Pathognomonicorum, redacta ad Methodum Gal. 1.

§. 1. Hic primùm in genere dicenda ſunt quædam ex libris nobis propoſitis. Horum 1. eſt, *Qui vult ex his emolumentum capere, oportet inprimis exercitatus ſit in Anatomicis, vt ſciat, non tantùm eſſentiam cuiuſque partis, & cum quibus partibus aliis communicet: ſed & vſum.* 1. Loc. aff. c. 1. A. Q. Hoc poſteà aliquoties repetitur.

§. 2. II. Scire oportet. *Nullam actionem lædi, niſi læsâ parte illâ, quæ actionem illam edere nata eſt.* Læditur autem, vel per ἰδιοπάθειαν, vel per συμπάθειαν, l. 1. cap. 2. & 3. & fieri poteſt, vt morbus per συμπάθειαν tranſeat in morbum per ἰδιοπάθειαν, Ib. cap. 3. Vbi hoc dico, Læſam partem dici etiam cum non influit vel facultas, vel materia, vt infrà explicabitur. An tum eſt morbus in numero?

§. 3. III. Actio omnis cùm ſit vel ſimilaris, vel diſſimilaris, oportet hanc quoque diſtinguere ab illâ, Ib. cap. 3. Vtrumque cum fiat vel leuiter, & κατὰ σχέσιν, quod πάθος eſt; vel grauiter, & καθ᾽ ἕξιν, quomodo morbus: ne id quidem negligendum eſt, Ib. 42.

§. 4. IV. Actio omnis læditur, vel eſſentialiter, læſo aut temperamento, aut organiſatione, aut vnione: vel accidentaliter, ídque

GGGg 3 vel

vel aliunde transmisso aliquo, vel obiecto non proportionato, v.g. cum ventriculus humanus cerasorum aut prunorum ossa, aut semina cerealia non coquit, Ib. Hoc posterius est *Error externus*, 3. Caus. sympt. 1. An est *causa externa*, quam Hipp. sæpè ablegat?

§. 5. V. Scire hoc quoque oportet, Libros de Loc. aff. commodè diuidi posse in duos, siquidem præ oculis habeas duplicem exercendi in signis modum. Aut enim *in genere* agimus de signis, eorúmque fontibus, quod Gal. facit duobus libris anterioribus. Aut *in specie* de singulis morbis, quod in quatuor posterioribus. Ego cum veniâ, traham omnia ad vnum hunc posteriorem.

§. 6. In quo opere quo modo se gesserit Galen. oportet intelligere lib. 3. cap. 3. A. vt exemplum habeamus in quod intueamur. Primò, inquit, obseruaui, lædi actiones, non tantùm læsâ parte principe, sed aliâ quâcunque, vsum præbente. Hoc notent illi, qui disputant de *morbis in vsu*. Deinde ait, Vidi morbos alios esse frequentiores, alios rariores. In illis vt res benè cedit Empyricis: ita in his deficiunt. Quamobrem tentaui medicamenta inuenire pro his quoque certa, & minimè fallacia, quamuis à nullo præceptorum vsurpari compererim. Tertiò, didici experiundo, vtrosque modò ἐπιστημονικῶς agnosci, modò στοχαστικῶς quidem, sed tamen coniecturâ non fallaci, verùm vt plurimùm rectâ, constantique. Quartò deprehendi, nihil horum quidquam facere, nisi loci affecti cognitio etiã accedat. Ea verò cum distinguat τὰς ἰδιοπαθείας ἀπὸ τῶν συμπαθειῶν, ne in his quidẽ deses fui. Consistunt autem αἱ συμπάθειαι in tribus, vt ego accipio Gal. lib. 1. cap. 6. 1. Cum vel deest, vel intercipitur materia ad actionem aliquam necessaria, v. g. aër ad vocem. 2. Cum non materia, sed facultas, nisi mauis, spiritus influens, vt in ἀμαυρώσει, oculi affectu. 3. Cum neutrum horum fit, sed ex aliâ parte, v. g. ventriculo, deriuatur quid, v. g. in cerebrum, vnde dolor capitis, delirium. Quintò, cum non sit eadem ratio, indiuiduorum, aëris, regionis, anni temporum, &c. his quidem hæc medicamenta præscripsi, illis illa, hac dosi, hac formâ, &c. Ita agendo (concludit) & pluribus innotui, & singulis ita probaui industriam meam, vt nunquam in ruborem datus sim.

Vide etiam l. 2. c. vlt. L.

§. 7. Quo loco id addo, Factâ hac diligenti inquisitione (docet Gal. non semel) comperi sæpè cum loco affecto prodire & morbum, & causam morbi. Quod si non accidat, esse id seorsim faciendum. Et hoc est, quod fine §. 7. cap. præced. dixi. Quo maiori, cum fiducia instituam hîc ἀνακεφαλαίωσιν omnium in his libris morborum recensitorum, cum breui censurâ, ad γνῶσμα θείας παθολογικὰς directâ.

L. 1. cap. 5.

Intemperies nudæ.

§. 8. Hîc breuiter moneo, *Nudas intemperies* me vocare omnes illas,

quæ

quæ non sunt, vel *Inflammatio*, vel *Erysipelas*, vel *Oedema*, vel *Scirrhus*, vel ex his compositarum aliqua. Tum verò primo loco pono τὸ λογικὸν, *animam rationalem*, quod τὸ ἡγεμονικὸν, etiam dicitur, *facultates principes*, de quibus agit l.3.c.5.& lædi ait ab intemperie vel frigidâ, vel humidâ, vel frigida & humida simul. Sũt autẽ triplices, *Ratio*, *Memoria*, & *Imaginatio*. Has lædi quoque in affectibus soporosis. Ego ex hoc loco obiter probo, Galenum neutiquam fuisse affinem fatuitatis illius, quæ vult, *Facultates has differre locis*, *ratione ventriculorum cerebri*. Quin cap. 7. seq. expresse ponit in corpore cerebri, idque cum Hipp. Cerebri autem corpus cum sit æquabile omnibus suis partibus, quis credat hîc fieri hoc, ibi illud? Imò verò Gal. semper collocat topica in syncipite, quod os ibi sit tenuius.

§. 9. Sed vt redeam ad *Intemperies*, quàm verum est, quod Gal. scribit: tam certum est, lædi facultates dictas à caliditate quoque & siccitate. Vt enim hoc tantùm dicam, *Videmus, quò quis calidior, eò furiosior.* Id ipsum verò in phrenitide & maniâ multò manifestissimum est.

§. 10. Hæ quia σχέσιν inter se habent illam, vt *Ratio* quidem, νοῦς καὶ διάνοια, principem locum occupet, reliquæ autem ancillarum vice sint: ita *Ratio* lædi non potest, illæsis reliquis, reliquæ possunt.

§. 11. De *Memoriæ* quidem læsione, incipit Gal. agere d.l.1.c.3.D. perrexit autem cap.4. (in quo contra Archigenem agit) & 5.A. De hac vt libenter accepto sententiam Gal. de frigiditate & humiditate: ita velim acceptet ille à Rondeletio caliditatem etiam cum siccitate.

§. 12. De *Imaginatione* antequam agat, vsus suâ libertate, interponit conuulsiones (de quibus ego in *Morbis Cauitatum strictarum*) parte priore cap. 7. Tum verò parte posteriore eiusdem cap. de *Melancholiâ* loquitur quæ læsam habet phantasiam, ex omnium confessione. Intelligit autem *Melancholiam per essentiam.* Nam quæ *per consensum* dicitur, vel ex toto corpore, vel ex visceribus abdominis, *Hypochondriaca* dicta, hûc non facit. Quæris, quæ sit in Mel. simp. dicta intemperies? Tantùm absum à frigidâ & siccâ, quæ tribuitur vulgò Melancholiæ, humori, quantùm à Solis mensis. Est calida & sicca. Hoc probo nunc illis verbis cap.7.V. *Fit huiusmodi melancholiæ species, affecto priùs calidis morbis cerebro*, &c.

§. 13. *Maniam* fieri ex intensiore Melancholiâ vt falsum est: ita veriss. est, esse ex eâdem intemperie, calidâ & siccâ. Loquor autem de *Maniâ absque febre.* Addo hoc quoque ex Auicennâ, Tam Melancholiam, quàm Maniam esse affectus cordis potiùs, quàm cerebri Huius; rei inuictum est argumentum mœstitiam, metum, audaciam, affectus esse animi dictos, quorum sedes indubitatò Cor est.

§. 14. *Vertigo* l.1. cap.8. tam illa quæ simpliciter est imaginatio casûs, quàm illa, quæ est cum visûs obtenebratione, est species huius delirij phantastici, & non minùs à calidâ, siccâque intemperie, quàm duo dicti affectus.

§.15. Contrà

§. 15. Contrà lib.3. cap.5. κῶμα, ἡ καταφορὰ, κάρος, & rurſus κῶμα ὑπνῶδες καὶ οὐχ ὑπνῶδες, *affectus ſoporoſi* dicti, ab intemperie frigidâ & humidâ ſunt. Ita autem differunt, *Coma ſomnolentum* in febribus eſt, cum ſubinde dormiunt, nec poſſunt excitari: *Coma vigil* cum videntur dormire, & non dormiunt, & eſt potiùs impotentia vigilandi: *Carus* eſt profundus cum ſtertore ſomnus, à vaporibus quidem benignis, ſed nimis copioſis. *Lethargus* huc non facit: multò minus *Apoplexia* & *Catalepſis*. Scio, quæ Gal.ſcribit de his affectibus. lib.4.cap 2.Q. ſed quia vel falſa ſunt, vel codices corrupti, ſino. De Caro ex Hipp.2. Art.9. ſuſpendo iudicium.

§. 16. *Vigiliæ*, his oppoſitæ, procul dubio ſunt ab oppoſitâ intemperie calidâ & ſiccâ.

§. 17. *In oculo* quatuor ſunt intemperies ſimplices, & totidem compoſitæ, lib.4.cap.2.A. Vbi moneo, Illis verbis, *Cum igitur nullo*,&c. deſcribi ἀμαύρωσιν, quæ fit dupliciter, vel affecto neruo optico, vel ſolo defectu ſpirituum, quod vel ex h.l. probari poſſit. *In aure*, Ib.S. ſimpliciter ad oculum ſe refert. In *Olfactu*, Ib.O. nimis conciſus eſt. In *linguâ*, Ib. N. R. ſatis fuſus. Quod huc facit, eſt. Læditur in illa, aut motus ſolus, & pertinet res ad paralyſin: aut tactus ſolus: aut guſtus ſolus, aut tactus & guſtus ſimul; & quidem ita, vt aliquando altera tantum linguæ pars afficiatur. Hoc vult dicere credo. Contingit ab intemperie frigidâ & humida. De *facie*, quæ dicit, T. ferè ad motum pertinent.

§. 18. De *Cordis intemperie*, tam calidâ nudâ, quàm cum affluxu ſubſtantiæ, breuiter agit lib.5.cap.2.A. Intelligit autem *Febres* tam continuas,quæ per eſſentiam ſunt,quàm intermittentes, quæ per conſenſum. Atque vt verum eſt, *Inflammationem* non poſſe diu durare, quin ſuffocetur animal: ita de nullâ febre accipio, etiam continuâ. Nemo enim euaderet ex illa. Sed nec φλεγμονὴ eſt,ſed φλόγωσις. Addo, Cum dicat l.8. c.5. impoſſibile eſſe, vt cor abſceſſum ſuſtineat, conſentienter Ariſt.3. Part.4. & rurſus l.4.c.2. Vbi eſt χαλεπὸν ἢ βίαιον πάθος, qui locum habebunt, duæ illæ hiſtoriæ, lib.5.cap.2.

§. 19. De *hepatis intemperie frigida*, ferè cum humidâ coniunctâ, agit l.5.c.2. P. De qua ex aliis locis id prædicendum eſt, Veteres olim hanc viſceris intemperiem peculiariter vocaſſe *imbecillitatem*, quemadmodum ita affectos *Hepaticos*. De quibus ipſius ſignis tantò ſolicitius cogitandum nobis eſt, quò ſegniores ſunt Practici noſtri. Ita quidem eſt, παθογνωμονικὸν ſignum eſſe dyſenteriæ cruentæ ſpeciem illam in quâ exit ſanguis ichoroſus & tenuis, qualis aqua eſt, in qua recèns mactatæ carnes ablutæ ſunt, ſine febre, & cum appetitu: ſed eſt ab initio tantùm. Morbo enim progrediente, & introductâ (propter obſtructionem, & negatam ventilationem) contrariâ intemperie,calidâ,ſanguis vacuatur craſſus, fæculentus,ſuperaſſatus quippe,cum febre, & ſine appetitu. Vtriuſque affectus excrementa non prioris tantùm,vocabant priſci *Hepatica*.

§. 20. Huic

§. 20. Huic *Imbecillitati* proportione respondet *Lienis imbecillitas*, Ib. HH. An hæc est *Splenitis*, Diff. Sympt. 5. A. quemadmodum *Hepatis* affectio illa, à quâ *Hepatici* dicuntur? Quò minus enim de inflammatione vtriúsque visceris accipiam, multa obstant. Hunc excipit *Icterus*, nec non ἄχροια quædam, l. 6. cap. 1. A.

§. 21. Respondet & *Renum imbecillitas*, l. 6. cap. 3. E. cum renes sanguinem serosum dimittunt inalteratum. Hunc morbum ego *Nephritida* voco, non autem calculum, licet Gal. eò tendat l. 6. cap. 3. A. Ab eadem imbecillitate est *Hydrops* quidam, is vid. qui fit, renibus non fungentibus officio suo, qui hydrops Galeno incognitus fuit. Cognitissimus ille, qui εἰς ἀμίδα, *hydrops ad matulam*, ἡ διαβήτης simpliciter appellatur: sed à contrariâ intemperie, calidâ. Ego persuasus sum, & docui alibi, Affectum hunc fieri tantùm in febribus colliquatiuis, cùm natura serosam sanguinis partem deponit ad renes, qui ideò affecti non sunt. 7. Caus. sympt. 3. extremo.

§. 22. His, quod ad *Intemperiem nudam*, cognati affectus sunt *Stranguria* & *Ischuria*, l. 6. cap. 4. quibus addo *Dysuriam*. Alioquin obstructiones esse, non nescio.

§. 23. Superest *ventriculus, ósque ipsius*, in quo aliquam-multæ sunt intemperies huius generis. Prima & potissima est imbecillitas dicta, quæ nihil aliud est quàm *Intemperies frigida*, cui iungitur modò siccitas, modò humiditas, vnde sunt αἱ βραδυπεψίαι, quæ peculiaria habent nomina, 1. quidam est ἀνατροπὴ τοῦ στομάχου, *subuersio ventriculi*. 2. quædam ὑπτιασμὸς, *supinitas*, seu *supinatio*. 3. quædam θλίψις, *compressio*, licet visum sit non differre ab ὑπτιασμῷ, 4. quædam κλύδων, *fluctuatio*. 5. quædam ναυτία, *nausea*. 6. Tandem, ἔμετος, *vomitus* & huic proportionata *Celer deiectio*. Qui ita affecti sunt στομαχικοὶ ἢ κοιλιακοὶ dicuntur quemadmodum morbi ipsi διαθέσεις στομαχικαὶ, ἢ κοιλιακαί. Huic è regione opposita *Intemperies calida*, corrumpit cibos teneros (nota) in *Nidorem* dictum, vnde *Ructus nidorosus* dictus, veluti cum ab Intemperie frigidâ fit *Ructus acidus*, de quibus infrà.

§. 24. Altera est ἀνορεξία, *Inappetentia*, & huic opposita βούβρωσις (hâc enim voce vtar, licet Medicis non vsurpatâ) *Appetentia nimia*. Hanc distinguere oportet ἀπὸ τῆς ὀρέξεως κυνώδους, *appetentiâ caninâ*, cum tuburcinatores subitò reuomûnt, quæ ingurgitârunt. Oportet etiam separare ἀπὸ τοῦ βουλίμου, qui non est *magna fames*, vti vox vult: sed *syncope post famem*, 2. Aph. 21.

§. 25. Tertia est κίττα, *pica*, appetitus deprauatus, grauidis ferè familiaris, l. 5. c. 6. F.

§. 26. Quarta est δίψα, ἡ δίψος, τὸ, *sitis*, de quà quid sentiam, exposui breuiter suprà cap. 11. quâ de ventriculo. Huius rei meminit Gal. l. 6. c. 3. Ego contuli illum cum aliis 2. Var. lect. 11.

Intemperies cum affluxu substantiæ.

§. 27. *Substantia* (alij *Materiam* vocant) hæc quæ sit, non est opus altâ indagine. Est humor quiuis, vel influxus alicui parti, vel ibi congestus. Hæ dicuntur etiam *Tumores præter naturam*, quamdiu intra mediocritatem sunt: cum autem magnitudine etiam lædunt, ad id genus morbi referuntur. Sunt *vel Externæ*, vel *Internæ*. De illis se non agere, sæpè protestatur Gal. Quatuor numero sunt pro recepto humorum numero quaternario. A *sanguine* enim fit πλεγμονὴ (non φλόγωσις) *inflammatio*: à bile, nisi mauis, *sanguine tenuiore*, ἐρυσιπελας, quod Latinum nomen nondum inuenit: à *pituita*, οἴδημα, quod eiusdem conditionis est: à *melancholiâ* σκίῤῥος, quod pariter eiusdem. His addendum fuerit *serum*, vnde tumores serosi, hydrops quidam, ὕδω-τοκήλη, ὑδρομφαλος, ὑδροκέφαλος, &c. Et hi simplices sunt: quibus succedunt quatuor compositæ, φλεγμονὴ ἐρυσιπελατώδης, ἐρυσίπελας φλεγμονώδης, & sic de cæteris.

§. 28. Inter internas, quarum meminerit Gal. in de Loc. affectis indicâsse sufficiat. *Prima* sit *Phrenitis* l. 5. cap. 4. de quâ hoc moneo tantùm, Non esse inflammationem solarum meningum, sed & substantiæ cerebri, tantò periculosior, quò profundior. Tunc Hippocrati est σφάκελος ἢ σφακελισμὸς τοῦ ἐγκεφάλου. II. *Angina* est inflammatio partium colli illarum, quæ deglutitioni & voci seruiunt, l. 3. cap. 3. item l. 4. cap. 6. & 7. iterúmque l. 5. cap. 5. Huius quatuor species faciunt, συνάγχην, κυνάγχην, παρασυνάγχην, συνάγκην, frustra. III. *Pleuritis*, inflammatio pleuræ, membranæ thoracem interiùs succingentis, l. 2. cap. 8. & 9. l. 5. cap. 3. De hoc id quoque notandum est, non esse solius membranæ dictæ, sed & pulmonum, fortassis superficialiter. Cum enim substantia inflammatur, iam est. IV. *Peripneumonia*, l. 1. cap. 5. Quò loci τὸ περὶ auget significationem. V. *Inflammatio cordis*, l. 5. cap. 2. nomen non habet & datur in iis tantùm, quibus sola cordis substantia vulnerata est, & quidem non vltra diem naturalem durat. At quibus gladius penetrauit in ventriculorum aliquem, ij subitò moriuntur, vt ij qui syncope cardiacâ intereunt VI. *Inflammatio diaphragmatis*, l. 5. cap. 4. huic contigua esto, licet disertè non ita appellet. Huic delirium tam est proprium, quàm Phrenitidi ipsi, propterea pars affecta φρένες fuit nominata apud Arist. quoque. VII. *Inflammationis ventriculi*, non meminit Gal. quem velim addidisse distinctè etiam *oris ipsius*. VIII. *Inflammatio* l. 5. cap. 7. *hepatis* etiam ἀνώνυμος est. Quam sententiam si quis volet impugnare ex l. de Diff. sympt. 5. A. vbi *Hepatitis* est: ei ostendam symptoma mutati coloris, qui directò nos ducit ad Hepaticos iam dictos. De *splenitide* eadem ratio est. Cæterùm, quia valdè difficile iudicium est, sitne inflammatio hepatis, an pleuritis dextri lateris, tum præcipuè, cum pleuritis descendit, vt Hipp. loquitur: valdè commendo lectoribus historiam, quam Gal. l. 5. cap. 7. T. recenset de Medico Siculo.

Quatenus

Quatenus tactu explorari possit, dixi alibi. IX. In *Inflammatione lienis*, l.6. cap.1. statim displicet τὸ ῥᾳδίως Gal. Non minoris enim laboris est, imò maioris quàm in hepate, quod pariter deduxi alibi. Quod de colore dixi in vtriusque visceris affectibus, præsertim diuturnis, Gal.l.cap bis inculcat. Quam rem memini nobis commendare multis verbis Ill. Scherbium, & reuerà esse maximi momenti experientiâ propriâ didici. Color is est, quem Græci χλωρὸν vocant, *Ex viridi pallescens, magis minus nigricans, instar plumbi.* X. *Inflammatio Mesenterij*, vt & alij tumores illius, l.5. cap. 7. DD. maximoperè attendendi sunt. Gal. hîc vnicum signum vrget, alui excrementa, quæ ait similia esse, non hepaticis iam dictis: sed præbere colorem ichorum, qui ab assatis carnibus defluit. Sed qualis hic est? Explicat illum Gal. paulò superius, A A. de XI. *Vteri inflammatione* agens. In hâc enim vrinas esse similes loturæ carnium recentium, cui fuligo sit mista. Hinc pendet distinctio mea inter Ichorem mitem & acrem. XII. Tandem est *Inflammatio musculorum* abdominis, de quibus pulcerrima exstat Stefiani historia, l.c.N.

Morbi Organici; & primùm Conformationis in Figura.

§. 29. De his nihil speres: quia de externis malis non agit, quâ de re sæpè protestatur.

Morbi Conformationis in Cauitatibus seu viis.

§. 30. Hi cum sint duûm generum, vt ferè reliqui huius commatis, quàm cogniti sunt omnibus illi, qui in viis augustis seu strictis sunt, & *Obstructiones* dicuntur: tam incogniti sunt illi, qui in viis latis seu patulis. Ego absque vllâ dubitationis aleâ, huc accerso τὰς διαθέσεις ῥευματικὰς, & voco *destillationes.* Ab illis placet initium capere, & hoc ante alia monere, Rem obstruentem, aut corpus esse solidum, aut vaporem seu Flatum. Ab illo placet iterum ordiri, primúmque de obstructionibus *Abdominis*, interque has de *Melancholiâ Hypochondriacâ* agere, quæ indicio Mercurialis est Proteus inter morbos.

§. 31. Hic morbus opponitur *Melancholiæ simpliciter dictæ* suprà, quæ per essentiam est, cum hæc cum adiectione vocata, per consensum fit. Quâ oratione subitò abscindo nouorum quorundam hominum cogitationes, qui tum demum hoc nomine dignantur, cum adest delirium melancholicum, ante vocant *Passionem hypochondriacam.* Huius idea vt cognoscatur, sciendum est, primum eius fundamentum iaci in ventriculo, cum ille cibos corrumpit, vel in acorem vel in nidorem, quo-

rum hoc à calore fit, illud à frigore. Vnde apparet, habere non vnam causam, sed duplicem, ideóque non posse non variare symptomata, & difficilem facere cognitionem. Ab vtraque hac intemperie facta excrementa & in Mesenterium translata, tum verò in ipsum hepar, lienémque deducta, generant obstructiones, quarum symptomata iterum non possunt non variare, licet vtrobique iam sit contraria intemperies, *Calida*, simulque *sicca*. Hæc vbi inualuit, adeóque exusta sunt omnia in atram bilem, superueniunt *tristitia, metus*, 6. Aph.23. & morbus est in ἀκμῇ, à quâ nomen sortitur. Hæc probare me posse confido ex lib.3.c.7. præsertim ex verbis Dioclis, P. Hanc catenam iam explicare oportet in articulos suos.

§. 32. *Ventriculus* hoc modo affectus si rectè curetur, non est metus huius bestiæ. Sin aliquandiu duret, communicatur affectus Mesenterio, quod & Mesaraum nominatur, & sic affecti dicuntur *Mesaraici*, lib.5. cap.vlt.CC. Tum verò ab initio quidem excrementa alui sunt liquida: at vbi facultas expultrix exoleuit, accedit φλόγωσις, & cum illa *Obstructio*. Quæ si rectè curetur, ne tum quidem metus est mali.

§. 33. Sin, temporis progressu, vel hepar, vel lien, vel vtrumque viscus, ab infarctu crassorum humorum obstruantur, iam non huius tantùm spes est, sed cachexiæ, hydropis, &c. Si incipiant scirrhescere viscera hæc, multò maior metus est. Et prodit se latescens anguis colore illo χλωρῷ *plumbeo, magis, minùs*, de quo dixi.

§. 34. Ex his intelligitur, quomodo morbus morbum gignat, & quomodo vitium primæ coctionis non corrigatur in altera. *Cachexia*, ad quam natura rei nos deduxit, vt non meminit Gal. ita in hydropibus intricatissimus & obscurissimus est. Quod vt probem, hoc pro confesso accipio, *Hydropum species tres esse, Asciten, Tympanitem, & Leucophlegmatian.* De his quæritur lib.5.cap.7. I. Habéntne eundem locum affectum? Videtur. Quæ enim pars gignit sanguinem bonum, eadem gignit malum quoque, Atqui hepar gignit. Hîc non vna instantia est. *Atqui cor gignit.* Hinc adeò Rondeletius *Cordi* hîc dat primas partes. Sed sit. Non sola generatio hîc locum habet: potest enim sanguini bono superuenire aliquid, quod causam hydropi det, v. g. si serum non debito modo à renibus separetur; si sanguis colliquetur eo modo, quo caseum paramus & serum. Adde, αὐτοψία docuit, in quibusdam hydropicis nihil passum fuisse hepar. Hinc concidit effugium Galen. *Alius hydropes per consensum fit, alius per essentiam.* Si enim hepatis actio eousque corrumpi debet, oportet consensus ille mutetur in essentiam, vt sic loquar. Valet igitur *Maior* illa (iam enim ita sino, non accerso, inquam, cor) in Leucophlegmatia tantùm. Sed valeat in omnibus: *A qua temperie fit?* A frigida, dicit Galen. lib.5. cap.7. K. Atqui tu ipse, ô Galene mox lib.6. cap.1. B. agnoscis Hipp. oraculum, 1.Progn.1. quod ait, *Hydropas sequi morbos acutos?* *Atqui, tu*

ipse agnoscis colliquationem, 3.Caus.sympt.3.V.

§. 35. Sed absoluamus nos ab vniuersalibus, & veniamus ad particularia. *Ascites calidus* est duplex, quorum alter subitò fit in inflammationibus viscerum, aut alioqui febribus colliquatiuis: alter lentè in causis, cum magnis obstructionibus, præcipuè renum, cùm illi non faciunt officium. *Ascites frigidus* pariter est duplex, quorum vterque fit lentè. Aut enim simpliciter fit à renibus, in latitudine sanitatis, cum illi non faciunt officium: aut in largis vacuationibus cùm iidem renes non agunt rem suam. Sed quò pertinet, si quis, epotâ multâ aquâ frigidâ, aut cereuisia intumescat? Ad causas externas, quas Hippocr. & Galen. in morborum indagationibus semper ablegant. Quomodo dicunt refractarij, hepar gignit serum? Non rectè instituitur quæstio. Cum enim renes cunctabundi sunt, cur hepar aduocas? Sed sit: non gignit, sed colliquando separat partem serosam à caseosâ. Sed neque cogitari potest de hepate frigido: crassam enim pituitam facit, non serum.

§. 36. De *Tympanite* hoc statim moneo, Non esse comparationem instituendam cum Ascite vllo. Est enim à flatibus, quorum generationem scimus esse à calore quidem actuali, sed non vegeto, ideóque non valente discutere materiam sibi proportionatam. Materia hæc est, non serum, vt multi credunt: sed pituita, in ventriculo genita, tum præcipuè, cum victus fuerit frigidior. Hinc ventriculus dici potest locus affectus.

§. 37. De *Leucophlegmatia* primùm hoc quæritur, quid differat à *Cachexiâ pituitosâ*? Hæc est, quamdiu decoloratio sola adest: illa fit, cum manifestè intumescit corpus. Huius morbi principium pendet ex ventriculo, perinde ac Tympanitis: augmentum ex hepate: vigor in habitu corporis.

§. 38. *Hydropes particulares* sunt Hydrocephalus, hydrops pulmonis, & vteri, hydrocele, &c. de quibus solicitus non sum.

§. 39. *Icterus* Asciti tam affinis est, vt aliquando in illum degeneret. Hic cum sit effusio bilis in habitum, ex quo viscere fit? Aliquando ex hepate: aliquando ex liene: aliquando ex vtroque. Imò consistere potest, neutro affecto viscere, ex sola imbecillitate vesicæ felleæ. Vide Gal. lib.5.c.7.L. & iterum lib.6.cap.1.B.

§. 40. In renibus & vreteribus *Obstructionem* quidem faciunt arenæ & calculi, pus, thrombus sanguinis, caruncula: ego autem morbis *Numeri* aggrego. Vesicæ vrinariæ & pori vrinarij eadem est ratio, fiúntque tres affectus, *Dysuria*, *Stranguria*, & *Ischuria*, lib.1. cap.1.

§. 41. Pertinet huc quoque *hæmorrhoïdum* & *mensium retentio*, itémque *aluus stricta*, quæ res longas habet ambages. Propterea ex Abdomine ascendo in Thoracem.

§. 42. In hoc imprimis, ratione bronchiorum pulmonis, difficilis est respiratio, quæ tribus continetur affectibus, 1. *Dispnœa*, pro omni difficultate respirandi: 2. *Asthma*, pro eâ, quæ cum sibilo seu strepitu: 3. *Orthopnœa*, pro eâ, quæ non nisi rectâ ceruice fit. Vide l. 4. cap. 4. C. vbi videris per consensum dici eam, cum facultas ex cerebro non subministratur. Cæterùm accidit Orthopnœa & inflammationibus huius loci.

§. 43. Ratione cordis ipsius, docente Gal. expresse l. 5. cap. 2. A. fit *Syncope Cardiaca*, quæ aliquando *Cardiaca* simpliciter vocatur, vel cum simplex intemperies calida, vel inflammatio accersit ad cor tantum sanguinis, vt in momento suffocetur. Huius rei confirmationem peto ab iis qui in quibusdam, pro Apoplecticis habitis, sanum quidem cerebrum viderunt, cor autem sanguini innatans. Et hæc, ni erro, est illa *Apoplexia* Gal. 2. Aph. 42. quam μεγίστην καὶ ὀξυτάτην, *maximam & acutissimam* vocat, cum subitò moriuntur, sine præcedenti difficili cum stertore respiratione. Vt dicendum sit, non omnes, qui subitò moriuntur, sunt *Apoplectici*, sunt quidam *Cardiaci*.

§. 44. Hac occasione quia iam ad supremum ventrem repimus, dicendum est de *Apoplexiâ*. Hanc esse *Obstructionem* quam libenter concedit Gal. l.4.cap.2.Q.& alibi: tam difficilem se præbet in loco proximè affecto. Cum enim tunc quoque controuersum esset, Corpúsne, an ventriculi cerebri sint? inconsultò applicat se ventriculis. Quod cum videret parum firmum esse, ausus fuit l. cit. coniungere vtrumque locum. Quod cum valdè ineptum sit, miror nostros homines tam insolenter vectare! Hoc enim certissimum est, vbi fiunt spiritus, ibi fit hic morbus. At in corpore fiunt: ventriculi autem longè alium vsum habent. Sed hoc nondum satis est. Ego olim *Ductus* Anatomicis vocatos accusaui. At postquam Nymanus produxit *Torcular* Herophili, censeo, hoc quidem primariò affici: sinus autem cum *Ductibus* secundariò. Quo acceptato, necessariò pro obstruente materiâ habemus sanguinem, secuti Gal. ipsum, de Cur. per V.S.7.ext. non autem crassos, lentos, viscidos humores, quales ventriculorum amplitudo vult. Et hæc quidem vnica & perpetua est Apoplexia, sanguinea quibusdam dicta.

§. 45. Quam verò alij ex Hipp. ex Gal. 4. Acut.23. quà de ἀπολήψει φλεβῶν, fabricantur, non *Apoplexia* est, sed *Syncope Cardiaca*, cuius ibi quoque mentio.

§. 46. Apoplexiam salutarem quia ferè semper excipit *Paralysis*, non potest non subsequi illam. Moneo autem, videri mihi apud Gal. l. 3. cap. 10. reliquias confusionis priscæ, quæ non rectè distinguebat hos duos morbos. Propter enim symptomatis similitudinem, modò *appoplexia* erat illis *paralysis*, modò *paralysis apoplexia*. Ita autem est. In *Apoplexiâ* perit sensus & motus illæsis neruis, cum facultas non influit: in paralysi, irrigatis è cerebro neruis ab destillante sero sanguinis benigno

nigno, simul obstruente, simul intemperiem frigidam & humidam causante. Moneo & hoc, Non semper fieri, quod Gal. ait l. cit. sed paralysin fieri etiam sine apoplexiâ, & non tantùm affecto vno latere, sed vtroque. Est autem triplex, *Aut* enim perit sensus tantùm: *aut* motus tantùm: *aut* vterque. Quî id fiat non potest hîc disquiri. Interim & in partibus fit quibusdam, v. g. in oculo, & palpebris, l. 4. c. 2. A. in faciei musculis, Ib. T. in linguâ, Ib. N. in vocis organis, l. 3. cap. 1. C. in brachiis, pedibus, manibus, digitis, Ib. cap 6. I. & rursus l. 3. cap. 10. G. In his spinalis medullæ parti ei applicare oportet remedia, è qua nerui. Ita sphincteres ani & vesicæ resolui possunt. Ita os ventriculi. Et hæc quidem sunt *Obstructiones*, quas *Corpus* facit *solidum*.

§. 47. Venio ad illas, quas *Vapor*. Inter has primum locum occupant *Conuulsiones*, l. 3. cap. 6. Hæ vel vniuersales sunt, vel particulares. De illis vt priore loco agam, sunt, vt *peruersiones*, seu contortiones totius corporis sine motu reciproco, qui κλόνος dicitur Græcis: vel sunt *contractiones & remissiones*, modò partium plurium, modò certarum, quæ constituunt κλόνον iam dictum. *Conuulsionum vniuersalium sine κλόνῳ*, tres sunt species. Εμπροσθότονος dicitur cum corpus riget versùs anteriora; ὀπισθότονος, cùm versùs posteriora: Τέτανος, cum riget totum corpus. An *Catalepsis* seu *Catochus*, cuius mentio l. 3. cap. 4 I. l. 4. cap. 2. Q est Tetanus quidam? Vide Isag. nostra, cap. 2. Conuulsiones particulares habent certa nomina. In buccis enim & labiis *spasmus Cynicus* dicitur: in oculo, *Strabismus*: in mandibulâ inferiori, *trismus*: in pene, *Priapismus & Satyrismus*: in ore ventriculi, *singultus*: in diaphragmate nomen non inuenit, nisi sit πνεῦμα προσκόπτον ἢ προσπίλαιον Hipp. *Conuulsio vniuersalis* cum κλόνῳ, licèt etiam particularis esse possit, *Epilepsia* dicitur.

§. 48. In causis omnium horum affectuum mirificæ sunt ambages propter ἀρχαιότατον dogma illud Hipp. *Repletionem & Inanitionem*, 6. Aph. 39. Gal. l. 2. cap. 3. M. & alibi, proponit tantùm; at l. 3. cap. 6. tantoperè extollit, vt dicat ex intimâ Philosophiâ esse. Sino ego vnicuique sponsam suam: sed ostendo bellatulis nostris congerronibus duo primum Gal. loca 2. Caus. sympt. 2. D. Trem. & Palp. vlt. A. quibus desputâ repletione & inanitione, amplectitur sententiam Arist. quæ est, *Omnem conuulsionem à flatu* esse, vel *vapore*. Deinde commonefacio, illum, qui 8. κ. τόπ. 3. Q. præ se fert non agnôsse tertiam aliquam conuulsionis causam, præter duas Hipp. decantatas, non solùm 5. Aph. 1. C. sed & hîc l. 3. c. 7. 2. A A. recipere *auram quandam* à ventriculo, ab imo pede ascendentem ad cerebrum, motúsque epilepticos causantem. Atqui, dico, hæc nihil aliud est, quàm *vapor* Aristotelicus. Hò, dicit ille, Hic vapor locum habet in epilepsiâ per consensum, non autem in eâ, per essentiam! Non ego tam miror, Gal. hoc ausum esse, quàm Nostros recantare, non minus clarè quàm resonabilis Echo! In tantâ enim symptomatum similitudine, quæ decipit peritissimos quosque, verónè simile est, hîc quidem ab humore frigido & crasso fieri, hîc autem à vapore

tam

tam subtili, qui per cæcos meatus è crure ad caput sensibiliter repere possit? Imò verò potest: Humor enim ille copiâ irritat, vapor hic acredine. Pudet me quidquam dicere.

§. 49. In loco affecto non minùs labyrinthorum est. Cum enim hîc quoque dissensus esset inter Medicos, *Essétne obstructio hæc in corpore, an in ventriculis cerebri?* ausus est Gal. hanc audaciam, prorsus vt in Apoplexiâ, *Vtrobique est.* Egò verò dico, vt ibi, *In solo corpore est.* Ex hoc enim solo via est in neruos: è ventriculis non est. Ego etiam hoc incommodum vrgeo, Cum in Apoplexiâ longè diuersissima sint symptomata ab iis, quæ in Epilepsiâ, quei possunt illa reuocari ad vnam ventriculorum obstructionem? Inuenit remedium sapientissimus Fernelius, *In apoplexia totalis est obstructio; in epilepsiâ semi-obstructio.* Tam hoc insipidum est, vt quotquot in Calabriâ montes salsi sunt, non possunt conciliare illi saporem. Tamen sunt quorum palato arridet!

§. 50. Ne longè abeam, cupio intelligere ab irritatoribus illis, quomodo cerebrum, contractum ob irritationem, contrahere possit musculos? Omnes pisce magis muti sunt: ego verò ita induco. Vt motus naturalis fit, elatis è fonte caloris (corde) spiritibus, ibidem substantialiter alteratis ad principium neruorum deuolutis, per neruos in musculos, quos inflant, dilapsis: ita præternaturalis accidit, vbi, vel intra cerebrum, vel extra, in ventriculo, hepate, &c. intemperies aliqua subministrat principio neruorum vaporem, spiritum animalem mentientem, è quo principio per neruos, tanquam tubos, in musculos deriuatus, reciprocè illos attollit. Postquam enim id, quod immissum est, discussum est, concidit pars grauitate suâ: cum iterum impletur, attollitur iterum. Et huc peruenire licet menti humanæ.

An Arist. expressit hunc modum, cum ait, somnũ fieri, quo modo Epilepsia fit? Nõ inquã, delabente aliquid ad cor: sed in sensoria quinque.

§. 51. Hîc cogitat aliquis, *Ecquæ differentia est in his motibus præter naturam?* alia scilicet ab ipsis motibus? Hæc est, In motibus conuulsiuis vniuersalibus sine κλόνῳ, constant omnes sensus, tam interni, quàm externi, Diff. sympt. 3. D. In Epilepsiâ, quæ sola κλόνον habet, maxima est latitudo. Grauissima quæ est, cum motu læsos habet sensus omnes, quod profectò miserrimum est spectaculum. Minus grauis est, cum vel interni sensus sunt integri (fit enim, ne mireris) vel externi. Iterum minus, cum sensus leuiusculè sunt læsi, motus autem abest, *Vass inntrischt fraiss* vocant. In his tribus differentiis alia est latitudo inexplicabilis, ratione obstructionis maioris, minoris, vaporis talis, vel talis.

§. 52. Inter epilepsias per consensum quia quædam ex vtero est, grauissimis comitata symptomatis aliis, fas est huc illam accersamus. Tantò magis, quod Apodicticus sum, esse à vapore, non minus ac epilepsia est. Vocatur morbus *Strangulatio* seu *suffocatio* vterina, & symptomata habet refrigerationem totius corporis ad sensum, pulsum & respirationem ademptam ad sensum, quibus aliquando accedit epilepsia, modò grauior, modò leuior. Hanc qui *Conuulsionem vteri* vocant, deli-

rans.

lirant. Subiectum enim Conuulſionis Muſculus eſt, & præter illum nulla pars alia. Et quid? Si omninò in quibuſdam (nota) vteri os leuiter retractum ad alterutrum latus eſt, cum duritie aliqua: an propterea retractio illa eſt cauſa tantorum ſymptomatum? Porrò autem, ſi conuulſio eſt, quomodo morbus in figura & ſitu? Et quis vnquam tam væcors fuit, qui hos duos morbos copularit? Quid plura dicam? Caligant oculi talium ad veritatem, quomodo noctuarum ad Solem. Interim dum vident ſe conſtrictos eſſe, ad ἀναισχυντίαν conuerſi, irrident.

§. 53. Sed vnde eſt *vapor* ille? Ex vtero quin ſit, non dubitatur, credo. Ex quâ materiâ ſit, omnes quærant. Galen. noſter lib. 6. cap. 5. D. in hoc tam certus eſt, eſſe ex retento ſemine & ſanguine, vt parum abeſſe ſibi videatur à demonſtratione potiſſimâ dictâ. Sed enim, ſi oggeram illi virgunculas, quæ menſes nondum habent, multò minus ſemen ſi omninò habituræ ſunt; ſi virgines quaſdam floridas, quæ benè purgantur; ſi grauidas & lactantes quaſdam: quid reſpondebit? Ego quidem non exſpecto, vſque dum amicorum aliquis prodeat: ſed dico, In quibuſdam fit, quod dicit: in aliis non fit. Cum enim hic ſexus maximè πολύαιμος ſit circa vterum, vt ex Ariſtot. docui alibi; cum, vt noſtri loquuntur, vterus ſit commune receptaculum excrementorum omnium, in corpore fœmineo ortorum: quiuis intelligere poteſt, corrumpi illa multifariàm, & ex corruptela exſiſtere vapores, totâ ſubſtantiâ contrarios, qui facere poſſint, quod, (proh dolor!) videmus fieri. Comprimere, inquam, non diaphragma ſolùm, vt immobile fiat: ſed & cor ipſum quaſi duabus manibus conſtringere, vt impediatur effluxus & ſanguinis & caloris. Hinc enim totius corporis refrigeratio: hinc læſio & reſpirationis & pulsûs tanta, vt ne quidem adeſſe videantur: hinc (ſiquidem in cerebrum ſubuolet) ſymptomata epileptica.

§. 54. Supereſt inter, *obſtructiones vaporoſas*, vt ſic dicam, *Syncope* & *Palpitatio cordis* lib. 5. cap. 2. Syncopen ſiue dicas, ſiue lipothymiam, ſiue ἔκλυσιν, apud nos nihil intereſt. Hoc intereſt, fiátne per eſſentiam, an per conſenſum? Per eſſentiam dico, cum ex ipſo corde aura quædam effertur in cerebrum, quæ caſum efficit. Per conſenſum, cum ex ventriculo, aut quacunque parte aliâ. Palpitatio cordis differt à palpitatione reliquarum partium, quod in his quidem ſit motus ſui generis: in illo autem prohibitio motus naturalis cordis. Cum enim aut ſanguis ipſe, aut aqua in pericardio contenta nimis vaporeſcit, amplius ſpacium occupat, & liberè cor mouere non ſinit.

Et hæc de Obstructionibus.

§. 54. Venio ad *Destillationes*, latissimè accepto vocabulo, non tantùm de omni ex capite defluxu : sed de toto illo genere, quod ῥόυς, ῥεύματα, ῥευματισμὸς, διάθεσις ῥευματικὰς appellârunt. Gal. l.5. cap.8. meminit tantùm *Catarrhi ad pectus*, à quo *Tussis*, de quâ infrà. De sanguinis sputo habet quædam eodem l.5.cap.5. De eiusdem vomitu, Ib. De eiusdem mictu, l.6. cap.3. De nimiis mensibus, & profluuio muliebri dicto, Ib.cap.5. De Gonorrhœâ, Ib. Reliquas διαδέξεις, ἢ διαδοχὰς, *transmissiones de parte in partem* non accerso.

Morbi Conformationis in superficie.

§. 55. In hunc ordinem redigo *Tussim*, Gal.auctoritate, Diff.morb. 7. Hic. l.4.cap.8. meminit tantùm illius, quæ est cum sputo sanguineo, quod fit ob duas causas, διαίρεσιν καὶ ἀναστόμωσιν. Διαπήδησις, quã alibi addit, non habet hîc locum, quia vitium in sanguine est, non in vasis. l.5.c.8. de eâ etiam loquitur, quæ est à materiâ, vel tenui, vel crassâ, è capite ad pectus labente, de quâ §.ant. Collocarem huc *sternutationem* quoque, ex 2.Caus.sympt.1. si vllibi in his libris meminisset illius.

Morbi in Numero.

§. 56. Suffusionem vocant Medici membranam seu tunicam, modò inter carneã & vueam, modò inter vueam & crystallinum enatam, non ex ipso humore aqueo, sed ex materiâ pituitosâ, è cerebro delatâ. Ita loquor. Cum enim generationem ipsius præcedere soleant phantasmata quædam, oculis obuolitantia, quæ tam ex cerebro esse possunt, quàm ex ventriculo : diligenter distinguit Gal. l. 4. cap. 2. quando vel hinc & illinc est. Si enim è ventriculo sint, nullam exspectare oportet suffusionem, sed desinunt illa, expurgato ventriculo per hieram simplicem : sin ex cerebro, oportet.

§. 57 De *Calculi* generatione perplexissimæ sunt lites, tam de *efficiente*, quàm de *materiâ*. De illâ quæritur, Calórne sit, an frigus ? an potius vtrumque ? quod Cæs. voluit. Ego pro solo calore pronuncio, securus quid alij comminiscantur. De hâc omnes crepant pituitam. Ego video distinctione opus esse. Si quis loquatur de tofis podagricis, verum est : at nobis de his sermo non est. Fit igitur calculus noster (renum & vesicæ) ex quouis humore (hinc colorum illa diuersitas) modò fermentet illum *serum*, quod continet in se exhalationes siccas terre-

stres

ſtres multas. *Exhalationum* illarum ſignum infallibile eſt, arena illa rubra, quæ in matulis etiam ſanorum adhæret parietibus ipſarum. In his cur non fit calculus? Quia renes faciunt officium ſuum, vacuando, non vrinam tantùm, ſed etiam contenta, quæ videntur mihi ex Corde eſſe, vt infrà dicam, & præbere vt plurimùm materiam concretioni. Cæterùm hâc de re Gal. hîc nihil habet, ſed docet tantùm l. 1. cap. 1. quando iſchuria ex calculo ſit. Quo eodem loco quia meminit & grumi ſanguinei, & puris (cuius etiam l. 6. cap. 3. mentio) & excerſcentiæ; illæ verò planè in hoc morborum cenſu ſunt: nec illa omittere par eſt. Ita neque τῆ τριχιάσεως, quæ eſt eodem l. 6.

§. 58. *Lumbricorum* quidem hîc cura Galeno nulla eſt: ſed Dracontiorum, in Arabiâ frequentium, lib. illo 6. Ego in vniuerſum ſic ſentio, Nec lumbricos nobis dictos, nec vllum aliud animal in corpore viuo gigni poſſe, niſi ſeminia illorum propria extrinſecùs acceſſerint.

§. 59. Morbi in *Magnitudine* fuerint, & tumores præter naturam omnes, ſiquidem iam magnitudine lædant, vt hydropes, de quibus ſuprà.

§. 60. Morbi in *ſitu* vnicum exemplum habes *Anginam* ex luxatione vertebrarum l. 4. cap. 3 l 5. c. 5.

§. 61. *Continui ſolutiones* ſunt in duplici differentiâ, aut *Dolores*, aut *vulnera*, *vlceráve*. Nimirùm, deſigno his duplicem *Doloris* cauſam, *Intemperiem*, quæ facit dolorem ſimpliciter dictum: & *Continui-ſolutionem* ita dictam.

§. 62. De *doloribus in genere* multa ſcribit toto l. 2. & quidem contra Archigenem. *Viſcerum dolores* perſequitur cap. 8. d. l. pulmonis, l. 4. cap. 8. capitis l. 3. cap. 9. Dolor *Colicus* & *Nephryticus* quia ob viciniam ſæpè nobis imponunt; & verò Gal. in ſe deceptus eſt, l. 1. c. 1. diſtinguit l. 6. c. 2. & 3. *Colicus* & *Iliacus* quia multò magis viciniâ fallunt, vel ideò, quia vterque ab iiſdem cauſis eſt, vt deduxi in Pathologicis: habet eam in rem aliquid l. 1. c. 1. & 4. l. 6. c. 2.

§. 63. Thoracis, abdominis, pulmonum, inteſtinorum, veſicæ vulnera perſequitur l. 1. c. 1. 2. & 4. Vlcera aſperæ arteriæ, pulmonum, thoracis, l 4. c. 5. & 8. Phthiſeos ſeu phthoës, l. 1. c. 1. Abſceſſus in pectore, ſeu Empyemata, l. 1. c 1. in Renibus l. 6. c. 3. Vlcus inteſtinorum eſt *Dyſenteria* propriè dicta, l. 1 c. 4. l. 6. c. 2. à quâ diſtinguuntur *Cruentæ dictæ*, l. 5. c 7. *Tinaſmus*, l. 6. c. 7. Exulceratio penis, Ib. c 6. Cranij fractura, l. 1. cap. 1.



SECTIO QVARTA.

CAPVT XXVII.

De signis Prognosticis seu superuenientibus, quæ Græcis Παρεδρεύοντα *dicuntur,* ἐπιφαινόμενα, καὶ ἐπιγινόμενα.

§. 1. EGo verò audebo hîc audaciam fortè inauditam, quam considerandam propono τοῖς ἰατρῶν χαρίεσι. Dico, Quod dicitur ab Hipp.6. Epid.5. t.1. αἱ φύσιες τῶν νούσων ἰητροί, *singulorum indiuiduorum naturæ sunt morborum medicatrices*, id huc imprimis pertinet. Scilicet, hoc ipsum est, quod 3.Meth.3. & alibi Gal. ait, *Natura nunquam cessat: sed vsa operâ quatuor facultatum ministrantium, Attractricis, retentricis, alteratricis, & expultricis, morbos salutares vincit, domátque.* Hoc est quod Scherbius ὁ δαιμόνιος, ait bis in θ. Med. *Oportet semper aliquid sanitatis subsit.* Et *viuens non datur, quod nihil sanitatis includat.* Hoc ipsum est officium illud naturæ in sanitatis negotio, de quo antè hos 25. annos publicè disputaui, & quod latiusculè deduxi principio Institutionum harum.

§. 2. Hoc siue *Officium*, siue *Negotium* vt certò expedit Natura per dictas modò facultates, 1.Fac.nat.13.1.& cap.14. seq.C.5. in 6. Epid.1. G. iterúmque t.4. ext. ita quæ signa huius conatûs dat, sunt illa, quæ tribus præscriptis nominibus appellabant Veteres. Quod vt rectè intelligas, oportet hoc superaddere. *Morbus omnis*, aut salutaris est, quíque percurrit quatuor sua tempora, de quibus mox: aut lethalis, cum moritur æger, vel in principio vniuersali, vel in augmento, vel in statu. *In salutari* quia natura superior est, sensim & sensim, sine grauioribus symptomatis, ostendunt se signa coctionis, vsque dum ad declinationem ventum sit. Tum verò, quia Natura vt-plurimùm vult excernere ea, quæ coxit, aut si mauis, maturauit: superueniunt signa *Critica*, quæ vnà cum præcedentibus, *Coctionis* dictis, signa *Salutis* sunt. Iam quia oppositorum eadem est doctrina, vtique, qui de signis *Coctionis* agit & *Salutis*, aget etiam de signis *Cruditatis* & *Mortis*, quæ apparent in morbo lethali.

§. 3. Sed quæ sunt illa signa lethalia? Omninò tria illa symptomatum genera, quæ cap.24. vrsi. Quorum duo posteriora cum 1. Crif.14. A. constituit τὰ σκελλόμενα, καὶ τὰ καθ' ὅλον σῶμα φαινόμενα: miraculi instar sit, quod omiserit primum & potissimum quod in morbi definitione

finitione ponitur. Propterea putem, omissum esse, & ideò præmittendum reliquis, τὰ τ̃ ἐνέργειαν βλάπ]οντα, καὶ τὰ ἐκκρ.

§. 4. Hîc aliquis, Cum coctio sit *Opus naturæ*, annon hâc ratione confunditur cum symptomatis? Eadem est ratio *Crisium*. Resp. Ita est, sunt opera potius Naturæ, quàm symptomata, nec dubito, veteres hoc sciuisse. Verùm quia & illi ita loquebantur, & nostri hodiéque consentiunt: imprudentis fuerit, turbare quidquam velle. Desineret enim res in quæstionem Logicam. Et hoc est à τρόπῳ ἐπιστήμης, qui permittit.

§. 5. Grauius est illud, *Annon exprobrari mihi possit crimen nouitatis?* Nomina enim latè patent, & significant omnia, quæ quouis modo superueniunt. Resp. Hoc est, quod ego indistinctius à Gal. scriptum fuisse contendo, adeóque dico, signa παθογνωμονικὰ sunt omnia illa, quæ fiunt ratione morbi, quà morbus: signa παρεδρεύοντα sunt illa quæ eueniunt ratione naturæ vel vincentis, vel victæ. Quamobrem, res iam non ampliùs pertinet ad διάγνωσιν, sed ad πρόγνωσιν adeóque est id, quod vrgeo in superioribus. Dicis, Cur igitur signa cruditatis quoque non sunt παθογνωμονικὰ? 1. Ratione clarioris doctrinæ, quæ vult, vti opposita sint in eodem censu, vt dixi. Quò fit, vt non nisi ambages quæsiturus sit, qui παθογνωμονικὰ fecerit duplicia. 2. & propiùs ad rem, pertinent ad πρόγνωσιν, adeóque constat bimembris mea distinctio signorum præter naturam in διαγνωστικὰ καὶ προγνωστικά.

§. 6. Quo loco tenendum est id, videndum, ne signa, quæ morbis superueniunt ratione augmenti & status, habeamus pro παρεδρεύουσι, v.g. in Causo calorem & sitim intensiorem, 3. in 3. Epid. 34. Quia enim sunt signa febris, quà febris, quæ παθογνωμονικὰ sunt: non possunt esse παρεδρεύοντα, quæ variant ratione temporum morbi. Ita delirium in febribus, non est παρεδρεῦον, quia modò adest, modò abest: sed est febrium, quà febres. Et alioqui definitio illa sano sensu accipienda est, hoc scilicet, Aliquando adsunt coctionis signa, & quæ inde pendet salus: aliquando cruditatis, & quæ sequitur mors, aut certè diuturnior morbus: semper autem & necessariò alterutra se ostentant. Vnde intelligitur, quem ordinem naturalem habeant inter se triplicia illa signa. 1. Cris. 14. In morbo salutari, modo citiùs, modò tardiùs adsunt signa coctionis & salutis, quocunque etiam modo soluendus sit morbus, h.e. siue per insensilem crisin, siue per sensilem, quo posteriore modo sola signa Critica superueniunt. In morbo lethali vt-plurimùm subitò adsunt signa cruditatis & mortis, cum grauissimis symptomatis.



CAPVT XXVII.

De Temporibus morborum.

§. 1. QVia doctrina huic loco propria aliò vulgò trahitur, oportet reddere classi suæ. Hanc cum Gal. lib. singulari, ita ordior. Quemadmodum in totâ rerum naturâ quidquid fit, habet certa ortus sui, incrementi, finísque tempora: ita in morbis quoque accidit. Est autem antiqua & vera sententia, Morborum salutarium (hoc enim addere oportet) quatuor esse tempora. 1. ἀρχὴν, *principium* αὔξησιν, *augmentum*, seu *incrementum*: ἀκμὴν, *vigorem*, seu *statum*: παρακμὴν, *declinationem.*

§. 2. Hîc statim monere oportet, Cur addiderim illud *Salutarium*? Quia, ceu alibi docetur, morbi alij sunt *salutares*, alij *lethales*. Illi habent dicta tempora: hi non habent. Moriuntur enim quidam, vel in principio, vel in augmento, vel in statu: declinationem nullus horum attingit. Hoc dico propter illos, qui necessarium putant, omnes mori in statu. Est quidem ita, Morbi acuti quidam citò finiunt: non ideò decurrunt tria illa tempora. V.g. *Apoplexia* illa *fortissima*, quam *syncopen cardiacam* vocâsse Priscos reor, cum in momento occidat, quis sibi imaginetur tot tempora? *Sudor Anglicus* cum intra paucas horas interimeret, longissimum, 24. quis fingat sibi tale quid? præsertim, cum eadem essent symptomata à primâ inuasione vsque ad mortem?

§. 3. Mox illud quoque animaduersione dignum est. Morbi plerique decurrunt idem stadium in eodem tenore vel ad salutem, vel ad mortem: quidam παροξύνονται, vt Græci loquuntur. Quo loco notandum, Cum τὸ παροξυσμὸς sit πολύσημον, illam significationem tantùm huc facere, quæ idem est cum τῷ περίοδος. Hanc rem nemo meliùs docuit Aetio, Tetrab. 2. l. 1. cap. 8. *Paroxismus*, inquit, *est motus morbi particularis, cum post remissionem iterum inuadit*. Ita enim expono. Ideò addit, *Motus particularis dico, vt distinguã à motu vniuersali, quo* (puta) *à principio tendit ad augmentum, ab hoc ad statũ*. Vt falli sit necessum Gal. qui 1. Aph. 12. hæc confundit non aduertẽte Foës. An pro περιόδου leg. est νόσου: Ita enim verus erit Gal. Nimirũ, Omnis morbus (salutaris habet quatuor tẽpora: illorũ morborũ, qui παροξυσμοὺς habent, paroxysmi ipsi habent pariter quatuor tempora, quod in febribus intermittẽtibus apertissimũ est. Propterea puto, τὴν ἐπισημασίαν, καὶ τὴν εἰσβολὴν, si propriè loqui velimus, nihil aliud esse quàm παροξυσμόν. Quem enim febricitare nesciebas, ὀρθοστάδιον quippe, illum ex hoc signo, ex hac inuasione, febricitare vides. Ita de Epilepsiâ, de aliis. Et hoc disertè Gal. 1. Temp. morb. 6. 1. Aph. 12. 2. Prog. quæ loca

loca Foësius laudat in ἐπισημαίνειν. Eodem modo puto, τ̄ ἐπίδοσιν, καὶ τ̄ ἀνάβασιν nullo modo trahendas esse ad motum particularem, vt Aëtius loquitur.sed ad vniuersalem, cum in febribus paroxysmi & anticipant, & simul longiores fiunt.

§. 4. Demum, vt negotium de nominibus, finem sortiatur, τὸ ἀρχὴ apud Medicos non accipitur vt à vulgo, pro momento illo,quo sensibilis adest actionum læsio; non etiam pro primo biduo, triduóve: sed pro toto illo tempore (quod non rarò ad mensem extenditur) quo non apparent signa coctionis. Hoc verò non potest non magnam habere latitudinem, pro essentiâ morbi, naturâ ægri, anni tempore,ætate, victûs ratione,& his talibus. Quare, qui sine his signis moriuntur, & in quibus cruditatis potiùs testimonia adsunt: ij, vt dixi, in principio morbi vniuersali moriuntur.

§. 5. Hoc si principium est, vt rem aggrediamur, αὔξησις *augmentum* erit, cum coctio quidem manifesta est: symptomata verò tantùm abest vt mitescant, vt etiam grauiora fiant. Hoc si fiat bonis ægri rebus,h e. viribus constantibus, spes superest: sin, metus non leuis est.Tum verò, increscentibus quidem quotidiè symptomatis; simul autem coctione inualescente: ἀκμὴ, *status* adest. Tandem, mitescentibus symptomatis, & coctione durante, παρακμὴ,*declinatio*, in quâ, cæteris paribus, nemo moritur.

§. 6. Dicis, quid & quæ sunt illa, in quibus apparent signa coctionis? Hîc video opus esse geminâ distinctione, ab omnibus neglectâ. *Altera* est, signa sunt diuersa pro diuersitate coctionum. Hinc alia sunt in primis viis, vt vomitus & deiectiones: alia in reliquo corpore. *Altera*, Cùm reliqui corporis morbi sint vel in vasis, vel extrà illa: ibi quidem signa petuntur ex vrinâ: hinc autem ex iis, quæ ex inflammationibus (latè accepto vocabulo) resudant Hoc genus sermonis eximit nos obscuritatibus, in quibus latent illi, qui dicunt, signa petuntur vel ex vrinis,vel ex deiectionibus,vel ex sputo. Coguntur enim denuò se explicare, vnde sint ista! Ego verò in luce ambulo,cum dico, in morbis generis venosi vrinæ indicant, qualis fiat in visceribus coctio, præcipuè in corde, è quo, vti mox dicetur, peto *Contenta vrinarum.* In inflammationibus imi ventris ichor ille acris, quasi fuliginem aspersam habens,indicat affectum. In inflammationibus medij ventris, id, quod sudoris specie, è parte inflammatâ exsilit, ostentat nobis *sputa*, quæ indicium præbent humoris morbifici. In capitis inflammationibus v.g.phrenitide,an sit tale quid? nescio.

ABERRATIONES.

§. 7. Latissimè errat Fuchsius cum l.4.s.1.cap.2.distinguit

guit τὰ ἐπιφαινόμενα ἀπὸ τῶν παρεδρευόντων. Non minùs latè, cum ἐπιφαινόμενα appellat omnia ea, quæ morbo ſuccedunt. Imò planiſſimè perſuaſus ſum, ita vocâſſe ea tantùm, quæ fiunt ratione Naturæ, vel agentis, vel non agentis, quod debet. Quæ de παρεδρεύει ſcribit, implicatiſſima ſunt, vel ideò, quia oppoſitio illa tendit ad ſenſum meum. Quin imò manifeſtè mecum eſt, cum iungit illis ſigna *Cruditatis* & *Concoctionis*; cum eadem concedit eſſe *Salutaria* & *Lethalia*, *Bona* & *Mala*; cum pendere ex his ait *Critica*. Quæ cum duplicia facit, nouus homo eſt.

§. 8. Quo iure cap. 3. ſeq. commendat τὴν σημειωτικὴν: eâ iniuriâ cap. 4. confundit ἀρχὴν & ἐπισημασίαν, & iterum αὔξησιν & ἐπίδοσιν, καὶ ἀνάβασιν, tempora vniuerſalia cum particularibus. Contrario vitio laborat, cum diſtinguit παροξυσμὸν καὶ περίοδον, Non dubito, confuſionem in illis quoque eſſe, quæ de παρακμῇ, καὶ διαλείμματι. Ita enim eſt, Febrium intermittentium (ita Epilepſiæ) duæ ſunt partes, altera paroxyſmi ſeu periodi: altera intermiſſionis ſeu quietis. *Paroxyſmus* habet quatuor partes, nominatas iiſdem vocibus, quibus febrium continuarum ſalutarium tempora quatuor, ἀρχὴ, αὔξησις, ἀκμὴ, παρακμή. *Intermiſſionis* non habet partes vllas, & propterea diuerſa nomina nulla: ſed dicitur διάλειμμα ἢ ἀπυρεξία, *interuallum, quod eſt inter paroxyſmum & paroxyſmum*, quo interuallo homo eſt abſque febre. Et hoc interuallum dicitur, ἄνεσις, ὕφεσις, ἔνδοσις, ἀφαίρεσις, nullo autem modo παρακμή, apud accuratè, inquam, loquentes.

§. 9. In loco Gal. de Tot. morbi temp. 4. quem nunquam intellexit, quàm ferocem ſe facit! Quod non intellexerit, inde probo. Cum enim dicere deberet, *Quidam morbi, ſimul ac inuadunt, videntur in vigore eſſe*: dicit, *Quidam morbi ſtatim, ſimul atque vigent, inuadere videntur.* Quo ſermone quid turpius? Potéſtne ἀκμὴ præcedere τὴν ἀρχήν? Nec refert, ſi Gal. ita vertit, & ſecutus illum temerè eſt Sennertus, f. 154. ed. ſec. Summa, Oratio hæc Gal. eſt vna ex illis, quas præcipitauit inſtar equi perciti. Apoplexia illa, in quâ vnà cum caſu mors adeſt quomodo dici poteſt ἐν ἀκμῇ contigiſſe? Riccartus olim noſter, cum ſubitò caderet,

ret, sine respiratione, sine pulsu, sine stertore: credi-ne potest ἐν ἀκμῇ mortuus esse? Decollatio cum fiat ἐν τῷ νῦν, quâ ratione ἀκμὴν habet? Addo, cum principium definiatur inchoatâ coctione, vbi illa hîc est? Vno verbo, *Moriuntur tales in principio.*

§. 10. Quæ cap. 6. habet ἀλλότρια sunt. Pertinent enim ad διάγνωσιν in vniuersum. Quæ cap. seq. ad πρόγνωσιν quidem spectant: sed non satis dextrè explicata sunt. Quid enim est illud *præ aliis*? Immò tota hæc doctrina respicit prognosticum, vt Medicus sciat, quid de euentu morbi pronuntiare debeat. Si enim maturè prodeant signa coctionis, & vires constent, sperare potest ἀκμὴν lætam fore. At si tardius procedant, præsertim cum virium debilitate, ne erit quidem ἀκμὴ, sed morietur æger, vel in principio, vel in augmento. Hoc facit ad stabiliendam sententiam meam, signa, de quibus agimus, omnia esse prognostica.

§. 11. Sennerto f.79. meritissimam scribo dicam, quod hanc doctrinam persecutus sit in Pathologicis. Sed transeat. Rectè quidem ille ponit duplicia tempora, vniuersalia & particularia: Sed nimis obscurè proponit, & sine exemplis. Hoc inter alia intelligere non possum, quì acceptare possit illud ex pseudo-Gal. l. de Opt. sectâ, *Multos morbos, simul atque incipiunt, esse in* ἀκμῇ: & tamen mox dicere, *Quosdam ægros mori in principio, quosdam in augmento?* Quæ subiungit f. 182. b. subtiliora sunt, quàm vt ego capere possim. Idem dixerim de explicatione axiomatis illius, *Hominem mori acerbissimo morbi tempore.* Cum enim moritur vel in principio, vel in augmento: annon satis acerbum est tempus illud?

§. 12. Vah, hominum fidem! quid video? Qui Pathologicis aggerârat negotium hoc, is Semioticis id ipsum adiudicat l.3.p.3.c.1. Vbi statim displicet, quod signa coctionis abstringit soli statui? Si enim sunt limes principij & augmẽti, vt c. seq. docet, quomodo dari id illi potest! Explicatio illa benè longa 1. Aph. 12. vt bona est: ita profectò abominatur illã animus Instituendi nostri, cui sufficiunt pauca illa

KKKk quæ

quæ ſunt cap. 3. De telâ, quam orditur cap. 4. & pertexit vſque ad cap. 9. incluſiuè, idem iudico, *Eſſe ſupra captum Noſtri.* Duo verò etiam deſidero. *Alterum*, *quod Euentum* diſtinguere vult à *Salute & Morte*, & neſcio an non ſeparat à *Coctione & Cruditate.* Huc enim tandem omnia referre oportet. *Alterum*, quod triplex ſymptomatū genus, coctionem interpellans, tam ſolicitè ponit in digitos, cum paucis ſe abſoluere potuerit, his fortè, Eſt hìc pugna inter Naturam & Morbum. Natura vult vincere, & conſiſtit victoria ipſius in coctione. Morbus vult vincere, & conſiſtit vis ipſius in impediendâ coctione, ſeu Cruditate. Hanc in rem vtitur ſymptomatis omnibus, tanquam ſatellitibus, qui proſternendo vires, triumphum cogitant. Hoc eſt, quod Gal. alibi docet, Naturam & Morbum eſſe ἀντιπάλους, *Concertatores*: interponere ſe autem Medicum & adiuuare Naturam, ſopitis ſymptomatis, quæ vim faciunt Naturæ. Et hoc eſt, quod ipſe ait, *Euentum conſiſtere in collatione virium Naturæ cum viribus Morbi*, *ex 1. Progn. 6.* Naturæ vires ſtant in tantillo illo ſanitatis, quod dixi ſupereſſe in morbis. Morbi in copiis ſymptomatum. Et hæc pugna durat vſque ad ſtatum, quo ſuperato, metus omnis abeſt, niſi quid peccetur.

§. 13. Liddelio f. 193. eaſdem culpas tribuo, quòd & alieno loco tractet, & obſcurus ſit.



CAPVT XXVIII.

De Criſibus, diebus & ſignis Criticis.

§. 1. QVoniam totum hoc negotium pendet ex *coctione & cruditate*, vnde vel *ſalus*, *vel interitus*: aut hìc tractandum eſt illud, aut nullibi.

§. 2. Tò *Criſis* (ſeruo enim Græcum ſiue *Iudicium* ſit, ſiue *Excretio*, ſiue *Certamen*) πολύσημον eſt; Significationes colligit Foeſ. in Oecon. ſed compendioſus Laurent. l. 1. de Criſ. cap. 2. Quibus ex locis hoc tantùm petere oportet, *Criſin* me accipere pro ſubitaneâ morbi mutatione, vel ad ſanitatem, vel ad mortem. Hoc verò accidit in acutis ſolis. Hinc

ſigna

signa Critica erunt illa, quæ mutationem illam prænunciant. Eodem modo *dies Critici* fuerint, in quos mutatio illa incidit vt-plurimùm. Quo loco si quis quærat, Cur excludam morbos longos? dicam, Quoties his tribuitur *Crisis*, accipi vocabulum de sensim factâ morbi solutione, quæ λύσις Gal. est. Hac in re consensum habeo Sennerti.

3. Instit. f. 699. fine cap. 9 Et f. 732. prin. c. 1. 3 vtitur voce *Solis*. Vbi etiam videris, quo modo excuset crises, quæ fiunt in *Longis*.

§. 3. Crisis differentias facio cum d. Laur. l. 1. cap. 4. Alia *perfecta* est, quæ integram dat sanitatem: alia *imperfecta*, quæ hoc tantùm præstat, vt æger meliùs ferat morbum.

§. 4. Ad perfectam, eámque salutarem, Crisin sex requiruntur conditiones generales, 1. vt præcesserint signa coctionis manifesta: 2. vt fiat per excretionem satis copiosam: 3. vt die Critico accidat: 4. vt ne quid reliquiarum supersit. 5. vt ne durent symptomata: 6. vt sit apta tam morbo, quàm naturæ ægri. Quo loco moneo, verum esse, quod dux meus ait, *In lethali crisi omnia esse contraria*: sed ἀκυρολογίαν esse insignem, *Imperfectam etiam illam esse, quæ ad deterius it.* Imperfectum enim cum præsupponat aliquid perfectionis, quì potest illud admitti, si omnia contraria sint? Lethalis igitur non nisi ὁμωνύμως est crisis, vt oculus eburneus est oculus.

§. 5. In eâdem 1. consideratur species, quæ sunt, vel *Excretio*, vel *Abscessus*. 2. *Excretio* est vel *sanguinis*, per nares, ventriculum, hæmorrhoïdas, vterum: vel *aliorum humorum*, v. g. seri per vrinam & sudores, variorum humorum ex ventriculo, sursùm, deorsúmve. 3. *Abscessus* debet habere quatuor conditiones, κατ' ἴξιν: pro dignitate morbi: procul à loco affecto: potius deorsùm quàm sursùm. 4. Vtrúmque hoc fieri debet suo tempore, die Critico, non nisi post manifesta coctionis signa. 5. Vtrũque iterum, in debitâ quantitate, non nimis confertim, & cum virium dispendio. 6. Vtrumque debet excipere actionum integritas, & color corporis secundùm naturam.

§. 6. In eâdem considerantur signa proximè antecedentia, non omnia in omnibus, Capitis dolor: iactatio corporis, & anxietudo: difficilis respiratio: pulsus vndosus, & ideò inæqualis: sitis, & alia talia.

§. 7. Et hæc in genere: vt ad speciem descendam, *Hæmorrhagiæ* indicia sunt, Rubor faciei & oculorum, dolor capitis, pulsus venarum in temporibus, lacrymæ, caligo oculorum, hypochondriorum distentio, difficilis respiratio, narium pruritus. Vide Laur. l. 1. cap. 13. cui addo somnia ignea, vt sic loquar. Vide Gal. 1. Die. Crit. 1.

§. 8. *Sudoris* signa sunt, Vrinæ suppressio. Calui quoque, addit Fuchs. 1. rigor Criticus, somnia de aquis & balneis. Vide eundem, cap. 14.

§. 9. *Vomitus*, Iactationes, nauseæ, oris ventriculi dolores, quin capitis quoque, vertigines stotomaticæ, saliuationes, labij inferioris agitationes, caligines oculorum, lipothymiæ, &c. Diarrhœæ, ructus, flatus, crepitus ventris, dolor lumborum, vrinæ suppressio. Ib. c. 15. Redi ad finem cap. præc.

§. 10. Horum si nihil sit, fortassis crisis fiet *per vrinas*, præsertim si morbus pectoris sit. Apud eundem cap. 16. Sed caue credas illi, asserenti. 3. Anat. quæst. 39. triplicem esse vrinæ materiam. Vnica est, *Serum*, commune omnium coctionum excrementum, quod demonstraui tr. de Humoribus.

§. 11. Per *hæmorrhoïdas internas* soluuntur ferè morbi melancholici, & inflammationes viscerum imi ventris: per *externas*, affectus generis venosi. Mulieribus familiaris est crisis per menses. Apud eundem, c. 12.

§. 12. De *abscessibus* dictum est suprà, quod nostro instituto satis est. Si tamen vis, adi Laur. toties citatum c. 18. & seq.

§. 13. De *diebus Criticis*, qui & quot sint, latissimæ & ambagiosissimæ sunt disputationes, quas si lubet intelligere, non ego te ablego ad Gal. sed ad Laur. toto libro secundo. *Causas* eorundem volo te petere ex eiusdem lib. tertio. Inprimis placet Methodus annexa de Prognosi, quam commendatam tibi esse cupio; postquam Institutiones absolueris. Interim præmonitum te volo, Crises quidem apud nos esse rarissimas, ob causas alibi dictas: dies autem Criticos non multò certiores annis Climatericis. Quidam (quod nolim) totum negotium habent pro nugatorio.

ABERRATIONES.

§. 14. Fuchs. l. 4. s. 2. satis benè quidem fungitur officium: tamen sunt quæ desideres. 1. cap. 2. nimis multa colligit nomina Criseos vel bonæ, vel malæ, cum paucis defungi posset. *Bona crisis* sperari potest, cum Natura superat, h. e. signa coctionis ostendit: *Mala* cum Morbus cum suis symptomatis: 2. Distinctio criseos in iam-instantem & futuram, cap. 3. & 4. nimis subtilis est, ne dicam præpostera. An enim morbus sit habiturus crisin, dispiciendum primò est; Tum demùm, quando, & qualis sit futura? Hoc verò totum pendet à conatu Naturæ coquentis. Quò minùs spes vlla poni potest in *diebus* vel *contemplatoriis*, vel *indicatoriis*, nostris præsertim moribus, qui nullam admittunt diligentiam, vel in cibis, vel in medicamentis, vti alicubi conqueritur Iacchinus. Propter quam etiam causam nulli morbo assignari potest certus criseos modus. 3. Verum est, *Optimæ criseos cognitionem esse certam, pessimæ incertam*: sed quot interiacent

cent hiatus? iique insuperabiles? 4. Quæ cap. 6. de fine scribit, obscura sunt, & περίεργα. *Obscura*: Quia non explicant, vel coctionem vel cruditatem, vnde res tota pendet, & περίεργα: Quia in superioribus potestate insunt. 5. Quæ cap.7. verbis tantùm discrepant ab iis, quæ cap. 4.

§. 15. Sennerti industriam laudo & dilaudo: tamen non pauca habeo, quæ moneam. 1. quod cap. 9. f. 697. de morbi euentu & exitu locuturus, mutationes miscet, & crises, & sex modos proponit valdè tortuosos. Quin explicâsset ante omnia πολυσημίαν τῆς κρίσις: Deinde submonuisset, fieri hæc omnia, Naturâ vel vincente, vel victâ, & hoc rursùs in magnâ latitudine, pro ratione virium vtriusque gladiatoris, *Naturæ* & *Morbi*, pro ratione humorum, & sic deinceps. Videtur etiam implicare se contradictioni, cum λύσιν, *solutionem* fieri ait, modò cum integrè & semel fit, vt intelligo: modò, cum paulatim, modò cum quouis modo. τὸ λύεσθαι καὶ κρίνεσθαι pro eodem habemus.

§. 15. 2. Cap. 10. f. 699. mirifica est compositio Criseos. Simplex est *Euacuatio*, quam præcedit quidem *Conturbatio*: sequitur autem immediatè, sed successiuè, *Mutatio*. Omitto enim illa, *Ad salutem*. Nimirùm vt coctio desiderat spatium temporis in quo fiat: ita *Expulsio* non fit ἐν τῷ νῦν, *in instanti*. Hanc fieri non vllo cœli, astrorúmque motu, & influxu, sed à solâ Natura, constanter affirmo. Fit autem non vno modo, sed quatuor, vt rectè ex 2. Aph. 23. 3. Progn. 1. 3. in 1. Epid. 16. docet. His modis quorsum attinet tot nomina affingere? Tandem enim eò peruenit res, quo ipsemet dicit, f. 701. *Pendent autem omnes hæ differentiæ, &c.* In controuersiâ, *An quædam vacuationes symptomaticæ dictæ, quæ*, inquam, *in principio & augmento fiunt, sint bonæ?* nimis prolixus est. Decisiua enim est in illo 1. Aph. 2. & iterum 23. & 25. *Si talia vacuentur, qualia oportet, & ægri benè ferant, laudabiles sunt.* Hoc adeò verum est, vt Medicus aliquando imitari debeat, 2. Aph. 29.

§. 16. Quæ cap. 11. & 12. fusè explicantur, non pertinent ad Instituendum meum. Quæ cap. 13. & 14. iam dicta sunt. Idem sentio de tribus capp. finalibus.

§. 17. Quam dextrè Lidd. f. 592. signa prognostica petit à *Natura & Morbo*: tam sinistrè assuit quinque considerationes Morbi. Hoc enim dixisse debuit, quis sit ille *Morbus*, qui criseos capax sit? & cuius? & quo tempore? & per quas vias? Quàm verò imperitè *Motum* abscondit sub temporibus morbi! quæ posteà, f. 596. fusè iterum explicat! Quam obscurus est in *Euentu* & *Exitu* suo; Nusquam enim explicat, hoc inquam locos. Quid dicam? Non intelligit, quæ sint signa *superuenientia* dicta. Innuit quidem iis verbis, *in excrementis*: sed innuit tantùm. Quàm malè agglutinat suis rationibus 1. Aph. 12. subinde etiam repetit idem. Summa, sunt bona mixta malis. Quæ cap. 7. cumulat, ferè omnia sunt è superioribus capta, sed aliis verbis, ex variis (credo) autoribus.

§. 18. Rectè Heurnius l. 11. commendat hanc artis partem; non etiam parùm operis collocat in eâ exornandâ: sed profectò monendus venit in quam plurimis. Faciam ego leui brachio, & cursoriè 1. In illis f. 352. *Signis triplicibus omnis præsensio aperitur, &c.* multiplex latet confusio. Summa signorum diuisio debebat esse, *Quædam illorum pertinent ad Morbum, & παθογνωμονικὰ dicuntur: quædam ad Naturam, & ἐπιφαινόμενα, ἢ ἐπιγινόμενα vocantur. Hæc inter se hunc respectum habent, quod Morbus Cruditatem velit & Mortem: Natura coctionem & salutem, & consequenter Crisin salutarem.* Ergo hâc in re consistit Medici ars, vt benè ponderare possit vires vtriusque hostis. Si enim *Morbi* copiæ, vt sic loquar, sint superiores, spes in angusto est: sin *Naturæ*, abundè promittere licet. 2. In distinctione τῶν ἐπιγινομένων ἀπὸ τῶν ἐπιφαινομένων, in signis iacet νεωτερισμὸς. Vbi enim Hipp. (hunc enim vnicè prætendit) tale quid docuit? Quod enim attinet locum l. περὶ παθῶν, longè aliò is tendit ad morborum scilicet vicissitudines, siue recidiuæ sint, siue alij morbi. Quis autem non videt, differre hoc negotium δὶς, διὰ πασῶν ab eo, de quo agimus? 3. Insignior nouatio est, & quæ

huius

huius loci pariter non eſt, diſtinguere ἐπιγένεσιν, καὶ μετάπτωσιν: & rurſus, μετάπτωσιν fieri, vel per διαδοχὴν & ſemper in bonum vergere, vel per μετάθεσιν, & ſemper malam eſſe. Afferat loca Hipp. indubia, & credam fortè illi. Intereà concludam, Exſulant hinc τὰ ἐπιγινόμενα ſic accepta. 4. ἐπιφαινόμενα. de quibus hîc maximè negotium, vti loquitur, morem morbi ſignare, alia nouitas eſt. Omnes enim Medici referunt ad εὐήθειαν καὶ κακοήθειαν, à quibus quantùm abeſt *Coctio* & *Cruditas*, &c. 5. Dum ſolicitus intueor illa, *Apparent hæc triplici idea ac facultate, &c.* in ſtuporem rapior. Adeò impunè diſcerpi ea, quæ Natura iunxit! Adeò imprudenter conglutinari, quæ non poſſunt! Vbi coctio, ibi ſalus: vbi cruditas, ibi mors. Vtrumque cum non fiat in momento, ſed ſuo quodque tempore: quis non videt συνδυασμὸν imperitum? Sed tempero mihi: qui volet, experiatur hîc vires ſuas.

§. 19. Cum Syluio f. 123. ſtrictim ago. 1. Dubito an vlla laudabilis criſis fieri poſſit in augmento? In declinatione iam factam eſſe oportuit. 2. Quàm benè facit, quod *Deiectiones* omittit: tam malè, quod non dicit, vnde ſit *ſputum*? Peſſimè rebus ſuis conſulit, cum in inflammationibus imi ventris non deducit lectores ad *Ichorem* illum *acrem*, de quo dixi. 3. Quæ ſequuntur in criſi futurâ, ſine iudicio coaceruata ſunt. 4. In criſi per abſceſſum, ſcire aueo, quid ſit *Febris ſoluta*, cui opponatur *Protracta*? 5. Cur miſcet *Excretionem* cum *Abſceſſu*? 6. Reſpirandi difficultatem, ſine causâ manifeſtâ, cur bis repetit? 7. Peripneumonia quid commune habet cum hypochondriis? 8. Signa per excretionem f. 125. valdè confuſanea ſunt. Potiſſimùm miror, quòd *Deiectionem* miſcet! nec vel verbo meminit partis, vnde ſit. Tandem, quod in fine tam obſcurè meminit criſeos bonæ malæve! 9. Signa neutra f. 122. planè abominor.

§. 20. Cum Huggelio vt ſemel agam, 1. Quam cauſam habuiſſe illum veriſimile eſt, vt ſubitò, f. 3. arripuerit *Criſes*? & *Tempora morborum* poſtpoſuerit criſibus? 2. Cur f. 6. tam latè à ſe inuicem ſeparet ſigna cruditatis & mortis,

coctionis & salutis ? Quam affinitatem cum duobus istis habent, *Iudicatoria* ipsi dicta? 3. Quàm miser est fol.7. in diebus decretoriis & indicibus! Quæ à fol.8.vsque ad 12. habet, satis bona sunt, absque tabulis si esset. Odi enim genus hoc scribendi.



SECTIO QVINTA.

CAPVT XXIX.

De signis Prognosticis ex vrinâ.

§.1. ORdior ab his, quia latissimè patent. Ante autem omnia repetere oportet illud, quod est fine cap.2. *Vrinam quidem primariò docere nos, quid sperandum sit, aut non sperandum: secundariò autem insinuare nobis morbi magnitudinem, vel exilitatem, malignitatem, vel benignitatem.* Quod ipsum si ad Prognostica trahere velim, facilè possim. Pulsûs eadem est ratio.

§. 2. Hæc res vt ex fundamento petitur, ita est habendum. *Excrementa,* vel sunt propria singularum coctionum, vel est vnũ, coctionibus omnibus commune. *Illorum* nomina & substantiæ vt edantur hîc, nihil est necesse: Hoc tract.de Humor.cap.69. vocaui *Serum,* & est, vt verbo dicam, ὄχημα τ̃ τροφῆς, Hipp. *vehiculum alimenti*, acceptâ voce τροφῆς in latissimâ significatione, quâ etiam excrementa complectitur. Huius quod per aluum excernitur, & est primæ coctionis, nomine caret: quod per vesicam, *Vrina* dicitur, & est secundæ coctionis, quatenus cor quoque in illa locum habet: quod per habitum, modò insensibiliter expellitur, modò sensibiliter, & *sudor* appellatur. Hinc subitò intelligitur, quatenus vrinæ & sudoris eadem sit materia?

§. 3. Hinc finem accipit litigium, *Cuius coctionis sit*? Secundæ, siquidem Cor quoque recipiatur in societatem operis illius Dædalei, *sanguinis.* Indiget enim vehiculo, non is tantùm, qui in habitum didi debet: sed & qui in Cor sursum ire, & rursus, qui ex corde siue ex cordis ventriculo dextro, itidem sursum, in venam arteriosam tendit, rapiendus ex eadem in arteriam venosam, & consequenter in sinistrum cordis ventriculum, tum verò etiam in arteriam magnam, Huius rei inuictum est argumentum, quod non tantùm venæ *Emulgentes* dantur: sed & arteriæ.

§. 4. Ego verò d.tract. cap. 68. euici, ni fallor, *Arterias emulgentes* trahere, non tantùm id, quod vrina Medicis dicitur: sed & *Contenta* vrinarum

vrinarum. Hoc probo nunc vnico argumento, In febribus, quarum focus Cor eſt, quo maius eſt incendium, eò minùs apparent contenta: at ſedatâ quoquo modo flammâ, incipiunt illa redire, & fidem nobis facere coctionis.

§. 5. Hinc ſoluitur lis, à Turriſano primùm excitata, ab Altimaro, aliiſque in altum euecta, de quâ ago d. tract. c. 69. An ſanorum & ægrorum contenta ſint eadem? Sunt. Exiſtunt enim ex crudo illo humore, qui ineſt ſanguini arterioſo, tam ſano, quàm ægro.

§. 6. His ipſis tacitè innui, duas eſſe vrinæ partes, *Vrinam* & *Contenta vrinæ*. De his dixi ſententiam, quam nemo antè me: de illâ proferam iudicium vetus, quod homines noſtri non vno modò contaminant.

§. 7. Potum deſiderat animal, partim, vt *Elixatio* illa in ventriculo commodiùs fiat, partim vt fluxilis fiat chylus. Ita loquor. Non tantùm enim pars melior in viſcera & habitum diſtribui debet, ope huius liquoris: ſed & excrementa è corpore educi. Hinc 4. Aph. 83. docetur, *Mictio per noctem plurima facit, vt deiectio ſit exigua.* Adde tu, vt aluus quoque ſit immorigera. Ita bilis ſi orbetur ſero ſuo, degenerat in vitellinam. Ita melancholia in atram bilem.

§. 8. Potus ille ſimpliciter eſt *Aqua*, quæ neque apud Ariſt. neque ap. Gal. nutrire poteſt: quia incraſſari non poteſt. *Vinum, cereuiſia*, aliæ potiones factitiæ cum additione ſunt, *Alimentoſæ*, *medicamentoſæ*, *vtrumque*. Aqua faceſſit tota in *Serum*: reliqui potus, quatenus ex prædominio aquei ſunt. Craſſamentum enim alit, ſeu, fit pars alimenti ſicci, vt Ariſt. loquitur. Eadem eſt ratio iurulentorum.

§. 9. Huius potûs maxima pars quia à Renibus è venâ cauâ, & Arteriâ magnâ exhauritur, miniſterio vaſorum Emulgentium, & poſteà mediantibus vreteribus, in veſicam ideò dictam vrinariam ablegatur, vt per poros vrinarios è corpore emittatur: dicitur *vrina*. Hæc veritas eſt: hanc qui deſerunt, illos tu, quiſquis es, deſere.



CAPVT XXX.

Quot & quæ conſideranda ſint in inſpectione vrinæ.

§. 1. QVi dextrè obire volet officium hoc ſemioticum, illum ex Phyſiologicis petere oportet, *Quæ vrina ſit optima*? Hæc enim canon eſt deterioris.

§. 2. In vniuerſum. Alia ſpectantur *in vrina*, alia *in Contentis*. *Vrinam* voco, quam alij ſubſtantiam, alij conſiſtentiam, alij aliter. Optimè Valleſius, *Modum ſubſtantiæ*. Hic vnde eſt? Non à viſcerum coctione,

licet in eâm rem non desint loca Gal. cum de impropriè dictâ coctione sermo illi est: sed à permistione bilis. Et hoc primum est: alterum est *Color*, quem sumo ab eâdem bile. Tertium est, debita *Quantitas*. pro quantitate potûs. Quartum *Qualitas*. Salsa enim esse debet. Vnde verò id est? Non ab vsu salis, sed ab admistis alimento exhalationibus terreis & siccis, quæ in sanorum matulis etiam apparent. Quintum, *Odor*. Ne nimis fœteat. Sextum, vt *debito tempore* exeat. Septimum, vt *pleno radio* fluat.

§. 3. Quod ad *Contenta*, 1. habent illa triplex nomen, prout sunt in diuersis locis vitri vrinarij. Quod enim in summo est, *νεφέλη*, *nubes* dicitur priscis: quod in medio, *ἐναιώρημα*, *sublimamentum*: quod in imo, *ὑπόστασις*, *sedimentum*. 2. Differentia est à figurâ. Aut enim oblonga sunt, aut rotunda, aut pyramidalia, aut aliùs figuræ. 3. Aut multa, aut pauca. 4. aut huius, aut illius coloris. 5. benè vnita, aut diuulsa, &c.

§. 4. In specie, I. dicendum est, In quibus morbis ex vrina petantur signa? Credere enim cum vulgo, in omnibus esse, parùm abest à delirio. Petuntur primò in morbis partium vrinæ separandæ dicatarum, renum, vreterum, vesicæ, & meatûs vrinarij. Secundò, in morbis generis venosi. Comprehendo autem sub venis, in antiquo vocabuli significatu, etiam arterias, quin viscera quoque appensa, tam abdominis, quàm thoracis. Sunt enim non tantùm venæ emulgentes, sed & arteriæ, ceu dixi. Sed & in morbis extra vasa locum habent, quatenus pendent ab illis. Ita impetiginem in sinistro brachio fœdissimam, singulis annis recurrentem, curaui venæ sectione, & purgatione solâ.

§. 5. II. Sciendum est, *Qualis debeat esse vrina, quæ fidam significationem præstare possit*? Cum enim tria sint tempora, quibus secedit vrina, Dum fit coctio, cum facta est, longè post: neque prima debet accipi, neque vltima, sed media. Illa enim indicat quidem Naturam studere coctioni: sed tenuior est, colore remissiore, contentis copiosioribus. Hæc contrà substantiâ crassiore est, colore intensiore, contentis paucioribus.

§. 6. III. *Quo tempore* debeat accipi? Facta coctione, dixi. Atqui non fit illa in omnibus eodem temporis spacio? Ita est. Constitutum tamen à Medicis est, vt capiatur post sex aut septem horas.

§. 7. IV. *Quo tempore* spectari debeat? Non statim atque emicta est, dum calet, sed paulò post: omninò ante decursum horæ.

§. 8. V. In *quali vase*? Hoc multas habet conditiones. Debet esse id ipsum, in quod coniecta fuit, cum transfusio multum turbet: debet esse mundum: debet esse eius amplitudinis, quæ capiat omnem vrinam simul eiectam: debet esse pellucidum, & sine omni colore, æquabili superficie, seu sine tuberculis, angulisque: debet esse sphæricum, figurâ scilicet ipsius vesicæ.

§. 9. VI. *Quo loco* seruari debeat? Neque frigori exponatur, neque Soli,

Soli, multò minus fornaci calidæ imponatur. Frigus enim non ſinit benè coïre contenta, calor intendit colorem : quin, ſi maior ſit, ebullitionem facit & diſiicit contenta.

§. 10. VII. *Quo ſpectari?* Non in Sole, neque ad luçernam, ſed in loco, neque obſcuro, neque ſplendido : prætenſis veſtibus nigris, non vllius aliûs coloris : modò adducto vaſe ad te, modò reducto : manu oſculo vitri aliquando appoſitâ, vt vmbram facias, ídque propter *Contenta* imprimis, aliquando ſublatâ, vt certius dignoſcas.

§. . 11. VIII. *Quo modo?* An, inquam, quietè habendum ſit vitrum, agitandúmve? vtrumque eſt faciendum, ad agnoſcenda præcipuè contenta quædam non naturalia : interim non in omni locum habet, vt Vromantæ ſolent.

§. 12. His in ipſo inſpectionis actu patrandis oportet præmittere cautiones quaſdam. I. Vide, diſtinguas vrinam, quæ fluit ratione morbi, ab vrinâ, quæ fit ratione naturæ operantis. Quidam dicunt, ſitne vacuatio ſimul Critica, ſymptomaticáve? Sæpè enim ab initio quoque, vt in *Tertianis ſalutaribus*, vel vrina ipſa eſt copioſior, vel contenta.

§. 13. II. Cum triplex ſit ordo cauſarum, vide antè omnia, ſemoueas externas ſeu manifeſtas; Poteſt enim copioſior ire vrina ex copioſiori potu. Poteſt tinctior eſſe ex vſu Caſſiæ, Rhab. Croci. Poteſt odorata ex Terebinthinâ; Poteſt fœtidior eſſe, ex Aniſo, Aſparago, Fœnugræco. Hæc enim omnia nihil vtile in arte indicant.

§. 14. III. Cum aliæ ſint cauſæ *Generationis*, *Continentes* vulgo *dictæ*, aliæ *Alterationis* ſeu *Mutationis*: Vide ne hîc offendas! Quod ad *priores*, vt fiat vrina, oportet vt *Facultas* rectè ſe habeat, & *Instrumenta*, & *Materia*, in quibus formam vrinæ collocant quidam, ſanè quàm ineptè : quò minus fiat, ſatis eſt vnum ex illis lædi, ídque vel à morbo, vel à cauſâ, vel à ſymptomate : vt variè fiat (& hæ iam ſunt cauſæ *poſteriores*) faciunt, non tantùm tria iam dicta præter naturam, ſed *Res* quoque *Naturales*, temperamentum & ſexus, & non naturales, aër, cibus, potus. *Illas* præcipuè venamur in Semioticâ: has præſupponimus. Quâ in re ſi erratum ſit, facilè pro vrinâ morboſâ haberi poteſt, quæ ſana eſt.

§. 15. IV. Porrò, quod ad *Naturales*, tria (non plura) videntur mutare vrinam, Temperamentum, ſexus & ætas. De *temperamento* pulcrè ratiocinatur Actuarius 1. Iud. vrin. 6 *Paſſiuæ*, inquit, *qualitates*, ſi ſolæ ſint, non valdè mutant : actiuæ contrà. *Humiditas* excedens, & copioſam facit vrinam, & minus tinctam : *ſiccitas* contrà. *Eadem humiditas* contenta facit plura : ſiccitas pauca quidem, ſed compactiora. *Caliditas* facit vrinam tinctiorem, & ſubſtantiâ craſſiorem : frigiditas albiorem & tenuiorem. Eadem cal. contenta præbet, ſubſtantiâ quidem mediocri, ſed coloratiora: frigiditas, pro maiori aut minori intenſione, aut pauca, aut multa. Ex his iudicare fas eſt temperamenta compoſita. *Calidi & ſicci*, quos *Bilioſos* vocamus,

vrinam quidem habent paucam, sed benè crassam, cum contentis eiusdem generis. Eorundem valdè tincta est, quemadmodum & contenta. *Calidi & humidi*, quos *sanguineos* appellamus, iudicari debent ex antedictis. Ita de reliquis. His omnibus addere oportet ἰδιοσυγκρασίας, Habent enim quidam, secundùm naturam particularem, vrinas adeò tinctas, vt Ictero laborare credas: quidam tam albas, vt præter naturam esse putes.

§. 16. *Sexûs* eadem est ratio. Mas enim quia calidior & siccior; fœmina frigidior & humidior: quiuis intelligit, quæ differentia sit vrinæ. *Aetatum* eadem est ratio. Prout enim altera superat alteram in caliditate & frigiditate, in humiditate & siccitate, ita variat vrina. Peculiariter in pueris crassa solet esse, cum multo sedimento, 3. Aph. 26. & alibi.

§. 17. Quod ad *non-naturales*, totum negotium redigi potest & debet ad primas qualitates. Qui enim in aëre calidiore versantur, qui alimentis calidioribus vtuntur, qui exercitia valida habent, qui Venere vtuntur: non possunt non vrinam tinctiorem proferre, quam ij, qui in contrario statu sunt. Quo igitur vnusquisque magis minus in his peccat: eò maiorem credibile est diuersitatem esse, & maius minus periculum.

§. 18. Superest quæstio, *Liceátne corruptas vrinas ad ignem recalfacere? an potiùs de corruptis iudicandum sit?* Sunt qui valdè improbent caliditatem illam ascititiam, & iudicant ex corruptis. Hi si eâ de re præcepta dederint, itáque artem ampliauerint, non ego ero refractarius. Eant nunc, quibus negotium hoc tam facile est, quàm quod facillimum.



CAPVT XXXI.

Differentiæ vrinæ.

§. 1. VRinam hîc voco σύστασιν, *consistentiam*, ceu præmonui. De hac scribit Gal. 1. Crisi. 12. *Naturalem vrinam esse mediam inter tenuem & crassam.* Ergo *non-naturalis*, hinc quidem crassa erit: illinc autem tenuis. Atque vt tenuis est à defectu bilis, vt mihi persuadeo: ita crassa est non tantùm ab huius copiâ, sed & ab admistione aliorum humorum. *Crassam* intelligere oportet, non eam, quam Hipp. dicit 4. Aph. 77. Sed quæ vltra naturalem crassitiem it. *Tenuis* est, non quæcunque, sed illa, quæ non attingit crassitiem naturalem. Quæritur, *An omnis crassa, turbida quoque sit?* Ita, sed cum hâc explicatione, vt intelligas, non de eâ solùm, quæ crassa mingitur, siue maneat talis, siue posteà clarescat: sed de illâ quoque, quæ

quæ mox turbabitur. Est enim signum inchoatæ coctionis. Hæ vrinæ sunt in triplici differentia. *Aut* enim turbidæ minguntur, & manent, quæ subiugales dicuntur: *aut* turbidæ minguntur, sed posteà clarescunt: *aut* tenues & puræ exeunt, & posteà turbantur, eodem loc. cit.

§. 2. De *Colore* scribit idem Galen. Cris. loc. cit. *subruffam* esse, seu *subflauam*, quæ naturalis sit: subruffam tamen potiùs, quam subflauam. Color hic est *mediocriter pallidus*, 2. Progn. 26. non autem *Croceus*, vt Interpp. Ab hoc qui descifcunt colores, possunt redigi, ni fallor, ad numerum senarium, quorum tres sunt citrà, tres vltra. 1. albus, 2. pallidus, 3. rufus, seu ruffus, 4. flauus, 5. ruber. 6. niger.

§. 3. Quod ad *saporem*, debet naturaliter salsa esse. Quod ad *odorem*, suo quodam est. Hunc vt inuestigare velim Medicum ipsum: ita illum per alios rescifcere. *Quantitate*, vt dixi, debet responderе potui. *Tempus* emissionis debet esse, factâ coctione, vt pariter dixi.



CAPVT XXXII.

Causæ Differentiarum.

§. 1. TEnuis vrina fit propter tres causas, Facultatis alteratricis debilitatem, copiam ingestorum potulentorum, vitium instrumentorum. *Debilitas* consistit vel in hepate, vel in corde, non gignente tantùm bilis, quantùm satis est. *Crassa* fit (naturalis) cum cor & hepar officio suo fungitur. In morbo, prout magis minus inualescit coctio, vel mingitur clara, & posteà turbatur, quod fit in augmento: vel mingitur turbida, & manet talis, quod accidit in vigore: vel mingitur turbida, & fit clara, eunte morbo ad declinationem.


§. 2. *Colorem* vrinæ tribuit vel bilis, vel admista alia. *Odorem* conciliat illi putredo quædam, quæ in plerisque nobis obtinet. In calidioribus quibusdam nullum habet odorem: in calidissimis, qualis Alexander Magnus, etiam bene olet. *Saporem* dant illi exhalationes siccæ & terrestres, veluti comprehensum est.

§. 3. *Qualitatem* corrumpunt duæ causæ. 1. Cum renes vel non trahunt, quantùm debent, vel plus quàm debent. 2. Cum partes aliæ eò mittunt excrementa sua.

§. 4. *Tempus* iustum *anteuertitur*, vel quia cohibitæ sunt aliæ vacuationes, vel quia colliquatio humorum est: vel quia renes sunt calidiores: vel quia vrina ipsa acrior est. *Negligitur* contrà, vel quia

materia aliò fluxit: vel quia abſorpta fuit alibi: vel quia meatus ſunt obſtructi: vel tandem quia mens laborat.

§. 5. Non fluit *pleno radio*, vel ob debilitatem expultricis: vel ob vias impeditas. Hinc dyſuria & ſtranguria.



CAPVT XXXIII.

De Contentorum differentiis & Cauſis.

§. 1. C*Ontenta* ſunt, vel *Naturalia*, vel *Præternaturalia*. *Illa* in omni homine ſunt, licet in latitudine quadã. *Hæc*, quæ & in ſanis, & in ægris excernuntur, modò criticè, modò ſymptomaticè. Et hac de re Altimarus pugnat, vt ſuprà dixi, genere ab ſe inuicem differre volens. Hoc Turriſanus illi dat: ſed negat *Præternaturalia* eſſe propriè dicta *Contenta*. Nam ſi quà exit, quod contra naturam illius exitûs eſt, illud tu nunquam, aut eſſentiæ eiuſdem eſſe cõceſſeris, aut eodem nomine cum eo, quod ſecundum naturam ibi exit, appellaueris. Sed ſinamus ita eſſe, ne præternaturalibus aliud nomen quærere iubeamur, & explicemus vtraque ſeorſim.

§. 2. *Naturalium* I. differentia eſt illa, quam ſuprà dixi peti ex loci in matula differentiâ, vnde etiam triplex illis nomen.

§. 3. II. *A figurâ* eſt. *Aut* enim oblongum eſt Contentum, *aut* pyramidale, *aut* rotundum, *aut* aliûs figuræ, ſi modò vllius eſt; diuulſum quippe.

§. 4. III. *A qualitate*. *Aut* enim copioſum eſt, *aut* paucum.

§. 5. IV. *A ſubſtantia*, aut potiùs ſubſtantiæ modo, vt Valleſ. ſolet loqui. *Aut* enim tenue eſt, *aut* craſſum. *Aut* vnitum quidem aliquo modo, ſed non euidenter.

§. 6. V. Iam apertè in morbis eſt, & ſumitur à temporibus illorum. *Aut* enim apparet omni morbi tempore, *aut* incipit apparere, vel in principio vniuerſali, vel eo exacto, quod melius eſt. Poſtquam apparuit, *aut* perpetuò ſibi ſimile eſt, *aut* hodie tale, cras tale, perendiè tale. *Illud* eſt Hipp. λεῖον καὶ ὁμαλὸν, *leue & æquale*: hoc διεστηκὸς, διεσπασμένον, *diſtans*, *ſeu diuulſum*.

§. 7. VI. Eſt *à Colore*. *Aut* enim album eſt, quod maximè ſecundum naturam eſt: *aut* rubrum, quod non valde malum eſt: *aut* nigrum, quod (niſi à melancholiâ ſit, ſuo tempore exeunte) peſſimum eſt. Et hæc de naturalibus:

§. 8. *Non naturalium* contentorum, aut potius corporum, cum vrinâ excretorum, alia ad vias vrinarias tantùm pertinent: alia ad viſcera cum appenſis vaſis tantùm: alia ad vtraque.

§. 9. Ad

§. 9. Ad *vias*, seu potiùs *partes vrinarias* spectant, 1. *Caruncula* exiguæ, quæ ex renibus ferè sunt. 2. *Ramenta*, quæ ad vreteras Medici referunt, aut vesicam. 3. Cum his coincidunt *sedimenta foliacea, membranacea, squamma, &c. Capilli*, vnde τριχίασις morbus. 4. *Arena*, seu *sabulum.*

§. 10. Ad viscera vicina refertur 1. *Contentum* vitro fuso simile, quod idem est cum illo, quod semini, aut grandini, aut puri, aut sputo. 2. *Contentum* crassiori farinæ non dissimile, de quo Foësius consulatur. Cum hoc, puto, idem est furfuri simile, aut vitello oui, aut farinæ orobi (nisi quod simul lutei coloris est hoc) aut denique luto, seu cœno.

§. 11. Ad vtrumque dictorum respiciunt, 1. *Sanguis.* Ita dico. Nam vrina sanguinea est à renum imbecillitate, de qua suprà. 2. *Pus.* Ita iterum dico. Aliud enim est puri simile. 3. *Bullæ.* Hæ constituunt vrinas spumosas dictas, cum quibus concurrunt αἱ λαμπηραὶ; λάμπη enim, autore Galen. est *spuma.* 4. *Pinguedines.* Hæ faciunt vrinas aranei formes. Fieri tale quid in latitudine sanitatis, docuere ex 4. San. tu 4.

ABERRATIONES.

§. 12. Statim hîc Fuchs. fol. 483. labitur in cœnum, cum *Caua-vena* tribuit tantùm vrinam. Quasi verò non sint etiam arteriæ emulgentes? Labitur etiam, cum non explicat cuius coctionis excrementum sit. Cùm verò f. seq. Contenta separat ab vrinâ, & tertiæ coctioni tribuit, absurditatem non effugit. Ibid. fallitur, cum non iungit *Contenta* vrinis, & posteà vtrisque tribuit seorsim *Consistentiam, colorem, quantitatem & consistentiam.* Sed & plura his consideranda sunt, ceu dixi. In *coloribus* perquam confusus est. Confusior multo fol. 488. in *Causis mutationis.* Et vbi *Causæ generationis* sunt? Quæ de *signis perturbationis* fol. 490. scribit, accommodâsse oportuit temporibus morborum. F. 493. durat confusio colorum.

§. 13. De Sennerto quatò magis cogito, tantò magis miror! Nam cum fol. 61. refutat Mercurialem, Ioubertum, Argent. & mox fol. seq. applicat se Vallesio, imprudentissimè facit. Quid enim illud *Serum sanguinis* Valles. est, nisi *Materia potulenta* Mercurialis? Imò sunt diuersa, dicit.

Non

Non est satis dictu: probatione opus est. Quæ enim est materia illius? Et Valles. quidem lib. de vrinâ 1. affert. *Congenerem naturam*, quam ego nunquam intelligere potui, nisi si fortè *Occultum* quid est. Multò minùs video, quâ fronte Galenum 1. in 1. Epid. 5. vt ille citat, huc pertrahere crinibus velit! Nihil enim aliud ille vult, quàm materiam illam aqueam, quæ nutrire non potest, in vasa receptam, esse vehiculum alimenti. Idem Gal. cum de vrina naturali loquatur, quis Valles. cogat illum agere de præternaturali? Maior insolentia est cum idem Valles. ex Gal. euincere vult serum esse quadruplex, sanguinis, pituitæ, bilis, melancholiæ. Confundit Hispanus *serum naturale* cum *colliquamentis* sanguinis pituitosi, biliosi, melancholici, quæ ego Coll. de Ichoribus, Ichoras acres voco. Verùm-enimverò cum non meminerit Noster, quatuor illorum seri generum, fortassis quia pudebat, sinamus, & veniamus ad vlteriora. Docturus, quid sit serum illud à nostro sero diuersum, luculentam præmittit orationem de suo in veritatem amore, tandémque dicit, *serum illud est sal, seu tartarus recentiorum, qui ex vsu salis superest.* Pax! Res liquida fit res solida! Id, quod inest, est! Id, cuius nulla pars nutrit, aliquatenus nutrit! Et quorsum recentioribus tribuitur, quod Arist. est. 2. Meteor. 2. cuius mentem & Gal. & Ruffus exposuerunt? Quorsum verò strues illa de *sale* & *nitro* ex Dioscor. Gal. Paulo, Baccio, Agricolâ? Nemo enim vnus id negat. Porrò, cum fol. 64. occupatur in inueniendâ coctione vrinæ, non dissimilis sui est. Cui enim bono persuadebit, sententiam Gal. in Epid. esse illam, quam Valles. nouiter introduxit? Quàm verò arrogans est in illis, Falsum est, Monstrosum est! Vbi? quibus verbis? quibus rationibus. Homonymia illum decipit, ceu iam innui. De iis, quæ fol. 214. de seroso humore dicuntur, scire valdè velim, an putauerit vir magnus, *Differre à sero*, de quo loquimur? Vellem scire, vnde deriuet? Vide egregium opus Car. Pisonis de morbis serosis. Actu. 29. fol. 308. de primâ differentiâ, quæ à consistentiâ petitur, claritatem doctrinæ promittit. Ille verò densas inducit tenebras. Ita est in

veteri

veteri doctrinâ, *Tenuis* est illa, quæ non attingit consistentiam naturalem, sed leuem habet crassitiem, ob defectum bilis. *Crassa* est, quæ est vltrà consistentiam naturalem, non ob copiam bilis, sed ob admistionem humorum morbificorum, in vasis ebullientium. Significat igitur tenuis inchoatam coctionem: crassa, vlteriùs progressam. Et hoc fit tribus illis modis, qui dicti sunt §. 1. Quid Noster? Oberrat chordâ suâ de seroso salso, quod profectò non indicat vllam coctionem. In seq. cuius confusionis arguit alios, reus est ipse. Rectissimè enim Valles. 3. Controu. 23. Crassam & turbidam esse eandem, & habet fundamentum in veteri doctrinâ, quam ex Gal. producit. Idem rectè respondet Auicennæ, 2. 1. doct. 3. c. 1. Non esse rem eandem aliorum succorum & vrinæ. Illi enim tales sunt naturâ suâ, & sunt in facto esse, & hoc addo de meo: at vrina hæc est in fieri, & nondum peruenit ad terminum suum. Quo ipso refutatur πρόληψις ipsius, Claritatem hanc conferri cum naturali vrinâ. Imò verò duæ non naturales vrinæ componuntur inter se, differentes minori & maiori coctione. Quò minùs etiam desiderare debet à Vallesio, vt sensui & experientiæ fidem habeat. Dantur enim tales vrinæ, crassæ, sed tamen claræ: verùm quia mox turbantur, sunt apud Galen. in tertio ordine crassarum, ceu dixi. Sed neque adigere potest Valles. ad omnes vrinas: neque etiam perfectionem vllam sperare. Loquitur enim de iis solis, quæ tendunt ad perfectam coctionem. Et concedit ipsus, cum pro *Imperfectis* habet, & *Elaborari iam*, &c. Miror verò hominis facilitatem, cum Galenum vult distinctiùs loqui 1. Cris. 12. Distinctissimè, & ad rei naturam locutus est. Maior facilitas est, cum locum Galen. 1. in 3. Epidem. 5. huc peruellit. De *Contentis* enim loquitur, de quibus nos nondum. Locus Hippocr. desperatè corruptus est, vt monui Notis in Gal. Obiicio etiam illi, quod extremo historiæ est διατελέως κακά, *perpetuò cruda*, vt ego intelligo. Quo modo enim πάχος laudabile in his quæri possit? In coloribus parco operæ.

MMMm §. 14.

§. 14. Distinctioni Contentorum in *essentialia* & *accidentalia*, c.3.valdè parùm tribuo. Vt enim hoc tantùm dicam, differentia loci quomodo essentialis est?

§. 15. In *causis* c.4. subitò nauseam mihi mouet crambe illa olida de sanguine, à quo sit crassities vrinæ. *Bilis* est. Cuius defectus est à debili calore, siue essentialiter sit læsus calor, siue per errorem externum. Quod verò ex Actuario refert, Calidam etiam intemperiem facere tenuitatem, mihi incomprehensibile est, præsertim stante hypothesi de *bile*. Eadem admissâ, duplex Auicennæ causa planè locum habet. Debilitas renum: quia coquere illos quoque, extrà dubium apud me est. Sed non coquant: potest illa bilis, quæ crassefacit & tingit, ex corde esse, vt alibi dixî, quam si trahant renes, patet, quid dicendum sit. *Obstructio*: quia & Gal. 1. Loc. aff. 1. expresse docet, & rerum euidentia in calculosis persuadet. Quod verò dubium iactant quidam ex 4. Aph. 96. inane est, præsertim, si *Exacta mistio* vrgeatur. Bilis enim cum vrinâ confunditur tantùm, quomodo hordeum cum tritico. Quare non est opus distinctione illâ multò inaniori, *Sed vt dubium illud, &c.* Et qui sunt illi humores crassi? *Bilis* fortassis? Quæ de crassis & turbidis f.520. vsque ad fin. c. tam curiosè ventilantur, tribus verbis expediri possunt, Sunt à naturâ vel coquente, vel non coquente.

§. 16. *Colorum* causas c.5. indagaturus, orditur rem à quæstione illâ, An mutetur color vrinæ, sine accessione nouæ substantiæ? Negat, & rectè. Verùm deficit in eo, quòd, serum nusquam deferens, non dicit explicitè, quos humores velit. Ego, breuiter me expediens, assero, Bilem, eiúsque species omnes, maximam partem huius negotij explere. Et hæc quidem proxima causa est: remota, calor, non tam generans, quàm fundens bilem. In aureo colore, f. 527. rectâ primùm semitâ incedit. Deinceps verò cespitando labitur ad serum suum salsum, quod nullo modo imaginari mihi possum. Reliqua de coloribus sino, quia & prolixiora & subtiliora sunt, quàm Instituendo conuenit. Idem dico de toto cap. 8. & 9. Breuis est senten-

tia

tia mea, Vrinarum contenta sunt excrementa secundæ coctionis, quatenus eâ in re hepati iungitur cor. Propterea, vel eadem, vel diuersa sunt contenta sanorum & ægrorum, prout sanguis cordialis, vel vicinior est naturali, vel alienior ab eodem. Quæ reliquis tribus capp. scribuntur, sana nunc esto.

§. 17. Liddelius l.4.cap.5. primo aspectu fastidium ingens mihi mouet. Quid enim expectes ab eo, qui doctrinam de vrinis manifestam & facilem pronunciet præ pulsu. Profectò certant inter se, nec ausim ego dicere sententiam. Videamus, age, quasi per satyram quid in definitione præstet. *Vrina est serosum sanguinis excrementum* (Transeat. *Et vehiculum*) Subaudio, *Sanguinis*. Hoc vt vsum explicat: ita illud materiam. Quæ duo possúntne coniungi per copulam *Et*, sine insigni obscuritatis notâ? *Ex superflua assumtorum liquidorum portione genitum.* (An non hoc iterum ad materiam pertinet? Quæ verò ταυτολογία hæc est, *Excrementum & superfluum*? Quid opus est illo *Genitum*? *Quod vnà cum portione bilis excrementitiæ*) Benè, si benè intelligas. Intellectus est, si dicas, serum seu aquam illam, quia per se & suâ naturâ decolor est, tingitur à bile, vnde, vnde etiam sit. *Et reliquis nonnullis tertiæ coctionis.* Monstrum informe! Excrementa tertiæ coctionis regredi ad renes! Imò verò vacuantur per habitum, vt mox dicetur. An tertiam coctionem, renum & viscerum vicinorum intelligit? Non potest. Iam enim habet illud serum abusum, quem præceptor Platerus docuit primus, *Humectandi viscera.* A quo si quid superat, digeritur insensibiliter. Et quàm obscurâ in nocte latet τὸ *Reliquis nonnullis*? *Ex venis, &c.* Benè habet, siquidem arterias subintellexerit. Et hæc quidem definitio est, vt puto: quæ σαφηνείας ἕνεκα, addit, quâuis niue frigidiora sunt. Quæ enim sunt species humoris illius? qui sunt succi illi, qui cum sanguine in venis eunt? Solus it sanguis, & sufficit illi vnicum serum. *Quibus permiscetur &c.* Rectè, siquidem explicationis gratiâ sufficitur. Reliquis vna litura sat est. Discant hinc

οἱ φιλόϐελτοι, quàm periculoſa ſit alea illa definitoria! Vide Gal. 2. Diff. pulſ. 2. & 17. Cætera commendo aliis.

§. 18. Inter definitores cum ſit Heurnius quoque l. 9. agedum, inſpiciamus illam obiter. *Vrina eſt ſerum humorum.* Rectè, ſi per *Humores* ſanguinem intelligat: peſſimè, ſi, vt explicat ſe, de congerie tot humorum, quot ille numerat. Heterogeneus eſt ſanguis: ſed in ſe, abſque excrementis, conſideratus. *Mixtum cum materia potulenta.* Horreſco referens! Ergóne duo diſtincta ſunt hæc? *In venis hepatis*, Cur non *arteriis cordis* quoque, propter arteriàs emulgentes? Ex his paucis quia iudicium capi poteſt, de reliquis, nolo ego fruſtrà officioſus eſſe.

§. 19. Syluius, f. 129. tam breuiter ſe abſoluit, vt exclamare cogar, *Tantámne rem tam negligenter agier!*

§. 20. Huggelius f. 12. & ſeq. præ ſe fert diligentiam aliquam, quam tamen ſi ad lumen Solis habueris, meras vmbras videbis, magnum per inane volantes.



CAPVT XXXIV.

De ſudore & inſenſili tranſpiratione.

§. 1. SI rectè definitũ fuit ſuprà, *Vrinæ & ſudoris eandem eſſe materiam, eandem originem:* rectè etiam dicetur, ſudorem ſequi debere. Non minùs rectè illud fortaſſis, Quemadmodum vrina eſt excrementum ſecundæ coctionis: ita ſudor tertiæ eſt. Vtrobíque enim, poſtquam officio ſuo functum eſt ſerum, 1. San. tu. 12. quia nutrire non poteſt, 4. Vſ. p. 5. vacuari debet. Vacuatur per veſicam ſenſibiliter tantùm; per habitum ſeu cutis poros modò ſenſibiliter, modò inſenſibiliter. Poſteriori modo cum accidit, vocatur ἄδηλος αἰσθήσει διαπνοὴ, *inſenſilis tranſpiratio:* cum priori, *ſudor*, ſed non niſi accedente causâ violentâ.

§. 2. Hæc cauſa qualis ſit, *Interna*, an *externa*? præcipuè autem de externâ eſt ſermo: video valdè dubitari. Apud Ariſtot. 3. Part. 5. & Theophr. l. de Sudor. fit, *Corpore concalfacto, & venulis apertis.* Fit autem, inquit diſcipulus, aut motu, laboréve, aut omnino robore *Calidi*, *ſpiritúſve.* Quæ verba cum conſidero; ſimúlque prouidentiam Naturæ in vacuandis excrementis perpendo: non poſſum

non dubitare de perpetuâ causæ externæ ad sudorem necessitate. Et cum, docente Gal. 5. Loc. aff. extr. Natura, ope quatuor facultatum ministrantium, modò hoc, modò illud felicius, aut infelicius facit, prout hæc, illáve vincit, vel vincitur: qui fiat, si in corpore calido & humido, liberalius viuente, sed exercitiis destituto, multùm cumuletur materiæ serosæ, vt non faciat officium suum expultrix?

§. 3. Facere, longâ experientiâ edoctus Hipp. scribit 4. Aph. 41. *Sudor multus post somnum, absque causâ manifestâ, duo significat, aut corpus vti pluri alimento, aut opus habere vacuatione, quæ nisi adhibeatur, morbum esse exspectandum*, addit Aph. seq. Et quid dicemus de sudoribus Criticis spontaneis, mouétne illos aliud quid à *Calore robusto*? Ea in re hoc etiam non est insuper habendum, Non omnes æquè promti sunt ad sudorem, v. g. qui frigidiore sunt habitu, difficillimè sudant, Calidi & humidi, quia poros cutis ferè stipatos habent à sordibus, non sudant, nisi postquam illæ in balneo abstersæ sunt. Contrà, qui calidi & sicci sunt, quia excrementa tertiæ coctionis dissipant insensibiliter, ne cogi quidem possunt ad sudores. Eadem ratio est frig. & hum.

§. 4. Quid igitur dicemus pro illis, qui *ἄπον βίαιον, causam violentam* desiderant? Scripserunt id, quod vtplurimùm fit. Quamobrem etiam hîc distinguere oportet, cum Gal. Diff. sympt. vlt. inter Naturæ opera, & symptomata, siue inter sudorem Criticum & Symptomaticum.



CAPVT XXXV.

Quot sint consideranda in sudore.

§. 1. CVm, ceu dixi, Vrinæ & sudoris eadem sit materia, videndum est, iidem sint considerandi modi, & quatenus diuersi? Differt vrinæ excretio à sudoris, quod illius quidem vel tota, vel certè ex maiori parte, sit voluntaria, huius autem naturalis. Fit vel à solâ naturâ, vel à naturâ quidem, sed cooperante Medico. Quid igitur illud est, quo mediante Natura vel agit, vel coagit? Vno verbo, Calor est, commune omnium actionum instrumentum.

§. 2. Veruntamen, vt in *voluntariis* Calor est causa remota, musculus propinqua: ita in *naturalibus* calor implet vtramque paginam, si sic loqui licet. Is enim vel solus, vt ferè Medici sentiunt, vel cum spiritu, vt Theophrastus (nisi si hæc duo sint idem) loquitur, superueniens materiæ idoneæ, facit vt sudemus. Rursus, vt in *voluntariis* quiuis calor naturalis mouet musculum: ita sudorem ciet, non acris, & siccus, sed humidus & benignus. Ille enim, ceu dixi, absumit insensibiliter: hic in vapores soluit, cutímque emollit simul &

laxat. Oportet verò calor idem sit, non in habitu tantùm: imò verò scaturiat oportet ex ipso fonte, *corde*. Oportet quin etiam, non cor tantùm benè se habeat: sed viscera quoque reliqua. Absque hoc enim si sit, præclusa est calori via in habitum. Quò fit, quod in cachecticis, & omninò in omnibus, qui obstructa habent viscera, aut nulli, aut difficiles fiant sudores. Hoc ipsum, quod de bono viscerum statu dicitur accipiendum est, non de quouis sano, sed in hac ipsâ combinatione, in caliditate & humiditate. Excipio hinc Melancholicos quosdam, qui diffluunt sudoribus, ob maximam seri copiam.

§. 3. *Materiæ* & *efficienti*, tanquam causa sine quâ non, accedere debet *Raritas cutis*. Qui enim densam habent, non sudant.

§. 4. His præsuppositis, facilius peruenire nobis est ad scopum. Hunc, præuio Foësio, Notis in 6. Epid. 8. t. 21. ita constituo, & dispono. 1. est σῶμα, *consistentia*, quam paulò ante Hipp. λεπτότητα ἢ παχύτητα, *tenuitatem & crassitiem* vocauit. 2. χρῶμα, *color*. 3. θερμότης, & consequenter ψυχρότης, *Calor* & frigus. 4. ἁλμυρότης, ἢ γλυκύτης, salsedo & dulcedo. Eadem ratio est reliquarum secundarum qualitatum. 5. Hic interiicio ὀσμὴν, *Odorem*. 6. χρόνος, *quo tempore factus sit sudor*. 7. ὅθεν ἤρξατο, καὶ ὅπη ἐπαύσατο, *quo loci cœperit, cessáritve*, hoc est, particularis, an vniuersalis fuerit? 8. Hîc iterum interpono, *Copiosus, an paucus*. 9. ὁμαλῶς, ἢ ἀνώμαλος, *seruétne æqualitatem temporis, aliarúmque circumstantiarum*? Hæc latè explicata qui velit, petat ex lib. de Humoribus, cap. pen.

ABERRATIONES.

§. 5. Fuchsius lib. 3. cap. 21. in *essentia* quidem *sudoris* nimis parcus est: in distinctione autem *Critici* à *Symptomatico* ex 1. Progn. 29. satis clarus.

§. 6. Sennert. lib. 1. fol. 65. Dioclis sententiam refutaturus, Valles. 5. Controu. 2. substituit Galen. Veruntamen, mox relicto illo, propriam meditatur compositionem, litem in verbis esse concludens. Ego ad Instituendum pertinere nego. Idem fol. 645. proponit quæstionem, *An sudores sint inter signa coctionis*? Non sunt: interim, quia ex subsequenti εὐφορίᾳ *tolerantia*, aut δυσφορίᾳ, *molestia*, seu *grauitate* iudicamus, præcesseritne coctio, annon? omninò huc pertinet. Hoc si vult ille, satis est. Quæ scribit l. 5. f. 1033. à quibus partibus vacuentur sudores: lucem accipere debent ex §. 2. hîc. Cætera rectè habent.

CAPVT



CAPVT XXXVI.

De Vomitu & Deiectionibus.

§. 1. VOmitus, vt distinctè agam, aut est *particularis*, aut *vniuersalis*. *Particularis* est, qui fit à causâ manifesta, ab ingurgitatione, vid. cibi multi, potúsve. *Vniuersalis* est, qui fit post morbos, præcedentibus coctionis signis in vrinâ, tum videlicet, cum natura secretum humorem ablegauit ad ventriculum. *Medio modo* se habent vomitus illi, qui post paroxysmos febriles accidunt. Hinc intelligitur, quatenus vomitus sit vel extra, vel intrà vasa. Suprà cap. 26. t. 6.

§. 2. *Deiectionum alui* eadem est ratio. Aut enim fiunt in recentibus cruditatibus: aut post morbos, à crapula contractos. Cùm primùm pedem in Italiam ponerem, febri continuâ lentâ laboraui, quæ post aliquot dies, curante me excellentiss. Dn. Saxonia, crisin habuit per aluum. Orta nimirum erat ex commessationibus valedictoriis, & erroribus in victu, per viam tam longinquam commissis. Et hæc quidem de morbis in vasis.



CAPVT XXXVII.

De Sputo.

§. 1. DE hoc video valdè indistinctè loqui nostros. Ego primùm ablego *catarrhos omnes*, *difficultates spirandi omnes*, quæ sunt ab infarctu bronchiorum, & attenuantibus opus habent: adstringo autem rem ad solas *pectoris inflammationes*, quarum tempora vt & humorem peccantem, ostendunt sputa.

§. 2. Deinde deduco ex 5. loc. aff. 7. DD. Gal. regulam vniuersalem, *Vbicunque*, inquit, *partes inflammatione laborant, nisi obstet pars densa & crassa, ab initio quidem defluunt ichores tenues; posteaquam verò coqui cœperunt inflammationes, crassiores, & puri similiores.* Eadem penè verba sunt 1. Aphor. 12. Quare addit 2. Progn. 50. vbicunque obstaculum tale non est, veluti in naribus, oculis, si contingat partes illas inflammari, defluunt ab illis humores tenues, ichoribus vlcerum non dissimiles. Imò verò, vbi etiam obstaculum est, vt in fracturis sine vlcere, fasciæ fiunt cruentæ, 6. Loc. aff. 3. K. 3. Art. 58. Nimirum, tale quid fit, quod in culinâ

à

à carnibus, dum assantur, quâ de re videantur Collect.nostra de Ichorib. ϑ.124. & seq.

§. 3. Hoc de negotio agens Autor lib.de Const. artis, cap.15. extr. exemplo pleuritidis docet, qui qualésque ichores in illâ sint, & quomodo distinguant tempora morbi? *A principio*, inquit, *ferè nihil exspuitur*, vnde πλευρῖτις ἄπτυςος alibi dicitur? *At postquam sputa cœperint ire, tenuia quidem sunt, sed colorata, pro ratione inflammationis, vel legitimæ, vel spuriæ.* In legitimâ sputum est rubrum: in erysipelatode est flauum: in œdematode album: in σκιρρώδει, nigrum.

§. 4. Vbi moneo, In inflammationibus partium quoque imi ventris, ostendere se tales ichoras in vrinis. De vteri enim inflammatione agens Gal.6. Loc. aff.5. penè extr. οὖρα ait esse μελαινόμενα, μετ' ἐρυθροῦ τινος ἰχῶρος, ὥσπερεὶ κρεῶν νεοσφαγῶν πλύμασι μῖξαις ἀσβόλην, *Vrinas esse nigras, non secus ac si quis carnium recentium loturæ fuliginem misceat.* In deiectionibus quoque tale quid fit. Hoc nunc ostendero ex 5.Loc. aff.7. quâ de historiâ Medici Siculi, inflammatione hepatis laborante, siquidem concedatur mihi locum cubare in mendo periculoso. Cur suspectum reddere velim, causa hæc est. Ait, introeunti sibi occurrisse seruulum, exportantem peluim, in quâ tenuis sanguinis ichor (ita enim transpono Latina) qualis lotura est carnium recenter mactatarum, firmissimum affecti hepatis argumentum. Atqui constat ex eodem de Loc. aff. Q. & iterum lib.6.cap.2. C. talem sanguinem aquosum signum esse contrariæ hepatis intemperiei (sed nudæ) frigidæ, humidæque? An igitur legi debet in historiâ illâ, ἔχουσαν οἷον κρεῶν νεοσφαγῶν πλῦμα, μιχθείσης ἀσβόλης, *in qua tenuis sanguinis ichor, qualis recèns mactatarum carnium lotura, cui fuliginis quid sit mistum.* Seq. βεβαιότατον σημεῖον ἥπατος πάσχοντος, habeo pro adscriptitiis. Vide Collect.de Ichor.ϑ.38.& seq.

Vide Plembium. 4. Fund.Med. 1.



SECTIO SEXTA.

CAPVT XXXVIII.

De Prognosticis ex Pulsu.

§. 1. Hic quoque resumere oportet illud ex cap. 2. Primariò quidem seruire pulsum τῇ προγνώσει: Secundariò autem τῇ διαγνώσει.

§. 2. Apud Aristot. generatio pulsus plana est & perspicua: apud Galen. tam obscura, vt Delio natatore opus sit. Rem ipsam breuiter perstringam.

§. 3. Apud Philosophum ἡ θρεπτικὴ fit, & ab *Corde* & ab *Hepate*, nutritionisque materia; sanguis fit ab vtroque viscere, sed ita, vt sanguis cordialis seu arteriosus habeat dominium. Apud Medicum, nutritio fit à solo sanguine hepatico seu venoso, arterioso nescio quem alium vsum habente.

§. 4. Hic si quis quærat, Ergóne cor frustrà est factum? *Non*, inquit. Cor vitam retinet, adeóque facultas, quæ in corde residet, non est θρεπτικὴ, sed ζωτικὴ, *vitalis*. Atqui, ô Galene, *Vita* & *Nutritio* sunt idem. Quamdiu enim viuimus, nutrimur: quamdiu nutrimur, viuimus. Et quæ, per Hygiéam, est facultas illa *vitalis*? Ostende mihi illam in rerum naturâ, & cedam è vestigio.

§. 5. Res ita habet. Apud Arist. Cor habet actionem duplicem, alteram, πρὸς τὸ εἶναι τὸ ζῶον, *vt animal perennare possit*, quod fit per nutritionem: alteram πρὸς τὴν σωτηρίαν τῆς καταψύξεως, *vt ventilari possit ignis animalis, sub cineribus alioquin moriturus*. Fit autem ventilatio duobus modis; sursum quidem per ἀναπνοὴν, *respirationem*, mediantibus pulmonibus, qui simul sanguinis deductioni seruiunt de ventriculo cordis dextro in sinistrum: deorsum autem per διαπνοὴν, *transpirationem*, mediantibus Aortæ ramis, qui simul sanguinem cordialem in vniuersum corpus distribuunt.

§. 6. Ergò cum Gal. ademisset *Cordi* τὴν θρέψιν (putà vt triplicem animam, locis, sedibúsque distinctam, quam somniauit ille, Hippocrati & Platoni incognitam, induceret) nec satis tutò *Cor* totum deserere posset: dedit illi τὴν ζωὴν, *vitam*, & δύναμιν ζωτικὴν, *facultatem vitalem*, toti naturæ inuisam, inauditam, siquidem distinctam à Nutrice vult, vt vult. Reuerà autem est alter vsus Arist. σωτηρία τῆς καταψύξεως. Hanc rem quia fusè tractaui in Collatione doctrinæ de Animâ Arist. & Gal. Helmstadij impressâ, 1637. satis sit nunc.

§. 7. Ad rem. De efficiente pulsûs causâ simplex est Arist. sententia, *Est calor natiuus in corde ebulliens, & beneficio spiritus, sanguinem arteriosum in corpus vniuersum differens*. Et hic est primus vsus, πρὸς τὸ εἶναι, *vt animal sit*: secundus, vt, dum ad cutim vsque pertinet, fuligines per poros eius exeant, quâ in re consistit ἡ σωτηρία τῆς καταψύξεως, *ventilatio perpetua*. Vide 2. de Thor. 17.

§. 8. Motus hic, non quidem compositus est, sed constat ex duobus motibus, συστολῇ καὶ διαστολῇ, *contractione & dilatatione*, qui duo motus non aliter sese inuicem sequuntur, quam fluctus fluctum trudit, & sunt in perpetuo fieri. Quare etiam tres habent causas continentes, *Calorem*, quem *Facultatem* solet appellare Galenus: *Vsum* & *Instrumentum*, Arteria magna.

§. 9. Hæc tria quot modis variare possunt, tot erunt pulsuum differentiæ. Sunt autem vel *simplices*, vel *compositæ*. De quibus cum breuiter & neruosè scripserit Gadaldinus (ita enim censeo) in

synopsi pulsuum ad tyrones, putauerim, præferendum esse compendium illud tribus magnis Gal. operibus, de Diff. Caus. & Præsag. ex pulsibus. Quin puto, subtilitates esse Herophileas, quas insuper habere possit, non Instituendus tantùm, sed & Medicus exercitatus. Huius opinionis semina iniecit mihi Montanus, Cons. 257. confirmauit amicus in Italiâ, qui ex ore DD. Bartholomæi Schvvalbij, Medici Pragensis senis referebat, contentum se esse tribus differentiis, Æquali & inæquali, veloci & tardo, valido & debili: momentum amplius dedit Plembius 1. Fundam. Med. cap. 2. qui allato Montani indicio, ait, *Multa confingit mens ingeniosa, quæ sensus non assequitur.*

§. 10. Eius rei difficultatem ostendero tibi hâc oratione. Quemadmodum palpitatio Cordis ita differt à palpitationibus reliquarum partium, quòd non tam motus sit, quàm motus corruptio, siue motus ex naturali & præternaturali compositus: ita κακοσφυξίαι καὶ ασφυξίαι. Similitudo consistit in eo potissimùm. Vt palpitatio fit à flatu, vel in ipsis cordis ventriculis tumultuante, vel certè intra pericardium: ita pulsus præter naturã accidit, cũ spiritui vitali (licet enim mihi ita loqui) ebullienti, & pulsum secundùm naturam causanti, miscetur flatus crassus, ex coctione, quæ fit in corde, ortus, qui turbat ordinem & constantiam pulsûs secundùm naturam. Hæc turba cum in malignis febr. maior & periculosior sit, iudica, an rectè scripserim olim iuuenis, *E pulsu, suâ naturâ fallaci, in fallaciori morbo, non nisi fallax iudicium esse.*

ABERRATIONES.

§. 11. Pulsum definire voluisse Fuchsium l. 4. f. 513. est quod mirer. Tam enim simplex non est vllus rusticorum, vti nesciat. Quò minus probum est mihi factum Gal. qui totum lib. 4. de Diff. pulf. impleuit nobis definitionibus! Scilicet hac ratione voluit despicabilem facere τὴν φιλορισίαν, quam etiam libri extremo in totum damnat. In vsu duplici paria facit Galeno. Ego verò Com. de Thorace, & alibi, alterum quidem (per fines arteriarum attrahi aërem ad elaborationem spirituum) totum conculcaui: alterum autem ita explicui. In contractione cordis, & consequenter dilatatione Arteriæ magnæ expelli sanguinem arteriosum in vniuersum corpus, ídque pro nutritione ipsius, quam alibi toto ingenij robore assero. In dilatatione cordis, consequenter contractione Arteriæ, sanguinem eundem

dem communicari venis, per mutuas anaſtomoſes: in ſpecie, per cutaneas, tam arterias, quàm venas, vacuari fuligines. Argumento ſit, quod, ſtipatis cutis poris febres fiunt. Decem illius genera & differentias, f. 514. non impugno. Cauſas, f. 523. ſino.

§. 12. Cum Sennerto l. 1. c. 11. video mihi ſeriò agendum eſſe, ne autoritas ipſius mihi obſtet. 1. omnium non intelligo, quâ fronte dicere auſit, Notiſſimum eſſe, facultatem vitalem eſſe homini propriam præ brutis & plantis? Non poſſum credere, de ruſticis etiam accipere & opificibus manuariis: quin de Philoſophis ſolis debet capi. Dicat igitur, cui Philoſophorum vnquam, ante Galenum, venerit facultas illa in mentem? Ille quidem videri vult, Hippocrati & Platoni quoque fuiſſe cognitam: ſed vbi probat? Imò verò Gal. relictis ducibus ſuis, onus probandi in ſe ſuſcipit: ſed tam non præſtat, vt pudeat me ipſius. Succeſſere quidem humeris ipſius plurimi, inter quos præcipui, Fernelius, Bertachius, Coſtæus, Mercatus, Th. à Veiga & Peramatus: verùm ego ita illos fregi Com. de Thor. 2. vt nemo hactenus auſus ſit illis ſuppetias ire. Eant igitur, ſi commodum, exſequias, ne porrò turbentur bona ingenia. Qui tamen volunt in iſtis ſordibus conſeneſcere, faciant ſuo vſque arbitratu.

§. 13. 2. Mirabilem gignit nobis Chimæram, de quâ Lucretius: *Prima Leo, poſtrema draco, media ipſa Chimæra*, id eſt *hircus*. Cum vitali enim facultate quomodo cohæret τὸ θυμοειδὲς, *Iraſcibilis* Platonis? quomodo cum hac iterum *Generatrix ſpirituum*? Et quis vnquam audiuit, ſpiritibus præfici peculiarem facultatem? Sed ſit: quomodo cum his iungitur facultas *Pulſifica*? Quantò meliùs hæc Philoſophus? (De Resp. 20.) Ἡ θρεπτικὴ, vult dicere, *conſiſtit in corde: circa cor tria accidunt, quæ videntur eandem naturam habere, cum non habeant*, πήδησις, σφυγμὸς, ἀναπνοή, *Saltus, pulſus, reſpiratio.* Duo poſteriora quid ſint, omnes nôrunt, & cur inſtituta: prius illud pauciſſimi. Mihi liberius explicare libet, & ad rei naturam. Saltus quidem ad τὸ ζῆν pertinet: reliqua autem ad τὸ εὖ. *Saltus* quatenus ab illâ ζέσει, *ebullitione*, & coctio ſangui-

 nis

nis fit in corde, & distributio eiusdem, partim per pulmones de ventriculo in ventriculum, partim per arterias in vniuersum corpus. His accedit tertium, cum à causâ externâ impeditur distributio, & fit συνώσις τοῦ θέρμου ἐν τῇ καρδίᾳ, *concentratio caloris in corde*, quod fit in perturbationibus animi, timore, pudore, odio, amore, &c. *Pulsus* & *respiratio*, quatenus in motu illo sursum, fuligines per nares vacuantur: in motu deorsum, per vasa cutanea. Dum hæc omnia fiunt, fit simul accidentalis ἀναθυμιάσεως, *euaporatio*, quâ tamen Natura vtitur ad res magnas, ad ea, (inquam) omnia, ad quæ spiritibus opus est. Et hæc quidem videtur mihi scripsisse Arist. ex Naturæ libro, quamuis aliter visum fuerit Apelliconti & Tyrannioni, vt alibi monui ex Strabone & Plutarcho. Vno verbo, *Locus est corruptus.*

Quis credat, Philosophum huc pertraxisse palpitationes cordis, aliósque morbos? quis ferat κατάψυξιν σωπηκτικὴν?

§. 14. 3. Chimæra hæc mirificam sobolem aliam parturit, *Sítne referenda facultas hæc, vel ad Nutricem, quam Naturam vocabant Stoici, distinctam ab Anima, sequutúrque illos Gal. vt sæpè dico: vel ad Animalem? an potius sit mista ex Naturali & Animali?* Mirabilis quæstio! Sed multò mirabilius ratiocinium! Concludit quidem Sennertus, nihil horum esse, sed peculiare quid: Veruntamen concedit Mercato, ad *Animalem* referri posse, quod profectò ἀτοπώτατον est. Dicat mihi Sennerti æmulus quis, si peculiaris facultas est, vbi est in rerum natura? h.e. Ostendat mihi viuentium aliquod, quod sit vltrà tres confessas facultates, *Nutritiuam seu Vegetatiuam, quæ in plantis est: Sensitiuam, quæ in brutis: Rationalem, quæ in homine?* Fortassis dicet ille vicissim, Atqui vtitur hæc facultas peculiaribus organis, & actiones sunt diuersæ, tam à *Naturalibus*, quàm ab *Animalibus*? Vt de plantis non dicam: quæ est diuersitas & actionum & organorum, tam ad nutritionem, quàm ad sensationem pertinentium? Scio esse aliquam: sed non eam, quam oratio tua postulat. Annon bruta animalia eodem modo opus habent & sanguine ad τὸ ζῆν, *& ventilatione* ad τὸ εὖ ζῆν? Paucis, In plantis est *Vegetatiua* simpliciter dicta, quia præter vegetatiuam seu nutritiuam nihil habent, & perficitur illa paucis instrumentis, fibris, quæ alimentum iam præparatum è terra

sumunt,

sumunt, & in se substantificè alterant. In brutis & homine est *Vegetatiua exaltata*, vt Intt. loquuntur, quia alimento vtitur præparando, quæ præparatio opus habet & multo, sensibilique calore, & multis variisque instrumentis, quorũ singula singulas habent actiones, καθ' ἐντελέχειαν quippe operantia, vt vel tandem prodeat Dædaleum illud Naturæ opus, *Sanguis*. Tu vel hinc vide, quãtùm mali dederit nobis ambitio Gal. quantùm superaddant Galenistæ nostri!

§. 15. 4. Sed nondum est turbarum finis. Quod apud neminem legi, aut, si legi, contemsi, cudit nobis Sennertus nouam aliam facultatem, *Vitalis spiritus generatricem*. In hac astruenda f. 91. vtitur locutionibus tam ineptis, tautologias committit tam crebras, tenebris inuoluit se tam densis, vt non magis inueniam exitum, quàm si Labyrintho Cretensi inclusus essem. Vt pauca dicam; Si datur noua hæc facultas, quorsum eam operari non posse ait sine pulsu, à quo generari spiritus vult? 2. Ad spiritus generationem requiri aërem externum, quomodo persuadebit mihi? 3. Soli sinistro ventriculo hoc deberi, quando sufficienter probabit? 4. Respirationem non minùs huc facere quàm pulsum, negabítne? præsertim, vt ipse fatetur, si vtriusque idem est vsus? Nec refert, quod posteà agglutinat. De vno affectu continua debet esse oratio. Verbũ plus satis.

§. 16. Quæ porrò dicit de pulsu, præparatoria quædam sunt ad ea, quæ l. 3. f. 569. dicturus est. Ad quæ accedens, aio primum, Quæ de vsu nominis proponit, rectè habent: sed quid opus est definitione essentiali? Deinde, Arteriarum vsum cur ad solum spiritum adstringit? fortassis non vehunt sanguinẽ? fortassis spiritus sine sanguine esse possunt? Tum verò, quàm audacter à nobis postulat, vt suo solius sensui credamus, *Motum cordis & arteriarum esse eundem*! Alij enim contrarium senserunt, & adstipulatur illis ratio validissima, Dum cor constringitur, & expellit, quò pellit? In arterias. Ergò oportet arterias dilatari, vt recipere possint. Hoc successiuè fit semper, adeóque fit motus ille continuatus, quem in fluuiis videmus, quibus etiam Erasistratus comparabat, vt habemus de Gal. 2. Caus.

pulſ.8.7.Ex Anat.4. Nec ſatis eſt, ſi Gal.illum mentiri ait. Nimis enim factu facile eſt hoc. Quàm verò turpis eſt fuga, Arteriæ non exactè clauduntur? Quis enim noſtrûm hoc dixit? quis ſibi imaginari poſſit? Dum enim recipiunt, neceſſariò patent. Aliud eſt contrahi, aliud occludi. Sed mittamus hæc: videamus autem, quid Sennertus, leoninam indutus, meditetur f.571. contra Ariſt.

§. 16. I. Argumentum proponit his verbis: *Pulſus pro accidentario motu non eſt habendus, &c.* Vnde formo hunc Syllogiſmum, Quæcunque fiunt per accidens,non poſſunt habere vſum in naturâ. Atqui pulſus apud Ariſt.fit per accidens. Nego maiorem ſimpliciter. 1. Lien v. g. non apud Ariſt. tantùm, ſed & Gal. factus eſt per accidens, Ergóne vſum non habet? Imò,niſi ſit in officio,morborum,& mortis cauſa eſt. Eadem ratio eſt omnium viſcerum,quæ excrementis dicata ſunt. 2.Non eſt idem dictu,fieri ex neceſſitate materiæ, & fieri per accidens. Sed ſit: ἀέρωσις, ſeu ὄγκωσις illa ſeu ζέσις, neceſſariò fit agente calido in humidum: illa ipſa tam latum habet vſum, quàm latè patet ſpirituum vſus.

§. 17. II. Argumentum eſt ibi, *Et ſi repletio ſolum,&c. Si repletio arteriæ cauſa eſt huius motûs, erit violentus. Atqui ita eſt apud Ariſt.* Nulla eſt conſequentia: Ignis culinarius mouetur ſursùm & deorsùm naturaliter. Ergò ignis quoque noſter. Hoc intereſt, *Culinarius* eſt liber, effertur & differtur in immenſum, pro ratione materiæ vſtilis: *animalis* eſt concluſus, & habet materiam definitam, quapropter etiam ſub imperio Naturæ eſt, & violentiæ locus non eſt.

§. 18. III. Non poteſt reddi ratio, cur, moto corde, moueantur eodem momento omnes arteriæ, etiam capillares. Hîc falſa hypotheſis ſubeſt. Arteriarum capillarium motus non eſt ſimul cum motu cordis, ſed longè poſt. Eſt enim, ceu dixi, motus ſucceſſiuus, vt in fluctibus. Hinc etiam reddi poteſt ratio, cur motus cordis tandem perueniat ad arterias capillares. Quo loco monitos volo noſtros, Loqui me quidem cum Gal. ſed ſentire cum Ariſtot. qui motum tribuit, non arteriæ, ſed ſanguini in

in arteriâ contento. Hinc Illustr. Scaliger τὸ σφύζει exponit, *Fluctuat.*

§. 19. IV. *Videtur peti à mollitie arteriæ.* Hîc 1. inanis est metus, cum sint sextuplo venis crassiores, fibris ita inter se complicatis, vt vix vnguibus discerpi possint. Sed & 2. motus non est ipsarum, sed sanguinis, vt dixi, corporis fluidi, cuius quæ proportio ad corpus tam solidum?

§. 20. V. Videtur esse in illis, *Neque etiam par est, &c.* Quod si rectè intelligo, potiùs pro Arist. est, quàm contrà.

§. 21. VI. est ibi, *Multorum quoque pulsuum, &c.* Et nihil facit. A calore enim peto, quod ille à facultate. Calor vehemens facit pulsum fortem: debilis debilem. In febribus pestilentibus tam non semper æstus est magnus, vt sæpè mitis sit: tam non semper pulsus debilis, vt non raro naturali sit similis.

§. 22. VII. Est repetitio primi. Iámque hoc addo, Motus ille certus, exactus ille ordo ideò hîc est, quia Natura illum gubernat, quæ nihil aliud est quàm ordo, 8. Phys. 1. t. 15. Hinc Gal. 2. Dieb. Crit. 2. tam extollit ordinem in operibus Naturæ, vt à Deo esse dicat, &c.

§. 23. VIII. *Si enim viuum animal, &c.* tam miserum est, vt pudeat me hominis. Idem iudico de quæstione, *An arteriæ insitam habeant vim pulsificam?* Quid opus est illam quæri in arteriis? Actus ipse est in sãguine. Sed satis nugarũ.


§. 24. In vsu f. 573. constat quidem sibi: sed verax non est. Dirutis enim fundamentis, quì constare potest domus? Ita autem est, Per pulsum sanguis è corde in habitum differtur, nutritionis ergò: vbi ad cutim venit, excrementa tertiæ coctionis fuliginosa, per vasorum fines, difflantur. Et hæc difflatio est altera pars συμμετρίας τῆς καταψύξεως, est siue *refrigeratio* siue *ventilatio* illa, de quâ loquitur distinctè, cum res eadem sit. Quod autem annectit de aëre ingrediente per eosdem fines, vt partim refrigerante, partim materiam spiritibus præbente, ἀκατάληπτον est.

§. 25. Quæ sequuntur cap. 5. possunt stare: quæ cap. 6. auro contrà bona sunt, propter ea, quæ dixi §. 9. partim propter cautelas in tactione obseruandas. Quæ causa etiam

fuit

fuit mihi, cur proponere noluerim, perinde ac in Vrinis feci. Reliqua ſunt vltra captum Inſtituendi.

§. 26. Lidd.quæ habet l.2.f.234.triuialia ſunt, & nauci apud me: quæ l.4.f.563. mediocria ſunt. Heurnium l.10.legat, qui volet.



CAPVT XXXIX.

De Prognoſticis ex Reſpiratione.

§. 1. MIror ab omnibus hanc negligi! Tantò magis, quò maior eſt affinitas illi cum pulſibus, deſtinata quippe τῇ σωτηρίᾳ τῆς καταψύξεως, perinde vt pulſus; conſtans duabus partibus vt pulſus, συστολῇ καὶ διαστολῇ; habens tres cauſas continentes vt pulſus; & ſi quæ ſunt alia, quæ Valleſius colligit 3.Controu.2.

§. 2. Primum omnium hîc quæritur, *Qualis ſit actio? Naturalis*, an *Animalis*? Gal. quibuſdam locis tam confidens eſt, vt Sophiſtas vocet illos, qui *Naturalem* appellent: contrà aliis locis dilucidè id docet. Dico paucis, *Eſt actio miſta ex animali & naturali.* Quatenus enim ignis animalium, in corde ebulliens, ſurſum fertur & deorſum, eſt *naturalis*, quia cohibere non poſſumus, 3.Aph.23. quatenus concurrit motus thoracis & muſculorũ abdominis, à quibus fit modulatio ipſius, vt quidam loquuntur, eſt *animalis*. Hâc in re quia ebullitio in corde vincit, dici poteſt à Corde eſſe, ideóque *Naturalis*.

Com. 2. Thorace 18.

§. 3. Eſt duplex. *Libera & naturalis* verè eſt illa, quæ fit, vel à ſolo diaphragmate, vel à diaphragmate quidem, ſed cooperantibus, tam inferioribus intercoſtalibus, quàm abdominis muſculis. *Coacta & præternaturalis*, cum dictis in ſubſidium veniunt, & ſuperiores intercoſtales, & humeri ſcapularúmque, & tandem pinnæ quoque narium. Et hæc eſt reſpiratio μετέωρος, *ſublimis*. Hipp.

§. 4. Conſtat quidem duobus motibus, non ſecus ac, *Contractione* & *Dilatatione*: ſed motûs non ita certus eſt, quia plures partes requiruntur. Dico ego, Poſtquam cor quater, aut quinquies ebulliit, ita tumet vena arterioſa cum arteriâ venoſâ, vt thoracis capacitas omnis à pulmone ſit occupata, & metus ſit ſuffocationis. Tum verò excitatus thorax cum muſculis huc pertinentibus, comprimunt pulmonem, vt fuligines dimittat. Quo facto, ne detur vacuum, ingreditur aër, & refrigerat bronchia pulmonum, quæ refrigerata refrigerant vtrinque adiacentia vaſa venæ arterioſæ, & arteriæ venoſæ, à quibus denique refrigeratur ſanguis contentus.

§. 5.

§. 5. Sunt igitur hîc quoque tres causæ continentes, *Calor* vegetus, abs Gal. *facultas* vocatus: *vsus* vrgens: *instrumenta*. Horum vno alteróve læso, fiunt difficultates spirandi, de quibus Gal. scripsit tres integros libros. Hæ dant ferè eadem signa prognostica pulsus, nisi quod euidentiora sunt.

ABERRATIONES.

§. 6. Fuchs. l. 1. f. 179. declarat se Galeni æmulum, cum merè *voluntariam* vult esse *respirationem*. Sed cædit seipsum, non minùs quàm Gal. cum quibusdam voluntariam copulāt *Affectus corporis*, merâ λογομαχίᾳ freti. Quid enim sunt παθήματα illa? In egestione & mictione quis est *affectus ille*, qui facit, quo minùs voluntariæ simpliciter sint actiones? Expultrix naturalis. Quid igitur obstat, quò minus actiones mistas vocem, factas quippe & voluntate & naturâ agente? Ita in respiratione, quia *Naturæ*, refrigerationem desideranti, succurrit *Anima*, & perficit actionem: quid impedit, quò minus vtrámque efficientem agnoscas, ô Fuschsi?

§. 7. Viderat, credo, difficultatem Senn. l. 1. f. 92. Ideò negat, merè voluntariam esse respirationem: verùm non satis se explicat. Si enim pulmonis quoque motus necessarius est; pulmo autem mouetur ex se: quo motu mouetur? animali, an naturali? Ipse quidē tacet: sed sequela orationis cogit illum ad naturalem diuerti. Vbi ego scire volam, quomodo viscus hoc frigidum, cuius caro tomēti instar tantùm vasis interiectum est, moueri possit? Sed & hoc illi obstat, Naturales motus sunt æquiuoci, non vniuoci. In summa, nisi cor accersiuerit, exemplo Gal. 5. Loc. aff. 1. ex. hoc gurgite nunquam enatauerit. Propterea dico, Cor motum dat principiū motûs pulmoni: pulmo motus dat principiū motus thoraci. Dicis, Ergóne cor vniuocè mouetur? quis eredat? Respondeo, Cum motus naturales distinguimus h. m. ab animalibus, Cor excludimus. Huius enim motus est peculiaris, actus potius, quā facultas, à quo pendent tria accidentia, ceu loquitur Arist. vt §. 13. sup. c. dictū. Vt igitur cerebrū, omnis sensus principiū, non sentit: ita cor, vtriusq; motus autor, nō

mouetur hoc, illóve. Quin eſt αὐτοκίνητον καὶ ἀεικίνητον, vt Gregorius Nyſſenus loquitur, inſtar Solis, qui ipſe non calidus calefacit omnia. Interim *Naturalis* motus dicitur hic cordis motus, cum ab *Animali* contradiſtinguimus.

§. 8. Lidd. l.2.f.137. poteram vocare heroa, ſi omiſiſſet τὸ *Aliquod*. Ita enim vera foret ſententia, Reſpiratio exquiſitè animalis non eſt: ſed partim naturalis. Finis enim reſpirationis eſt gratiâ cordis, & initium motûs ipſius eſt à corde. Sed, eheu! quàm miſerè contaminat laudem ſuam iſtis! *Eſt à facultate quadam aeris attractrice, & in pulmonem expultrice, qui pulmo eſt proximum reſpirationis inſtrumentum, in quo perficitur, &c.* quæ omnia tam abſurda ſunt, quàm quæ abſurdiſſima, ideo non ſum longior. De reſpirationis definitione facio idem. Πεpίεργος eſt, vno verbo.

§. 9. Heurnius l. 10. cap. 2. incipit fortiter decurrere: ſed ſubitò laſſatur. In tertio verſu ſi pateretur deleri τὸ *Pulſificam*, multùm accederet rebus ipſius. Mox diſplicet obſcuritas, *Reſpiratio ferè libera eſt.* Tantò magis, quia ſubinde pro *Animali* declarat.

Sed deſino plura:

Inuida fac melius, ſi potes, Improbitas.



INSTITVTIONVM MEDICARVM LIBER V.

In tres ſectiones tributus, Diæteticam, Pharmaceuticam, & Chirurgiam.

CAPVT I.

Connexionis ratio.

§. 1. MOREM Hippocratis eſſe, ſcribit Gal. 3. Off. Med. 30, ſæpè repetere, quæ latè vtilia ſunt. Inter hæc quia procul dubio eſt cohæſus partium Medicinæ eſſentialis, paucis cognitus, primùm omnium ſciendum eſt, Aliud eſſe, inquirere in partium illarũ numerum: aliud docere, quis ſit progreſſus in docendo & diſcẽdo.

§. 2. Medicina cùm ſit ars vt in ſup. comprehenſum eſt, ideóque pendeat à fine: procul dubio proximæ & principaliſſimæ partes erunt illæ, quæ finem illum explicant. Eæ ſunt duæ, Ὑγιεινὴ, καὶ Θεραπευτικὴ, quas, ſi liceret, Latinè vocarem *Methodum conſeruandi* & *Methodum curandi*. Nunc oportet me cum aliis loqui.

§. 3. Sed debétne adoleſcens ab his initium diſcendi facere? Minimè omnium. Stat enim præceptum Analyticum, Non à *Naturâ-notis*, quæ obſcuriſſima ſunt, ordiendum eſt: ſed à *Nobis-notis*, quæ intellectui faciliora. Ex priori ordine cùm ſit *Finis*; ex poſte-

tiori, *quæ ad Finem*: iure ab his exordium capessimus.

§. 4. Hæc ipsa sunt duûm generum. Alterum genus seruit cognitioni, alterum operationi. Vtrumque iterum triplex est, hinc quidem *Physiologia*, quæ explicat *Res-naturales*, vnà cum *Pathologiâ*, quæ *Res-præternaturales*; & tandem *Semiotica*, quæ addit signa constitutionis corporis, seu subiecti, tam naturalis, quàm præternaturalis: illinc autem tres præscriptæ, de quibus sciendum est, quod penè omnes latet,

§. 5. Seruire ex æquo tam ὑγιεινῷ, quàm θεραπευτῇ. Vterque enim vtitur diætâ, seu *sex rebus-non-naturalibus*: vterque vtitur remediis seu medicamentis tam simplicibus, quàm compositis: vterque manus adhibet venam secando, clysterem applicando, &c. Heic è longinquo exaudio quendam verè magnum virum, *Hoc est confundere præcepta vtriusque methodi, & curatoriæ & conseruatoriæ!* Negaui ego id alibi, adhibitâ explicatione satis euidenti: dicam nunc de Venæ sectione tantùm. Vtitur illâ & θεραπευτὴς & ὑγιεινὸς. Ille scopum habet Morbum magnum præsentem, hic futurum, v.g. in habitu athletico.

§. 6. In his consistit ministerium, quod tres hæ partes Medico præstant, quod hodiernis moribus ad alios ferè deuolutum est, non iniuriâ. Vt enim in Architectonicâ, in re nauali, militari, aliud officium est architecti ipsius, nauarchæ, imperatoris, aliud fabri lignarij, remigis, militis: ita heic quoque. Hanc rem præclarè explicat Gal. 5. in 6. Epid. 1. è quo ego lib. 1. Instit.



SECTIO PRIMA.

CAPVT II.

Diætetica in quibus consistat?

§. 1. Δίαιτα, *Victus*, vulgari quidem loquendi more, pertinet ad solum *Cibum & potum*: at in Medicinâ vox multò latiùs patet, extenditúrque ad omnes, ceu iam dixi, *Res-non-naturales*, ita dictas, quòd medio loco sint inter *Res-naturales*, & *Res-præternaturales*. Si enim bene quis vtatur illis, *Naturam* conseruant: sin, eandem destruunt, adeóque causæ fiunt morbificæ. Quâobrem, vt mox prolixiùs dicã, quamuis modò etiam dixerim, doctrina earum non est propria τοῦ ὑγιεινοῦ: quin vtitur ὁ θεραπευτὴς tantisper, quantisper vita manet. Hinc peto explicationẽ inscriptionis θ. Scherbij, de *summis vitæ conseruandæ scopis*, N. 13. Si enim *Vita* & *Nutritio* pari passu ambulãt; siue, *si viuẽs non datur, quod nihil sanitatis includat*, Ib. N. 1. θ. 45. & rursus, N. 11. θ. 4. vtiq; & ὑγιεινὸς & θεραπευτὴς aget de *Rebus-non-naturalibus*. Moneo autem Scherbium heic paria fecisse cum Bernardino Crippa, in *Peripatetica vitæ conseruatione*, Romæ 1592. in 4.

§. 2. Alij

§. 2. Alij, vt est apud Gal. 1. San. tu. vlt. complectebantur numero quaternario, τῶν προσφερομένων, τῶν ποιουμένων, τῶν κενουμένων, καὶ τῶν ἔξωθεν προσπιπτόντων: Verùm, quia posteà iterum dicendum erat, quæ sint illa *Oblata, facienda, vacuanda, & extrinsecùs allabentia*, meritò νεωτερισμοῦ nomine damnat Gal. & retinet veterem numerum senarium, qui est,

I. Aër.	IV. Motus & quies.
II. Cibus & potus	V. Excreta & retenta, & tandem.
III. Somnus & vigilia.	VI. Affectus animi dicti vulgo.

§. 3. Quæras fortassis non iniuriâ, An hæc de diæta tractatio fuerit eadem cum Arist. libro περὶ τροφῆς? adeóque ἡ τροφὴ tam latè pateat, quàm hodie ἡ δίαιτα? Videtur voluisse Franc. Bonamicus, qui in amplitudinem insignem extendit, scriptis lib. V. *de Alimento*, Florentiæ in 4. 1603. Verùm, non esse ita, euincam ex locis iis, quos in Præfat. prodit ipsus. Quò minùs solicitus sum de Alberto Magno, quem idem affirmat, & omisisse quædam, & à scopo Philosophi discessisse.

§. 4. Summa est, Diætetica nostra non agit de *Sanguine* iam confecto, qui proxima nutritionis materia est, & ad doctrinam de *Humoribus* pertinet; non de *Excrementis*, quà talia sunt, quæ ipsa pars sunt dicti de Humorib. tractatûs; non de *Calore*, qui sanguinis causa efficiens est, & debetur libro de *Calido-innato*; non de *Facultate nutritoriâ*, quæ ipsa iam locũ suũ habet; non de *Instrumentis*, Corde, hepate, liene, &c. quæ in *Anatomicis* explicantur: sed de *mediis*, bene vel malè administratis. Media sũt sex illa, quæ dextro vsu sanguinẽ bonũ gignunt, atque ita ad τὸ εἶναι animalis viam sternunt; contrà, sinistro, causæ fiunt morborum, mortísque.

§. 5. Et hoc est, quod oppono inani & friuolo illi consensui, qui hodie ferè regnat, *Sex has res seruire soli ὑγιεινῷ*. Imò verò nisi & ὁ θεραπευτὴς sibi amicas habeat, statim extinguetur exiguum illud *Ignis animalis*, quod in morbis superest, quod nisi superesset, nemo reconualesceret.

§. 6. Hoc ipsum est, quod oppono crassissimo errori illorum, qui soli causis morbificis assignãt. Tantum enim hoc abest à vero, vt nemo sanus esse possit, nisi se subiiciat his legibus. Hæ sunt, quæ faciunt, vt verè dici queat, *Medicè viuere esse optimè viuere. Medicè* enim hoc loco est *Modicè*, & secundum modũ ordinémq; Naturæ. Et qualis tibi videbitur illius error, qui, cũ aggesserat causis salubribus, seu ὑγιεινῷ soli, repetit posteà in Diæteticis? Qualis illius, qui, dictâ sententiâ de ὑγιεινῷ, nouam parat rubricam, vt sic dicam, (quæ neque caudâ, neque capite cohæret, vel cum anterioribus, de *Vnitate solutâ*, vel cum posterioribus, de *Compositione medicamentorum*) *de Indicatione vitali*. Vbi ego statim, Mi homo, quid est *Indicatio vitalis*? Si priori mihi dicere licet sententiam, Monstrum est non minùs informe, quàm *Facultas vitalis* ipsa, quod alibi deduxi.

§. 7. Vt ocyùs me absoluã, dico, Indicatio hæc, si omnino vox admittenda est, pertinet ad τὸ εἶναι animalis, vt cum Arist. loqui soleo. Hoc ita deduco. Quemadmodũ ὁ ὑγιεινὸς, in latitudine sanitatis, præscribit victũ, qui consistit in his sex rebus; ita ὁ θεραπευτὴς in morbis. Quod enim

vulgo creditur, vt anteà innui, iis, qui iam decumbunt, cum sanitate nihil ampliùs negotij esse, & falsissimum, & dictu absurdissimum est. Si enim hoc verum esset, ne viuerent quidem. Propterea dico. Vt *Vita* à *Nutritione* non differt, quod alibi sæpe probatum est: ita ægrotantes non minùs indigent sex nostris rebus quàm sani. Quod quia ipsusmet docet in seq. non ego frustrà laborabo.

§. 8. Huc non segniter eunt illi, qui *Vires* quidem inter *ea, quæ indicant*, commemorant; quin *primam omnium indicationem* esse pertendunt: non est opus aliis. Iidem in eo vel maximè errant, quòd *Methodo* tribuunt, quod τῇ διαιτητικῇ, *methodi ministra* debetur. In eodem luto hærent, qui *Indicationem conseruatiuam* seu *vitalem* (sic loquuntur) reliquis indicationibus non magis concinnè aptant, quàm

Humano capiti ceruicem pictor equinam.

Indicationes Methodi propriæ omnes sunt à contrario, à tribus rebus p.n. Morbo, causâ morbi, & symptomatis, 4. Meth. 7. 1. in 6. Epid. 30. at verò hæc indicatio, siquidem hoc nomen meretur, est à simili, nec curatiua est, sed conseruatiua, vt alibi deducam.

§. 9. Quidquid sit, his in rebus ne iugiter erretur, hunc ponam modum, Sit duplex consideratio sex rerum-non-naturalium: altera, Quatenus omnis sanus illis indiget: altera, Quatenus ægri. Quod antequàm fiat, præmonendum est, Causæ, quæ nos alterant, duplices sunt, *Externæ* & *Internæ*. De his non agimus, sed de illis, quæ iterum duplices sunt. Aut enim occurrunt nobis fortuitò, & vitari possunt, v.g. vulnera, casus ab alto, crapula, libido, labor nimius, &c. quorum certa scientia non est, quia sunt infinita. Aut occurrunt nobis necessariò, nec vitari possunt, qualia sunt sex illa, quæ numerauimus, quæque τῆς διαίτης, *Victûs* nomine continentur, vt dixi.



PRIMA PARS,

Quæ est de Victu sanorum.

CAPVT III.

I. De Aëre.

§. 1. HEic res ab ouo ordienda est: *Cur tanta nobis aëris trahendi necessitas* est? Διὰ σωτηρίαν τῆς καταψύξεως, dicit Arist. de Respir. 11. quod ita capias oportet. Ignis animalis non minùs indiget ventilatione, quàm culinarius. Quemadmodum igitur ignis in foco, si non habeat motum liberum sursum & deorsum, suffocatur: ita Calidum nostrum

ſtrum durare non poteſt, niſi pateat aëri ad illud via.

§. 2. Quo loco ſubitò oritur controuerſia omnibus ſæculis agitata, Habétne Natura opus ſubſtãtiâ ipſa aëris? an ſatis illi eſt qualitas frigida? *Frigida*, inquis. Atqui Ariſt. *Calidum* facit aërem. Reſpondeo, Talis eſt in naturâ ſuâ ſimplici elementari: at nos conſideramus, qualem haurimus, miſtum ſcil. vaporibus frigidis multis.

§. 3. Sed hoc parum eſt: ingreditúrne aër cor in ſubſtantiâ? Hippocrati cùm id perſuaſum eſſet, & Gal. καθ᾽ δυνάμιν roboraſſet ſubſtantiã: laboratur à noſtris variè. Apud me certum eſt, Ariſtotelis ſententiam, lib. de Reſpir. 5. veram eſſe, Nonniſi qualitate frigidâ opus eſſe. Quod cùm Anatomia confirmet, & rationes plurimæ in contrarium ſint: æquum eſt nos quieſcere. Videant tamen, qui ambagibus delectantur, Com. 3. de Thorace, 7. vbi in illud quoque, quod cap. 6. ſeq. eſt de alimento ſpiritus, inquiritur, ſcil. An ſpiritus in corde alatur aëre? Non, inquit Philoſophus, eſt πλασματῶδες *fictitium*.

§. 4. Atque hæc indigent luce aliquâ. Si aëris attracti hic eſt finis, quæ eſt machina illa, quæ attrahit illum, iterúmque dimittit? Nihil dubito cum Ariſtot. totum quidem thoracem, cũm omnibus contentis partibus, eſſe follem illum reciprocantem, qui Vulcanium hoc opus edit, 4. Vſ. p. 2. pulmonem autem cum ſuis vaſis, (Venâ arterioſâ, Arteriâ-venoſâ, & Aſperis arteriis) eſſe μόριον illud καταψυκτικὸν *partem* illam *refrigeratoriam*, cui præcipuè debetur hæc actio. Hoc inprimis perſuadet conformatio vaſorum dictorum. Inter enim ramos Venæ-arterioſæ exportantis; & ramos Arteriæ-venoſæ importantis, iacent bronchia Aſperæ-arteriæ, in quibus οἷον ἐν αὐλῷ τινὶ, *quaſi in porticu quadam*, 3. Part. 3. aër ítque redítque viam, vt cum Poëta loquar, & refrigeratis vicinis venis arteriíſque, refrigerat ſimul contentum ſanguinẽ, ſimul fuligines emittit. Et ſic ego reddo rationem τῆς καταψύξεως Ariſtotelicæ, quam Gal. ex ſuis hypotheſibus dare non poteſt, fit, inquam, à ſolâ qualitate.

§. 5. Accedit, quòd dum Gal. nimis audacter ſubſtantiam vrget, quę ſpiritibus ſeruiat pro materiâ, multis modis abſurdus fiat. Quâ enim viâ aër in cordis ventriculos venit? præſertim, ſi priùs excidit in pulmones, & in iis coquitur? Diſperſus enim hoc modo à quo vaſe recolligitur? Ab Arteriâ-venoſâ, inquit Gal. Cui ego, Subſtantia eſt aëri continendo inhabilis. Sed & cauitas ipſius inepta eſt recipiendæ alij à ſanguine ſubſtantiæ. Et cur non potiùs à Venâ-arterioſâ fit, quæ ſubſtantiam habet aptam tam tenui corpuſculo? Sed parco pluribus.

§. 6. De eiuſdem aëris per arterias cutaneas ingreſſu, maiori iure dicat Ariſt. πλασματῶδες εἶ). Sed & ipſe Gal. vltroneis ſe induit difficultatibus, de quibus ego olim χρηστομ. φυσιολογ. c. 19. Vno verbo, Spiritus non opus habent aëre externo: ſunt enim euaporatio ſanguinis ſolius, doctore Gal. ipſo, 6. Vſ. p. 17.

CAPVT



CAPVT IV.

Qualis esse debeat hic aër?

§. 1. SI ad vniuersam naturam humanam respicias, quemadmodum homo inter animalia est temperatus: ita aër etiam hic, aut temperatus erit, aut paulo infra temperiem. At verò si ad singulos homines referas, procul dubio talis vel talis erit, qualem requirit indiuiduum. Vnde ego ratiocinari soleo, breuioris aut longioris vitæ causam sæpe esse aërem, vel proportionatum, vel non proportionatum. Tantò magis, quò verius est, quod ex Hipp. docui Com. in 6. Vs. p. 16. Aërem ingredi non in pulmonem tantùm, sed & in ventriculum.

§. 2. Temperiei huius maxima est latitudo, non tantùm pro diuersitate quatuor temporum anni, sed & climatum mundi, imò verò etiam locorum particularium, prout vel maritima sunt, vel non sunt; plana, vel montosa; ventis his, illísque accessa, aut non accessa; sicca, vel paludosa, &c. Ferunt etiam incolæ faciliùs, difficiliùs has illásve intemperies aëris, pro ratione consuetudinis. Quamuis enim vitiosæ sint: tamen meliùs ferunt, quia consuetæ sunt. At si mutetur quid, tum est status ille, quem Hipp. describit 3. Aph. 8. Cùm tempora non sunt tempora, morbos expectare oportet. Hi ferè Epidemij sunt, vel simpliciter dicti, vel perniciosi.

§. 3. Qui morbi quia ad aërem (in quo τὸ θεῖον Hipp.) referuntur ab omnibus, quæstio oritur, Quo modo affecto illo fiant? Non vno: sed tribus. Primus est ille, cuius feci mentionem, cùm alteratur aër in manifestis qualitatibus, fit calidior, frigidior, &c. Alter est, cùm in totâ substantiâ, quæ est putredo propriè dicta, facítque morbos Contagiosos & Pestilentes, quin Pestem ipsam. Tertius huic adhæret, cùm alibi concepta putredo aliò transfertur, ídque contactu vel mediato, vel immediato. Potest autem ab initio immediatus esse, cùm vna aut altera persona vtitur vestibus, aut lectis infectis, à quâ repit de domo in domum, de vico in vicum, de pago in pagum, de vrbe in vrbem. Potest etiam vnus & alter victu vti tam perdito, vt ipse quidem primus malignè laboret, ab ipso autem malignitas transfundatur in alios. Hoc accidit nobis in obsidione Noribergensi anni 1632.

§. 4. Quartum modum obtrudunt nobis Gastrologi, qui est à certis maiorum siderum positionibus, seu aspectibus, seu influxibus. Sed ita est, Nihil mali à purissimis illis corporibus, vel in hunc mundum defluxit vnquam, vel etiam in hoc eius senio influit.

CAPVT



CAPVT V.

II. De Cibo, seu Alimento propriè dicto.

§. 1. HEic quoque altiùs principium sumere oportet. *Cur animal desiderat alimentum?* πρὸς τὸ εἶ), dicit Arist. *vt durare possit.* Non enim adamantinum corpus habet, addit Gal. 1. San. tu. 2.

§. 2. Vbi statim habenda est notio alimenti: dico autem, *Alimenti humani.* Quid enim vorent equi, canes, aues, pisces, nihil ad nos pertinet, quemadmodum nec tota Veterinaria. Neque enim valet, Hoc est alimentum equi, Ergò etiam hominis: neque contrà. Vniuersè, alimentum humanum est id, quod simile est temperamento hominis. Hoc consistit, non tam in primis qualitatibus, quàm in totâ substantiâ, cuius conditiones materiales dictæ, etiam variant. Est enim substantia hæc, modò rara, aut densa; modò friabilis, aut glutinosa; modò dura, aut mollis. Hinc vel facilè, vel difficulter descendit alimentum, coquitur facilè, aut difficulter, aut prorsus non; succus elicitur aut multus, aut paucus, bonus, aut malus, facilè, aut difficulter in habitu dissipabilis. Est autem de notione *Alimenti, Vinci,* non *Vincere*: quemadmodum contrà de notione *Medicamenti, Vincere,* non *Vinci.* Vnde intelligitur, quamuis vtamur vocibus actiuis: accipiendas esse tamen pro passiuis. Neque res caret exemplis. Videre, audire sunt actiua: reuerà tamen sensus omnes sunt παθητικόν τι, quatenus fiunt recipiẽdo. Ita nos decipit σχῆμα τῆς λέξεως.

§. 3. Est autem alimentum apud Hipp. lib. de Alim. t. 8. triplex, τροφὴ, οἷον τροφὴ, καὶ μέλλον τροφὴ, *Quod iam in partem alendam abiuit: quod abibit, vt sanguis: quod longè abest, in potestate scil. id quod comedimus.* Alij ita explicant, *Alimentum* simpliciter dictum, est quod totum vincitur à naturâ: *alimentum* cum additione, *Medicamentosum,* quod magnam quidem partem alit, aliquo tamen modo vincit, & alterat: *Medicamentum alimentosum,* quod magnam partem vincit, aliquatenus tamen vincitur. Hinc præcipuè pendent differentiæ quæ dictæ sunt.

§. 4. Omnia alimenta sunt τῶν πρὸς τι, quia referuntur ad Socrátem, Platonem, Coriscum; ad pueros, ad senes; ad mares, ad fœminas; ad otiosos, ad laboriosos; in hac, illáve quantitate; hoc, illóve ordine & tempore; ad consuctos, ad insuetos, & siquæ sunt talia.

§. 5. Rursus, omnia in vniuersum quidem cognoscuntur experientiâ: ab vnoquoq; autẽ indiuiduo singula. Hinc (his quidẽ terminis) pendet τὸ γνῶθι σεαυτὸν, hoc est, vt quisq; nôrit conditionẽ vitæ suæ, præcipuè, laboriosúsne sit; an otiosus? Illi enim, quia validissima habẽt exercitia & sõnos lõgissimos, sine delectu quiduis comedũt & cõcoquunt, in quacunq;

PPPp quanti

quantitate : hi contrà ab ineunte ætate studere debent, vt sciant, quid ventriculus ferre possit, aut non possit, in quâ quantitate, &c. Hoc nobis literatis præcipuè accidit, quorum quidā fatigant Medicos, præsertim in conuiuiis, Estne hoc illúdve salubre, vel insalubre? Nihil tale est simpliciter: sed relatè. Tu es iam eius ætatis, vt nôsse possis, cum quo cibo tibi conueniat, quo cum secùs. Hinc de Tiberio Imp. scimus, rexisse vitam proprio arbitratu, & probrosum putâsse post trigesimum ætatis annum Medico manum porrigere.

§. 6. Hinc adeò in libris Diæteticis scribitur tantùm materia alimentorum: tu debes addere formam, vt fiat actu alimentum. Eodem modo in Pharmaceuticis scribitur tantùm materia auxiliorum: vt sint auxilia, est à Medicinâ, quæ docet, quibus, quando, quâ dosi, &c. sint danda. Quod ad rem nostram, docebat nos Scherbius, ὁ πάνυ, semper est separanda ratio alimenti, quà alimentum, à cæteris, quæ cohærent alimento. Alimentum simpliciter est, quod transire potest in corpus. Tale verò est vnum *Temperatum*, cui oppositum est octuplex *Intemperatum*. Hinc tu agnosce, quàm difficile sit respondere ad quæuis interrogata! Caseus éstne vtilis? Est: sed illis, qui sanguinem habent tenuem, & facilè dissipabilem, qui incrassari debet. Et hoc est, quod Langius 2. Epist. 29. ex Hipp. lib. de Vet. Med. quamuis ex alienâ sententiâ, ad Ph. Melanchthona, phœnicem Germaniæ, scribit, Gracilibus mirificè conferre. Et debebat illi hoc nomine commendari, quia corpusculum habebat Melancthon valde gracile. Alioquin vtilis, aut certè non noxius est iis, qui genus vitæ habent actuosum, vt rustici, fabri ferrarij, lignarij, &c. Ita, Caro bubula éstne bona? Non simpliciter: sed illi, qui hepar habet calidum. Sed & in hoc nonnisi sanguinem bubulum gignit. Summa, Nullum sub cœlo est alimentum, quod omnibus sit salubre, quod non requirat hoc & hoc, v. g. vt suo tempore sumatur, vacuo ventriculo, vt ne exercitia statim ab illo sumto incantur, vt somnus differatur in horam vnam, alterámve, vt decubitus sit talis, &c.

Potest quidem bonâ quadam consequentiâ ex Gal. etiam deduci, cùm ait, Crassum succum gignere: sed αὐτολεξεὶ nondum inueni.

§. 7. Petuntur alimenta, vel ex plantis, vel ex animalibus. Ex plantis, cùm vel ipsæ sine radicibus in vsum veniunt, λάχανα, *olera* dictæ: vel cimæ ipsarum: vel radices, vel semina, latissimè accepto vocabulo. Sunt enim vel καρποὶ, *fructus*, vt pyra, poma, cerasa, mespila, corna, ficus, fraga, pepones, cucumeres, citrulli: vel *fruges*, *frumentáve*, σῖτος, vt triticum, siligo, hordeum, auena, frumentum Saracenicum: vel ὄσπρια, *legumina*, pisum, faba, lentes, phaseoli, cicer. Ex animalibus vel quadrupedia sunt: vel aues: vel pisces. Quò pertinent lac, butyrum, caseus & mel.

§. 8. Hinc antequàm ad speciem abeam, edisseram cogitationes meas, Videri in tenebris habitare de industriâ omnes illos, qui *Alimenti* essentiā simpliciter cōsistere aiunt in eo, quod sit victum quid, & edomitum. Quæro enim quâ in re situm sit *vincibile* illud & *domabile*? Nihil hæsitans dico, Quia principia ortûs nostri sunt *Calida & humida* moderatè:

deratè : alimentum etiam eſſe, quidquid mediocritatem ſeruat in duabus his qualitatibus, ſed cum conditione, Vt *modum* etiam *ſubſtantiæ* habeant commodum, non rebellem, v.g. nec denſum nimis, nec rarum, nec terreum nimis, nec aqueum, ſed aërium, à quo quò longiùs abſunt quædam, eò diligentiori opus habent præparatione, eò excrementoſiora ſunt. Et hoc eſt *Temperatum* illud ſuperius, & contrà Intemperata octo. Cæterùm, eſt hoc temperamentum in latitudine quadam, vt, inter ſe collata, quædam dici poſſint *Frigida & ſicca.* Dico, *Inter ſe collata:* quæ enim extra hunc limitem ſunt, ne alimenta quidem ſunt. Hæc ego iam tractabo per ſpecies, non ſeruato ordine propoſito : ſed quem Natura videbitur præſcribere.



CAPVT VI.

De Frugibus.

§. 1. IN hoc veſtibulo moneo quædam valde neceſſaria. 1. Dici has, illáſve fruges (ita etiam omnia alimenta & condimenta) habere hæc illáve incommoda, non ſi ſemel quis, bis, térve vſurpet : ſed longo tempore, & iis non optimis, præſertim ſi accedant alij quoque errores. 2. Dici ferè incommoda illa, vt iam innui: de minùs bonis. Triticum v.g. apud Romanos laudabile, ex Siciliâ ferè erat, ex ſato optimo tritico, quod idem bene maturum ſit, ex agro ſicco, non vliginoſo, ſuo tempore, & in aëre ſicco collectum, maturè excuſſum, plenum, ponderoſum, flauum, in loco perflatili habitum, non teredinoſum, *den vveiſſen vndt ſchvvartzen vvurm* vocant, & ſiquæ alia ad præparationem panis pertinent. Ita de hordeo ad ptiſſanam, ad cereuiſiam, &c. 3. Non adeò multùm intereſſe inter fruges, quæ calefaciunt & refrigerant, eo modo, quo me explicui : ſed plurimùm intereſſe ſcire, quæ humectant, & ſiccant. Cur? Pertinet hoc ad conſeruandam mediocritatem principiorum noſtrorum. Quod dico, non tam de illo, quod in morbis præſtant, quàm de illo, quod in latitudine ſanitatis. Triticum eſt calidum, cum ſucco glutinoſo : hordeum eſt frigidum, cum ſucco tenui, humectante: milium & panicum valde ſiccant : oryza etiam ſiccat, quamuis in lacte cocta : zéa eſt in medio calidorum & frigidorum. Quod triticum habet calidi, decedit ei ab aquæ affuſione : quod glutinoſi, à fermento & ſale. Auena frigidiuſcula eſſe dicitur, & valde mitigare humorum acrimoniam: ſed petit caput. Faba, piſum, lens, cicercula refrigerant & ſiccant, non ſine flatibus, &c.

§. 2. Vtimur dupliciter, vel in iuſculis, (quò refero pultes) vel in panibus. In iuſculis dico, cùm vel ſimpliciter decoquimus integras

fruges, vel in duas partes redactas, vel fresas, hoc est, in far redactas, cùm cortex deglubitur. De hordeato valde multa Hipp. in lib. de Victu in acutis, & Gal. in lib. de Ptissana. Triticum integrum validè obstruit. Vidi hydropicam inde factam, & mortuam. In pulte, si in bono ventriculo bene coquatur, optimè alit: sed reuerà obstructiones causatur. Imò verò in infantibus sæpe sunt ipsa mors, ita distentis ventriculis, vt vis peristaltica agere non possit. Oua periculum augent, aucto lentore & glutinositate. Præstabat saccarum addere, vel mel. Κρίμνον, *farina crassior, dass griess*, præsertim in lacte, multò magis obstruit.

§. 3. Panis est optimum nostrum nutrimentum. Primùm enim appetimus panem, & ad extremum amittimus. Tum verò finis fabulæ est. Obiicitur, Atqui prouerbij vicem habet, *Omnis repletio est mala, sed panis pessima.* Nihil mali, dico ego. Vinum annon est egregium Dei donum? At quid non ex abusu incommodi? Quidam primum auctorem requirunt. Quid opus est? Glutinosus est omnis panis, nec potest adimi illi glutinositas. Imò si adimeretur, non nutriret. Esset enim quasi arena. Reuerà, nisi validum ventriculũ nanciscatur, & exercitium sufficiens, fit crudus humor dictus, vnde in pueris voracibus vermes, in virgunculis ἀχροια, mensium mora cum difficillimis symptomatis. Interim, si coquatur, non bonum tantùm præbet alimentum, sed & durabile. Loquor primariò de tritico, & affini ei zéa, quam à tritico distinguere docuit Iul. Alexandrinum Ferdinandus I. Imp. vt est alicubi in Salubribus: secũdariò de secale, quam siliginem Veterum esse censent quidam, quod valde nescio, *Roggenbrott.* Hordeaceus & auenaceus ab homine eleganti abesse debet. Multò magis tiphaceus seu olyraceus (iam enim pro eodem grano habeo) *Sorghi* in Italia vocant, & cibus est rusticorum. Multò maximè, qui ex miscellâ fit variorum seminum, fabis, lentibus, pisis, &c. Sed hæc iam ad differentias panis pertinent.

§. 4. Panis species antiquis vsitatas non expono: videri autem possunt apud Foësium. Prima differentia, quæ à materiâ sumitur, iam exposita est. Est ea triplex, triticũ, zéa, & secale: qui enim panes ex aliis seminibus famis tempore fiunt, huius loci non sunt. Hinc rursus triplex alius est, aut συγκομιστὸς, qui fit ex toto grano, nullis secretis furfuribus, (vnde αὐτόπυρος, siquidem ex tritico fiat) quod fit, cùm non madefit, antequàm molæ subiiciatur: aut similaceus seu similagineus, σεμιδαλίτης, ex tenuissimo polline, seu flore, sine vllis furfuribus; qui fit madefactis seminibus, vt in grandioribus particulis abeant furfures, præcipuè primi, *vveissbrott*: aut cibarius seu domesticus, seu secundarius, cùm furfurum satis vber copia relinquitur, vnde ῥυπαρὸς ἢ ἀχυρώδης, *hauss: oder schvvartzbrott.* Furfuraceus non pro hominibus est, sed pro canibus. Vbi hoc monendum est, Non quò albior panis, eò melior: imò debet relinqui tenuiorum furfurum aliquid, vt abstersionem qualemcunque habeat, quod est, faciliùs descendat, nec metum calculi habeat.

§. 5. Altera differentia est à diuersitate & modo præparationis, de

quâ

quâ etiam dici cœptum est. Superaddo autem hæc. 1. Panis alius est ἄζυμος καὶ ἄναλος, *sine fermento & sale*, qui pessimus est: alius bene fermentatus & salitus, vnde leuis & porosus fit, depositâ viscositate plerâque. 2. Alius est *furnaceus*, ἰπνίτης, alius κλιβανίτης, *testuaceus*. Vbi ante omnia tollere oportet homonymiam, quæ tam in Græcis, quàm in Latinis codicibus occurrit. Ita autem est, ἰπνὸς, *furnus*, vnde Græcum φουρνὸς, est ædificium immobile in officinis pistorum, coquendis panibus factum: κρίβανος, Atticè, κλίβανος communiter, est machina portatilis ferè, antiquitus ex testâ, (vnde testus, & panis testuaceus) posteà etiam ex ferro æréque facta, quâ dulciarij vtuntur. Et quemadmodum in Furno pinsi potest optimus panis: ita in Clibano (nam & Latini vsurpant) vix potest. Nam quamuis superficies sit bene cocta: in intimo tamen sæpè adhuc madidus est.

§. 6. Supersunt aliæ differentiæ, accidentales quidem in Philosophiâ, essentiales autem in Medicinâ. Ita panis quidam est solidior, quia parum aquæ affunditur, vnde etiam alimentum minùs dissipabile est. Ita quidam bis coctus est pro nautis & remigibus: contrà quidam minùs coctus est. Ita quidam validè subactus est, & diuturno labore: quidam leuiter tantùm motus. Itali propterea amant pistores Germanos, qui sunt minùs dissolubiles, & lacertos habent firmos. Ita alij sunt magni, alij parui. Magni vtplurimùm non sunt percocti: selibrales boni sunt. Ita panis alius est recens, quíque calet adhuc à furno: alius est vetustus, durus, mucidus: alius in mediâ ætate. Calidus est deterrimus, quia continet multas fumidas exhalationes, vnde sitis, inflatio ventriculi & hypochondriorũ, dolor capitis, &c. Nimis vetustus difficulter coquitur, sanguinem melancholicum facit, tardè descendit, &c. Laudabilis est pridianus & triduanus. Summa, Panis optimus est triticeus, cui, quantùm fieri potest, dempta est glutinositas. Ita loquor: qua suprà dixi, Non debere illi adimi omne gluten. Ita in venæ sectionibus laudamus sanguinem illum, qui sub digitis lentescit.



CAPVT VII.

De Fructibus horæis.

§. 1. SEminibus succedunt Fructus, qui ipsi semẽ in se habent, quãuis pericarpia tantũ sint edulia. Inter hos ὡραῖα sunt: ὥρα enim inter alia est tẽpus anni flagrantiss. quo in Græciâ maturescebãt. Heic primo loco pono Melones, & Pepones, dein Cucurbitas, Cucumeres, Citrullos, seu Angurias, quod totũ genus frigidũ & humidũ est, succi valdè corruptibilis, magis, minùs; vnde, nisi in bonum ventriculum incidant, febres

excitant, & quidem malignas, ob miſturam profundam calidi cum humido, dicebat Scherbius. Hunc timorem putant ſe effugere gulones, cùm accipiunt ante alios cibos, addito ſale & ſaccaro multo, tum verò ſuperbibito, non quouis, ſed generoſo vino. Notum enim eſt, qui qualitatem contrariam corrigere vult, niſi opponat valdè contrariam, in ſui naturam conuertetur. Vinum, v.g. niſi ſit bonum, deducet tantùm in vaſa, non autem corriget frigiditatem. Eodem modo dyſenteriæ fiunt, diarrhœæ, choleræ, ſi non conficiantur: ſin, vrinas mouent & menſes, partim abſtergendo, partim tenuitate ſuâ aqueâ penetrando. Alioquin ſiccitates & æſtûs emendant in iis, qui diu ſub Sole verſati ſunt.

§. 2. Contrariam naturam ficus habent, Calidæ ſcil. & ſiccæ, in hoc, inquam, ordine, fine cap. 5. In his ſumma eſt differentia, prout magis minùs maturæ ſunt. Quod ita intelligitur, Ficuum aliæ agreſtes ſunt, aliæ hortenſes. Illæ ὄλυνθοι dicuntur, *groſſi*, ſeu *caprifici*, & nunquam edules fiunt, ſemper plenæ ſucco acerrimo, de quibus heic non agimus. Hæ, quamdiu immaturæ ſunt, ſucco ſimiles ſunt illis, & ἐρινοὶ ἢ ἐρινεοὶ vocantur, nec facilè matureſcunt, niſi caprificentur, quod eſt, niſi ramus caprifici cum fructu appendatur illis. Inde enim orti per putredinem culices ficarij, perforant τοὺς ἐρινεοὺς, vt σῦκα, *ficus* fiant. In his ſemper ſupereſt ſucci illius acris & vrentis aliquid, vnde fit, vt & facilè deſcendant, & in habitum corporis diſtribuantur. Inde etiam fit, vt alimentum quidem dent ſatis copioſum, (vt in fructibus) ſed laxum & flaccidum, vnde habitus totus mollis, rugoſus non compactus. Hoc multò magis faciunt Caricæ. Naturâ enim ſuâ, diuturno vſu, feruntur in habitum, pruritum & ſudorem mouent: quin, quia ſuccus eſt putreſcibilis, pediculos dicuntur gignere. Ob hanc ſucci tenuis penetrantiam, vtimur decocto in variolis & morbillis.


An mutatur acredo in dulcedinem?

§. 3. Cum ficubus magnam ſtructuræ ſimilitudinem habent fraga & mora: ſed ſunt vtraque frigida & ſicca. Præbent ſuccum tenuem & aqueum, quo diuretica ſunt. Rubi Idæi dicti fructus creduntur malignitati aduerſari.

§. 4. His accenſeo Mala Perſica & Armeniaca, propter fugacitatem. Frigida & humida ſunt in principio menſæ ſumenda, non minùs quàm fraga & mora, quamuis noſtris moribus contrarium fiat. Accenſeo etiam Ceraſa & Pruna, quæ eiuſdem qualitatis ſunt: ſed paſſa minùs. Eiuſdem, dico, quatenus permittit differentia, quæ eſt inter dulcia, acida & dulcacida.

§. 5. Accenſeo etiam Vuas, quarum incredibilis eſt differentia. Quædam enim dulces ſunt, calidæ & humidæ: quædam auſteræ & acidæ, frigidæ & ſiccæ: quædam vinoſæ, q. medio inter has loco. Hinc aliæ ſoluunt aluum: aliæ ſiſtunt. Eadem differentia eſt in recentibus & paſſis. Paſſæ enim perdiderunt partes ſuas aquoſas: retinuerunt adſtringens quid. Fit hoc vel à Sole, in Oriente: vel in furno, apud nos. Turcæ habent egregium artificium conſeruandi q. recentes, de quo videri poteſt

poteſt Ill. Busbequius, Epiſt. 1. In Officinis paſſulas duplices habemus, Minores, quæ Corinthiacæ pleriſque locis dicuntur, à ſolo natali: Maiores, quæ Zibebæ, quod verbi detorſerunt fortè Arabes à Græco σκυβελίτης.



CAPVT VIII.

De Fructibus arboreis.

§. 1. ACcipio à Grammaticis ſummã hanc diuiſionem, quòd alij habeant pro munimento pelliculam tenuem tantùm, & vocentur *Poma* ſeu *Mala*, μῆλα: alij corticem durum, qui κάρυα, *Nuces*. In hoc horum medio ſunt Perſica, & Ceraſa, &c. Quo dato, naſcitur mihi hoc πόρισμα, *Pyra* comprehendi ſub Pomis. Reuerà, differunt ferè in duobus tantùm, 1. in figurâ, quòd mala orbiculata ſint, pyra turbinata. 2. quòd mala ſint minùs denſæ ſubſtantiæ, pyra magis. Inter hæc datur medium, *Pyramala*, quæ alternant in vtroque. An ἀκρόδρυα vno nomine dici poſſunt, quatenus δρῦς eſt omnis arbor?

§. 2. Malorum iuxtà & Pyrorum infinitæ ſunt differentiæ, ex saporum diuerſitatibus, quas nôrunt hortulani. Summa genera ſunt, Alia ſunt dûlcia, alia auſtera, alia acida. In horum medio ſunt ſpecies illæ infinitæ, de quibus dixi. Quæritur, Cur mala ſtatim putreſcunt, & aceſcunt: pyra habent medium, *vven ſie taig vverden*? Scherbius dicebat, Cur in pomis ſtatim putredo ſe oſtendat, cauſa eſt nimia illorum humiditas, quæ facit illa ſtatim diffluere. In pyris non fit ſubitò, quia ſiccum terreum meliùs eſt permiſtum cum humido prædominante, quò fit vt primùm miteſcat auſteritas, vt edi poſſint, cùm anteà non poſſent.

§. 3. Apud Arabas Poma laborant hac infamiâ, quòd phthiſin cauſentur. Credo, dici quidem poſſe de omnibus, ſi malignè putreſcant: in ſpecie autem de quibuſdam, quæ ſuccum habent acrem. Imò dulcia quædam mitigant humorum acrimoniam. Hinc ichor ille, qui exſudat ex aſſatis, lenit dolores podagricos. Acria illa cùm in fruſta conciduntur, & torrentur, melius dant alimentum: ſed & dulcia fiunt meliora, abſumtâ multâ humiditate excrementitiâ.

§. 4. In vniuerſum, etiam hanc culpam ferunt, quòd Colicos faciunt dolores, inprimis immatura, & alioquin auſtera. Hoc putem fieri, non adſtrictione tantùm, ſed & (immò potiùs) ſucco frigido generato. Non enim à debilibus ventriculis concoquuntur. Debet nos ab illis abſterrere hoc quoque, quod Gal. ait lib. de Cibis, 8. Medicamenta eſſe potiùs quàm cibos.

§. 5. An ſucci putreſcibilis indicium eſt odor grauis quorundam, non

non quidem vnius & alterius seorsim, sed si multa sint simul in conclaui clauso? Non videtur. Nam & Cydonia id faciunt. Hæc laudem peculiarem habent, quòd in primâ mensâ aluũ sistant, in postremâ cieant. A tergo enim q. propellunt cibum, vt fit in farciminibus. Eodem modo in quibusdam vrinas mouent. Succus condensatus, immediatè ante lectum sumtus, dat ventriculo tonum. Idem succus liquidus sudores mouet, summo olim secreto. Totum pomum fragrantiâ suâ tam amicum est homini, vt credatur venenis resistere.

§. 6. Poma quidem sunt Citria, Aurantia, Limones: sed tam succo suo acido, quàm corticibus aromaticis ad *Condimenta* potiùs pertinent Interim, succus quidem sitim etiam sedat, in febribus præcipuè, in quibus etiam putredini resistit: cortices autem faciunt, quod acria & calida omnia, vt mox dicam.

§. 7. Eâdem ratione huc pertinent mala Punica seu Granata, quamuis à quibusdam ad nuces potiùs referantur propter corticem durum. Sunt duûm generum, aut trium, dulcia, acida, dulcacida. Arcent sitim in caloribus æstiuis. Acida inprimis medentur effusionibus bilis in ventriculum, vt & picæ grauidarum. Cortex (qui Malicorium dicitur) aromatici nihil habet, & valet potissimùm adstringendo.

§. 8. De Mespilis quæstio est; Moueántne vrinam? Non credo, nisi ex accidenti, vt de Cydoniis dictum est. An succo potiùs aqueo id faciunt? Ossibus vtuntur mulieres puluerisatis in albis mensibus. Siccant enim & adstringunt. Sed & ipsam carnem adstringere notum est. Et hæc de pomis.



CAPVT IX.

De Nucibus.

§. 1. NI fallor, iure ordior à *Iuglande*, quæ q. *Iouis-glans* dicitur, & *Nux regia*, quâ Persiæ Reges vtebantur post abdicatas glandes quernas. Alij per ἀντονομασίαν simpliciter *Nucem* dictam esse volunt: Ego nihil territus ampullosis istis nominibus, κάρυα dicta esse puto, q. τὸ κάρα βλάπτοντες, *caput lædentes*. Reuerà, non recentes tantùm, quæ plenæ sunt humiditate excrementitiâ; non rancidæ tantùm, quæ ipso odore abominabiles sunt: sed & mediæ ætatis, & capiti & pectori nocent. Præceptum illud Scholæ Salernit. *Post pisces nuces*, nullâ ratione fulcitur, quamuis de mediæ ætatis capias. Cùm enim pisces sint frigidi & humidi, facillimèque in ventriculo corrumpantur, præsertim si suffocentur, si, non in aceto, sed in aquâ coquantur, etiamsi vinum superbibatur: quoi possunt nuces id prohibere? Calidæ & siccæ sunt, dicunt.

Sed in substantiâ à piscibus tam alienâ, vt ego coniugium nullum spe- rem.

§. 2. His iungi debent *Castaneæ*, partim, quia Gal. primas illis in hoc genere tribuit; partim, quia primum fuerunt humani generis alimentum, vt quidam ferunt. Flatulentæ sunt, siue crudæ edantur, siue tostæ, elixæve. Videmus quàm crepent, si sub cineribus assentur! His Glandes quernæ addantur, quæ cùm siccæ sint in 3. gradu, quid speres ab illis? Solenander tamen commendat illis, qui Erysipelatis obnoxij sunt. Suibus debentur, in quibus carnem gignunt solidam, cum alioqui laxam habeant.

§. 3. Auellanæ difficiliùs quidem coquuntur iuglandibus: sed & ipsæ bilem gignunt, & quidem æruginosam, quæ facilè dysenteriam causatur. Huic mederi illas, quæ rubro cortice teguntur, *zellernüss*, fabula est.

§. 4. *Amygdalæ* sunt duplices, dulces & amaræ, quarum hæ calidiores sunt illis, magísque abstergunt, præcipuè cum cortice. At delibratæ meliùs conficiuntur. Harum vsus in lacte amygdalato, quod attenuat & digerit, non caliditate, sed partium tenuitate. In alui fluxibus eiusdem lactis magnus vsus est apud nos, non adstrictione, (quamuis aliquam habere credam) sed abstersione, quæ augeri debet, additis aliquot amaris, ne diutius morentur, & obstructiones faciant. Hæ (amaræ) foris etiam vsurpantur in conciliando somno, tusæ in lacte humano, & fronti appositæ. In horum defectu substitui possunt *nuclei Persici*. In emaciatis magnam laudem habent dulces, quia ob tenuitatem dictam facilè penetrant. In gutturis asperitatibus quo modo prosint non video, cum oleosæ sint, & κέρχνον faciant.

§. 5. Amygdalis affines sunt *Pineæ*, quamuis conus ipse *Pomum* dicatur Virgilio. Sapiunt resinosum quid ab arbore suâ, ob quod etiam abstergunt, vt resinæ omnes. Magnus ipsarum vsus est in pectoris vitiis, in renibus & vesicâ ab impactâ pituitâ liberandis. Si vincantur à ventriculo, cui ingratæ sunt, (tollitur vitium præmaceratione in aquâ calidâ) præbent alimentum stabile. Hinc cum amygdalis præbentur in Marcipanibus. Sed faciunt & illæ κέρχνον.

§. 6. Non minùs affinia sunt *Pistacia*, quæ miror quosdam frigida esse velle. Habent enim saporem quendam subamarum, qui aroma redolet, ex fuligine quadam terreâ, vt Scherbius loquebatur, quâ pectus, renes, & vesicam expurgant. Caliditas est temperata, qualis in alimento esse potest.

§. 7. *Bombacis* semen etiam huc alludit.



CAPVT X.

De Oleribus, & Oleraceis.

§. I. HEic paululum digrediendum est. I. Si olera & fructus hortenses cum frugibus comparemus, illa quidem parum dant alimenti, & eius magnâ ex parte non probi, aut, si apertiùs loquendum est, medicamentosi: hæ autem, quò propiùs ad *Temperamentum æquale* accedunt, tantò meliùs alunt, hoc est, tantũ apponunt, quantùm dissipatum est, sine vllâ qualitatis mutatione. Scribunt quidem inter arboreos fructus *Castaneas* esse optimas, inter olera *Lactucam*: Tu verò intellige, *In hoc genere*, non comparata cum frugibus. Si enim diutius Castaneis vtare, quantumuis delicatè præparatis, succum cumulabis tam putrescibilem, vt pedicosus fias, nisi tamen exercitio corrigas. Lactucâ si diutiùs vescare, etiamsi biliosus sis, fies tamen cachecticus. Et hoc est, quod 3. Temper. 4. fusè disputatur, Quomodo alimentum mutet corpus? Mutat, non simpliciter dictum alimentum, quod temperatum est: sed alimentum medicamentosum, aut medicamentum alimentosum. Quod cùm Gal. non disertè definiat, difficultates serit. Hæ inprimis hærent in conclusione Disputationis, vbi ait, *Omne alimentum, siue calidum, siue frigidum, ὡσαύτως, eodem modo augere substantiam calidam sanguinis.* Ergò non refert, quo cibo vtar? Refert plurimùm. Vtrobique est sanguis: sed ille differt qualitate; ab allio v. g. est sanguis feruens, à lactucâ frigidus.

§. 2. II. Rursus, Quemadmodum in animalibus omne animal, quod domesticum est, etiam ferum est, exceptâ fortè oue: ita in oleribus, beta est olus domesticum, rumex agreste: intybus domesticum, cichorium agreste: lactuca simpliciter dicta est domestica, lactuca asinina est agrestis: asparagus est domesticus, corruda agrestis. Quæritur, Speciéne differant syluestria à cultis, an potiùs solâ culturâ? Respondeo, in quibusdam specie, in quibusdam cultu. Asparagus à corrudâ specie distat: pyrus syluestris ab hortensi cultu tantùm.

§. 3. Ad rem. Quemadmodum alimentum medicamentosum, aut medicamentum alimentosum longè differt à simpliciter dicto alimento: ita oleracea domestica differunt ab agrestibus, quòd hæc medicamenta potiùs sint, quàm alimenta, imò quædam nihil prorsus commune habent cum alimentis, vt cucumis asininus, lactuca agrestis, colocynthis.

§. 4. Quin, quod docuit me Scherbius, oleracea omnia, non tam in alendo, quod *Temperati* est, quàm in corrigendo, quod ad *Latitudinem*

nem sanitatis spectat, consistunt. Aliquis biliosus est, vtatur lactucâ: alius pituitosus, vtatur allio, & sic de cæteris. Et hæc est mutatio illa, de quâ ex 3. Temp. 4. dixi. Hanc mutationem cùm ab auro, metallis omnibus, margaritis, & fragmentis pretiosis, &c. exspectare non possimus: quid frustrà sumtus facimus? Nec hilum valet, *Non dantur vt alimenta, sed vt medicamenta.* Medicamenta enim in corpus mortuum nihil agunt. Atqui Struthiocamelus: Totum est falsum. Tantùm etiam abest, vt ferrum medicamento sit illi, vt & ægrescat & moriatur ex ferro.

§. 5. Tandem & hoc in vituperium oleraceorum addo, Calida in vniuersum facessunt in bilem porraceam, quæ in habitum perducta, quid mali non facit? Frigida mutantur in herbaceum quid, quod planè pituitosum est, à leui scilicet aquæ mutatione in substantiam plantæ.



CAPVT XI.

De Radicibus.

§. 1. OMnibus in vniuersum hoc vitij est, quòd flatulentæ sint, quia non sunt perflatiles. Ventus enim heic facit, quod exercitium in animalibus. Quia igitur sunt infixæ terræ, redundant humiditate excrementitiâ, è quâ ferè flatus.

§. 2. Hoc insignitè habent *Rapa* nostra, nisi *Rapas* velis. Et quamuis in minoribus & vix terrâ natis flatulentia sit minor, quæ iterum minor fit tostione illâ, *Vvansies einschvveinssen*, nunquam tamen eò perueniunt, vt impunè à puerperis edantur. Harum vna cùm experta esset damno suo: credidit posteà mihi potiùs, quàm aliis adulatoribus. Hoc maximè crudis contingit: minùs coctis: minùs iterum prætostis in sartagine, ceu dixi. Succus enim crudus ab igne penetrante feliciùs attenuatur. In Germania singulis autumnis magna est raporum vindemia, quæ posteà variis modis seruatur. Simplicissima & ineptissima ratio est, vel defodere in siris, vel seruare in cella vinaria sub arenâ, vel condire integra. Non modò enim prioribus modis incrudescunt magis, sed & germina emittunt, quæ faciunt, vt planè lignea fiant. Non multò melior est illa, minutal facere, & affusâ aquâ sinere ebullire instar brassicæ, ein *Rübenskrautt.* Optima ratio est, concidere in laminas, & filo transmisso suspendere, vt arescant, *schvvelke rüben.* Non tantùm enim cibo idonea fiunt: sed & brodium ipsum maximi fit in morbis quibusdam in quibus humectatione potiùs opus est, quàm aliis. V.g. in quartanâ quadam, siue illa sit ex melancholia naturali, in atram bilem vstâ, siue ex pituita incrassata, siue ex alio quodã humore in cinere vsto. Cra-

to (ita Scherbius familiaris) ferè in ſecretis habebat decoctum raporum ita ſiccatorum, cum ſemine fœniculi, ex Guainerio. Ita in menſium obſtructione quadam, ab aduſtione humorum, hoc ipſum decoctum potius eſt omni borragine, quamuis eodem ſcopo detur, & feliciter. Ita in difficultate quadam ſpirandi, à pituita infarta, vbi humectare eſt deobſtruere. Et hoc eſt, quod Gal. ait 7. κτ̀ τόπ. multo potu vtendum eſſe iis, quibus bronchia pulmonis redundant craſſis & lentis humoribus. Huc facit muſtum, ſuccus ceratiorum, &c. Ita in tabe puerorum, *die Mitteſſer* vocant, dedi ego (aiebat Scherbius) ſæpe, cum multo ſucceſſu, ex conſilio Eraſti, cui pariter familiaris fuerat.

§. 3. *Rapunculo eſculento* (Pes locuſtæ Auic. putatur) in acetariis vtimur, & minùs craſſi ſucci eſt. Appetitum ciet ex oleo, ſale & aceto. Prodeſt, vt rapum, aſperitatibus gutturis & pectoris.

§. 4. *Napus*, neſcio annon ſit ſylueſtre genus raporum? Calidus quidem eſt cum manifeſtâ dulcedine, vnde non minùs demulcet quàm rapum, in pectoris aſperitatibus: ſed flatulentiâ carere, ne iurato quidem credam.

§. 5. *Raphanus* indignus eſt, qui ſit in cenſu alimentorum, præſertim, ſi crudus edatur, vt ab omnibus fit. Nec credo illis, qui aiunt, corrigere calefaciendo, incidendo, & attenuando præſumptos frigidos & craſſos cibos. Flatulentiſſimus enim ipſe, quid corrigat? Sed nec potus in cauſa eſt, quò minùs flatulentus ſit: nec ſi in principio menſæ, quamuis magni nominis Medici affirment.

§. 6. *Paſtinacam* huc vocat nomen Germanicum, *Geel-rüben*. Eſt autem proprium hoc *Tenuifoliæ*, quæ duplex eſt, ratione coloris radicis, vel intenſioris, vel remiſſioris. Quæ enim buxea eſt, cum quadam iterum latitudine, frequens non minùs apud nos, quàm rapum, occupat ſibi ſoli hoc nomen: quæ autem intenſè rubet, *Carotta* Italis dicitur, procul dubio à Germanico *gaarroth*. Vtramque eſſe *Behen album* & *nigrum* Arabum, Coſtæo credo in Auic. Ab hac vtraque tanto ſpatio diſiungi à quibuſdam *Paſtinacam latifoliam*, quæ *Elaphoboſcum* eſt Dioſcor. & Plinij, indignè fero, vel ideò, quia non tantùm hortenſis facta eſt & ipſa apud nos, (*VVelſchen Peterlin* vocant) ſed & facultatibus mirificè conſentiunt. Dulcior quidem eſt hæc illâ: ſed non minùs flatulenta, & vtilis ad τὰ ἀφροδίσια. Nimirum, non augent ſubſtantiam ſeminis: ſed ὀργᾶν, *turgere* faciunt. Hac in re potentiores ſunt Daucus noſter ſylueſtris, & Carum vulgare.

§. 7. Rapis effectu ſimiles ſunt *Tartuffoli* ſeu *Pappas*, Solanúmve tuberoſum Cluſij, necnon *Helianthemum tuberoſum*, è Braſiliâ & Canadâ aduectum. *Erdtæpfel* vtrumque hortulanis noſtris.

§. 8. *Rothe rüben* vulgi noſtrâtis, non rapi (vt Fuchſ.) ſpecies eſt, ſed Betæ, cuius proinde facultates habet. An potiùs miſtum genus eſt, betæ & paſtinacæ? Hinc σευτλοσταφυλῖνος Geſnero. Non cibi, ſed condimenti loco tantùm eſt apud nos.

§. 9. *Allium*,

§. 9 *Allium, porrum, cepas* in eodem censu habeo. Sunt enim omnia calida & sicca in 4. gr. nec differunt, nisi maiore, aut minore malitiâ, quatenus scil. pro alimentis habentur. Minor est in coctis, sed effusâ primâ aquâ. Ita enim locum habere possunt in latitudine sanitatis, cùm opus est correctione crassorum & frigidorum humorum. *Allium* esse rusticorum *Theriacam*, notum est ex Gal. 12. Meth. 8. Est & nota historia de allio Colicam curãte, Ib. *Porrum crudum* in Italia cùm tempore Quadragesimali vorat misera plebecula cum solo pane, non ita multò pòst pleuritidas, aliásque viscerum inflammationes (sæpe malignas, sæpe lethales) incurrit, quod vidi quotannis. *Cepæ* nostræ condimenti quidem loco tantùm vsurpantur: sed succum habent lentum, & corrosiuum, qui nõ sinit solidari vlcuscula, quæ fiunt à cultris, quibus incisæ sunt. Imò, in meâ adolescentiâ, balneator quidam Noribergæ lancettas suas, vt sic appellem, immergebat cepis, antequàm scarificaret, ita vlcera faciebat tantoperè maligna, vt carnes putrefactæ frustillatim exciderent. Is magistratui pœnas dedit. Literatis noxiæ sunt, quia petunt caput. Vide §. 7. cap. seq.

§. 10. De fungis afferam tantùm iudicium Scherbij, Cùm sumtuosissimè parati sunt, fimeto debentur. Vide Cæsalp. de Plantis, l. vlt.

§. 11. Fœniculi & Petroselini radices, vnà cum foliis tenerioribus, dantur apud nos cum carnibus bouillis. Parum inde alimenti, nec scio, quo modo copiam lactis facere possint. Vrinam ducunt: inde ferè dari volumus in declinationibus febrium. Eam etiam ob causam pueris dantur in morbillis.

§. 12. Et Cichorij radices parum præbent alimenti: creduntur hepar calidius attemperare, cum oleo & aceto. Quin nec frigidum lædere creduntur, quòd temperatæ sint. Herba apud nos negligitur, in Italiâ magni vsûs est, *Radichi* vocant, præcoctam pariter in oleo & aceto frigidam comedunt, effusâ aquâ decoctionis.



CAPVT XII.

De Foliis & Caulibus.

§. 1. Asparagi seu *Cymata* debent heic primo loco poni, quia plantarũ suarũ primitiæ sunt. Vox asparagi aut generica est, aut specifica. De illâ videri potest Falloppij epistola ad Mercurialem: de hac dico paucis, Esse plantã sui generis, quæ primo Vere trudit crassiusculos turiones, qui edules sunt. Hi ad ignem tam facilè tenerescunt, vt inde natum sit prouerbium, *Citiùs quàm asparagi*. Id ipsum in ventriculo

quoque humano fieri qui credere voluerit,is deceptum ſe eſſe denique comperiet. Noui enim exempla eorum, qui optimè in culinâ paratos, altero die integros euomuerunt. Vrinas mouent fœtidiſſimas.

§. 2. Similes his ſunt *Lupuli asparagi*,in Italiâ,vbi ſpontanei,*Bruſcandoli,* eduntur eodem modo ex oleo & aceto. Deobſtruunt viſcera abſtergendo & attenuando.

§. 3. *Lactuca* quatenus principatus debeatur ex Gal.ſententiâ, dixi. Reuerà, qui diutius vſurpârit,ſanguinem frigidum & aquoſum generabit. Oſtendit hoc liquor papaueraceus, in capitata præcipuè manifeſtus, qui fecit,vt tam coctam, quàm crudam dudum eiurârim. Subſtitueram equidem *Endiuiam* noſtram coctam,ſed in cœnâ tantùm,ter per ſeptimanam:ſed quia ne ipſam quidem facilem concoctu reperi,deſerui. Interim iis, quibus firmior ventriculus, non calidioribus tantùm, ſed & frigidioribus,de Maſſar. conſilio,3.Pract.11.ex Gal.8.κτ̀ τόπ.& hanc commendo,& cichoracea omnia.

§. 4. *Beta* duplex eſt, alba & nigra. Vtraque nitroſi quid habet, quo abſtergit,aluúmque ſollicitat.Alij dicerent,eſt partiũ heterogenearum,quarum calidis agit hoc, frigidis illudSuccus aperit etiam viſcerũ obſtructiones,eſt errhinon,&c.De alimẽti ratione manet illud Martial.

Betæ ſunt fabrorum prandia.

§. 5. *Braſſica* pariter eſt duplex,alba & nigra, ſeu rubra, & vtraque iterum duplex,foliis expanſis,& compreſſis,quæ *capitata* dicitur.Præter has ſunt aliæ, inter quas meminero duarum tantùm, *Caulirapi* & *Caulifior*, quia apud nos ſunt in delitiis. Quod ad actiuas qualitates,braſſica omnis calida eſt: quod ad paſſiuas, ſicca; propterea Medici prohibent æſtate. Subſtantiæ eſt duræ & indomitæ: ideò pruinæ expoſitam volunt,vt tenereſcat. Propterea ab vſu eius temerè metuitur pituita:quin atra potiùs bilis metuatur,quæ ipſa calida potiùs eſt,quàm frigida. Siccitatis multa habet teſtimonia. Dicitur κράμβη, q. κοράμβλη,quòd *oculos lædat*.Hoc verò non eſt ab occulta qualitate, ſed à ſiccitate. Ab eâdem eſt,quòd ebrietati reſiſtit,quòd podagricis commendatur, vlcera ſanat. Hac de re peculiarem hiſtoriam I. Alexandrinus habet Notis in Gal. Empyricus quidam ſolo decocto curauit vlcus ſinuoſum, quod alij non potuerant. Cinis in eam rem etiam laudatur, quia diaphoreticus eſt, & præterea ab vſtione empyreuma accipit. Apud Hipp. hoc vapulat crimine, quòd ἄραδον ἐμποιεῖ, *tumultum parit in ventriculo.* Et explicat Gal.de partium heterogeneitate,quarum hæ,calidæ,acres,nitroſæ feſtinant ad deſcenſum:illæ,frigidæ & terreæ,morantur.Hoc quò minùs fiat, oportet effundere primam decoctionis aquam, quæ miſerrimè fœtet, & indicium eſt magni caloris. Subſtantia, quæ reſtat, ſiſtit aluum. Condiuntur, aut integra capita,& vocantur in Thuringia *Compoſt*, q. *Compoſita braſſica*: aut tenuiſſimè conciſa, cuius aqua cùm effunditur, adeò fœtet,vt circumfuſum aërem inficere queat, vt Cluſius loquitur Not.in Bell. Ab hac conditurâ tantò minor ſpes eſt boni ſucci, quò crudior

infertur

infertur mensis. Dicunt enim mulierculæ, non debere cocturam procedere vltra id, quo crepant sub dentibus. Aliæ, quæ diffident, laudant bis coctam. Tantus est dissensus ab iis, qui dicunt, *Crambe bis cocta mors est*! Præcipua correctio est, vt natet in pinguedine, *dass gleist*. Hoc quia egregiè præstat caro porcina, iocari solebat hospes quidam meus in hac Academia, *Es sey kein krautt guet, es sey dan sevvisch gekocht*. Porrò, de laudibus Brassicæ Cato olim scripsit: sed rusticis suis. Deodatus noster, Hygiastici sui lib.1.f.253. æmulari, credo, voluit illum, sed latet sub scuto Quarinonij & I. Alexandrini, quorum illum quidem nondum vidi: in hoc autem offendere hactenus non potui.

§. 6. *Blitum, Atriplex, Malua, Mercurialis, Portulaca, Lampsana, Parietaria*, sunt olera frigida, humida, insipida, soli aluo laxandæ idonea. Succum habent lentum: ideò alimentum dant durabile. Atriplicis species *Spinachia* est, licèt ipsa in facultatibus *Betæ* similior sit, ob partes nitrosas.

§. 7. Contrarias facultates habent *Nasturtium* tam *hortense*, quàm *aquaticum, Iberis, Cardamine, Sium, Sinapi, Lepidium Pauli, Tarchon Auicennæ, kakile Serapionis, Thlaspi vulgare*, & quæcunque talia. Quam etiam ob rem ne alimenta quidem sunt, inuicta quippe calori nostro humido. Sed & vbi vincuntur, in chylum vix mutantur, sed in succum quendam crudum & aquosum, quem *bilem porraceam* vocant Medici.

§. 8. Huc refero *Artischoccos* nostros, siue fructus sit, vt volunt quidam, siue aliud quid. *Scolymum* Dioscor. esse & Hesiodi, nondum credo. *Cinaram* (non Cynaram) Galeni, multò minùs. Minimè dedo me illis, qui caput illud foliaceum squamosum faciunt calidum & siccum. Sensus enim satis docet, apices illos, quos rodimus, insipidos prorsus esse, absque pipere si sint. Propterea nonnisi flatus suggerunt τοῖς ἀνοήτοις. Hoc multò magis dixero de *Cardis*, seu *Cardonibus*, quos crudos scabunt liguritores illi.



CAPVT XIII.

De Aromatis, seu Condimentis.

§. 1. QVia tantus est apud nos aromatum abusus, nefas sit illa præterire. Atqui non alunt? Credo facilè, vel ideò, quia hypothesis nostra repudiat. Sicca nimis sunt, ne de immodicâ caliditate, cum acrimonia insigni iunctâ, dicam. Quod ipsum prohibet me credere, substantiam aromatum, postquàm exhaustæ sint qualitates à liquore illo, in quo in ventriculo cibi coquuntur, & iam sunt q.cinis quidam, seu caput mortuum, alere posse. Non enim prorportionata est calori nostro

ſtituimus butyrum, conſiſtit ferè res in comparatione. I. Oleum diutius durat incorruptum, quia arctior eſt compoſitio humidi cum ſicco. Hinc inconſueti ventriculi poſt multos dies (decem) ſentiunt ructus ex oleo. At butyrum valde muceſcit & ranceſcit, quamuis diligenter ſeparatum ab excrementitio illo, quod ruſticæ vocant *den ſchmergel*. II. Si maximè conueniant in qualitatibus primis: tamen modus ſubſtantiæ eſt alius. Differentia quoque eſt in ſecundis qualitatibus. Vix enim oleum eſt, quod non habeat omphacinum quid, quòd oleæ inæqualiter matureſcant. Hinc oleum ſeruire poteſt rebus quibuſdam ſeruandis: butyrum non poteſt. Ideò farcimina ſua aromatica (*le ſalſicie*) Itali in lagenis oleaceis ferunt ad nos. In culinâ quoque aſſaturæ oleo illitæ, & humidiores ſunt intus, & cruſtam habent minùs duram. Piſces oleo incocti ſunt friabiliores, *laſſen ſich leichtlicher brechen*, non ita diffluunt in manib. Piſces in butyro frixi ſunt mali: augetur enim mollities piſcium. Butyroſa omnia laxant, & nocent illis, quibus genus neruoſum eſt debile: ita, qui hepar & lienem habent ἄτονον. Hæc enim duo viſcera requirunt tonum. Contrà, butyrũ facit ad vitia pectoris, quod dilatatione opus habet, quod oleum non præſtat. III. Oleum recens comedi poteſt cum pane, ad emolliendam ſcabritiem eius: butyrum non poteſt. Bileſcit enim, ſeu, quod alij dicunt, facit ſanguinem inflammabilem, diſponitque quoſdam ad elephantiaſim. Hinc quæſitus ego aliquando cauſam, Cur in Germania tot ſint cœnobia leproſorum, vti vocamus, cùm in Galliâ & Italiâ rara ſint? dixi, Vſus pinguium id facit. Vt enim de butyro non dicam, quotuſquiſque noſtrûm, etiam cultiorum, non auidiſſimè vorat pinguedines carnium bubularum, (quas ex Vngariâ habemus) & ouillarum. De porcinis non dicam. Accedit, quòd huic animali peculiaris eſt Morbus, *Grando*, qui diſponit ad malum hoc horribile. Ἀλλὰ ταῦτα μὲν ταύτῃ.

Trincau. etiam 3. Conſ. 124. ad vſum butyri refert.



CAPVT XVI.

De Carnibus in genere.

§. I. SI vera eſt hypotheſis Vnumquodque ex alimentis tantò eſſe melius, quò vicinius eſt temperato, ſiue calido & humido in certo gradu: carnes omnes meliùs alent, quàm quoduis ex terreſtribus dictis. Et eſt ita. Verùm enimverò, oportet heic quoque conſiderare, non primas tantùm qualitates, ſed & modum ſubſtantiæ. Accipimus autem animalia, vel tota, vel partes ipſorum. Animalia ſunt trium generum, Quadrupedes, Aues, & Piſces. Partes ſunt triplex Carnium ordo, à Medicis conſtitutus.

De triplici carne.

§. 2. Omnium animalium ſanguineorum triplex caro. I. Viſcerum eſt exſanguium, reſpectu ſanguineorum ita dictorum. Habent enim ſuã carnem, quæ eſt ſanguinis pars illa, quæ in intimam partis ſubſtantiam iam recepta eſt, roris modo aſperſa, & tantumnon exalbificata. Hinc frigida & ſicca dicitur hæc caro, relata ad reliquas duas ſpecies. Talis eſt ventriculus & inteſtina. II. eſt Viſcerum ſanguineorum ita dicta, quòd videatur nihil aliud eſſe, quàm ſanguis concretus: Vnde παρεγχύματα vocabat Eraſiſtratus. Differunt ratione validioris aut infirmioris concretionis, ob quam etiam faciliùs difficiliúſve coquuntur, & alimentum dant parcius liberaliúſve. III. eſt, Carnis quæ vulgò in macello venditur, Muſculi Anatomicorum, quæ conſtat in exacta Anatomiâ, fibris & carne propriè dictâ, quæ ſeruatâ ſanguinis rubedine, circum fibras concreſcit. Huic vni proprium eſt elogium illud, quòd præ plantis & multum & probum det alimentum: reliquæ duæ parum, & non valde laudabile dant, ſed rurſum in magnâ latitudine.

§. 3. Viſcera exſanguia vel ideò exiguum dant alimenti, quia exſanguia. Tu verò hoc cape de iis animalibus, quæ ventriculum habent membranaceum. In auibus enim quibuſdam carnoſus eſt magis minùs, & in quibuſdam, vt anſeribus, mollis & gratus. Viſcera ſanguinea tantò minus dant, quò ſolidiora ſunt, laxioráve. Cor & renes vix quidquam dant, quia difficulter ἀναστοιχειοῦνται, vt ſic dicam. Hepar quidem minùs ſolidum eſt: ſed dum aſſatur, coquitúrve, multùm humiditatis illi deperit. Sed & durius & tenerius eſt, pro diuerſitate animalium, præcipuè ſexûs & ætatis. In bubus vix edule eſt: In porcis delicatum; delicatiſſimum in apro. Lien mollis quidem eſt, ſed lutoſus, vt Gal. iocatur facítque ſanguinem melancholicum. Vt mirer poſſe haberi à quoquam in deliciis! Pulmo licèt ſit laxus, & tantumnon ſpumoſus, paucum tamen & frigidum dat alimentum, ob copiam vaſorum, præcipuè bronchiorum. Cerebrum, & magis ſpinalis medulla, dant frigidum & humidum, inſtar pituitæ.

CAPVT XVII.

De Quadrupedibus.

§. 1. HEic quæras, Si omne calidum & humidum eſt affine calori noſtro, cur non omne animal eſt alimentum? Omne animal ſanguineum poſſet eſſe alimentum, niſi accederet aliquid, quod

prohiberet. V. g. apud Hebræos leges erant, quæ nolebant populum illum vesci his & illis animalibus. Ita apud certos populos certis temporibus edulia sunt hæc, illa, quæ posteà abrogat consuetudo. Ita Romani olim edebant catulinam, in cœnis etiam Aditialibus, quam posteà repudiârunt. Ita Ægyptij, præsertim Alexandrini, vorabant asinos, & camelos, quos hodie non attingunt. Multum etiam situm est in moribus populi alicuius. Tartari nostri hodiéque vtuntur carnibus equinis, quas abominantur nostri, quia valdè excrementosæ sunt, quæque dum coquuntur, assiduam vomunt spumam. Ita felibus nos abstinemus, quia fœtidissimæ sunt carnes crudæ: at Hispani aceto & aromatis ita domant, vt placeant palato.

§. 2. Sed hoc leuiculum est: vtilius hoc est, An omnium animalium eadem sit ratio? pariter, An omnium partium huc pertinentium eadem sit ratio? Minimè omnium. Vt de hoc posteriori priùs dicam, Lingua in hoc genere præfertur: est enim mollis & tenera, quæque facilè coquitur. Dicunt, sed alimentum gignit tenue & non stabile? Nego, si maneas intra cancellos tuos, hoc est, si compares cum carnibus, de quibus agimus. Talis caro est (vt paululum declinem) caro plerarumque auium in pectore, in gallinis alba, quam in anseribus vocant *den pfaffen-schnidt*. Neque enim secùs mihi persuaserit Deodatus noster, qui in Hygiastico suo vrget nescio quem exurentem calorem, qualis in nullo animali est.

§. 3. Contraria omnia sunt in extremis partibus, pedibus, auribus, quæ sunt neruosum & tendinosum quid, propterea, respectu carnium sui animalis, frigidæ & siccæ. Dantur igitur biliosis, & omnibus iis, qui bonas carnes exurunt, & habent sanguinem tenuem, acrem & corrosiuum, vnde sunt diarrhoeæ, mensium fluxus perpetui, catarrhi salsi, qui ferè in phthisin desinunt, quibus ipsis gambaros damus, & testudines, & alia, quæ succum præbent lentum. Moneo autem obiter, sermonem hunc esse generalem: specialem distinguere catarrhos salsos à reliquis tenuibus.

§. 4. Iam, in animalibus ipsis maxima est differentia. Nàm ætatis primùm est habenda ratio. Diuersissimas carnes habent nefrendes, *spenseülein*, & porcus mediæ ætatis, & scrofa. Rursus, porcus saginatus & non saginatus, & per consequens, vel cum pinguedine, vel sine illâ. Rursus, integer & castratus. Rursus, hoc, illóve pabulo vtens. Mox diuersitatem etiam affert præparatio & conditura. Alia est caro si assetur, alia si elixetur. Alia est caro recens ex macello, alia fumo, saléve indurata.

CAPVT



CAPVT XVIII.

Specialis Carnium enumeratio.

§. I. QVod in aliis disciplinis fieri amat, vt, proposito genere aliquo, describatur primùm id, quod optimum est, ad quod deinde referantur reliqua: id fieri heic quoque debet. Præhabito igitur, quòd aliud animal sit domesticum, aliud ferum, quorum hoc siccius, illud humidius, dico, Vtrobique principatum habet, hinc quidem *suilla* caro: illinc autem *aprugna*, sed si adsint quinque conditiones. I. Vt animal sit mediæ ætatis, castratum potiùs quàm integrum, siquidem domesticus sit porcus. II. Vt glandibus pastum. III. Vt caro sit assa potiùs quàm elixa. IV. Vt auferatur omnis pinguedo. Hæc enim non tantùm supernatat in ventriculo, & vomitus aliquando ciet, sed &, quod nuper dixi, sanguinem facit inflammabilem, è quo multa incommoda. V. Vt homo sit laboriosus. Hinc enim est, quòd puerperis, vulneratis, & quicunque exerceri non possunt, noxia sit. Et valet exemplum athletarum, qui quotidie & in copia (hinc orta ἀναγκοφαγία) vorabant, nonnisi in iis, qui in exercitiis paria illis faciunt. An conditiones tam multæ destruunt totum negotium?

§. 2. Propterea, paulò minus quàm descendo in sententiam eorum, qui præferunt *bouillam* nostram. *Nostram*, dico, quæ sit, non ex boue aratore, multò minùs ex admissario: sed ex castrato Vngarico, qui annos quinque, vt audio, non excedat, & sit carnosus potiùs, quàm pinguis. Ideò dico expresse, Quia ex se satis humida est hæc caro, præsertim elixa, non est opus additâ vllâ pinguedine, quæ gratiam illi conciliet. Expressiùs dico, Non posse probari illos, qui pinguedinem illam non edunt, sed plenis buccis vorant. Causam dixi. Nec est, quòd spem quis ponat in exacta mistione. Fit enim, si propriè loqui velimus, iuxta positio tantùm. Sed neque proposita est Naturæ mistio aliqua: quin potiùs ἀναστοιχείωσις, non vt sit, & maneat, sed vt fiat aliud quid, sanguis. Quo dato, pinguedo erit pinguedo, & mista sanguini inflammabit illum. Natura enim, vt dixi, non it retrorsum. Ideò rectè dicitur, Omnis pinguedo est mala. Hinc intelligitur, cur caro *taurina* & *vaccina* damnetur ab omnibus: planè enim sicca & dura est, sanguinis effectrix melancholici. Post Vngaricam est caro vituli anniculi, *eins schnitlings*, *Vitulina* est humidior, (mucosa, dicunt) & assa potiùs comedenda est. Elixa si detur, cum condimento aliquo siccante detur, v. g. cortic. citri, arantiorum, limonum, puluere maioranæ, rorismarini, &c. Glandulæ vitulinæ,

die bri-ſs, ſunt cibus tenerrimus, & debilioribus ventriculis commodus. Calidi enim exurunt.

§. 3. *Caprugna* ab omnibus culpatur ob ſiccitatem: ſed *hœdina*, modò non ſit vltra duos menſes, laudatur. *Caprearum*, vt & *damarum*, cum aprugnâ confertur.

§. 4. *Ouilla* omnis humida eſt, ſed in latitudine inſigni. *Agnina* intra annum laudabilis non eſt. *Ouium matrum* quò ſæpius pepererint, eò deterior. *Arietum* pariter, quò diutius coïuerint, eò viroſior. *Vervecina, daſs ſchœpſen fleiſch* (Turcarum familiariſſimus cibus, ſed infumata, cùm oryzâ) ſatis laudata eſt, niſi nimis frequenter vſurpetur, & largiùs bibatur.

§. 5. *Ceruina* valdè laudatur, quòd animal ſit viuax. Sed non ſequitur, Hoc animal habet calidum natiuum tenax, Ergò carnes quoque præbent homini tale calidum. Præterquàm enim quòd, Calidum non nutritur, nec malè nec bene, valet tantùm in corde, in quo ſolo eſt. Principes hac in re mirificè inſaniunt, perſuaſi à Medicis adulatoribus. Non tantùm enim exſcindunt hinnulos ex matribus: ſed & extendunt hinnuleitatem, vt ſic dicam, ad triennium. Quin cornua primùm exorientia demunt, & pro magno ſecreto vendunt. Eſt ſtultitia, dicebat Scherbius. Alioquin ceruus alimentum præbet ſatis durabile, ſed ſiccum, præcipuè, ſi ſumatur in iure illo atro, aromatis multis ſtipato. Dicis, Atqui Ceruus eſt animal timidum, propterea paucum & frigidum dabit alimentum. Diſtingue. Timiditas poteſt eſſe à calore influente, qui formalis eſt: at verò caro ipſa poteſt eſſe calida, propter fortitudinem caloris inſiti, qui materialis eſt. Solet etiam referri ad ſeroſum ſanguinem. Horum alterutro dato, ſubitò decolauerit ſpes omnis longæuitatis.

§. 6. *Leporina* caro quia ſiccior, transfigitur lardo: ſed non fit inde humidior, præſertim, quia aſſatur. Hoc velim ſcire, cur armi quidem cum pedibus anterioribus ſeorſim dentur elixi: lumbi autem cum poſterioribus pedibus, aſſi? Hoc certum eſt, quamuis ſapidam lepus habeat carnem: non dare tamen laudabile alimentum. Quid enim miſtura illa lardi? Nunquam rectè conficitur in ventriculo. Mihi heic παρέργως libet interponere teſtimonium experimenti dicti vetuſti, *Nihil tam abſurdi eſt, quin inueniat applauſorem.* Luſerat Martialis, miſſo ad quemdam lepore.

Septem formoſus, Marce, diebus eris.

Credidit & Seuerus Imp. & non incelebres Medici cauſam quærunt, inter ceteros Langius 1. Epiſt. 67. Talent. 3. Recond. 2. ὢ τῆς εὐηθείας! Addo, Carnes quò ſicciores naturâ, eò deteriores fiunt fumo & ſale.

§. 7. De exſanguibus animalibus, cochleis, gammaris, &c. dico in vniuerſum, ſunt difficillimæ digeſtionis, vt in piſcibus dicetur.

CAPVT

CAPVT XIX.

De lacte, & operibus lactariis.

§. 1. NOn poteſt alibi de his agi,quàm heic,ſiue lac corporis pars ſit,ſiue ſanguinis.Triplex nobis in vſu eſt. I. *Bubulum*, quod craſſum eſt, & multùm nutrit. II. *Caprillum*, quod ſeroſum eſt, & parùm. III. *Ouillum* quod in medio.

§. 2. Non moratus Valleſium, Com.in de Simpl. dico, Lac omne habet tres partes,Butyroſam ſeu pinguem,aëriámque;Caſeoſam ſeu terreſtrem;Seroſam ſeu aqueam. Quæ partes cùm non tantùm diuerſas, ſed & contrarias facultates habeant: videtur inde naſci difficultas haud exigua de temperamento lactis. Ill. Maſſar. vult,Quia ex duabus partibus frigidis conſtat, & vnâ calidâ: vtique frigidum erit.Verùm obſtat illi, quòd partes illæ, naturaliter vnitæ, non agunt ſeorſim. Idem obſtat illis, qui dicunt, Lac vel calidum, vel frigidum eſt, prout ſuperat hæc vel illa pars. Dico paucis. Lac omne, vt & ſanguis, conſideratum cum calore ſuo participato, qui definitionem eius ingreditur, eſt *Temperatum*, quatenus Calidum & humidum in certo gradu idem eſt cum Temperato. Rurſus, Lac omne,conſideratum ſine illo calore,aut etiam cum calore ignis adſcititio,etiam eſt Temperatum, ſeu Calidum & humidum, ſed cum latitudine quadam. Nimirum, Lac cum lacte comparatum eſt tale, hoc eſt, temperatum:& tamen lac hoc magis accedit ad hoc extremum, lac illud ad illud. Interim omne hoc refrigerat hominem intemperatum, quatenus remiſſum remittit intenſum. Ergóne,inquis,refrigerat etiam hominem pituitoſum? Ita. Experientia enim docuit, fuiſſe quoſdam deductos vſu lactis ad leucophlegmatiam,alióſque morbos frigidos. Vt iam pro Maſſar. dici poſſit, Partes quidem non agunt ſeorſim: ſed ſimul, & vincunt frigidæ.

§. 3. Sed hæc iam ad differentiam lactis pertinent, quarum hæc prima eſt. Lactis partes non habent ſe eodem modo in omni lacte, in omni ætate,in omni pabulo. Nimis accurati ſunt, qui dicunt, Lac, in quo pars butyroſa excellit, eſt calidum: in quo vel caſeoſa, vel ſeroſa, frigidum. Ad vſum accommodatiùs illi,qui poſito *Temperato* illo,de quo dixi, ita determinant, Lac quoduis quò craſſius, eò meliùs alit, ſi coquatur:contrà, eò grauiores obſtructiones facit.Hæret enim in anguſtis illis meatibus, & conſequenter obſtruit. Lac quoduis quò tenuius, eò meliùs mundificat & abſtergit. Hinc orta Veteribus artificioſa illa ſeparatio. Serum quondam repræſentabat omnia lenientia: ideò ſeorſim volebant illud, ſi purgare. Si & mitigare humorum acrimoniam, &

ſiſtere

ſiſtere, vt in dyſenteria, abſumebant tantùm maiorē ſeri partem iniecto ſilice ignito. Ita in phthiſicis dabant olim lac aſininum, hodie caprillum, quia ſeroſius, quo fit, vt & alere poſſit, & contemperare calorem hecticum, & abſtergere vlcus. Olim metus præcipuus erat coagulationis in ventriculo. Ideò vel hauriebant ex ipſis vberibus, vel addebant mel, ſálve, vnde ſubductio etiam eſt felicior. Vinum ſuperbibitum coagulat.

§. 4. Altera lactis differentia eſt in bonitate & malitiâ. Lac optimum eſt, quod mediæ conſiſtentiæ eſt inter craſſum & tenue, quatenus naturæ ipſius conuenit: quod album eſt, ſed iterum, non eò vſque vt ſplendeat, inquit Gal. quod ſaporis dulcis eſt, ſed non ſummi, quem mel habet: quod ſtatim à mulctrâ venit. Subitò enim perdit calorem ſuum, & tendit ad ſeparationem. Tale lac non eſt quod quæras vel in animali iuuene, vel in ſene: vel ſtatim à partu, vel cùm iam iterum impletum eſt: vel in eo, quod pabulo vtitur promiſcuo, in ſyluis, in paludibus, non ſuo tempore diei, vel æſtate, & hyeme, &c. Quò minùs æquus ſum ebuccinatoribus quibuſdam, qui ſubitò exclamant, Optimum lac optimum præbet alimentum. Reuerà, tot requirit conditiones lac optimum, vt fortaſſis non niſi ſemel in anno vti illo debeas. Sed & vbi omnia conſtant, nondum eſt vſus eius tutus. Requirit enim ventriculum temperatum. Quis verò noſtrûm habet? Lac eſt cibus delicatus, dicebat Scherbius, & præterquàm quòd naturæ fugaciſſimæ eſt, & ab vberibus adhuc calens ſumi debet, facilè patitur tam à calido ventriculo, quàm à frigido. In hoc aceſcit: in illo nidoreſcit. Primo caſu corruptos humores auget, obſtructiones viſcerum amplificat, calculo materiam præbet. Secundo, dolores capitis, oculorúmque facit, fluxiones auget, &c. Alterutrum fit, prout cibi & potus ſuperdantur, qui vel huc, vel illuc tendunt, ad acorem frigidi, ad nidorem calidi. Relinquamus igitur ruſticis, qui & aſſueti ſunt, & laboribus emendant nata inde vitia. Sed iam de partibus lactis:


§. 5. Certum eſſe aio, Butyri nomen non eſſe Græcum, multò minùs habere cum Caſeo vllam nominis affinitatem: ſed eſſe Germanicum, ſeu Scythicum, *Butter*. Non minùs certum eſt, Nec Galenum, nec vllum ex veteribus ſcriptoribus, quà Græcos, quà Romanos, habuiſſe in cenſu alimentorum: vſurpâſſe autem in emplaſtris, & cataplaſmatis emollientibus, in quibus longiſſimè præſtat oleum. Contrà, in vſu cibario longè anteit illud, oleum, vt ſuprà probaui. Tantum abeſt, vt multùm nutriat, vt nec nutriat. Hoc nôſſe poſſunt omnes ij, qui nôrunt originem eius. Eſt enim pars ſanguinis ignea, quæ naturam eius prætergreſſa nutrire ampliùs non poteſt. Quamobrem credibile etiam non eſt, panem cum eo comeſtum ita corrigere poſſe naturam ipſius, vt retrogrediatur: quin imò, panis quidem dat alimentum, quale poteſt, butyrum autem inflammatur. Hoc dico etiam de pinguibus carnibus, quas qui magnis bolis ingurgitant, neſciunt quantum noceant ſanitati ſuæ.

Quod

Quod verò dicitur, venenis resistere, falsum est. Quâ enim facultate id præstat? Occultâ? Ne ipsi quidem hoc audent. Quæ de vi mitigatoriâ dicuntur, ad pestem accommodari non possunt.

§. 6. In Caseo cautum esse oportet, si velis Veterum comparare cum nostro. Ille enim fiebat ex toto lacte, hoc est, ex eo, quod butyrum & caseum vocamus nos, qualis aliquando in Bohemia quoque fit, vbi vocatur *Schmettig*, τρυφαλὶς Græcis. Noster verò fit ex sola parte caseosâ. Tum verò oportet etiam hac distinctione vti. Alius est recens & dulcis, pressi potiùs copia lactis, vt Virgilius loquitur, quàm caseus: alius vetustus & acris, tam propter salem & coagulum copiosum, vt Hollandicus, quàm propter putredinem & vermes, vt vulgaris noster, siue is vaccinus sit, siue caprillus, siue ouillus. De recentissimo illo idem iudico, quod de lacte. Subest enim idem periculum corruptionis tam huius quàm illius. De sicco iam, nec vltra mensem, parum spero. Video enim paucos intra dies vermine scere. Hollandicus quò acrior, eò calidior, nec potest aliud, quàm in ventriculo quidem supernatare, & sitim, flatúsque causari: in vasis autem sanguinem inflammare. Nec hilum valet præceptum Salernitanum, iuuare coctionem, pondere deprimendo scil. reliquos cibos. Quin produnt rem patroni, cùm concedunt tantùm *ein glodtstuckh schvveer*. Quem enim effectum habeat pondusculum hoc in ventriculo tam vasto, iam cibo & potu distento? Interim, τὸ παρὰ τὸ μικρὸν, *singulis diebus*, plus oberit, quàm facilè credat vulgus, præsertim, si superbibatur. Video in brodiis nostris caseatis, *in den Kæss suppen*, coïre in fundo coagulum cum sale, in substantiam tam solidam, quæ subiugari à calore nostro non possit: & in ventriculo nostro non fiat?

§. 7. De Sero duo moneo. Alterum, sítne omne acre & abstergens? Non, sed in calidioribus tantùm, in quibus sunt acres exhalationes, quæ faciunt putredinem impropriè dictam, quæ σύκαυσις est, & procedit sæpe ad salsedinem. Serum factitium habet acredinem suam, partim ab aceto, succo limonum, oxymelite, aliísque: partim ab igne, cuius ope fit separatio. Alterum, sítne satis qualiscunque separatio? Non. Quamdiu enim aliquid lactis habet, tamdiu metus est obstructionis. Quod igitur laudari debet, redactum debet esse ad colorem smaragdinum, vt in Italia fit, quousque etiam, me instruente, progressæ sunt aliquot mulieres nostrâtes. Hoc serum inebriat, quod ex relatu Scherbij habeo.



CAPVT XX.

De Auibus.

§. 1. AVis, Græcis ὄρνις ἢ ὄρνεον, modò generaliter ſignificat omne πτερωτὸν, quod pennis (πτηνὸν latius eſt, & comprehendit etiam ea, quæ membranis vtuntur) volat: modò ſpecialiter gallinas noſtras tantùm, quas ἀλεκτορίδας aliàs illi. Quod ad rem noſtram, Auis omnis eſt ſiccior homine temperato: ideò etiam ſiccioribus vtitur alimentis, ferè ſeminibus. Hinc alimentum præbet etiam paucum, & id ipſum leue, & non permanens: ideò ſubtiles facit cogitationes. Calor enim attollit partem leuiſſimam, vt Sol in mari. Eſt tamen heic inſtantia, vt in pleriſque aliis. Anſeres, anates, aliæque aquaticæ, quemadmodum & inter terreſtres pauo, vrogallus, gallus Indicus, palumbes, columba anus, &c. habent carnem duram, & difficulter coctilem: quo igitur modo non alimentum etiam præbent ſolidum & ſtabile? Reſpectu quadrupedum. Caro enim anſerina v. g. (de iuuene loquor) nunquam aſcendit ad ſoliditatem carnis bubulæ.

§. 2. Differentiæ auium ſumuntur 1. ab ætate. Vt primùm ouis excluſas nemo optat ſibi: ita ſenes ſunt planè aſpernabiles. 2. à victu. Σπερμολόγοι, quæ frugibus & leguminibus aluntur, ſi liberum volandi & errandi exercitium habeant, meliores ſunt illis, quæ cortibus incluſæ ſaginantur. Differt & ſaginatio. Quæ enim ita includuntur, vt mouere ſe non poſſint, meritò damnantur. Quæ turundis farinaceis farciuntur, iure reprobantur. Quæ liberæ vagantur, & aluntur lacte cum ſimilâ, ſunt optimæ. Ita anſer lacte nutritus hepar habet magnum: multò maius, qui ficubus, & συκωτὸν dicitur. Hoc artificio claruiſſe olim Iudæos Pragenſes, de amicis habeo. 3. ab habitu corporis. Caſtrantur, nî fallor, ſoli galli-gallinacei, & capones dicuntur. Antiquitùs etiam gallinæ caſtrabantur. 4. à præparatione. Aliæ elixantur vel cum aromatis, zingibere, galangâ, maci: vel ſine his. Aliæ aſſantur. Sæpe peccatur in his, cùm alterutrum fit, cùm alterum fieri deberet.

§. 3. Vt ad ſpeciem deueniam, Gallina inter aues edules principem locum habet. Gallinam intelligo *vn pullastro* Italorum, tam iuuenem quàm marem, quæ eò deuenit, vt incipiat cantare. Non enim heic oportet exſpectare ætatem mediam, cùm, quò adultiores ſunt, eò ſicciores & fibroſiores ſint. Quare, vt aſſandæ ſunt iuniores: ita, quæ iam pepererunt per vnum, alterúmve annum, elixandæ ſunt. Galli, quia ob caliditatem & ſiccitatem ſunt libidinoſiſſimi, caſtrantur. Ita enim retinetur calidum illud pingue, quod in motu Venerio alioqui diffugit.

Capones

Capones bene curati alimentis, & liberi, non ita excrementosi sunt, & possunt, vel coqui, vel assari. Galli, quò magis senescunt, eò salsiorem succum accipiunt. Hinc ius galli veteris peculiarem vsum habet in Medicinâ. Totum hoc genus podagricis inimicum esse creditur Scherbius, podagricus hæreditarius, putabat verum esse de iis tantùm, qui ab humore tenui & fluxili id mali habent. Is verò aliquando Serum simpliciter dicitur.

§. 4. Perdices, & præsertim fœminæ, præferuntur gallinis domesticis, ob exercitium volatûs. Phasiani fiunt maximi: sed habent carnem duram, non minùs quàm Vrogalli, & Pauones. Galli & gallinæ Indicæ vel ideò creduntur boni esse alimenti, quia carnes habent iam dealbatas, vt nostræ in pectore. Sed profectò caro est valde solida, quámque elixam præstat apponere, quàm assam. Attagenes, *die haselhüner*, sunt probatissimi succi. Huius generis Ficedula est: *ein Schnepf, Beccafigo*. Italis valde laudata. Deodatus tamen lib. 1. Hygiast. f. 368. & 372 distinguit. Solent nostri homines intestina, cum omnibus sordibus, aromatis diligenter condîre, & pro delitiis Apitij habere, quos ego libenter rideo. Nec moror, si Romani ganeones in Scaro & Sparo idem fecerunt.

§. 5. Columbarum genus duplex est, domesticum & syluestre, quorum hoc peculiare nomen habet, Palumbes. Vtrumque calidum & siccum est, præcipuè syluestre, & propterea edi sine noxâ non posse aiunt à calidioribus & siccioribus. Multo enim esu illarum sanguinem exassari scribunt Medici, ideò addunt frigidi quid. Vsu etiam compertum esse dicunt quidam, capitis dolorem facere: quin Epilepsiâ laborare ipsas, & Epilepticos facere, ideò caput abiiciunt omnes etiam ancillæ focariæ. Hoc totum contemnebat Ill. Saxonia, præceptor meus. Et videntur assertores illi damnare seipsos, dum concedunt in conualescentibus. Ia, dicunt, iuuenes, seu pipiones præscribimus tantùm: Veteres enim habent id mali! Nescio an quisquam veteres attingat, adeò exsuccæ sunt.

§. 6. Anserum quoque genus duplex est: sed nescio, an quisquam scriptorum meminerit agrestium. Procul autem dubio salubriores sunt domesticis, qui, ob grauitatem corporis volare vix possunt. Saginatos, si abscindatur omnis pinguedo, non reprobo, in hoc, inquam, genere, præsertim, si per biduum tridúumve suspendantur, quod ἑωλίζειν Græci vocant.

§. 7. Anatum pariter genus duplex est. Domesticum nostrum vix mensâ dignum est, vsque adeò pigrum & sordidum est animal! Syluestre Pataui j magnâ cum voluptate comedimus. Caro illorum superat caliditate genus columbaceum. Habet & humidum excrementitium, vt anseres. Ganeonum est illud Martialis, *Tota quidem ponatur anas*, &c. Partes enim posticæ æquè bonæ sunt.

§. 8. Inter aues minores Turdus (teste eodem Martiali) regnat. Et

profectò bonum alimentum dat. Merula, quæ cum illo capitur, multò inferiùs est. Plurimum Sturnus. Super omnes Alauda est, non ἐπιτυμβιδίη illa, quæ Galerita dicitur, sed vulgaris, cuius quartus pedis digitus, pollicem repræsentans, longior est.

§. 9. Coturnix duplici nomine reprehenditur, & quòd libidinosa sit, & quòd epileptica. Puto vtrumque vanum esse. Quod ad prius, quid de columbis dicemus? Quod ad posterius, quidam ad esum seminis hellebori referunt. Nos Neapoli, ex vicina Ischia insula, vbi victitare helleboro putantur, sine noxa comedimus, & quidem sub autumnum.

§. 10. Inter gregales Passer est, quem quidam attingere nolunt, quòd carniuorus sit. Potiùs, quia siccus est, ob frequētes libidines. Quibusdam locis pipiones ex nidis capiuntur: Sunt quidem pinguissimi, quemadmodum & hirundines, apodes dictæ, frequentes in muro nostro oppidano: sed excrementosissimi, ob pabulum.



CAPVT XXI.

De Ouis

§. 1. PVlcrum est, quod Gal. ait initio lib. de Marasm. Tria esse viuentium genera, plantas, animalia, & ex quibus vtrumque horum fit, siue semina, siue fructus. Hinc erudiri possunt, qui non intelligunt, quò referenda sint oua. Ad medium illud genus, quod reuerà non est vel planta, vel animal: sed in id institutum, vt fiat vel planta, vel animal.

§. 2. Quo loco & id considerandum est, Quemadmodum κύημα in viuiparis constat & agente & patiente parte: ita in ouiparis ouum quoque, & est vnum, non (φύσει, reuerà enim sunt duo distincta corpora) sed ἁφῇ. Rursus, Vt in viuiparis principium nutritiuum & auctiuum est vnus sanguis maternus: ita in ouiparis principium nutritiuum seu constitutiuum distinctum est ab auctiuo. Fit enim pullus ex albumine: augetur ex vitello seu luteo, quod podici adhæret. Hoc vidi, & vnà mecum multi boni, administrante Ill.D. ab Aquapendente.

§. 3. Iam igitur duæ sunt oui vniuscuiusque partes, valde diuersarum facultatum. Albumen enim est frigidum, (vt alimentum) substantiæ aqueæ: Luteum est calidum, substantiæ terreæ. Hæc duo in vsu cibario diligenter cum sale & saccaro miscenda sunt. Ideò, quæ oua coctione iam indurduerunt, non possunt coqui à ventriculo humano: hinc non raro dolor Colicus, Thomâ Veiga obseruatore. Quin debebat vnumquemque absterrere fœtor, quem edunt cum acetariis in mensâ

apposita.

appoſita. Nimirum, vt tam ſemen, quàm lac fugaciſſimæ ſunt naturæ, vt alibi docetur: ita ouum tam facilè extrorſum corrumpitur, vt ſcripſerint quidam, edendum eſſe, dum mater adhuc glocitat. Tale ouum, miſtis inter ſe bene partibus, temperatum eſſe vt non dubito: ita dico, quantò longiùs abeſt à natali ſuo, tantò frigidius eſt, & quod deterius, putredini vicinius. Habet enim calorem quendam tenuem, & in materia tenui, qui facilè à calore externo vincitur. Id quò diutius durat, eò putredo fit profundior, & tandem à veneno parum differt. Quò magis inclino in ſententiam eorum, qui cum lacte comparant, dicentes, Quemadmodum lac, propter ſubſtantiæ teneritudinem, nec in calido, nec in frigido ventriculo ſatis tutum eſt: ita nec oua.

§. 4. Ouorum differentias ſecundùm animalia venari nihil neceſſe eſt, cùm vtamur gallinaceis tantùm; oportet autem omnino conſiderare præparationis modum. Ouum tremulum, ſeu ſorbile, in aquâ elixum, ſi bene miſceatur vitellus cum albumine, optimum præbet alimentum, ſed fluxile. Secundum locum ſuffocata habent, *Verlohrne eyer*, Frixa in ſartagine cum butyro, *eyer im ſchmaltz eingeſetzt*, damnantur ab omnibus practicis. Cruſtoſū enim illud, quod ex albumine fit, aut difficulter, aut nunquam coquitur in ventriculo. Agitata, *eingerührte*, ſatis bonum, & non corruptibile alimentum præbent. Febres nullâ præparatione tolerant oua.



CAPVT XXII.

De Piſcibus.

§. 1. Qvemadmodum aues erant ſicciores homine temperato: ita Piſces ſunt humidiores. Eodem modo de caliditate & frigiditate res ſe habet. Sunt in triplici differentiâ. Alij enim ſunt marini: alij fluuiatiles: alij lacuſtres. De marinis ſolis ſcripſerunt Veteres. Propterea errant noſtri homines, cùm ſaxatiles quærunt in fluminibus noſtris. Præſtant marini cæteris, cùm, quia concutiuntur à fluctibus, tum quia mare eſt calidius, quod multis probat Bodinus. Subdiuiduntur in littorales, pelagios, & ſaxatiles. Nobis ſufficit egiſſe de fluuiatilibus & lacuſtribus, quorum illi præſtant hos, præcipuè, ſi lacus non admittant aquam recentem. Interim meminero & marinorum, qui ad nos importantur.

§. 2. Recipiunt differentiam, partim à nobis, partim à nutrimento. A nobis: Quò enim vnuſquiſque noſtrûm calidior & ſiccior eſt: eò tutiùs veſci poteſt piſcibus. Veruntamen (quod alterum eſt) cauto opus eſt, quòd ſtagnorum noſtrorum piſces improbiſſimi alimenti ſint: ſed nec

fluuiorum omnium ſunt boni ſucci. Qui enim exportant excrementa magnarum vrbium, horum piſces paludem olent, & facilè putreſcunt in ventriculis. Hinc ferè ſitimus poſt piſces. Sed & in puriſſimis aquis hoc illis deeſt, quòd imi ſunt ordinis inter ſanguinea. Præterquàm enim quòd parum ſanguinis habent, eſt ille crudus & inelaboratus, partim, quia non maſticant, ſed deuorant alimentum integrum; partim, quia pauca habent organa nutritoria; pauciora, quæ excrementa abducunt.

§. 3. A præparatione non minor accedit differentia. Qui enim piſcis aſſatus eſt ſub prunis non valde fumoſis, melior eſt elixo. Rurſus, qui bene fartus eſt aromatis, laudabilior eſt. Elixus in aceto, & quidem igne magno, lucidóque, non fumoſo: melior eſt illo, qui in aquâ, & quidem igne tantillo. Ita in oleo melior eſt, quàm in butyro. Ita, qui ſubitò ex ſartagine feruens ſumitur, non ad tabem coctus, ſed vt friabilis ſit, *daſs noch ein Keck hatt.* Ita, bene habitus quidem, ſed non pinguis. Omnis, enim pinguedo mala eſt, piſcium peſſima. Et hoc in primis in illis, qui fluxionibus laborant. Dat enim principium motûs ſuâ penetrantiâ, quâ fit, vt laxet quoque, quod videmus in corio. Hic comedi debet cum pane vulgari, qui furfuris aliquid habeat. Tali vtebatur Crato non niſi die Veneris, cùm piſcibus veſceretur. Debet etiam ſuperbibi bonum vinum.

§. 4. Non ignoro, magnorum virorum ſententiam eſſe, Inter piſces non reperiri vllum, qui, vt in aliis, præbere, poſſit crebriùs vſurpatus homini temperato alimentum, ſine metu mutationis temperamenti naturalis. Ego verò diſſentire cogor, inductus ab ipſiſmet, & Truttam nominare. De hac inprimis hoc admirandum eſt, non fieri illius mentionem vel à Gal. vel ab vllo alio priſcorum! Propterea veniunt in eas cogitationes, Salmones quidem fuiſſe impoſitos lacubus: degenerâſſe autem (Phyſicè loquendo) in Truttas. Hanc parentheſin facio, quia in Medicinâ nulla eſt degeneratio, cùm ſalubriores ſint Salmonibus. Minùs enim pingues ſunt. Sicciores igitur. Sed & friabiliores ſunt, hoc eſt, in teſſellas ſolubiliores. Iam dico cum illis, Piſcis, qui bonum (in ſuo genere) alimentum dare debet, duas habeat conditiones oportet, Vt & friabilis ſit, & mollis. Friabile quid ſit, dixi. Id verò etiam duris quibuſdam conuenit, vt ſalpæ noſtræ, quæ propriè eſt ex Aſellorum genere. Quare cum friabilitate iungi debet mollities. Vtrumque habere Truttam, præcipuè rubram, conuincam ſenſûs teſtimonio. Hoc ipſi fatentur, cùm dicunt, friabilitate ſuperare Salmonas. Quare etiam puto, Truttas quidem in febribus quibuſdam poſſe dari, ſalmones non poſſe: ſunt enim Truttæ, vt dixi, minùs pingues. Et Lucius, de quo mox, dari poſſit, trutta non poſſit?

§. 5. De Salmone, quem Regem piſcium vocant, conſtans eſt ſententia, piſcem eſſe marinum, ſed qui ſectetur aquas dulces. Ideò aduerſo Rheno, Danubio, aliis aquis, aſcendunt: quin creduntur cataractas

ſuperare, qualis ſupra Baſiléam eſt Lauffenburgi. Sed non eſt: terrâ enim conficiunt iter illud, veluti lucij de piſcinâ in piſcinam. Hunc viridem (vti loquimur) comedi Baſiléæ, vbi cum piſis integris coquunt, neſcio quàm ob cauſam. Caro tenera eſt, friabilis & mollis, in quâ q. guttæ quædam ſunt pinguedinis, ob quam dulcis quidem eſt, ſed nauſeabunda, vt qui hodie comedit, cras non appetat. Propterea emaciati ſunt meliores. Fit id, vel cùm oua pepererunt, vel cùm nimis defatigati ſunt profectionibus, vel ſub Caniculâ. Nos non niſi ſalitos habemus, qui, niſi diligenter abluatur ſal, moleſtam ſitim faciunt.

§. 6. Inter Truttam & Salmonem eſt genus quoddam medium, *Salmfohren*, quod peculiarem ſermonem non requirit. Sunt & Salmunculi, ſeu Salmerini, de quibus dubium eſt, An ſint ſalmonum filij? Sed Medico nihil intereſt.

§. 7. Salmonis ſpeciem quidam faciunt Huſones noſtros ſalitos: ſed non eſt. Eſt piſcis marinus cetaceus cartilagineus, cuius caro non minùs dura eſt, quàm Buffalina, quam prope Terracinam guſtauimus, non deglutiuimus. Non enim cedebat dentibus.

§. 8. Truttæ ſpeciem eſſe Carpionem, Benaco lacui (*Lago di Garda*, Veronæ in Lombardia) proprium, volunt quidam. Comedimus ibi in pago lacui ipſi tam propinquo, vt fluctibus marinis oppoſitæ ſint magnæ ſtruices ſaxorum quadratorum. Huius nomen quia occupauit Cyprinus noſter, *vnſere Karpen*, oportet meminiſſe illius quoque. Culpatur ob viſciditatem. Qui enim ſumſerunt, coguntur manus lauare. Pinguedo ipſius tam eſt penetrans, vt quis eſu ipſius potuerit ſibi accerſere paroxyſmum podagricum. Vide I. Alexandr. in Salubr.

§. 9. Lucius, *ein hecht*, vaſtator piſcium dictus, potiſſimùm iuuenis, carne conſtat duriuſculâ quidem, ſed friabili tamen, non pingui. Videtur locum tueri ſaxatilium, ideò febricitantibus etiam concedunt quidam. Non ſine cauſa prorſus abhorrent ab illo quidam. Deglutit enim integros buffones. Relatum mihi eſt, cùm Ferdinando I. Imp. Noribergenſes grandem lucium inter alia donaria obtuliſſent, iuſſiſſe Imperatorem reſeruari ſibi. Cùm cocus renunciaret, habere in ventriculo buffonem viuum. Non refert, inquit. Buffo eſt alimentum piſcis: piſcis meum. Ego verò ſubſiſto. Primùm, abſterret me conturnix, quæ, hellebori ſemine paſta, fit epileptica. Deinde, quod dixi ex I. Alexandrino, §. 2. piſces alimẽtum ſuum non bene conficiunt. Quemadmodum igitur hic lucius potuit eſſe innoxius, ratione huius buffonis, qui inalteratus adhuc erat: ita nemo teſtem mihi dederit, non vorâſſe ante menſem buffonem alium, à quo virus ſuperſtes ſit.

§. 10. Anguillæ etiam de veneno ſuſpectæ ſunt. Creduntur enim coïre cum ſerpentibus. Quidquid huius ſit, abſque etiam hoc, quantumuis ſaluiæ foliis indutæ torreantur, tamen ſunt praui ſucci. Vide I. Alexand. iterum. Tale quid de Lampetris noſtris dici poteſt. Multò magis de Barbis & Tincis.

§. 11. Funduli

§. 11. Funduli succum præbent delicatum & bonum : sed qui facilimè corrumpitur. Gobiones, qui sæpe cum illis venduntur, abominabilem & malum. Inde nostris *Rotzkolben* dicuntur. Cum his censeo *die steinbeisser*, quidquid alij dicant.

§. 12. Cancri nostri sunt Gambari seu Astaci Veterum : at Veterum Cancri caudâ carent. Ex his, non ex illis fieri debet antidotus Æschrionis contra hydrophobiam apud Gal. Alimentum dant crassum & melancholicum, difficiles quippe concoctu, non sine dolore capitis, & somniis turbulentis. Hinc ratiocinabatur Scherbius, habere quid narcotici; præbent enim auxilium præsens in Causis, aut alioqui in palati inflammationibus, in doloribus nephriticis, contusi, & vel expressi, vel emplastri modo impositi, &c. Cauti igitur sint, qui in atrophiâ dant, ne citiùs quàm par est, extinguant igniculum superstitem. Idem iudicabat de Testudinibus, tam fluuiaticis, quàm nemoralibus, quas in phthisi commendant quidam magnificè. Ranæ, eodem obseruatore, tam habent hoc insigne, vt ex dimidio torpedines sint. Et quia carnem habent duram fibrosámque, ne in eâ quidem atrophiâ admiserim, quæ est à calore acri & dissipante. Non enim coquuntur à ventriculo, etiamsi multùm piperis addas, maximè si frigantur in butyro, aspersâ farinâ triticeâ.

§. 13. An tale quid habent testudines etiam nostræ domiportæ? Vix dubito. Non dubito, sed scio, Ostrea, quantumuis ex mari sint, planè hoc maleficij habere. Quò minùs in Italia vnquam adduci à congerronibus potui, vt comederem, quamuis scirem, magnos viros diuinum cibum vocâsse, Idem dico de Italorum granceolis, capitondis, capilongis, &c. Hac occasione quia mare ingressi sumus, de illis marinis, quos nos habemus, dicam paucis.

§. 14. Haleces seu Harengi, Thrissarum species, è mari exemti, dicuntur cibus esse delicatissimus : sed quia subitò exspirant, saliuntur & fumo indurantur. Hinc ex carne tenerâ & friabili fit sicca & densa. Tamen, vt infumatos, *die Bœkling*, non admitto, quia penè lignei sunt, & tetrum quid spirant: ita salitos, bene à sordibus omnibus purgatos, sed recentes, antequàm flauescant, oleo & pipere conditos, vt homo Thuringus, non aspernor, sed modicè sumtos. Nec enim difficilis digestionis sunt, nec malum succum procreant, si modò coquantur. Et hoc oppono Deodato nostro, Hygiastici lib. 1. f. 386.

§. 15. *Stockfi'ch* noster non est Salpa veterum : sed Aselli species, veruntamen non illa, quam tantoperè commendat Gal. 7. Meth. 9. 8. Meth. 2. 3. Alim. 30. Vict. atten. 8. Habemus nos ex Noruuegia, mari purissimo, vti dicunt, vbi laudabili cibo vtitur, & carnem habet tam bonam, vt cum saxatilibus contendere possit. Verùm, quia in frigore illo Septentrionali tantoperè exsiccatur, vt nisi bene contundatur, insupérque diutius in aqua maceretur, edulis non sit, abeat in pace. Qui rubram carnem habent, præferuntur à Saxonibus nostris, adeò vt vix

ad

ad nos dimittant, ídque ſine inuidiâ meâ, quem vel copioſæ cepæ abſterrent.

§. 16. *Halbfiſch* noſter, τὸ ψῆττας, *paſſeris* ſpecies eſt. Multùm ille viſcoſitatis & lentoris habet, quod videmus in menſa. Ideò parùm laudis habet. Cùm rufeſcit, iam amiſit id alimenti, quod habebat.

§. 17. Atque hæc ego hactenus, qui hoc admoneo, Summam illam ἀκρίβειαν locum habere præcipuè & maximè in θεραπευτικῇ. Ibi enim cùm potiſſimùm *Occaſio ſit præceps*, nec liceat bis peccare, non minùs ac in bello: profectò curâ opus eſt, ne vel minimum quid in victu erretur, quod poſſit nocere in infinitum. Deinde locum habere in ὑγιεινῇ, quatenus Sanitas latitudinem habet. Hoc verò conſilij datur omnibus iſtis cauſariis, quorum infinita copia eſt, vt, quamprimùm ratione vti poſſunt, exerceant τὸ γνῶθι σεαυτὸν, hoc eſt, videant diligenter, à quibus cibis & potibus, in quâ quantitate & qualitate ſumtis, vel iuuari ſe ſentiant, vel lædi. Et hoc eſt, quod Tiberius Imp. dicebat, Stultum eſſe, poſt trigeſimum annum porrigere manum Medico. Ipſe enim cùm vitam ſuo arbitrio regeret, vt Hiſtoricus de illo loquitur, facilè ſentiebat commoda & incommoda ex hoc, illóve alimento. Hoc quis noſtrûm facit? Imò in omnium ore natat illud non intellectum, Medicè viuere eſſe peſſimè viuere. Si Medicinâ carere potes, ſtultus es, ſi te illi ſubiicis: Stultior, ſi non potes, & tamen cubito à te propellis. Tu verò cogita hoc quoque, ſi vllibi, certè in victu locum habet τὸ παρὰ μικρὸν Ariſtot. in Polit. Quod enim Gal. ait, Senſim & ſenſim colliguntur excrementa, quæ tandem morbum faciunt. Et hoc eſt, quod Smetium Heidelbergæ ſibi dixiſſe aiebat Scipio noſter Gentilis, Tu poſt viginti annos ſenties, te hodie fuiſſe ebrium! Tu igitur, quiſquis es, tanquam è tripode dictum eſſe putato, Diſce experientiâ, quid naturæ tuæ conueniat, quid non. Ita & ſine morbis degere potes, & diu. Tandem ſunt Euectici quidam, ſed inter mille millenos vix vnus, quos prodigia Naturæ vocauerim, qui inter denſiſſimos errores, tamen ad 80. annum perueniunt. Et hi ſoli gaudent priuilegio Celſi, initio operis ſui, Sanus homo, qui & bene valet, & ſuæ ſpontis eſt, nullis obligare ſe legibus debet, &c. Et mox: Bis die potiùs cibum capere quàm ſemel, & ſemper quamplurimum, dummodò concoquat, &c. Et hoc de ſeq. quoque dictum eſto.

TTTt CAPVT



CAPVT XXIII.

De Potu.

§. 1. ME iuuene, valdè disputabatur, Quomodo ἐν ϖροβλήμασι ponatur potus cibo, cùm potus non alat? Respondebatur, quia non minùs alteratur, quàm cibus. *Non minùs*, quo modo? Cibi alteratio est substantifica: ergóne potus quoque? Atqui excernitur vehiculum alimenti, functum officio suo, inquit Gal. Hoc habito, si sciuerimus, quod & quotuplex sit hoc officium, sciemus pariter, cur iungatur potus cum cibo. Inuenio triplex esse. 1. Cùm appetitus sit duplex, sicci & humidi, quorum ille Fames dicitur, hic Sitis: debuit consuli vtrique. 2. Cùm coctio ventriculi, si propriè loqui velimus, *Elixatio* sit, non *Assatio*: vtique affundi debet liquor, in quo fiat. 3. Cùm coctum in ventriculo alimentum opus haberet aliis insuper coctionibus; non sit autem liquidum ex se: debuit certè liquore dilui, vt de vasis in vasa transfundi possit. Et hoc est ὄχημα τῆς τροφῆς, *vehiculum alimenti* Hipp. fine libri cognominis. An licet addere quartum, à Platero inuentum, vt aliquid in corpore maneat, & seruiat humectandis membranis, suâ naturâ siccis?


§. 2. Eius igitur, quod superest, tot fecit Natura exitus, quot sunt coctiones. Absolutâ enim primâ in ventriculo (accepto vocabulo vnà cum intestinis) coctione, ea pars potûs, quæ seruierat chylo per intestina distribuendo, cum fæcibus alui exit, habétque adeò ibi hunc abusum, vt fæces illas faciat fluidiores. Absolutâ secundâ, quam in hepate & corde simul constituo, per venas arteriásque Emulgentes dictas multò maxima eius pars in renes & vesicam deponitur. Absolutâ denique tertiâ, quæ fit in singulis partibus nutriendis, id quidem, quod ad superficiem non peruenit, absoluit vsum illum Plateri: quod verò peruenit, partim insensibiliter vacuatur, partim sensibiliter per sudores. In specie, in capite & oculis materiam lachrymarum constituit.

§. 3. Quo loco, quisquis es, duo mihi haud perfunctoriè reuoca ad animũ. Alterum, Potus alius est simpliciter potus: alius cum additione, Alimentosus seu Medicamentosus. Ille est aqua simplex, quæ neutiquam alit, 4. Vs. p. 5. hic est Vinum, eíque analogæ potiones ex frugibus, fructibus, melle, aliis; item decocta & brodia alterantia. Alterum, rectè distinguendos esse à se inuicem fines tres dictos. Primus & principalis est ille, qui & primus est in ordine: secũdarij illi alteri sunt. Principalis ille ideò est & dicitur, quia potus non seruit tantùm ventriculo, sed & pulmoni, quatenus ille apud Arist. μόριον καταψυκτικὸν est. Hinc dubium fuit

fuit apud Veteres, Pulmonémne ingrediatur potus, an ventriculum? Respondeo, quemadmodum aër non tantùm ad pulmones it, sed & ad ventriculum, vt probaui alibi ex Hipp. ita potus quoque. Verùm, quemadmodum aër maximam partem ingreditur pulmones, minimam ventriculum: ita contrà potus. Tantillum enim potûs per parietes asperæ arteriæ deerrat, quod refrigerare & humectare possit bronchia, præsertim, vbi à calidiore aëre exsiccata fuere. Aër ille vt seruit principaliter τῇ σωτηρίᾳ τῆς καταψύξεως apud Arist. ita potus q. succenturiatus eodem tendit, participátque inde principatûs aliquid. Hinc intelligitur dogma Gal. quatenus sitis ab aliis quoque partibus quàm ab ore ventriculi fiat? De pulmone iam dixi: hinc vox vulgi, Cantores amant humores. Ex hepate est, quatenus illi debetur maxima pars caloris concoquentis. Incumbit enim ventriculo, quin os ipsius q. manu amplectitur. Idem facere possunt reliqua viscera, credo cùm p.n. affecta sunt.

§. 4. Ex hac oratione intelligitur nexus causarum, ad chylificationem concurrentium. Calor, eo modo, quo dictum est, est causa efficiens: cibus, materialis: potus, sine quâ non fit, vel elixatio, vel distributio. Non igitur vlla est ex quatuor per se causis.

§. 5. Hæc (elixatio) vt succedat quàm felicissimè, quid faciendum est sanitatis studioso? Postquàm cognouit seipsum, quo vel cibo, vel potu Natura gaudeat, quémve conditio statûs sui admittat, quâ quantitate, quâ qualitate, quo tempore diei, semel an bis, & si quæ sunt talia: debet ad illa omnia attendere.



CAPVT XXIV.

De Aquâ.


§. 1. AQuæ, quocunque quis loco deget, etiamsi pro potu non vtatur, notitiam habere debet omnis sanitatis studiosus. Vsus enim ipsius tam latè patet, vt rectè dixisse Pindarum fateri cogamur, *ὕδωρ μὲν ἄριστον, aqua est rerum optima.* Vix enim vel prandium absoluimus, vel cœnam, cui aqua non interueniat.

§. 2. Ego hoc loco non immorabor, vel sententiæ Hipp. exponendæ, vel commendandæ aquæ pluuiali, vel comparandæ eidem cum fontanâ: sed simpliciter probabo, Fontanam esse optimam, fortassis consentiente tam Hipp. quàm Gal.

§. 3. Et quia breuitati studeo, dico cum I. Alexandrino 17. Salub. 9. Aqua optima probatur tribus, Colore, Odore, Sapore. *Color* aquæ sit purus sincerúsque, vno verbo, Argenteus, vt Virg. canit. *Odor* sit prorsus nullus. *Sapor* pariter nullus, licèt exprimere soleamus voce *Dulcis*, respectu scil. thermalium aquarum.

§. 4. Heic vt principatui pluuialis inprimis obstat mistura variarum exhalationum, è terrâ eleuatarum: ita fontanæ obstat mistio variorum fluorum, salis, aluminis, nitri, chalcanthi, vnde aqua simplex dici neutiquam potest, & consequenter *Potus est medicamentosus.* Hanc discernere à simplici, opus est magni exercitij, quod soli habent ὑδροπόται. Pluuiali etiam hoc deest, quòd multis opus habeat conditionibus, nec semper haberi possit: imò tam manifestè medicamentosa est, vt soli medicamentorum compositioni adiudicârit Gal. iis ferè, in quibus aquâ chalybeatâ vtimur. Habet enim quid corrosiui, non secùs ac niualis. Per hyemem enim plures atterimus calceos. Contrà, fontana hoc habet boni, quòd omnes indistinctè vti illâ possunt.

§. 5. Altorfina nostra, tam fontana, quàm putealis est crudissima. Nam & regio ipsa horrida est syluis & montibus, qui prohibent liberum Solis accessum: & solum argillosum, quod multis in locis degenerat in scissilem lapidem *in ein schifferstein.* Vix vllibi etiam sine fœtore aliquo est, cuius testes sunt viridia illa capillamenta, quæ è fontibus dependent. Aquæ enim corruptio est in virorem: quin plantæ, & imperfectiora quædam animalia virent propterea. Opus igitur habent aquæ nostræ diuturniore decoctione, addito zingibere, galangâ, maci, &c.



CAPVT XXV.

De Vino.

§. 1. SI, quod ad Euripidem refertur, vinum est ὕδωρ ἐν ξύλῳ σαπὲν, *aqua in ligno cocta*: videtur iam agendum esse de illo. Quo loco id inprimis considerandum est, Vinum non esse potum simplicem, sed alimentosum. Secūdo loco illud, Cum vina, vel rubra sint & crassa, vel alba & pellucida; tum verò vel dulcia, vel austera: rubra quidem & dulcia magis alere, alba autem & austera minùs, & quidem cum adstrictione.

§. 2. Hoc cùm Mercurialis, *vestibulo Var. Lectionum*, & Lect. Pisan. tr. de Vino, in vniuersum negârit, varios inuenit redargutores, inter cæteros Augenium in Epist. Mihi sufficit vna Baccij, *in opere de Vinis*, censura, Tam sibi videri absurdam hanc assertionem, quàm absurdum dictu esset, Panem non nutrire. Hoc an verum sit de iis etiam vinis, quæ, vt iam dicam, instar aquæ refrigerant, dubitare quis posset. Mihi decisio quæstionis videtur pendere ex principio nostro, Quæ sint illa quæ habeant hoc, vt vinci possint, & verè alimenta sunt? Calida & humida. Huius consequens erit, vt Vinum quoque sit Calidum & humidum. Hoc vt obtineamus, tot opus erit laboribus, quot Hercules subiit in domandâ Hydrâ Lernæâ. Quod ita ostendo.

§. 3. Gal.

§. 3. Gal. cum multis locis vinum omne disertè dicat esse calidum, lib. de Cibis, 11. extr. disertissimè contrarium dicit, *Aliquod sensibiliter refrigerare.* Tergiuersatur quidem Augenius, dicens, *Minùs calefacere:* sed reuerà clarior est locus, quàm vt vim hanc admittat. Inquit enim, *Tam inter calida, quàm frigida vina, quædam magis id faciunt, quædam minùs: in vino hoc non est, cùm quoddam vehementissimè calefaciat, quoddam sensibiliter refrigeret.* Nec desunt eius rei testes alij. Guillandinus Scherbio dixerat, Tale vinũ dari in Ægypto, vbi ipse fuerat. Amatus in Dioscor. scribit, Ferrariæ, vbi Medicinam fecit, reperiri tale vinum, quod plus refrigeret ipsâ aquâ. Et est alioqui locus ille Gal. tam perspicuus, vt Baccius, *dicto opere*, vtatur illo tanquam decisorio, inter Ant. Fumanellum & Bart. Gaionum, Hier. Fracastorium, & Cons. Barredam, quorum ille pro Fumanello scripsit, hic pro Gaiono. Conciliat ferè eodem modo Manardus in *Epist.*

§. 4. Et ita quidem de actiuis habet se res: de passiuis non minores sunt difficultates. Non tantùm enim Gal. modò siccare ait, modò humectare: sed & rationes sunt in vtramque partem, tam Physicæ, quàm Medicæ, in quibus ego non occupabor. Sunt, qui velint & inter hos Scherbius, hac distinctione posse illas ambages tolli, *Vinum meracum siccat: dilutum humectat.* Sed reuerà non stant recto talo. Nam & vinum meracum humectat, & dilutum siccat. Meo igitur iudicio, distinguere oportet siccationem qualitatiuam, vt sic dicam, à substantificâ. Vinum omne, statim atque sumtum est, qualitate suâ siccat: at postquàm tractu tẽporis concoctũ est, & substantificè alteratum, humectat. An, quemadmodum in actiuis tanta est latitudo, quanta dicta est, ita in passiuis quoque? Pataui vulgus vina bibit rubra, quæ nõ magis sapida sunt, quàm decoctum aliquod ligni Brasiliani. Ab hoc quid humiditatis substantificæ exspectes? Ita quibusdam locis, vt in Bauariâ, tam sunt austera & tenuia vina, vt Scipio noster, Ratisbonâ redux, luserit, se fuisse.

Heic vbi natiuum colles lachrymantur acetum.

Quemadmodũ igitur acetum, quod est cadauer vini, absumto iam omni pingui alimentoso, non nutrit: ita tale vinũ nunquam quidquã accepit.

§. 5. Verùm, obstat superioribus. Quo modo dici potest, primum vini effectum esse siccare, cùm somnum conciliet? Id fit per accidens, propter partium heterogeneitatem. Vt igitur nihil prohibet, crocum, myrrham, styracem, & alia talia, esse prædominio sicca, quamuis habeant humiditatem quandam excrementitiam, quæ sublata caput grauat: ita nec vino obstat.

§. 6. Non inelegans etiam est discursus illorum, qui vinum quoque meracum siccare volunt, quatenus alit. Dicunt, Omne alimentum abit in sanguinem, sed in maximâ latitudine. Lactuca v. g. sanguinem facit tantumnon frigidum: vinum, tantumnon vstum, & hac ratione siccat vinum. At verò cùm alimentum & medicamentum sint ἀντιδιῃρημένα, alterum vincat, alterum vincatur: nunquã intelligere potui,

TTTt 3 quomodo

quomodo vnum, quà vnum, edere poſſit effectus ſibi oppoſitos, vincere & vinci? Sed & alimentum omne eſt humidum, quomodo igitur ſimul ſiccum? Et hoc ſatis mihi eſto.

§. 7. Supereſt admonitio, Vocari heic in quæſtionem, Non vina medicata, qualia apud Dioſcor. lib. 5. & alios, plurima ſunt, & habebant olim locum ſyruporum: ſed vina ita nata, fulua, rubra, noua, vetera, mediæ ætatis, odorata, inodora, omnia, inquam, quæ & exactè maturuerunt, & debitè efferbuerunt, & ſunt adhuc in ſtatu ſuo naturali. Quo ipſo ſermone appello vinum dilutum, quale erat omne Græcorum. Erat autem diluendi ratio longè alia quàm apud nos. Illi affundebant muſto aquam, & ſinebant efferueſcere vnà: non autem in menſa affundebant. Et erat magni artificij ita temperare, vt nec vinoſum illud, quod ſingula vina ſuis locis habent, peſſum eat: nec vinum ipſum, vel fortius, vel imbecillius fieret, quàm conueniret temperamento vtentis. Tale vinum οἶνος κεκραμένος dicebatur, aut ſimpliciter κρᾶμα ἢ κρᾶσις, hodie, vt intelligo, corruptè Venetiis *Craſi*. Hæc conſuetudo ſub ipſo Baccho, vini inuentore, cœpit. Iungunt enim illi Nymphas, deas marinas. Nos, cùm ignari ſimus conſuetudinum priſcarum, explicamus Veteres ex noſtris moribus, ideóque immaniter fallimur. Illi, in regione calidâ, ferè ſemper diluto vtebantur, etiam in morbis frigidis: nos, in regione frigidâ, omnia inuertimus. Dico, *Ferè*. Hoc enim probare me poſſe confido ex antiquitate, ἄκρατον οἶνον non eſſe eum tantùm, qui tam parum habeat aquæ, vt pro nullâ haberi poſſit, quam κρᾶσιν ἀγαθοῦ δαίμονος vocabant, & hilaritatis gratiâ in extremâ menſâ vtebantur: ſed & illum, qui nihil omninò aquæ haberet. Sed amœnitatum ſatis.



CAPVT XXVI.

Differentiæ vini.

§. 1. CONſtituunt quidem ea, quæ dicta ſunt, primam & maximam vinorum differentiam: ſed intricatiùs. Oportet igitur euoluere, hinc facto exordio. Quæ in ſcientiis differunt gradibus, ea in artibus ſpecie differunt. Vinum v.g. quia aliud atque aliud agit in corpus humanum, v.g. aliud mouet aluum, ſudorem, &c. aliud colligit, aliud adſtringit, aliud digerit & aperit, aliud modum ſubſtantiæ habet craſſum, aliud tenuem, aliud huius eſt ſaporis, aliud illius: ideò rectè (dico in arte Medicâ) vina ſpecie differunt.

§. 2. Sit igitur I. Aliud vinum eſt ὀλιγοφόρον, ἢ ἀσθενὲς, hoc eſt, quod in κράσει parum tolerat aquæ, ne prorſus fiat aquoſum: aliud eſt

πολυφόρον,

πολυφόρον, ἢ ἰσχυρὸν, quod multùm. Hoc quatenus accommodari possit moribus nostris, videt vnusquisque. Interim ὀλιγοφόρον vocamus, quod parum vinosi habet, & cui in mensa non debeas multùm aquæ affundere, præsertim, vbi caupo id ante te fecit: πολυφόρον, cui satis multùm. Ex hac misturâ quæsiisse veteres humectationem dicunt. Nî fiat, addunt, sitire homines, caput dolere, vigilare, febricitare, maximè, si præmittant absinthio, carduo benedicto, caryophyllatâ, centaurio minore, aliis condita vina. Tandem, sanguine quotidie facto sicciore & acriore, sequi hydropem calidum, ex colliquatione nimirum, cùm pars serosa sensim descendit in abdomen, pars crassa facit viscera scirrhosa. Huius rei causam cùm non videret Fernelius, hepar fecit dehiscere, &c. Heic ego primùm non video, quomodo vinum adaquatum humectet, cùm experientia doceat, magnos potores, etiamsi vtantur aquâ, tamen vel post peractum somnum primum sitire & vigilare, vel manè cogi redire ad pocula. Fit igitur, quod ego dico, Vinum etiam dilutum exsiccat primo in corpus ingressu, & quamdiu durat prima coctio, labia, linguam, palatum, ventriculum. Deinde, si his iisdem tractu temporis sanguis ita inflammatur, vt colliquescat, non potest dici fieri id solâ caloris intensione: sed auctâ substantiâ. Et hoc est, quod ego volo. Vbi aliquis, Quomodo hæc est substantifica humectatio? Est, ratione substantiæ sanguinis, licèt sanguis non sit sanus, qui calidus & humidus est, sed p.n. calidus & siccus. Et quidem incidenter pro confirmatione superiorum.

§. 3. II. Sit illa, quæ etiam in aquâ fuit, vt vina sint Cos, hoc est, colore, odore, sapore à se inuicem discernantur. Et licèt & color & odor sint signa tantùm, & ea quidem fallacia, color magis, odor minùs: oportet tamen addere sapori, qui ostendit veras differentias, quæ Medicâ consideratione, proximè respiciunt facultates. Medicus enim, vt dixi, vult scire, quid faciat in hoc corpore, hoc, illúdve vinum. Has ipsas facultates mirificè variat modus substantiæ, qui consistit in crassitie & tenuitate partium.

§. 4. Quod ergò ad colores, extrema sunt duo, Album & Nigrum, in quorum medio sunt omnia alia. Primum omnium, quod Noa (Bacchus Ethnicorum) bibit, fuit *nigrum*, vnde *Sanguis terræ* dicitur. Tale fuit Maronéum & Pramnium apud Homerum. Huius multæ sunt differentiæ, secundum magis & minùs. Aliud enim reuerà nigrum est, vt Vicentinum quoddam: aliud rubellum tantùm, *Schiller*. In medio consistunt multæ species, quæ vel dulces sunt, vel austeræ. Illæ obstruunt, quia viscera nimis auidè rapiunt: hæ adstringunt, & diu morantur in ventre. *Albi* apud Gal. duo sunt genera, *Aquosum* simpliciter, nullâ aliâ additâ qualitate: & aquosum cum adiectione *Austerum*. Illud vltra primum gradum calidum non est: hoc fortè ne attingit quidem. Illud dari potest febricitantibus etiam, sed dilutum: hoc non potest, quia moratur excrementa. Hoc dato, non potest Gal. dicere, quis sit λευκὸς

οἰνώδης

οἰνώδης Hipp.3.Acut.3. Propterea I. Alexandrinus, Vallesius, Brassau. alij, substituunt illi genus quoddam albi prorsus vt aqua: sed generosissimi, *Vin de Cane.* Hoc, dicebat Scherbius, obtrudi solet ignaris, & præcipuè adolescentibus, Italiam petentibus, *den mutterſœhnen*, qui mandatum à matribus habent, nolint bibere Italica ista vina sine aquâ. Vnde apparet manifestè, ex colore nihil certi haberi posse de facultatibus.

§. 5. In medio Nigri & Albi statuo τὸ ξανθὸν, quod *Fuluum* aut *Flauum* voco, ídque triplex facio, vt in bile naturali & vrinâ facit Galen. Summus gradus est, qui in Maluatico est, quod credo esse Aruisium veterum: imus Francicorum nostrorum plerorúmque: medius Rhenensium plerorumque. In his vti varietas est infinita: ita nominibus distinguere velle, immensi laboris fuerit.

§. 6. Quod ad nutritionis negotium, Quò vinum vnumquodque coloratius, eò magis nutrit: sed sanguis inde fit melancholicus, terrestris, piceus, tu putà, si diu vtaris. Nigra calida dulcia stant supremo loco: hæc sequuntur fulua, in magnâ latitudine: tandem alba. Ita, si inuertas. Hæc omnia capere te oportet de non falsificatis. Mistura enim illa, siue fiat musto retento, *Schmier* vocant Noribergæ, siue si relictâ in vase parte aliquâ generosioris, & superaffuso viliore, *der ein læger hatt:* insigniter nocet. Sed & maritatis eiusdem generis vinis, ex diuersis natalibus, fit id, quod in variis cibis. Sulphurata nostra, *die ein einſchlag haben*, maximoperè noxia sunt.

§. 7. Si spiritus nutriuntur, præstant id inprimis odores. Significant enim substantiæ tenuitatem, à quâ effumantes vini exhalationes ad cerebrum, discutiunt crassos vapores, spiritibus viam præcludentes. Fit id præcipuè in pituitosis & melancholicis. Alioqui talia vina & vrinas & sudores mouent.

§. 8. Saporum mirifica, & tantumnon indicibilis varietas est, quæ monet nos de rei difficultate. Sequor ego heic Scherbium, qui, vsus doctrinâ Veterum Elementari, proponebat tres sapores simplices, *dulcem, austerum, acrem*, è quibus inter se mistis componebat omnia vina. Hac in re diligenti opus est exercitio, nec est cuiusuis, nisi qui bene sanus est. Qui enim declinant, in iis imbibit lingua eum humorem, qui abundat in corpore, corrumpítque gustum. Accedit, quòd quidam sapores habent vicinos effectus. V.g. vellicare linguam est commune & austero, qui frigidus est, & acri, qui calidus. Vellicat austerus cũ constrictione linguæ: acris cũ diffusione caloris per linguã. Rursus, Acerbus & austerus etiam habent aliquid commune, quod ferè consistit ἐν τὸ μᾶλλον καὶ ἧττον. Austerus in eo superat acerbum, quòd refrigerat cum asperitate.

§. 9. Dulcis sapor simplex ferè est cum crassitie partium, vt in musto quoque. Est, nî fallor, præcipuè in nigris & rubris: deinde in fuluis quibusdam. Omnia hæc valdè alunt: sed obstruunt, vt dixi. Propterea, nec in biliosis locum habent, nec in iis, qui iam obstru-

ctionibus

ctionibus laborant. Speciatim, in obstructionibus bronchiorum, in asperitate faucium & linguæ, sed sine calore, egregiè faciunt. Donzellinus, aiebat Scherbius, Noribergæ exsulans, cùm autumni tempore occurreret anui tussiculosæ, *drinck most*, inquit.

§. 10. Austerus communis est omnibus coloribus. Prodest in alui fluxibus, in dysenteriis: sed si febris absit. In iis, qui diffluunt sudoribus, siue in toto, siue in parte; item, qui hæmorrhagiis ex sanguine fluxili laborant, bellè faciunt *die zapfresche, oder Sommervvein*, *Vini piccanti* Italis, quòd subadstringant potiùs quàm adstringant. Eadem, cùm æstatis tempore languet appetitus, suas laudes habent. Veruntamen diuturno vsu impediunt distributionem alimenti, sistunt vrinam & sudores. Interim si cum partiũ aliqua tenuitate sint, vt peruadãt, tolerari possunt.

§. 11. Acris cum gratâ quadam diffusione caloris vellicat, propter substantiam vaporosam calidam siccam, quâ caput valdè petit, & calidis naturis nocentissimus est. Tale vinum valdè siccat, & est inimicum senibus, aluum facit immorigeram, sputum sistit, &c.

§. 12. Post saporum, & quæ inde pendent, facultatum differentias, est vltima ab ætate. Mustum quidem vinum non est, nisi cum additione: sed cùm voluptarij nolint sibi adimi, oportet aliquid dicere. Cùm multa habeat incommoda, ob excrementa nondum deposita: hoc solũ bonũ habet, quòd laxet aluũ, ideóque statim abeat. Quod si non fit, deterrimum est. Parũ quidẽ calefacit, quòd pars aquosa nõdũ sit deuicta: sed obstruit, vt & anniculũ, *der ablass.*, ob dulcedinẽ relictã, quæ arguit reliquias excrementorũ. Vina vetusta, quæ iã amarescunt, debebant abdicari à mẽsis, nisi egregiè diluantur. Nimis enim calefaciunt, &, quæ vini malitia est, siccant. Sed & parũ alunt, quod ipsum est medicamentosum, vergítq; ad colliquationes, vt suprà dixi. Mediæ igitur ætatis vina debebant bibi, & magis minùs adaquata, pro caloris natiui maiore, minore robore.

§. 13. Verùm enimverò, quia non minùs quàm pira, poma, & alia omnia, naturâ suâ vergit vinum ad interitum, & sæpe ita, vt vbi omnia feceris, nihil tamen feceris: omnibus sæculis cogitatum fuit de modis, rationibúsque, quibus vinum conseruari posset integrum. Hac de re tantò magis contendendum nobis est, quia modi illi valdè mutant facultates. De Veterum ingeniis non dicam, ne videar affectare scientiam quandam antiquitatis: de nostris moribus vtramque paginam, vt sic dicam, implet *Transfuasatio, das ablassen*, quam cauponibus ego cõmendo.

§. 14. Coronidis loco, de vini alimento id addo, Quod parœmia dicit *Vinum esse lac senum*, neque de omni verum est, neque de omnibus senibus. Hoc sæpe monebat Scherbius, ex Sacrâ Phil. Vallesij, cap. 29. Prout enim calor, præsertim ventriculi, fortis, aut debilis est: ita deposcit vinum proportionatum. In valido ventriculo opus est vino generoso: si enim debile infundas, acescet. Contrà in debili, si generoso & meraco vtare, non magis concoquet, quàm si carnem bubulam des, brassicã, rapa, &c. Noui ego vetulam, quæ persuaderi non poterat, vt medicamentis

 vteretur:

vteretur: habebat enim hoc solum, Maluaticum, quo diu se sustinuit. Mihi quid contigerit, dixi alibi, & repetam heic, vt ad plures dimanet. Acceperam dono ab ægro amico lagenulam vini dicti plenam. Incipiebam ante lectum superfundere pani Vlmensi nobis dicto, & comedere, non bibere. Exibat vinum cum cibis omnibus inalteratum tamdiu, vt fierem clinicus. Is morbus tam mihi fuit infortunatus, vt inde didicerim, ne ægrotare quidem impunè mihi licere.



CAPVT XXVII.

De Cereuisia.

§. 1. A Cerere nomen esse non dubito: sed quid sibi velit cauda illa, nescio. Inuentum ipsius Ægyptiis debemus, qui Zythum seu Curmi vocabant: verùm erat decoctum tantùm hordei per se, vt natum erat, & sine lupulo.

§. 2. Nobis fit, non ex hordeo tantùm, sed & tritico, secale, auenâ, &c. & quidem ex seminibus his omnibus primùm semiputrefactis, deinde tostis, quo tempore Maltha vocatur, tum molâ fractis, addito in copturâ lupulo.

§. 3. Credo, tot ferè eius differentias esse, quot vini. Nascuntur illæ ex varietate, non seminum tantùm, sed & præparatione illorum, lupuli, aquæ. Prout enim omnia hæc meliùs aut peiùs se habent; prout in præparatione maior, minor diligentia; prout lupuli & aquæ proportio; prout coctura talis vel talis; prout debito vel indebito tempore in vasa conditur; prout cellæ subterraneæ sunt: ita vel melior, vel deterior est, & diutius manet incorrupta.

§. 4. De temperamento si quæras, intrepidè respondeo, Non magis omnis cereuisia est calida & sicca, quàm omne vinum: imò quædam est frigida manifestè. Huius assertionis rationem do, Quia aqua, quæ frigida est, copiâ præualet; additur verò sæpiculè tantillum malthæ, lupulíque, vt alterare totam non possit: quiuis videt consequentiam.

§. 5. Hoc admiratione dignum est, Cur non omnibus locis coqui possit bona Cereuisia, licèt omnia materialia ex eo loco afferantur, vbi bona coquitur? Augustus Elector Torgâ Lipsiam deferri iusserat omnia: mansit Rastrum. In Saxoniâ, vbi singulæ domus habent suas sartagines, adeò tamen non fit eiusdem bonitatis cereuisia, vt domus ipsæ maioris aut minoris pretij sint, pro differentiâ cereuisiæ ibi coctæ. Referunt ad particularem aërem. Non credo. Eruditè Scherbius, Vbicunque multa concurrunt ad vnum effectum, ibi omnia oportet exactè eadem sint. Vide Com. nostra in 7. Vs. p. num. 442.

CAPVT



CAPVT XXVIII.

Prandiúmne, an Cœna liberalior esse debeat?

§. I. HEic ab initio hoc monendum est, fuisse apud priscos varias consuetudines. Potior erat hæc, quam describit nobis Illustr. Salmasius, Hist. August. duobus locis, altero in Capitolini Antoninum Pium, fol. 75. altero in Vopisci Tacitum, f. 419. Non nisi semel accumbebant mensæ comedentes & bibentes, ídque vesperi, circa horam nostram pomeridianam tertiam. Horum plerique sumebant τὸ ἀκράτισμα, *ientaculum*, quod erat vel solus panis, vel vino intinctus, vel cum passulis, oliuis, &c. quem vnusquisque seorsim accipiebat, obambulans. Et quia parum erat, tantum ferè, quantum buccâ capere poterant, *Buccellatum* vocabant, vnde *Bucella*; Italorum, panis mellitus, cum sem. anisi, coriandri, quem pistores, circumeuntes oppidum, proclamant, vt est apud Martialem,

Tractat. hâc quæst. Stuckius quoque, 1. Conuiu. 14.

Surgite iam, pueri, vendit ientacula pistor.

Posteà introducta fuit alia consuetudo, vt meridiè etiam consiđérent, vt nostro loquar. Et, quemadmodum vespertina illa comessatio dicebatur τὰ κοινὰ, ἀπὸ τοῦ κοινὸς, quòd multi simul essent, vt est apud Plutarch. 8. Sympos. 6. vnde Συμπόσιον est, & vox Latina *Cœna*: ita matutina illa δεῖπνον, ἢ ἄριστον, *Prandium* appellabatur. Verùm cùm & heic plures essent, *Cœna* dici cœpit, & viciſsim vesperna *Prandium*. Et hoc est, quod P. Seruius, in Feriarum iuuenilium Epist. vlt. ad me scriptâ ait, Tantam esse vocabulorum horum duorum apud priscos confusionem, vt *Prandium* sit *Cœna*, & *Cœna* sit *Prandium*. Veruntamen iam eò deuenit res, vt *Prandium* constanter sit epulum matutinum, *Cœna* vespertinum.

§. 2. Ad rem. Cur edimus & bibimus? Propter τὸ ζῆν, dixi, hoc est, Quia Calor noster, qui est Anima Medici, vult ὑπέκκαυμα, alioqui non duraturus. Tamdiu enim viuimus, quamdiu nutrimur. Sed cur mutata fuit consuetudo semel cœnandi? Respondeo 1. Reuerà non fuit vniuersalis ratio illa cœnandi: sed & honoratiores quidam prandium præmisere. Et quei homines laboriosi tamdiu potuerunt ieiunare? 2. Cùm experientia docuisset, morem bis comedendi vtilem esse sanitati tuendæ, itum fuit in illum ab omnibus. Tum verò dubium oriebatur, quâ proportione stare inter se debeant prandium & cœna? Vt intelligas? Tantúmne sit accipiendum in prandio, quantum in cœna? an contrà?

§. 3. Ne longum faciam, Sunt in medio tria argumenta, quæ &

necessaria sunt, & rem conficiunt, Prandium debere esse leuius. At qui contrarium volunt, ne vnum quidem habent stabile.

§. 4. I. Est, Somnus, vt dicetur, in id institutus est, vt alimentum assumtum concoquatur, Somnus initur post cœnam, Ergò cœna debet esse liberalior. Hoc indiget explicatione. Certum est, in somno calorem reuocari ad viscera. Cur? Vt fiat concoctio. Contrà, in vigiliis expandi per partes neruosas, vt distinctè loquitur Cæsalpinus. Cur? Vt in officio sint. Hinc cùm vigilamus, pandiculationes sentimus, quia calor ad extima rediens inuenit excrementa fuliginosa, in tertiâ coctione facta, quæ dissipat. Propterea Stoici dicebant, Anima interdiu agit: Natura per noctem. Distinguebant enim, & secutus est illos Gal. Animam sensitiuam à vegetatiuâ, meras nominum distinctiones fingentes. Problema est iucundum, Cur animal tantum habeat sanguinis præ quercu? Animal de die occupatum est suis actionibus, & opus habet multo sanguine, qui conficitur præcipuè in somno: quercus nihil agit, & q. perpetuò dormit.

§. 5. II. Inter cœnam & prandium interest tota nox cum dimidiâ diei parte: inter prandium & cœnam dimidia dies tantùm. Quo igitur modo non cœna sit copiosior, ne de somno quidquam dicam? Heic miseri sunt illi, qui inuertunt: propterea nihil dicam. Ita est, vt dixi, Somnus concoquit: quies enim ab actione est. Vigiliæ dissipant, cùm post meridiem agimus res nostras. Hinc adeò illi, qui splendidiùs prandent, ferè sine appetitu ad cœnam eunt. Ego audiui à magni nominis Medico, cùm ad rationes respondere non posset, A DD. Sennerto ita assuefactus olim, manè ad satietatem edo: vesperi, quia non esurio, parumper. Eia verò, inquam ego, quid illud est, quòd non esuris? Tacente illo, dixi, Quia non concoxisti. Quoties igitur cœnas sine fame, toties super crudo cibo inædificas crudum cibum. Hoc confirmo ex Gal.7.Meth.6.

§. 6. III. Nox frigida concentrat calorem, vt melior fiat concoctio: dies splendida, etiamsi nihil agas, dissipat spiritus.

§. 7. Vis autoritates quoque? Vide Fuchs.2.Parad.21.Cardan.1.Contrad.tr.5.n.18.Oddum, in tr.prop. cui ἀντιλογίαν se præstat P. Toletus, Paternum, itidem tr.prop. Cagnatum, 1.de Continentiâ, 11.& seq.

§. 8. Partis aduersariæ dux est Conciliator, diff.121. cuius rationibus satisfacit Cagnatus, l.d. Æmulus huius esse voluit, nisi fallor, Ioubertus, 1. Paradox. 8. cui satisfacere quia tam facile est, quàm vulpes pyrum comest, vt Plautus iocatur, nolo ego frustrà officiosus esse.

§. 9. Vnguis in oculo esse voluit Ant. Maria Bettus, Prof. Bonon. sub nomine & stylo Luciani Beli de Rocca Contrada, vt codici meo, qui incomparabilis Scherbij erat, nescio quis adscripserat discipulus eius. Hunc Bettum, quia nemodum (quod sciam) tetigit, libet mihi perstringere rusticatim, quia vrbanatim operæ pretium non est. Dico igitur, Indignus est, cum quo verba commutes, quippe, qui totum

controuersiæ statum inuertit Quæ enim de victu sanorum instituta erat quæstio, illam transfert ad morbos materiales, vt loqui solet. Si non credis mihi, vide philurâ F. b. & seq. Me si atrociùs cum homine egisse censes: vide an mitiùs tractauerit discipulus. Subinde enim in marginalibus obiicit illi, friuola, falsa, meras nugas, magnas ineptias, futiles excusationes, calumnias, contradictiones, quæ pro Oddo (contra enim hunc stylum stringit) potiùs sint,&c. cum epilogo, Non est, Bette, tanta præceptoris habenda ratio, quanta Veritatis. Quare, cùm partim rectè, partim iniquè (atque hoc pluribus locis) reprehendas Oddum, Curtij odio motus, non possum tibi, quamquam discipulus, semper assentiri. Vbi hoc superaddo, Nondum me vidisse quidquam, in quo rectè reprehensus fuerit Oddus. Restat igitur vt boni præscribant huic libro nigrum ϑ. ne iuuenes ampliùs bonas horas malè collocent. Qui volet immorari negotio huic intricatissimo, I. Alexandrinum adeat, 29. Salub. 1. & seq. è quo hoc tantùm annoto, Aduersariis, qui Auicennæ autoritatem iactant, bellè illum respondere, Vitiatum esse locum Principis, & transpositione curandum ex Gal. 1. Acut. 18. Hac de re cogitasse Curtium quoque, Romæ 1566. & Paternum, posteà comperi.



CAPVT XXIX.

Cautelæ in mensâ.

§. 1. QVi cogitat de adeundâ mensâ, primùm omnium deponat omnes animi ægritudines. Auocant enim calorem. Idem de studiis dicendum est.

§. 2. Deinde videat, ne veniat absque appetitu. Certissimum enim hoc signum est, Coctionem ventriculi nondum esse completam.

§. 3. Si suæ spontis est, omninò præmittat exercitium, conditioni vitæ suæ aptum.

§. 4. Si plures cibos exspectet, incipiat à leuioribus concoctu. Ita enim faciliùs in fundum ventriculi descendent. Neque audiat eos, qui non referre dicunt, argumento farciminum. Non enim tam feruet calor noster, vt summa commutet cum imis, quod in culinâ fit.

§. 5. Si fames sit intensa, caueat imitari tuburcinatores. Duo enim heic incommoda sunt. Alterum, quòd non bene masticet. Qui id facit, odisse animam suam Arabes dicunt. Alterum, quòd hac ratione multùm simul aëris ingurgitet, vnde fluctuationes in ventriculo molestæ.

§. 6. Vt tales cibos comedat, in eâ quantitate & qualitate, quæ

Naturæ & consuetudini competat. Habet enim heic valdè locum τὸ γνῶθι σεαυτόν.

§. 7. In potu hoc inprimis obseruandum, ne nimis frigidus. Posteà, ne affatim bibatur. Cùm enim potus hic finis sit, vt diluatur cibus, & fluxilis sit, rectè Salernitani,

Inter prandendum (cœnandum) sit sæpè, parúmque bibendum.

In hoc quantum mali sit, proprio malo didici.

§. 8. Non minoris momenti est, ne statim post suppam, vt loquimur. Causa satis aperta est. Hoc iussit me apponere Ill. Platerus, qui fatetur, se, cùm minùs Medicè viueret, non bibisse in conuiuiis, nisi posito bono fundamento.

§. 9. Tandem, non bibat inter pastus. An hi omnes sunt errores externi, seu causæ sine quibus non?



CAPVT XXX.

III. De Somno.

§. 1. NOn ego nego, Philosophiam velle, vt primo loco agatur de habitu, de *Vigiliis*; secundo de priuatione, de *Somno*: sed hoc vrgeo, Artis Medicæ res agenti incumbere, vt ante omnia exponat causam somni finalem. Hui, inquis, priuationis potéstne esse finis? Distingue. Priuationis habitûs seu actûs primi, ἁπλῶς non est finis: at priuationis τῆς ἐνεργείας, *actûs secundi*, πῶς est. Ita iis quæ necessariò, seu ex accidenti fiunt, tamen vtitur Natura. Oportet autem h.l. distinguere finem epilogisticum ab analogistico. *Epilogisticum est, Quod caret alternâ requie, durabile non est*: *Analogisticum* est. Naturæ institutum est, post cibum & potum sumtum reuocare calorem ab exterioribus ad interiora, ídque in hunc finem, vt coctiones, præcipuè prima, quæ fit in ventriculo, sint feliciores.

§. 2. Hinc intelligitur, quatenus Somnus pertineat ad τὸ εὖ animalis? Quatenus adiuuat elaborationem sanguinis. Qui modus loquendi statim ostendit, non esse somnum inter causas primarias, sed accidentarias, seu sine quibus non, aut certè, cum quibus meliùs, vt de potu quoque dictum est. Rursus, πέψις ciborum est primus Naturæ scopus: πέπανσις humorum vitiosorum, secundus. Loquor autem de vero somno, non de impotentiâ vigilandi.

§. 3. Cæterùm, si rectè exposuerimus priuationem & necessitatem, fortassis patefient inde quædam valdè obscura aliis. *Priuatio* consistit in eo, quòd reuocatus introrsum calor destituit partes neruosas, vt pridem locutus sum. Hinc in somno & sensus & motus obscuratur, non tollitur.

Punctis

Punctis enim, aut expergefactis subitò vtraque facultas prodit in actum. Sed quî fit? Collectus in visceribus calor, dum alimentum aggreditur, *necessariò* sursum ad cerebrũ eunt vapores benigni, qui irrigato & q. inebriato illo inuitant ad somnum. Vnde intelligitur, quatenus somnus sit obstructio cerebri. Vapores enim dicti insinuant se in principium neruorum, faciúntque, quominùs expeditè spiritus deorsum eant.

§. 4. Quâ de re cùm cogito diligentiùs, incipio dubitare de *ἀντιστροφῇ ἢ καταβάσει* Arist. vt & de similitudine somni cum epilepsiâ, de Somno, 3. Quid enim opus est præsentiâ vaporis in ipsis partibus neruosis, cùm satis sit, si fiat obstructio in ipso neruorum principio? præcipuè, si non sit totalis? Accedit, quòd hac ratione liberabimus nos ab odiosissimo litigio, Quò relabatur Vapor? Ad cor, dicunt, eiúsque assertionis autorem Arist. faciunt. Ego verò cum Vlpiano apud Athenæum quæro, *πȣ̃ κεῖται*; *vvo stehets geschrieben*? Ne *στιγμὴν* quidem Cerebri inuenient apud Arist. Quin si diceret, haberem illum pro stultiore centum Corœbis. Atqui, regerunt, hem tibi, fine cap. *τὸ πρῶτον αἰσθητήριον*, quod æquiualet. Nego. Intelligit enim primum sensorium, *λόγῳ ἐπιδηλώσεως*, vt loquuntur Interpretes. Hoc volunt illa, initio cap. cùm ait, *τὸ μόριον αἰσθητικὸν πάσχειν* ab ascendẽtibus vaporibus, qui posteà delabantur. Quamobrem, vt salua sint latera Arist. in fine quoque lego *τὸ μόριον αἰσθητικόν*. Et quid? Annon ipsimet depugnatores in se ipsis sentiunt, annon infimissimus quisque è plebe dicit, Cor in somno vehementissimè moueri? Quo ergò modo simul quiescit? Cerebrum quiescit.

§. 5. Atque vt rem planè conficiam, videte, quæso, ô vos refractarij, quid dicat Gaza vester, Calidum animalium natum est ferri ad superiora, ibi vbi fuerit, confertim reuertitur, fertúrque deorsum. Vbi heic vel vmbra cordis? Quò fertur igitur? Superatis pauculis, aduertite ista tantùm, *διὰ ταύτην τὴν αἰτίαν καὶ ἐπιληπτικὰ γίνεται. ὅμοιον γὰρ ὁ ὕπνος ἐπιλήψει.* Hæc si intelligere vultis, oportet ante omnia abiiciatis inanes de ventriculorum cerebri in epilepsiâ obstructione fabulas, & acceptare sententiam Arist. ne à Gal quidem alienam, vt alibi demonstraui, Epilepsiam fieri à flatibus, in ipsum cerebri corpus receptis, & dicere, Quemadmodum conceptâ in inferiorum partium aliquâ, aut etiam in iis, quæ immediatè, cerebrum circumstant, putredine malignâ, vapores acres principio neruorum se insinuantes, per eosdem neruos descendunt in ipsos musculos, vbi *κλόνον* illum cient, quem videmus in Epilepticis: ita post cibum ascendentes vapores benigni, primùm quidem ligant, vt ita dicam, cerebrum, deinde descendentes, (non in humores resoluti) adimunt illi & sensum & motum. Hoc pulcrè explicat Gal. 1. Caus. sympt. 8. necnon Auerr. 2. Coll. pen.

§. 6. Hoc vt plurimùm fieri, dicunt ex Argenterio, concedimus: semper fieri negamus. Annon post labores dormiunt plerique, sine etiam cibo? Annon in vulneribus cerebri, in contusionibus cranij, dormiunt

Hunc refutat Senn. noster 1. Instit. 13.

dormiunt ita affecti ? Hoc posterius non est somnus, sed vigilandi impotentia, vt suprà distinxi: prius illud non accidit, nisi præsint in corpore crudi humores, qui liquati submittant vapores. An ne hic quidem somnus est f.n. Vt enim qui diutius dormiunt, & ieiuni, læduntur, quòd in ventriculum confluant ichores maligni, qui sunt in totâ primâ regione, causántque dolores capitis, imò epilepsias: ita fieri heic potest. Vide plura 2. Post. cur. 24. Quod enim prouerbij apud Athenæum est,

Δεῖ τὰς χελώνας ἢ φαγεῖν ἢ μὴ φαγεῖν.



CAPVT XXXI.

Cautelæ in somno.

§. 1. QVemadmodum coctio ventriculi sæpe vacillat, non quòd desit aliqua principaliũ, sed quod accidentariæ, quæ sunt sub nomine Erroris externi apud Medicos: ita heic quoque. Rursus, quemadmodum ibi perfectè sani seu euectici distinguebantur à causariis: ita heic quoque. Vt igitur euectici parum soliciti sunt de hoc illóve: ita causarios vel maximè solicitos esse fas est de omnibus & singulis.

§. 2. Causarius igitur aliquis postquàm cautè se gessit in iis, quæ obseruare illum par est in seipso: in somno capiendo non minùs solicitè id faciat. Ergo, si calor sit debilior, prima cautio est, ne subitò post cœnam dormiat. Imò, obambulare debet per horulam, vt cibus bene descendat in fundum ventriculi, præsertim si stomachus sit angustior, & masticatio infelicior. Tum verò non opus est poculo, somni gratiâ. Eâ ipsâ horâ non opus est vel clarâ lectione, vel musicâ. Auocant enim hæc quoque calorem.

§. 3. Propter eandem causam corpus sit bene munitũ, non tantùm interulâ: sed & scuto pectorali, fortassis etiã puluinari, quod imposito vtroque brachio benè stringatur. Ita enim ego soleo. Tum verò, vbi corpus lassum aliquandiu super dorso quieuit, oportet situm mutare in latus. Nam neque supinus decubitus probatur, neque pronus. Supinus ideò damnatur, quia excrementa, quibus cerebrum ferè semper abundat, ad posteriora seu spinam fluunt, cùm de Naturæ consilio per nares & palatum effluere debeant. Et hi, præsertim melancholici, patiuntur ferè incubos, qui sunt prodromi epilepsiæ. Ad hanc rem in primis facit, quòd magna vasa dorso instrata valdè incalescunt, vnde maior ad caput euaporatio. Sed & difficilior est respiratio, cùm spina est *ἰθεῖα, recta*, quæ debebat esse *ἰθυσκόλιος, recticurua*. Ita enim apud Foësium esse debebat. Pronum decubitum qui laudârit, præter Ioubertum, qui illo vtebatur, vidi neminem. Vtvt enim iuuare possit coctionem ventriculi: quo modo

do respirabo? Et tortum illud collum quo modo citra molestiam? Sed & motus abdominis, qui in omni respiratione, etiam in somno est, quomodo locum habebit?

§. 4. Sed in vtrum latus? Salernitani dicunt,

Dormiture latus pete dextrum, manè sinistrum.

Ego verò euidenti ratione euinco, transponenda esse verba,

Manè latus dextrum pete, dormiture sinistrum.

Quod enim Arist. quoque docet, Hepar ventriculo incubans maximè promouet coctionem. Incubat autem, cùm in sinistro iacemus: in dextro, abscedit pondere suo. Interim manè situs est permutandus, vt eò faciliùs chylus in intestina delabatur: πυλωρὸς enim ibi est.

§. 5. Sed clauso, an aperto ore? Non facerem mentionem, nisi Cl. Remus olim noster, qui à puero assueuerat, multis mecum egisset per literas. Non dicam de ariditate linguæ & palati, quam omnes sentimus, quoties tale quid nobis contingit: quomodo nocturnus ille, frigidúsque aër non potest non obesse pulmoni iuxtà & ventriculo? Quod enim alibi docui ex Hipp. aër ille ingreditur ventriculum quoque.

§. 6. In situ corporis hoc quoque obseruandum venit, debere illud perpendiculariter iacere, non capite prono, seu ad latera conuerso, sed in eâdem cum trunco lineâ. Sed nec manibus iusto longiùs proiectis, supérve caput arcuatim iunctis, sed in pectore stratis, digitis nequaquam pectinatim conclusis: nec pedibus ad podicem retractis, aut sibi inuicem permutatis, sed rectis. Hæc enim est figura media Hipp. in affectibus quoque p.n.

§. 7. Quot horis circumscribitur somnus naturalis? Sex aut septem. Et hoc in sano homine. In iis enim, qui crapulati sunt, nihil meliùs quàm somno excoquere. Dico iterum *in sano homine.* Qui enim in hoc statu sunt, ne possunt quidem vlteriùs dormire. At qui crudis humoribus farti sunt, ij sopores potiùs habent, quàm somnos. In quibus quia per vigilias nunquam discutiuntur satis excrementa, mirum non est, si tales fiant cachectici, & tandem hydropici.



CAPVT XXXII.

De Somno meridiano.

§. 1. ADmiratione dignũ est, quòd cùm mores hominum consenserunt in prandium & cœnã, nemo Medicorum ausus fuerit

determinare, An post prandium sit dormiendum, perinde vt post cœnam? Nec dubito, quemadmodum totam artem nostram peperit indigentia nostra: ita tum quoque fuerint, qui somno isto indigerent. Maiori admiratione dignum est, nostro sæculo neminem fuisse, qui διορισμὸν debitum adhiberet. Hinc adeò sapienter Vir Ill. Andr. Dudithius in Epist. Craton. 21. à Raphano suo quærit, Quæ potest esse ratio, vt somnus meridianus noceat, quem vestri Medici plerumque prohibent: & non noceat is, qui cœnam sequitur? Idem ventriculus, idem cerebrum, idem homo, causa somni eadem. Noli recurrere ad φλυαρίας illas, ad quas facilè responderi potest, & videntur esse κρησφύγεθα. Et quid dicturum fuisse putabimus, si vidisset edictum tantumnon prætorium sodalitij Salernitani,

Sit breuis, aut nullus tibi somnus meridianus?

Maximè, quia quod quibusdam concesserat, in vestigio eripit omnibus:

———*fuge somnum meridianum.*

Et quidem cum interminatione grauissimorum morborum,

Febris, pigrities, &c.

§. 2. Sed sino homines parùm constantes. Hippoc. ætate, vt scimus ex 2. Acut. 22. & seq. cùm nondum certi quid esset receptum, sed alij & prandebant & cœnabant, alij cœnabant tantùm: tacitè suadet singulis, sequantur consuetudinem. Si quid tamen peccatum sit, quæ αὐτοσχέδιως adhibenda sit, consulit. Galeni tempore cùm penderet etiamnum lis, semel an bis cœnandum sit? ne meminit quidem is. Vide Cagnatum, 1. de Continentiâ, 10. & seq.

§. 3. Nostris moribus cùm omnes & prandeamus & cœnemus; & verò quidam post prandium leuiter dormiant, quidam pro peculiari crimine habeant dormiisse: Bertruccius & alij practici certas conditiones præscripserunt, quibus liceat meridiari, quibus non. Ego in omnibus hoc desidero, quòd non explicent se, cui hominum generi conueniat somnus hic, cui minùs?

Locus est extra Collectorium dictum, in Regim. san. c. 3.

§. 4. Ego, ante hos 17. annos, primus progressus sum in arenam, & tanquam Orator, non tanquam Medicus, auditoribus in publicâ promotione, primùm quidem elencticè ademi metum, quem omnes decantant: deinde autem exemplis probaui, licere dormire tempore meridiano. Ante biennium, cùm ludibundus scriberem Post-curas, q. indice digito ostendi, quid spectare debeat, qui didacticè rem proponere velit. Nunc ago id magis seriò, hinc facto exordio.

§. 5. Dico I. in vniuersum, Si verum est, quod nuper dixi, Somnum à Naturâ institutũ esse hoc fine, vt, reuocato introrsum calore, meliores fiant cococtiones: quid absurdi, si post prandium etiam fiat, quod magno cum sanitatis emolumento post cœnam fit ab omnibus? Heic subitò, Theologi quidem, Nox à Deo quieti sacrata est, non dies: Politici autem, Quid futurum erat, si omnes à prandio se coniicerent in lectum?

Quibus

Quibus ego: Ne ſutor vltra crepidam. Sed neque omnibus conceditur, verùm iis tantùm, qui opus habent: multò minùs præcipitur. Sed & Medici proſiliunt toruo vultu, Breuis ille ſomnus inchoat tãtùm coctionem, non abſoluit. Quid mali inde, dicebat Scherbius, ſi modò initium bonæ coctionis facit? Addo ego explicationis gratiâ, ſi remouet impedimentum coctionis, & tollit moleſtiam, quæ alioqui in Melancholiam hypochondriacam deſiturâ erat? Subtilior Th. à Veiga, Com. in Artem, cap. 85. dimidiatæ coctionis ſubiicit hanc aliam, Interdiu patére omnes meatus capitis, vt facilis ſit aditus vaporibus caput grauaturis. Acceptabat hanc rationem Scherbius, tanquam veriſimilem. Ego dico, Vbi vera ſunt, non opus habemus veriſimilibus. Atqui audiui, qui dicerent, dolere ſibi caput ex hoc ſomno? Audiui ego quoque: ſed regero, μὴ περὶ τοῦτο. Aut enim tales non indigent hoc remedio, quod intelligetur ex ſeq. aut errorem commiſerunt in prandio: aut habent in inferioribus ventribus ſtagnantes malos humores: aut denique non aſſueti ſunt.

Scribo hæc anno 1640. annos iam natus 68.

§. 6. Ergò, II. loco iam diſtinguo, Homo aut euecticus eſt, aut cauſarius, præſertim ventriculo. Ille, poſtquàm modicè pranſus eſt, obambulare debet, ſed citra laſſitudinem, in aëre temperato, donec cibus ad fundum ventriculi deſcenderit, & tum agere res ſuas. Hic (proponam in exemplo meipſum) poſt prandium Platonicum, incedat per quadrantem horæ leni paſſu. Cùm ſenſerit (vt certò ſentiet) ventriculum intumeſcere cum aliquo dolore, componat ſe in lectum, puluinar ſuper pectore modicum habens, quod ſtringat vtroque brachio. Hac ratione vbi incaluerit, paulatim ſentiet ventriculum conſidere. Nimirum, heic illud accidit, quod in culinâ, cùm paruus ignis ſubiicitur magnæ ſtrui. Quemadmodum igitur cùm ignis præualuit, & lucidus eſt, non opus eſt alio: ita cùm ventriculus modeſtè recipit cibum, non opus eſt alio, ſiue dormieris, ſiue non. Contrâ, Nî faxis hoc, Melancholia hypochondriaca præ foribus eſt.

§. 7. Qui nihil moleſtiæ in ventriculo ſentiunt, & tamen ſolicitantur ad ſomnum, ex Bertruccij præcepto ſedeant in ſellâ, erecto capite, laxatis omnibus corporis vinculis, & poſt horæ $\frac{1}{4}$ ſurgent hilares. Hoc, poſt orationem meam, à multis Senatoribus & Mercatoribus Noribergæ audiui celebrari.

AVCTARIVM.

§. 8. Quia hanc rem primus propalo, oportet firmare omnibus modis. Dixi, Medicos, inter quos Hollyngus eſt, lib. de San. ſtud. f. 69. cauſari cruditatem. Dixi pariter cum Scherbio, & dico denuò, Quæ ſuſpicio eſt cruditatum, ſiquidem Natura bene abſoluat, quod inchoatum eſt? Hoc confirmo experientiâ propriâ tot annorũ. Venio enim ad cœ-

nam cum appetitu. Sed &, si non sit, quo modo potuissem tamdiu viuere ?

§. 9. Illi verò, ne victi videantur, Celsum crepant, quem ego pro teste non admitto. Nam l. 1. c. 2. planè alium controuersiæ statum format, cùm ait, *Longis diebus meridiari potiùs ante cibum : sin minùs post eum.* Quis enim ante cibum possit dormire, nisi crapula præcesserit ? Hunc verò etiam non somnum appellabo, sed soporem. Est enim à vaporibus p.n. Quin imò, quia scopus ipsius erat loqui velle de stomacho imbecilli, cui oratio hæc nequaquam conuenit, habeo pro vitiosâ, & adstringo ad somnum post prandium. Mutet autem lectionem, qui volet. Cap. 10. Celsus de peste loquitur, quod iam particulare est. Sed & vbi heic est Cruditas illa ? An in illis, *Modicum esse debere hunc somnum, ne cruditates moueat* ? Hoc verò frustrà metuitur, in vniuersum, inquam. De peste enim loquitur.


§. 10. Exculpo Celsum, & Pantino, Commentatori parum verecundo, do. Huius enim glossa est, *Meridiari haud omnibus expedit. Non enim ad plenam ciborum concoctionem sufficit tempus, quod ferè somno tunc impertimur,* &c. in quibus, præter omnem rem, denotat mala, quæ imaginatur sibi. Imò in duobus ridiculum se facit. 1. cùm ait, *Præterquàm quòd nonnulli*, &c. Fatetur enim certis conditionibus admitti posse nostrum somnum. 2. cùm addit, *Sunt, qui ante cibum*, &c. Quæ enim ratio vlli prudenti suasit vnquam somnum ante cibum ? Sed & cædit se ipsum, cùm dicit, *Minùs obuenire superiora mala* (fictitia) *vacuo ventre, & exhalationum materiâ non suppetente.* Sine enim his somnus ne fit quidem. Quò minùs intelligo, quâ Physicâ ratione fieri possit, vt secundùm adagionem, *Vulpi esurienti somnus obrepat* : Imò simulat, vt incautas gallinas capiat.

§. 11. Pantino iungit se Riolanus lib. de Diætâ san. (quæ nihil aliud est, quàm doctrina de Rebus-non-naturalib. quàm sanis solis transcribere non debebat) c. 23. *Sed cur somnus meridianus fugiendus est?* inquit. 1. *Quia tempus somni breuius est*, &c. Est Pantini. 2. *Quia diurnus impedit nocturnum.* Pax ! 3. *Quia fit motus violentus, & naturæ contrarius.* Hoc aliquid esset, si longior esset somnus. Quin respondet Gal. 4. Aphor. 67. Maior est ex coctione vtilitas, quàm ex introcessione illâ damnum.

§. 12. Iul. Alexandrinus, in eodem cum Riolano cœno iacens, 21. Salub. 7. videri possit studiosè Pantino accommodâsse vægrandes suos cothurnos, adeò res omnes sunt eædem. Quod ipsum tantò minùs decebat illum, quantò in maiori æstimio est, Medicus quippe Cæsareus ! & tanti Principis ! Credo equidẽ, non locutum esse illum ex vllâ experientiâ certâ, sed solâ præconceptâ opinione. Quod si tamen aliquid tale accidit, μὴ παρὰ τοῦτο dicere possis. Tantò magis, quòd eò absurditatis delabitur, vt aliquibus concedat quidem somnum, de quo loquimur : non ausit tamen determinare quibus. Est insignis ἀπαιδευσία, dicere in artibus, rem aliquam opus habere διορισμοῦ, & interim totam damnare !

§. 13. Corolla

§. 13. Corollarij loco subiicio historiam, à laboriosissimo Brassa-uola traditam, Com.in 2. Acut.22. Certatum ait fuisse hac de re in aulâ Imp.Friderici, (III. puto) & iussisse Imp. duos fontes lautè cibare, horúmque alterum dormire, alterum inambulare, tum verò post aliquot horas decollare. In illius stomacho inuentum fuisse cibum: in huius, nullum. Inde iudicârunt Medici, Motum plus conferre ad concoctionem: Recténe? Imperitissimè, vel Brassau. censore! Potuit enim cibus crudus rapi in Mesaraicas.



CAPVT XXXIII.

De Lucubrationibus monitum.

§.1. ANni sunt penè tres & triginta, cùm curaui Hypochondriacum, qui fatebatur, ex lucubrationibus se habere hoc mali. Increpui hominem vel eo nomine, quòd nesciret, diem esse à Deo Opt. Max. laboribus dicatum, noctem somno! Tum verò ex arte Medicâ scire illum potuisse, esse Somnum inter sex res illas, quæ omnem sanitatem continent, adeóque pertinere apud Arist. ad τὸ εἶ) animalis. Respondit, A Polydoro à Ripa, I.C. inductum se fecisse, quod fecerit.

§. 2. Huius rei certitudinem vt haberem, præcipuè, quibus ille argumentis vteretur, ad id persuadendum: cœpi diligentem apud collegas & amicos instituere inquisitionem. Inueni quidem *tract. de iis, quæ noctu fiunt:* sed lucubrationum laudem nullam. Quieui igitur, vsque dum incidi in Obs. hist. decadis sept. cap.9. Piccarti olim nostri. Quo auidè decurso, cùm nihil aliud reperirem quàm hoc, Noctem, adeóque solitudinem omnem esse amicam curis & studiis: cum indignatione dixi, Et quid tu mihi iungis *curas cum studiis*? hoc quidem sensu? de tota nocte? Aliud omninò est, noctu, cùm quis sehorium suum compleuit, consilium init tam de publicis quàm priuatis negotiis: aliud legere, scribere, quæ memoriæ commendes. Et quei fieri potest, vt, opplentibus post cœnam vaporibus caput, bene quis vtatur mente? Hinc non raro accidit, vt, volentibus meditari quid post cœnam, somnus obrepat, & infortunij quid accersat. Quæ verò tria signa ex Auerroë ponit Piccartus, ad diluculum pertinent, quo cerebrum iam defæcatum est. Hoc ipsum tempus Aurorã nobis spondet, quæ Musis amica est. Ab hac nox est dicta εὐφρόνη, quòd faciat εὐφρονεῖν, *bene sapere*. Ad hanc adstringo nocturnos conuentus Lacedæmoniorum, orationem indistinctam de certa noctis parte interpretans. Sed & aliam illi causam habebant, Ne essent πεζοσποληῆται. Prius illud suggerit mihi τὸ παννύχιον in illo Hom.

Οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα.

Ita enim explicat Libanius apud Piccartum, μὴ καθεύδειν ἀεὶ δεῖν, *Non oportet consiliarium semper dormire: sed contentum esse suis horis.*

§. Hortor ergo vos, ô adolescentes mei, totâ animi contentione, *Habeatis honorem corpori*, ex vigore præcepti Paulini. Habebitis autem, si ita vos componatis, vt τῷ εὖ, *conseruationi sanitatis vestræ genuinæ* quàm diligentissimè studeatis. Id ipsum fiet hac in parte, si post prandium quidem, ante secundam pomerid. ad studia non accesseritis: post cœnam autem nihil serij egeritis, quin intra bihorium, summum, in lectum vos coniiciatis, ibique exspectetis, dum

Vide Senecæ Epist. 2. & ibi Lipsius.

Surgat ab Oceano Tithoni fulgida coniux,

non neglectâ tamen temporum anni ratione. Profectò ita est vt sapientes dicunt, Quemadmodum non nutriunt illa, quæ ingeruntur, sed quæ concoquuntur: ita doctum cum iudicio faciunt, non quæ leguntur, sed quæ in memoriæ thesaurum reponuntur. Est autem vtrobique suus modus, sua mensura.



CAPVT XXXIV.

De Vigiliis.

§. 1. QVàm rectè dicunt omnes, de Vigiliis agi post Somnum, quòd contraria versentur circa idem, vt Aristot. loqui solet: tam malè contenti sunt Ouidiano illo, *Quod caret alternâ requie.* Est enim hæc ratio Epilogistica tantùm, & à posteriori: ego verò Analogisticam quæro, & à priori. Hanc à fine sumo, & ita induco.

§. 2. Quemadmodum somnus erat causa sine quâ non fiunt concoctiones sanguinis, qui sanguis pertinet ad τὸ εὖ animalis: ita Vigiliæ sunt longè nobiliores, quippe in quibus fiunt actus secundi animalis, per quod animal est animal tale vel tale. Vt enim somnum protrahere non oportet vltra tempus coctionis sanguinis: ita vigilias extendere non oportet vltra tempus id, quo sanguis actionibus perficiendis iam absumtus est. Iam enim animal indiget nouâ refectione.

§. 3. Hoc Arist. docuit lib. de Somno, τὸ ἐγρηγορέναι ἐν μηδενὶ ἄλλῳ ἐστὶν ἢ τῷ αἰσθάνεσθαι, hoc est, si sensum eruere satis est, *Vigilare est opus animale facere, id*, inquam, *quod animal facere par est, mediante sensu.* Hoc est Arist. illud, 1. Gen. fine, *Præstat*, vult dicere, *sentire, quàm non sentire. Sensus enim est cognitio quædam*: at ἄψυχα κεῖνται ὥσπερ τεθνεῶτα, καὶ μὴ ὄντα, *inanima iacent q. mortua, & non entia.* Et mox, ἡ αἴσθησις τὸ τοῦ ζῶντος ἔργον, *sensus est opus animalis*, hoc est, *dum vigilamus & sentimus, facimus id, quod animatorum est: cùm dormimus, quod inanimatorum.*

§. 4. Hinc intelligitur, quamdiu vigilare debeamus? Quamdiu per vires

vires licet. Ob has enim fit, quòd, quemadmodum Comicus iocatur, voluptates nobis non ſint perpetuæ, veluti Deorum. Intelligo autem heic voluptates animi, quibus fruitur, qui vel in contemplandis diuinis humaníſque verſatur: vel in obeundis iis; quæ ad ſocietatem humanam pertinent.

§. 5. Hanc in rem ſapientiſſima Natura, vt cum Philoſophis loquar, inſtituit viciſſitudines illas agendi, & ab actionibus ceſſandi, quorum illud fit, dum calor in ſanguine ſtabulans in actu eſt, hoc eſt, per totum corpus expanſus: hoc, cùm occupato primùm cerebro, ſenſûs fonte, à benignis alimenti vaporibus, deinde partibus ſenſibilibus & mobilibus, vt ex Ariſt. explicui. Quo loco illud animaduerto, Cerebrum eſſe id, quod *Senſum communem* vocant alij, *facultatem animaduerſiuam* iterum alij, Συναίσθησιν iterum alij. Et hæc ſeruire volo explicationi loci cuiuſdam Com. in 8.Vſ.p.num.594.

§. 6. Hinc patet, quatenus *Somnus* à frigore ſit, à calore *Vigilia*; Somnus naturalis eſt à vaporibus temperatis, qui frigidi ſunt, comparati cum calidioribus. Somnus p. n. reuerà eſt à vaporibus frigidis. Vigilia naturalis eſt à diſcuſſis, vt ſic dicam, vaporibus ſomnolentis. Vigilia p. n. fit, calore in viſceribus imis tantoperè aucto, vt vaporibus ſomnolentis locus non ſit, quia diſſipantur. Hoc fit in febribus.



CAPVT XXXV.

IV. De Excretis & Retentis.

§. I. CONfectionem alimenti non minùs neceſſariò ſequuntur excrementa, quàm fabrum lignarium & ſcriniarium *Scobes*. Hæc excrementa, vt & partes illis dicatas eſſe per accidens, confeſſum eſt tam Ariſtoteli, quàm Galeno. Horum machinæ quia plures ſunt ipſis coctionis inſtrumentis, poſſunt intelligere quidam Naturæ decoctores, quo iure illi inſultent. Miſcuit illa ſapientiſſimè cauſas primarias cum ſecundariis & accidentariis, & ex vtriſque effectum (ſanguinem) produxit tam mirabilem, vt inimitabilis ſit omnibus Prometheis & Epimetheis.

§. 2. Gal 5.Vſ.p.14. partes Nutritioni (ſic loquitur) ſeruientes triplicis generis facit: ego, numero binario contentus, ita dico, Partes nutritoriæ conditæ ſunt, aut per ſe, & primariâ ratione: aut per accidens, & ſecundariâ. Illa ſunt, quæ vel coquunt alimentum, vel coctum diribunt: hæc ſunt, quæ excrementa vel ſeparant, & aliquà ſeponunt, vel ſuo tempore expellunt.

§. 3. Excrementa ſunt vel vtilia, vel inutilia. Inutilia, vel vniuerſalia,

salia, quæ totum inquam corpus respiciunt: vel particularia, quæ in certis partibus redundant. Vniuersalia rursus, vel propria sunt singulis coctionibus, quà coctiones: vel communia omnibus, quatenus materia opus habet tralatione de loco in locum. In singulis coctionibus duo sunt, *Crassum* & *Tenue*, licèt non omnibus locis nomina sint sortita: in omnibus est *Serum* dictum. Illud contingit propter heterogeneitatem assumti per os alimenti: hoc, propter causam dictam. Neque enim vt plantæ nutriuntur puro alimento, quod non indiget alio ad substantificam alterationem, quàm alteratione ipsâ: ita animalia quoque. Imò verò necesse est, partes alimenti solidi, ad alimoniam vtiles, secerni à partibus ad alimoniam inutilibus, & hoc quidem toties, quoties necesse, vt vndiquaque purificetur alimentum proximum, quod sanguis est. Cæterùm, quia, ceu dixi, plures sunt sanguinis officinæ, vt de hac in illam commodè deriuari possit: inuenit Natura hoc consilium, vt fluxile sit. Hoc verò potus est, quà potus, qui alimentum liquidum dicitur, quamuis non alat, sed functum officio suo, ceu Gal. loquitur, excernatur. Iam ergò hic chorus partium, vt idem comparat, tam concinnè institutus, facit, vt omnibus suo loco & tempore κατ' ἐντελέχειαν agentibus, prodeat tandem dilectus ille Naturæ filius, *Sanguis*.

§. 4. Quod ergò ad singulas coctiones, Crassum primæ coctionis excrementum caret nomine, & est id, quod ob terrestreitatem omninò ineptum est nutritioni, & relinquitur à Vasis Mesaraicis in intestinis. Tenue eiusdem *Pituita* nominatur, & generatur in tantò maiori copiâ, quò alimenta frigidiora humidioráque sunt. Hæc vt commodè exigi è corpore possint, abutitur Natura parte aliquâ *seri*, quæ fluida facit illa, sed nomine caret.

§. 5. Crassum secundæ coctionis excrementum, quatenus illa in hepate & liene inchoatur, est *Melancholia*, quæ in solo liene confit: Tenue, quod in hepate solo, *Bilis* est, & colligitur in vesicâ felleâ. Eadem coctio, quatenus in corde perficitur, duo alia habet excrementa, Crassum est *Fuligo*, quæ per os, narésque effertur: Tenue, meo iudicio, materiam præbet *Contentis vrinarum*. His accedit *Seri* pars multò maxima, quæ per venas & arterias, *Emulgentes* dictas, ad renes abstrahitur, è quibus ad vesicam vrinariam translata, effertur, & *Vrina* vocatur.

§. 6. Crassum tertiæ coctionis etiam *Fuligo* est, quam in vestibus, præcipuè interulis, percipimus, & ex quâ canes dignoscunt dominos suos, ceruos vestigant: Tenue, quod *Sordes cutis* constituit. Quod heic aqueum seu serosum est, partim insensibiliter vacuatur, & caret nomine: partim sensibiliter, & *Sudor* appellatur.

§. 7. Et hæc de Inutilibus vniuersalibus. Inutilia particularia eiusdem tertiæ coctionis, in Cerebro sunt, Oculis & Auribus.

§. 8. Vtilia, vel ad indiuiduum pertinent, vel ad speciem. Ad hanc Semen vtriusque sexus pertinet, & Lac: ad illud, Pinguedo, & Medulla ossium.



CAPVT XXXVI.

Specialis excrementorum expositio.

§. 1. QVandoquidem & ὑγιεινῷ & θεραπευτικῷ competit diligens excrementorũ obseruatio, Sintne singula suo tempore deposita? adeóque in διαγνώσει operæ precium vel maximè sit scire, quo in statu res ægri sint: non patiar heic quoque aliquid desiderari.

§. 2. Ergò quod ad Inutilia, *Alui excrementa* quæ dicuntur, quinque continent, duplex scil. primæ coctionis, duplex secundæ quoque, quatenus in hepate & liene fit, & seri pars ea, quæ huc it. Hæc si non eant suo tempore, morbi sunt in promtu: si nimis eant, alij.

§. 3. Totum hoc, vt dicitur Arist. *Siccum excrementum:* ita quod sequitur, *Humidum. Vrinam* vocamus partem Seri illam, quæ sanguificationi vtrique, hepatis & cordis, eo modo, quo dictum est, vnà cum tenui Cordis proprio excremento, nisi fallor.

§. 4. *Fuligo* duplici viâ exit, sursum per os & nares: deorsum (ita Philosophi) per poros cutis. *Sudor* est excrementum tertiæ coctionis, quod sub hoc nomine sensibiliter vacuatur: huic accedit *Insensilis* dicta *transpiratio.*

§. 5. *Cerebri excrementis* fuliginosis seu crassis, parata via est, partim per suturas, partim per cauernosam cranij substantiam: pituitosis seu tenuibus partim per nares, partim per palatum. Heic incidit disputatio de vsu ventriculorum cerebri. Qui negant seruire collectioni excrementorum, iis oppono iam verba Gal. principio 9. Vs. p. cùm ait, *Vnum Naturæ opus esse* ἐν τοῖς μάλιστα διεσπουδασμένοις, *inter ea, de quibus maximoperè cogitârit Natura.* Nec refert, si vniuersale est theorema: excipit enim statim particulare de cerebro, καὶ μάλιστα, εἰ κύρια, καθάπερ ὁ ἐγκέφαλος ὑπάρχει, *præcipuè si principes sint, quale cerebrum est.* Addo ego ego, Oportere hanc actionem magni momenti esse, quandoquidem Natura propter illam instituit *Sternutationem*, opus tam mirabile, vt hactenus nemo vel Philosophorum, vel Medicorum explicârit modum, quo fit. Itaque manet illud, Operosa illa cerebri conformatio non alio fine facta est, quàm hoc.

§. 6. *Oculorum excrementis* secuit eadem Natura peculiarem viam, insculpto de industriâ foramine secundo maxillæ superioris ossi apud Bauhin. in nares. Huic imposuit carunculam ἐγκανθίδα vocatam, ceu alibi dictum est. Pertinent huc quoque *Lacrymæ*, propter quas facta sunt Puncta lacrymalia Fallopio dicta.

§. 7. *Aurium sordes* incipio credere esse *Meatûs* tantùm *auditorij*,

quæ amaræ sint propter fuliginem, lentæ ob tenue tertiæ coctionis excrementum. Et hæc quidem sunt Inutilia.

§. 8. Inter *Vtilia* primum locum habet Semen masculum, cuius suo tempore excernendi magna est necessitas, præsertim in calidis & humidis, vt est apud Gal. 6. Loc. aff. 6. sed præcipuè 6. San. tu. 14. Quæritur, An fœminæ quoque habeant tale quid? Ait Gal. eodem de locis aff. 5. & multa inædificat. Ego alibi ostendi, inter mille millenas vix vnam esse, qualis erat Romana illa cuius Gal. mentionem facit. Vnde ergò sunt dirissima illa symptomata? A corrupto sanguine menstruo.

§. 9. Reuerà aliud *Semen* non habent fœminæ, quàm sanguinem menstruum dictum, de quo, si ægrescant, semper inquirendum esse Medico, monebat Scherbius. Licèt enim affectus primarius non semper sit in illo: plurimùm tamen interest ad curam. Eâdem ratio est τῶν λοχείων in puerperis. Ideò consulebat, non semper fatigandas esse miseras, vt promoueamus menstrua. Gracilibus enim quibusdam & laboriosis ne guttam quidem expresseris, quantumuis instes medicamentis. Hoc magno meo cum luctu expertus sum in filiâ meâ pientissimâ Maria-Susanna, quam quidam ridiculè pro Scorbuticâ habebant.

§. 10. *Lac* si nimis copiosum sit, extrahere oportet, & vti victu refrigerante. Si non adsit, procurare cibis euchymis. De *Pinguedine* & *Medulla-ossium* locus agendi heic nullus est.



CAPVT XXXVII.

V. De Motu & Quiete.

§. I. HEic statim ab initio admoneo, *Motũ* quidem esse *exercitium*: *quietem* autem *otium*. Dein addo, Nondum recessum esse ab *Excretis & retentis*: imò pertinere hæc ad tertiam vulgò dictam coctionem, σαφηνείας ἕνεκα à superioribus recisa. Vt intelligas, Cùm viderent prædecessores nostri, hanc coctionem fieri, non in habitu tantùm corporis, sed & in imis visceribus, exercitia instituerunt, in quibus, calefactis visceribus, promotio fieret excrementorum illorum vsque ad cutim. Hac de re constituerunt peculiarem artis partem, *Gymnasticam* vocantes, *Palæstricam*, *Pædotribican*, *Iatralipticam*, & si quæ alia sunt vocabula à diuersis eius artis partibus indita. Loquor autem de *Gymnasticâ legitimâ*, quæ tam latè patet, quàm ipsa ὑγιεινή, Gymnasta enim præscribebat exercendis suis victum quoque, quid ederent, biberéntve, quantum, quo tempore, &c. Ab hac orta est deinde *Gymnastica illegitima*, quam Gal. aut si quis alius, vituperat in Exhort. ad artes. De toto negotio scripsit Hier. Mercurialis egregium opus, titulo *de Arte Gymnasticâ*. Quo

impulsus

impulsus (hac enim voce vtitur) Petrus Faber, IC. Gallus, *Agonisticon* conscripsit, opus, penè vltra humanam conditionem, doctum, amplum, &c.

§. 2. Et quia *Exercitium* non minùs contrarium est otio, quàm somnus vigiliæ, debuit Exercitio apponi *Otium*, vt hinc quidem constet, quæ bona nobis exsistant ex exercitio: illinc autem, quæ mala ab otio & ignauiâ.

§. 3. De exercitio quidam ita loquuntur, *Exercitiorum tria præcipua sunt commoda. 1. Instrumentorum, ex mutuâ ipsorum attritione, durities. 2. Insiti caloris augmentum. 3. Spirituum citatior vehementiórque motus.* Hæc quamuis nata videri possint ex Mercuriali, 1. Gymnast. 2. fateor tamen, me nunquam intelligere potuisse, ob perturbatum Naturæ ordinem.

§. 4. Ita autem res habet. Post somnum videmur nobis οἷ ἑφθοί, *quasi excocti*, vt eleganter loquitur Hipp. aut siquis alius, hoc est, languidi & flaccidi ad omnes actiones. Cur? Quia à fuliginibus, aliísque sordibus, per coctiones genitis, obsessi musculi lenti sunt ad motum. Hinc adeò Natura post somnum instituit pandiculationes & oscitationes, illas quidem pro toto corpore: has autem pro linguâ, in quam, vt & musculos vicinos, tam ex thorace, quàm ex ventriculo plurimæ impinguntur fuligines. Harum hoc modo facta excussio quia raro sufficit, voluerunt prisci, vt, qui opus tale non habent, per quod excutiantur, v.g. sutores, fabri ferrarij, lignarij, &c. Exercitio, frictionibus, &c. explerent, &c. Hæc enim excitant calorem, tam ad fuliginum expulsionem, quàm ad liberum spirituum hac illac iter. Huius consequens est, vt musculi quidem iam non ampliùs onerati superfluis illis, quæ q. σομφοὺς, *paludosos* (paludes semper fumant) nos faciunt, sint & fortiores ad motum voluntarium, & liber sit spiritibus ad illos aditus, in quo consistit augmentum caloris: viscera autem extrusis, ad superficiem molestiis, meliùs præsint rebus suis.

§. 5. Hæc omnia vt bellè præstat exercitium: ita otium tam musculos, quàm viscera effœminat, vt Hipp. solet loqui, hoc est, minùs aptos officiis suis reddit.

§. 6. Requiritur autem motus maior vel minor, 1. pro ratione virium. Adolescens enim robustus contentiùs se mouet & diutius, quàm puer, senéxve inualidus. Studiosis plerísque sufficit lusus paruæ pilæ: vegetioribus follis, seu corycus. Senibus debetur lenis deambulatio, equitatio, vectio. Tempus vnicum est ante prandium & cœnam. Post cibum nocentissimus est motus paulò concitatior, quia rapit cibum crudum in habitum corporis. Terminus est vsque ad sudorem, exclusiuè. Vlteriùs si continuetur, colliquationes succedunt. 2. pro ratione temperamenti. Biliosi pauco indigent: pituitosi & melancholici multo: sanguinei mediocri.



CAPVT XXXVIII.

De Balneis.

§. 1. EX Gymnasticâ veteri supersunt nobis sola balnea,& pertinent illa quoque ad excrementa tertiæ coctionis. In his opus est diligenti curâ,ne vtantur illis plethorici, cacochymi, (quò refero crapulam) & omninò ij, qui à mensâ referunt turgidum ventriculum.

§. 2. Vsus est vel manè,vel post prandium leue,cum sentit iam homo ventriculum inanitum. Loquor autem de balneo aquæ dulcis tepido, non frigido. Quod enim per vapores fit, ex decoctis herbarum, alîus est loci.

§. 3. Cæterùm, habitâ hac hypothesi,tertiæ coctionis excrementis deberi, patet aliquo modo,quibus corporibus conueniant,aut non conueniant? Inprimis opus habent illis Calidi-humidi, quibus cutis pori facilè obstruuntur, itáque prohibetur insensilis transpiratio, vt factâ ἀδιαπνευστείᾳ febres oriantur ex στεγνώσει. Hæ febres, dicebat Scherbius, tantò sunt cum maiori periculo, quò frequentiùs errant Medici in imperandâ venæ sectione,purgatione,&c. *Er soll ins baadt gehen*,dicebat. Vide historiam Premigenis,aliorúmque, 5. San.tu.11.

§. 4. Biliosi & melancholici debent vti verè tepidis, ad corrigendam cutis scabritiem, cum frictionibus seu scalptionibus mediocribus. Vsus est penè singulis mensibus, quo tempore etiam sentiunt vndique punctiones, ad instar scabiosorum,quamuis scabiosi non sint.

§. 5. Balnearum thermalium, vt ferinarum quoque,multus alicubi vsus est in latitudine sanitatis.



CAPVT XXXIX.

VI. De Affectibus animi.

§. 1. ITa quidem est, disputat de affectibus Rhetor, Ethicus & Medicus: sed differentiam facit τρόπος ἐπιστήμης. Medicus, ne latiùs eam,considerat eos, quatenus sunt causæ salubres & insalubres,hoc est, quatenus ad sanitatem faciunt,quatenus ad morbos.

§. 2. Quo loco id primùm moneo, Nomen aliquando latè accipi, aliquando presè. Cùm latè accipitur, comprehendit etiam appetitus non-

non-naturales, qui ad τὸ ἐπιθυμητικὸν pertinent, apud Platonem, ad *Hepar*, inquam, vt sunt, Incontinentia in cibo & potu, in Veneriis. Et de his, nî fallor, Posidonius loquitur apud Gal. 5 Sent. Hipp. 6. Non parua, inquit, nec triuialia ex perturbationum causæ inuentione nos esse consecuturos, &c. Cùm presè, pertinet ad solum θυμοειδὲς Platonis, quod ad *Cor* refert ille. Videtur autem vocâsse Plato ab vno affectu, θυμὸς, *ira*, quòd valdè illa sit euidens præ aliis. Hoc θυμοειδὲς cùm Gal. mutârit in ζωτικὸν quàm parum Platonicus fuerit, apparet.

§. 3. Fortassis hæc vera est conciliatio: fortassis non est. Licèt enim magni viri illam amplexati sint: tamen non sine reprehensione est. Nôrunt enim ipsi, quàm vanum sit confugere ad hypotheses iam dirutas. Reuerà ita est, τὸ ἐπιθυμητικὸν Platonis, & τὸ θρεπτικὸν Arist. non est in solo Hepate, sed & in Corde, & in hoc quidem principaliter, in illo autem minùs principaliter. Annon, quò quisque est calidior corde, eò est voracior, & libidinosior? Videamus Herculem, annon in vtroque genere heros erat? Annon Alexander quoque Magnus? Annon Iul. etiam Cæsar mœchus caluus ferebatur? Videamus milites sæculi nostri, quid illi non patrant? Propterea concludo, Omnes affectus sunt in Corde.

§. 4. Sed vbi latent apud Arist. Lib. de Respir. c. 20. sunt primo loco inter τρία συμβαίνοντα περὶ τὴν καρδίαν, πήδησιν, *saltum* ille vocat, & possis vocare δύναμιν πηδητικὴν, si velis. Vbi apud Galenum? 3. Caus. sympt. 5. R. vbi hæc tria accidentia vocat τρεῖς κινήσεις ἡγεμονικωτάτας, *tres motiones principaliss.* Ne hæreas, Præter πήδησιν est Respiratio & Pulsus.

§. 5. Sed ad speciem. Inter affectus, primus & maximus est Ira, quasi ventus in mari. Oportet autem distinguere inter ὀργὴν καὶ θυμόν. Ὀργίλοι sunt illi, qui facilè irascuntur, sed facilè placantur, si sint prudentes. Hi calorem debilem habent, & possunt appellari frigidi. Tales sunt omnes ægri, præsertim melancholici, & senes, & fœminæ. Non est magni animi, *das vveib schlagen*, dicebat Scherbius. Ita quidam facilè prouolant ad gladium, sed facilè placantur, *vvan ihn nur das vveib helt.* Θυμώδεις sunt illi, qui nec facilè irascuntur, nec facilè sedantur. Et hi sunt calidi. In illis est vnicus motus sanguinis, ad cor, cùm φαντασία resilit ob contemtum: in his duplex, cùm redit extrorsum, ad sumendam vindictam. Hinc modò pallent, modò rubent.

§. 6. Mœror, tristitia, cura, solicitudo, vtcunque appelles, fiunt cùm sanguis perpetuò stagnat circa cor, quod exsiccat, & ad febres hecticas disponit. Propterea, oportet hos aliquando ad iram prouocare, quâ in re consistit vtilitas iræ. Oportet etiam perterrefacere, præsertim si qui, aut quæ ob hæmorrhagiam aliquam mortem timeat. Hoc Cardanum fecisse Romæ, ex ore Scherbij dixi alicubi. Is aiebat se audiuisse ex Cõsiliario Austriaco, cùm domesticus Cratonis esset. Ita cùm menses stagnant ex mœrore, posset fieri tale quid. (Ita in singultu) Nimirũ, amor est solicitudo quædam, cùm phantasia retinet sanguinẽ circa cor, ideò pallescunt.

§. 7. Vicinus affectus est liuor, iners vitium, vt cum Poeta loquar. De-

uorat enim medullam ossium, illæsis ossibus. Huc odium pertinet.

§. 8. Contrarius est Gaudium, cùm calor omnis properat foràs, ad explendum desiderium suum. Hoc non sine periculo est in iis, in quibus calor est debilis. Possunt enim mori, vt exempla docent apud Gellium. In his opus est solertiâ, nunciare, non directè, sed cum additione, Venit quidem filius tuus, sed cum vulnere luculento, &c.

§. 9. Sed cur Melancholici tristantur? Afferuntur tres causæ, è quibus vnam tibi seligas licet. 1. dicitur fieri ob humoris atrorem. 2. ob eiusdem densitatem & frigiditatem, ad quam ego valdè inclino. 3. ob copiam ieri, vt in ceruis & leporibus.

§. 10. In vniuersum de nocumentis affectuum Vallesius dicit, Caussam esse cur spissiùs moriamur homines, quàm animalia. Et videmus in stultis quàm longæui sint, quia curas non habent. Et sunt alioqui morbi, qui ab animo redundant, longè deteriores iis, qui à corpore. In fœminis, præsertim prægnantibus, quæ habent animulam tantulam, quid non fit? Vel abortiunt, vel fœtus edunt cum notis, quorum plerique non sunt vitales, ob caloris debilitatem. Lac etiam mirificè corrumpitur. In podagricis, aliisque catarrhis obnoxiis, in Epilepticis, &c. paroxysmos cient.

§. 11. Galenus in libro quamuis non Medico, sed Ethico, latè deducit, Quo quis modo curare possit affectus? Huius epitomen Hollyngus dedit, fine opellæ de Victu Studios.



CAPVT XL.

De Consuetudine.

Gal. numerat cũ Reb. naturalibus, 1. ad Glauc. 1. 9. Meth. 14.


§. 1. CVm lego apud Gal. (si modò Galeni est) l. singulari, περὶ ἐθῶν, *de Consuetudine, An ex illâ Indicationes peti possint?* miror, speciatim dici quædam, in quibus illa consistat: nullibi exprimi Medicinæ partem illam, cuius sit propria. Magis miror, Menzelium olim nostrum, in Disput. Ingolstadij habitâ, 1610. eleganti quidem paraphrasi exornâsse d. librum: sed nuspiam se explicâsse. Nec satis est, τὸ *Indicationes* ostendisse, cùm non minùs in Salubribus illæ sint, quàm in Therapeuticis, vt in frontispicio laboris huius, & alibi, ostendi. Maximè miror, cùm idem in vestibulo nominatim producat aliquot capita ex Sex rebus non-naturalibus: non dixisse, quod res est.

§. 2. Intuens ego in rei naturam, video, Consuetudinem valere in omnibus sex d. rebus. 1. Aërem vitiosum minùs lædere incolas propter consuetudinem, certum est. Particularis quàm amicus sit iis, qui consueuére, Solenander ostendit hoc exemplo. Stabularius febricitans,

tans, translatus in conclaue mundum, peiùs habuit, relatus in stabulum suum conualuit. II. In cibo & potu quantùm valeat consuetudo cuiusque loci & regionis, notius est quàm vt dici debeat. III. In somno eadem diuersitas est, 2. Prog. 11. IV. In excrementis deponendis quæ sit varietas secundùm indiuidua, dictu opus non est. V. In exercitiis obitis, vel non obitis multum situm est. IV. In irâ v.g. quid mali sit, si homo moderatus vehementiùs commoueatur, notum est: contrà Xanthippis quibusdam pro deliciis est.

§. 3. Quando igitur Consuetudo in omnibus est, quid faciemus? Mihi hoc subuenit, tu æstima. Quemadmodum in Categoriis quædam sunt in omnib. prædicamentis, quæ *Transcendentia* vocant: ita Consuetudo. Quò minùs credibile est, consuetudinem omnem dici posse Naturam alteram: quin puto, eo sensu τὴν φύσιν significare *Temperamentum* tantùm, 2. Temp. 4. & alibi. In eodem significato poni credo, cùm dicitur 3. Off. Med. 20. In indicationibus consuetudinem habere secundum à Naturâ locum. In eodem, cum ad prædictiones conferre aiunt, ex 3. in 1. Epid. 1. In eodem, cùm Natura anûs Atheniensis ita mutata fuisse scribitur, vt cicutâ innoxiè vesceretur.

§. 4. Consuetudines malæ quatenus, & in quibus, & quo tempore sint mutandæ, alius est loci.



PARS ALTERA,

CAPVT XLI.

De Victu ægrorum.

§. 1. ΕΝ τῷ *Ægrorum* esse homonymiam non quiuis videt. At verò cùm alius cibus sit sanorum, in latitudine sanitatis, alius eorum, qui iam ægrotant: non est difficilis agnitu homonymia. Nos quia de victu sanorum egimus hactenus: debemus vtique iam agere de victu eorum, qui decumbunt.

§. 2. Heic obex est, quem imperiti iactant, Possúntne intemperies naturales mutari? Heic rursus est homonymia. Τὸ *Natura* significat aut formam substantialem, quo modo Physicus considerat: aut *Temperamentum*, quo modo Medicus. Respondent, In Physicâ consideratione nulla sperabilis mutatio est: in Medicâ est omninò. Hei mihi! quid est sapere? Annon videmus nos per ætates, per vitæ genera, mutari? iuuenes calidos & humidos transire in senes frigidos & siccos? Est tamen non æquè facilis in omnibus temperaturis, neque quæuis transit in quamuis. Calidum faciliùs mutabis in frigidum, quàm frigidum in calidum.

Melancho

Melancholicus difficillimè mutatur, quia repugnat vtrumque principium natiuitatis nostræ.

§. 3. Sequitur alter. Dicit Gal. non semel, agendum esse aliquando similibus, aliquando contrariis. Scherbio tam difficilis erat, vt fateretur non satisfacere sibiipsi. Puto tamen alicubi constitisse sibi, cùm doceret, In homine temperato, qui iam ægrotat, opus est simpliciter contrariis, hoc est, in eo gradu, in quem delapsus est. In intemperatis omnibus, iam ægrotantibus, locum habent ea tantùm contraria, quæ respondent lapsui p.n.huius indiuidui, quæ iam similia sunt. V. g. Lienosus aliquis recessit in temperamento suo natiuo ab homine temperato duobus gradibus; iam laborat, & recessit duobus aliis: debeóne in curâ vti contrariis in quarto gradu, vt corrigam intemperiem etiam naturalem? Non. Restitue me, dicebat ille, in locum eum, in quo fui, posteà si quid potes, experire vires tuas. Ex hoc discursu intelligitur, esse negotium hoc de solis intemperiebus, non de vllis morbis Organicis. An illa Galeni similitudo & contrarietas longè aliò pertinet? Vide lib.6.

§. 4. Dicis, Sed quæ causa est huius diuersitatis? Si possum curare totam intemperiem, cur non faciam? Ia, si potes. Calor enim in his excessibus naturalibus debilior est, quàm qui tolerare possit tam insignia contraria, sine periculo suffocationis. Atqui contraria debent esse similia, gradu.

§. 5. Hinc sensus patet illorum Galeni verborum,quæ sunt 1.Acut. 44. Propter eandem causam ægros, sanósque bibere & esse, propter τὸ ἔτι, vt cum Arist. loqui soleo. Cùm enim in omnibus ægris supersit scintillula caloris natiui; ea verò sine pabulo (ὑπέκκαυμα vocat Hipp.) durare non possit: apertum fit, cur victus institutio in ægris tam sit necessaria?

§. 6. Apertum etiam est, quæ differentia sit inter victum sanorum quomodocumque, & iam-ægrorum. In latitudine sanitatis tantum & tale datur, quod viribus corporis sustentandis, non destruendis, satis sit. In morbis hoc considerandum est, Cùm coctio alimenti auocet Naturam à pugnâ in morbum, non semper tantum esse dandum, quantum vires requirebant: sed minus. Satis enim est, si æger durare possit vsque ad ἀκμὴν.

§. 7. Heic subitò cogitat animus humanus, Estne morborum omnium eadem ratio? Minimè verò. Est autem heic præcipua distinctio in morbos longos, & breues, seu acutos.

§. 8. In longis, (quibus qui laborant, eos ego Causarios voco) quia ferè adsunt intemperies viscerum, non sine obstructionibus, nihil melius est Victu attenuante dicto, de quo singularem habemus Galeni libellum penè aureolum, vtinam Græcè quoque haberemus! Veruntamen duo in victu illo obseruatu digna sunt. Alterum, vt singulis minimùm mensibus purgationẽ interponamus leuiorem,vt, quod resolutum est,

est, expellatur. Alterum, vt obseruetur tempus, in quo desistendum est, ne intemperies contraria inducatur.

§. 9. In acutis longè aliter se habet res. Cùm enim pugna tum sit iniquè comparata, hoc est, cùm Morbus, tanquam hostis, multis modis sit Naturæ superior: videndum est, ne oblatis multis, aut à scopo alienis alimentis, impediamus Naturam, quò minùs feliciter in hostem pugnet. Idem est metuendum, si nimis pauca dentur.

§. 10. Ad huius rei intellectum pertinet hoc, Vniuscuiusque morbi salutaris quatuor esse tempora, Principium, augmentum, statum & declinationem; victoriam autem ante statum nullam esse: proinde satis esse, si ægro tantum detur alimenti, quantum sufficere possit, vt vires constent vsque ad statum. Incidit autem status morborum acutorum, modò in tertium vel quartum diem; modò 7. vel 9. modò in 11. vel 14. modò in 21. Post hos ferè desinit appellatio morbi Acuti.

§. 11. Et hoc ferè est, quod Gal. 1. Aph. 11. In morbis acutis (de his enim solis loquitur) duo esse spectanda, & futurum morbi statum, & vires. Si enim status ille futurus sit, die v.g. tertio, profectò non tantum erit exhibendum, quantum si die 7. si die 13. non subsistendum fuerit in eo, in quo, si die 7. si die 21. profectò plus dandum est primis diebus, quàm si 17. 7. 3. Scilicet hic scopus est, Tantum est dandum, quantum opus est ad tot dies intra quot status morbi erit.

§. 12. Ita in paroxysmis vtplurimùm nihil est dandum, ne oneretur Natura, & auocetur à pugnâ in morbum. Tempore intermedio studiosè attendendum est illi horæ, quæ longissimè abest à paroxysmi huius fine, vsque ad principium futuri. Vnde apparet, quanta sit difficultas cibandi in febribus continuis! Quia enim labor est perpetuus, debebat prorsus nihil dari: atenim viribus nobis opus est.

§. 13. Vnde de ἀνηθείᾳ suâ indicare possunt ipsi, qui aut contradictionem in verbis Gal. meditantur, aut contrà indicare vires dicunt. Pugna verò sit, si Gal. dicit, Ægros cibis esse reficiendos: &, In ægris (non omnibus, sed his) respiciendum esse ad vires? Ibi, causam dat vniuersalem, cur ægri quoque cibis opus habeant: heic, adstringit ad morbum acutum, monétque, ne tales ægros vel suffocemus copiâ, vel conficiamus inopiâ.

§. 14. Quàm verò insolens locutio hæc est, Vires contrà indicare? Expresse Gal. 4. Meth. 7. Indicationes tot sunt, quot affectus p. n. At tres sunt, inquam ego. Et 1. in 6. Epid. 30. Indicationes semper à contrario petuntur. Vires autem súntne contrariæ? Propterea διαρρήδην dico, Vires neque indicant, neque contraindicant: morbus indicat, & quidem duo, Alterum, opus esse tali & tali alimento vsque ad ἀκμὴν: Alterum, si minus des, ægrum fore in periculo, si magis, fore in alio.

§. 15. Non minùs insolens est illa, Causa morbifica prohibet

 victum?

victum! Rei natura hæc est. Causa morbifica non indicat (indicationes enim à contrario sunt) ratione morbi: sed monet, ne frustrà auocemus Naturam ab oppugnatione hostis sui. Semper enim agit, nunquam quiescit, nisi impediatur. Impeditur autem, cùm alimentum ei obiicitur. Hæc enim prærogatiua est subiecti Medici à subiectis reliquarum artium, quòd coagit cum artifice suo, vt ostendi initio harum Instit.

§. 16. Fortassis heic iterum monitu opus est, Per naturam non intelligi heic substantiam ipsam virium, quæ inalterabilis est, forma quippe substantialis: sed Temperamentum, quod est forma quædam inferior, quæ in tribus consistit, Partibus solidis, carnosis, & spiritibus.

§. 17. Atqui Galen. 9. Meth. 7. & seq. diligenter pugnat contra eos, qui negabant, à viribus desumendas esse indicationes? Respondet ipse, quæstionem Logisticam, seu Sophisticam esse. Modò enim negare ipsosmet, ait: modò affirmare, vbi conuicti fuerint. An res transigi tam facilè non potest? Habebant enim præ oculis illud, Indicationes esse à contrario. Quamobrem, vt verum fatear, videtur mihi Gal. in decisione, ibi, Ego enim sæpè maximam, &c. labascere. Primùm enim non distinguit morbos longos ab acutis, cùm, quoad rem nostram, sint longè diuersissima. 2. non dicit causam victus finalem in acutis, διὰ τὸ ζῆν scil. in quo cùm negat esse τοῦ κύρος, valdè incircumspectus est. 3. non determinat quidquam, sed vulgi instar lapsans, modò hoc dicit, modò illud.

§. 18. Quare venio in has cogitationes, Eum, qui in hoc negotio falli nolit, distinguere debere officium τοῦ θεραπευτοῦ, quod, inquam, proprium est, quatenus curat: à consideratione rerum non naturalium, quæ ipsi cum ὑγιεινοῦ communes sunt. Ὁ θεραπευτὴς, quatenus talis, habet Indicationes, quæ à contrario sunt: sed quatenus simul respicit, siue vitam, siue nutritionem, quæ conseruatur ope sex illarum rerum, non habet, si propriè loqui velimus.

§. 19. Vt fatendum mihi sit, Totum quidem hoc de nominibus esse certamen: tanti tamen momenti, vt sine eo res tota constare non possit. Et hoc est, quod Galen. ait 1. Temp. 7. homonymias distinguere videtur esse res parua: at in rerum tractatione est maxima. Indistinctè enim dicta pariunt confusam cognitionem, addit 2. Nat. hum. 5.

§. 20. An aliud volebant Veteres, hoc fortassis, Cùm duo heic sint antagonistæ, Natura & Morbus, Natura quidem vult similia, Morbus autem contraria. Hac ratione, non omnis Indicatio erit à contrario: sed τοῦ θεραπευτοῦ tantum, si de mente Gal. loquamur. At si ex rei natura, Et ὑγιεινὸς & θεραπευτὴς habebit vtramque, Contrariam, quatenus vterque curat excessus: similem, quatenus vterque cibat. Considera, quisquis es.

§. 21. Ex

§. 21. Ex his omnibus intelligitur, quem sensum habeant verba, quibus Medici vtuntur, *Exhibito cibo morbum augeri: alimentum exhibitum lædere constitutionem morbificam: idem alimentum prohiberi à viribus,* & si quæ sunt alia, absona omnia. Morbus non augetur: sed dato alimento, Natura conuertitur ad alimentum, & deserit morbum, itaque turbatur ordo, quem seruat illa in fugando morbo.

§. 22. Idem sensus est verborum Gal. 1. Aphor. 11. de quibus suprà. Quod si verum est, quo modo simul verum est, Vires alimentum indicare? nisi vires sunt contrariæ viribus? Et hoc absurdum sequitur hypothesin Gal. de indicatione, meam nequaquam.

§. 23. Intelligitur etiam, quatenus admitti possit victus triplex, Crassus, mediocris, tenuis. In acutis, qui ad 21. peruenturi sunt, locum habet crassus ab illis dictus victus: in iis, qui ad quartum, tenuis: in intermediis, mediocris. Tenuis subdistinctio triplex περίεργος est. Hoc dico tantò confidentiùs, quò minùs obseruari apud nos potest vlla victus ratio. Cibamus, inquit Iacchinus, manè vesperíque, cibamus meridie & mediâ nocte. *Vvo vvill es sonst Kræffte nemmen?* dicunt mulieres. Sequuntur hunc morem, cùm alia incommoda, tum illud, quòd non habemus crises. Ἀλλὰ ταῦτα μὲν ταύτῃ.



SECTIO II.

De Pharmaceutica.


CAPVT XLII.

Pharmaceutica quomodo cohæreat cum Diætetica.

§. 1. Tribus verbis, non minùs est ministra tam ὑγιεινῆς, quàm θεραπευτικῆς, illa quidem, quatenus est latitudo sanitatis: hæc autem, quatenus curat morbum sensilem.

§. 2. Quò magis minor miserabilem huius partis confusionem cum Therapeuticâ ipsâ, quantumuis summo etiam Vallesio non ingratam. Com. in 1. Simpl. Nec quidquam huc facit locus Gal. 3. Meth. 5. Expressè enim dicit, Medicamentorum facultates nôsse, methodum medendi præcedit. Si enim præcedit, est aliud quid à Methodo, adeóque non finis ipse, sed inter ea, quæ ad finem. Hoc declarat illis verbis, Postquàm intelleximus cuiusque simplicis facultatem, per se & seorsim perpensam, &c. An verò scindenda sit doctrina medicamentorum simpliciũ & compositorum, nescio.

Vereor omninò, ne non ſit hic locus inter τὰ κακῶς ἑρμηνευόμενα, quæ non minùs Galeno, quàm aliis bonis excidunt. Idem fortè iudicabis de παρεγκλήλῳ illo 3.κ.πίν.1.in auricularibus Heræ.



CAPVT XLIII.

Notatio nominum.

§. 1. TO' Φάρμακον apud Græcos, vt & φαρμακεύειν, latiſſimè patet. Intelligo ſcribere Caium IC. *titulo de Reg. Iuris*, eſſe vocabulum medium, quod & bonum & malum ſignificet, hoc eſt, tam ſalutarem medicinam, quàm venenum. Huc facit verſus Homericus,

Φάρμακα πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δ' λυγρά.

Φάρμακα enim λυγρὰ ſunt *Venena* hodie dicta. Ita loquor: quia τὸ *Venenum* apud veteres Latinos non minùs eſt vocabulum medium, quàm τὸ φάρμακον. Cæterùm, τῷ λυγρὰ, Poëtico, ſubſtituerunt Medici τὸ δηλητήριον, vel ſimpliciter ita dicentes, vel φάρμακον δηλητήριον: quemadmodum huic oppoſitum, ἀλεξητήριον, ἢ ἀλεξιφάρμακον. Apud Hipp. ferè ſtrictè ſumitur φάρμακον pro *medicamento purgante*, & φαρμακεύειν eſt *vti medicamento purgante*, quâ de re Foëſius.

§. 2. Noſtris moribus cùm φάρμακον. *Medicamentum* effertur, intelligitur id, quod *Alimento* è directo opponitur. Nempe, vt *Alimenti* notio conſiſtit in eo, vt ſit victum quid: ita *Medicamenti*, vt ſit vincens quid. Quo modò? inquis. Alimenti eſt poſſe vinci, hoc eſt, in ſubſtantiam aliti conuerti: medicamenti eſt vincere, hoc eſt, alterare corpus vel calefaciendo, vel refrigerando, & ſic de cæteris. Atque vt ibi *Alimentum* erat duplex, vel ſimpliciter dictum, vel medicamentoſum: ita *medicamentum* vel ſimpliciter eſt tale, vel alimentoſum.

§. 3. Alimenti vt erant multæ differentiæ, pro maiori minoréve bonitate ſeu malitiâ: ita Medicamenti ſunt multæ, de quibus dicetur iam.



CAPVT XLIV.

Differentiæ medicamentorum.

§. 1. I. MEdicamenta vel ſimplicia ſunt, vel compoſita. Quæ cùm latiſſimè pateãt, diuidam paulo pòſt totum hunc laborem

in

in hæc duo summa capita. Iam hoc ante omnia habendum est, Simplicia dici, quæcumque à Naturâ sunt talia, quamuis interim possint esse heterogenearum partium, vti loquimur, ideóque diuersarum facultatum, quæ consistere non possunt sine compositione naturali. Ita, Composita dici illa tantùm, quæ compositionem ab arte habent.

§. 2. II. Alia sunt actu talia, alia potestate. Actu calefacit ignis, & quæ ab igne calent: actu refrigerat aqua, & quæ ab aquâ frigent. Potestate, quæ tum demum calefaciunt, refrigerántve, cùm aliquid à calore nostro acceperunt. Atqui Gal.3.Temper.1.pro medicamentis habet illa tantùm, quæ potestate talia? Mira obiectio. Galen. dicit, se egisse de iis temperamentis, quæ actu sunt: iam velle se agere de iis, quæ potestate. Propterea etiam non recipio distinctionem, Medicamentum in pressâ significatione esse id tantùm, quod potestate. Vtvt sit,

§. 3. Quid illud est, quod accipiunt? Ego neque contrarietatem Zabarellæ 2. Mist. 9. accepto: neque formam substantialem Schegkij, 2. Occult. fac. neque modum substantiæ Mercurialis, 1. Comp. med. 5. Quid igitur? Distinguo inter actuationem calidorum & frigidorum. Calida, cùm à calore nostro succensa sunt, calore suo calorem nostrum augent. Frigida, cùm calefacta sunt, emittunt vapores frigidos, qui refrigerant.

§. 4. Hoc φαινόμενα probant. Piper v.g. quemadmodum foris calido alicui (imò etiam frigido) humori impositum, deponit in liquorem vim suam calidam, non sine substantiâ aliquâ tenui, quæ tingit aquam, & saporem calidum illi dat: ita in ventriculum delapsum, communicat potui calorem suum tamdiu, quandiu calidi aliquid inest, & iam nihil aliud superest quàm terreum quid & insipidum. Huius rei certitudinem inde petas. Qui piper integrum deuoratum curârunt quæri in excrementis, & bene elutum domesticis præbuerunt gustandum, compererunt ἄποιον fuisse. Ij, qui ad gr. xx. aut plura sumserunt, capitis dolorem senserunt. Opio & opiatis qui vsi sunt (eodem modo, qui crocum, myrrham, styracem adhibuére) sentiunt è ventriculo ire sursum crassos vapores, qui somnum conciliant. Si fiat in nimis magnâ quantitate, occidunt. Cicuta Attica quomodo refrigerando occiderit, vide in Apologiâ Socratis apud Platonem.

§. 5. III. Alia per se sunt talia: alia per accidens. Et hæc distinctio soluit insignem, si Diis placet, difficultatem. Quomodo, inquiunt, cicuta v. g. refrigerat, cùm calida actu foris imposita exulceret? Fallacia puerilis! Non loquimur iam de his, testibus vobis ipsis. Hoc per accidens fit. Ita aqua frigida per accidens curat conuulsionem. Ita frigus externũ catarrhos ciet. Et hæc meliùs explicant difficultatẽ ex 1. κ. γ. 1. motam, quàm si dicamus, Alia κατ' δύναμιν sunt talia: alia κατ' φαντασίαν.

§. 6. IV. Alia magis minùs Calida, frigida, humida, sicca sunt. Maiores nostri redegerunt in quatuor ordines, de quibus antequam dicatur,

hoc præſciendum eſt. Alteratio, quam præſtant, duplex eſt, alia à manifeſtis qualitatibus, Caliditate, frigiditate, humiditate, ſiccitate: alia à totâ rei ſubſtantiâ, quæ hodie refertur ad Proprietates occultas.

§. 7. Alteratio à manifeſtis eſt quadruplex. Alia enim ſunt talia in primis qualitatibus, v.g. calida, in primo gradu, quæ Tepida vocari ſolent, vt roſa, glycyrrhiza, ſemen lini, chamæmelum: alia in ſecundo, quæ iam manifeſtè calefaciunt, vt fumaria, ſcolopendrium, aloë, rhabarb: alia manifeſtiſſimè, quæ in tertio, vt marrubium, abrotonum, aſarum, dictamnus: alia in quarto, & quæ iam vrunt, vt allium, porrum, cepæ.

§. 8. Rurſus, alia ſunt talia in ſecundis qualitatibus, quæ immediatè à primis pendent, & ſunt abſtergere, aſtringere, aperire, attenuare, incraſſare, laxare, denſare.

§. 9. Iterum alia in tertiis, quæ iam integram actionem conſtituunt, Hepar & lienem deobſtruunt, calculos frangunt, vrinam & menſes ducunt.

§. 10. Iterum alia in quartis, quæ certis partibus appropriata ſunt, vnde etiam appellantur Cephalica, cordialia, hepatica, ſplenetica, renalia.

§. 11. Denique à totâ ſubſtantiâ agunt Guaiacum, China, Sarſa-pariglia, Rhab. Agaricus, Cornu-cerui, pulmo vulpinus, hepar lupinum. Sed hoc vnde eſt? Non ab vllâ animâ, non ab vllâ formâ ſubſtantiali, multo minùs à ſpiritu Stoïco, in quem Fernelius, & omnes aſſeclæ ipſius poſt longas ſermocinationes incidunt: ſed à *Modo ſubſtantiæ*, quem Valleſius nobis dicit, & de quo hoc ſolùm dicere poſſumus, Eſt hoc, quod vides, cum qualitatibus omnibus, primis, ſecundis, tertiis, quartis. Hoc ita explico, Non minùs in inanimis, quàm in animatis, duplex eſt Calor, formalis & materialis, quorum illo exſtincto manet hic. Rhab. v. g. calorem habet, quo Rhab. eſt, quo etiam viuit: hoc ablato, manet tamen alter, Materialis, cuius beneficio agit, id quod agit, & quidem in decocto etiam & extracto. Pars enim elementorum tenuiſſima in his eſt, quæ officium facit totius. At verò vbi hæc quoque ſubſtantia perierit per putredinem, iam nihil inde fit, nec quidquam agit.

§. 12. His ita expoſitis, recedere nobis licet ad differentiam primam, & totum negotium partiri in duas tractationes, quarum altera de Simplicibus medicamentis ſit, altera de Compoſitis.

CAPVT

PARS PRIOR.

De Simplicibus.

CAPVT XLV.

Vnde petatur materia Simplicium.

§. 1. EX tribus rerum generibus, Plantis, animalibus, & mineralibus. In his ab initio id repetendum, quod ſuprà dixi, Simplicia eſſe, quæcunque à Naturâ talia ſunt quæ ipſa tamen poſſunt compoſita eſſe. Braſſica v.g. & ſoluit ventrem, & ſtringit. Soluit nitroſitate ſuâ, quam in ſuperficie habet, & deponit in primum decoctum, quod effunditur: ſtringit ſiccitate & terreſtreitate ſuâ. Et quia nitroſitas non tota abit in aquam, vnde etiam tam grata palato eſt, fit, vt etiam ſic parata ἄραδον ἐμποιῇ, vt Hipp. loquitur, *tumultum in ventriculo faciat.* Eram aliquando cum lethaliter decumbente, cuius vxor pro alimento proponebat *ein VVelſch Kœle.* Reſpondi ego, non habere locum etiamſi Hiſpanicum eſſet. Hæc vox grauiſſimam mihi peperit calumniam, quaſi ſingularis eſſe velim, &c. Nimirum Medicina eſt altera pars adulatoriæ, dicebat Scherbius. Hæc talia dicuntur ἑτερογενῆ, cùm verè ſimplicia, ὁμογενῆ.

§. 2. Non videtur à ratione alienum, addere quædam de *Modo ſubſtantiæ.* Non enim, quod vulgò creditur, conſiſtit tantùm in tenui & craſsâ partium ſubſtantiâ, vt v. g. cinnamomum & pinguedo piſcium ſint penetrantiſſima; adſtringentia contrà, & frigida omnia, pigra & minùs actiua: ſed & in poris, quod iam rarum & denſum eſt, vt Valleſ. ipſe definit, Com. in 1. Simpl. 2. & 5. Aurum tam eſt rarum, ideóque tam ductile, vt exigua particula in multa iugera duci poſſit, quod eſt apud Cardanum. Cinnamomum contrà tam eſt denſum, vt in maceratione nonniſi parumper intumeſcat, & ſatis diu maceratum, retineat tamen ſaporis & odoris aliquid. Ita panis recens non patitur ſe comminui in minimas particulas: at vetus patitur. Ita aquæ quædam facilè penetrant: quædam in hypochondriis hærent & murmurant. Ita vina quædam, cereuiſiæ quædam. Declaretur exemplo duplici. Piper & arſenicum vtraque ſunt calida & ſicca in 4. gr. Tamen piper eſt condimentum, eo modo, quo dictum: arſenicum eſt venenum ſepticum, ob partium craſſitiem. Spongia tam rara eſt, vt coqui non poſſit. Ideò qui canem mori volunt, dant illi particulam cum carnibus. Semper enim intumeſcit. Hæc vt veriſſima ſunt, ita puto latiùs eſſe extendendum, vt feci ſuperiùs, ad illa

ſcilicet

ſcilicet, quæ reuerà agunt totâ ſubſtantiâ, v. g. *ἀντιπάθειαι*, & *συμπάθειαι*. Hoc ſenſu Cinnamomum & Rhab. & alia omnia, habent aliquid indicibile, in quo indagando ſi ſolicitiores eſſemus, feliciores eſſemus, dico cum Valleſio.

§. 3. Cæterùm, quod in alimentis feci, id heic non facio, non deſcendo, inquam, ad ſpeciem. Cur? Quia libenter acquieſco in iis, quæ iam anteà bene conſtituta ſunt. Hac in re quia diligenter verſatus eſt Sennertus noſter, 5. Inſtit. 1 Sect. 1. cap. 3. & ſeq. non ego cornicum oculos configam.



CAPVT XLVI.

Modi inquirendi facultates Simplicium.

§. 1. DVbium non eſt, vt in aliis, ita heic quoque nonniſi duos eſſe, Rationem & Experientiam: ſed eſt vterque valdè lubricus, vt Gal. fatetur 2. Simpl. 5. Ipſe quidem ab initio d. operis refutat falſas aliorum opiniones, vt ne doctrina ſana incidat in animum impurum: verùm, quò minùs ego afferam huc ratio, inſtituti mei prohibet.

§. 2. Quod ad experientiam, quæ potior eſt omni ratione, Cùm medicamentum, vt & alimentum, ſit τῶν πρός τι, fieri heic, vt ibi quoque relationem ad hominem ſolum: non etiam ad alia animalia ſtirpéſve, docet. Si enim, inquit, Aconitum necat canes, non ſubitò etiam homines: contrà, ſi Cicuta homini eſt venenum, non ſubinde etiam ſturno: ſi helleborus eidem homini, non propterea etiam coturnici: ſi araneus homini, non gallinæ. Loca ſunt apud Ariſtot. 1. Plant. 5. quamuis Ariſt. non ſit liber ille, apud Gal. 3. Temp. 4. extr.

§. 3. Verùm enimverò, non oportet heic nimis nos faciles eſſe. Si enim ſemel quis vidit tale quid, nondum eſt experientia. Sed & hoc viſum fuit, quoſdam coturnicibus veſcentes, conuulſionibus vexatos fuiſſe. Nos contrà 1603. Neapoli impunè comedimus, ex viciniâ Iſchiâ, (Ænaria Plinij, Inarime Homeri & Virgilij) vbi dicitur eſſe helleborus, allatas: ſed quid tum poſteà? Gallinas deglutire araneos vt falſum fortaſſis non eſt: ita fortaſſis verum eſt, deplumari tales toto corpore. Id cùm ſit ſignum mutati temperamenti, non ego auſim in menſâ attingere talem gallinam. Vidi totum gregem gallinarum ex nigerrimis factum fuiſſe ſucceſſiuè albiſſimas: vnde, niſi ex veneno quodam fortiſſimo? Atqui fruimur omnes ſturnis ſine detrimento, qui tamen cicutæ ſemine veſcuntur? Cicuta vera apud nos non naſcitur. Sed creſcat: non eſt eiuſdem temperamenti, cuius Athenienſis erat. Eadem

ratio

ratio & Coturnicum est: helleborus apud nos non est. Sed hæc obiter.

§. 4. Quod ad rationem, petimus illam vulgò ex tribus qualitatibus, gustabilibus, visibilibus, & odorabilibus, siue, ex sapore, colore, & odore, quæ sunt in vino Cos, vt dixi. Sed profectò hi tres sensus, non ascendunt ad ἀκρίβειαν illam, vt regula vniuersalis constitui possit. Vinum v.g. tenue & album non semper est ὀλιγοφόρον, vt Gal. vult: quin obseruârunt I. Alexandrinus, Brassau. alij, dari quibusdam locis talia, quæ Maluatico non sint inferiora. Ita aqua, quæ simplicissima est, non semper optima est, quia pellucida est: imò & thermales sunt pellucidæ. Plerique præferunt putealem, quæ tamen vtplurimùm non est simplex, sed habet permistũ quid metallici fluoris, nitri, salis, vitrioli, aluminis, &c. Has nemo meliùs diiudicat quàm hydropotæ. Fœminæ etiam, quæ lauant ad illos puteos, dupliciter animaduertunt acrimoniam illarum. Nã & mundiora fiunt ex iis lintea: & vlcuscula in manibus pedibúsque faciunt. Eædem coctura illas probant, præsertim leguminum. Quæ enim aquæ citiùs percoquunt pisa, fabas, lentes, sunt tenuiores. Aquileges etiam libræ appendunt, quâ de re videatur Vitruuius.

§. 5. In his omnibus apud Gal. in lib. trib. anterioribus Simpl. immensæ sunt ambages, vt & in aceto & oleo, quomodo veteres inquisiuerint in facultates illorum, & quid errârint? Hoc nõ puto improbandum esse, quia antequàm bonum iaciatur semen in agrum, oportet illum à tribulis & sentibus purgatum esse. Sed enim quia medicamentorum bonorum, malorúmque abundè est, præstat inuentis vti, quàm, vel inquirere noua, vel docere, quomodo vetera inuenta sint. Est enim res nimis quàm periculosa, quod vel ex hoc solo intelligi potest. Auripigmentum tam dicitur dulce quàm vllum saccarum. Sed concludamus.

§. 6. Sit pro fundamento, I. Tres qualitates dictas fuisse Veteribus viam ad inueniendas primas qualitates tam actiuas, quàm passiuas, nec non ad secundarum aliquas. II. Ex colore quidem & odore paucas omninò habuisse illos differentias: ex sapore autem plurimas. III. In saporum confuso ordine hoc statuatur, Quatuor esse calidos: & quatuor frigidos. Illos quidem, Dulcem, salsum, amarum & acrem: hos autem, Austerum, acerbum, acidum, & insipidum.



CAPVT XLVII.

De Saporibus in genere.

§. 1. VVlt Gal. Medicum habere debere gustum exercitatum, non minùs quàm coquum. Cùm enim saporum alij sint simplices,


alij compositi: debet posse discernere. Sed propterea debet peritiam habere, quòd certus quidam inter illos sit ordo cuius non debet ille ignarus esse. Tandem non negligere debet nomina ipsorum, vt bene possit explicare mentem suam.

§. 2. In omnibus penè cùm maximæ sint difficultates, tangam ego potiores tantùm. I. Sapores heic considerantur, non vt in rerum naturâ sunt: sed vt afficiunt hominem. Affectionem hanc sentit prima omnium lingua, quæ propterea in limine posita est, tanquam custos. Cum hac affectione coniunctæ sunt qualitates quædam secundæ & tertiæ. V.g. Acerbum constringit linguam. Vnde concluditur, Ergò idem facit in aliis partibus, hoc tamen discrimine. Lingua sentit manifestè, seu in specie: reliquæ partes non nisi analogicè, & quoad effectum. Ergò ita dico, Cum hoc sapore est hæc qualitas, ideò oportet distinctè nôsse sapores.

§. 3. II. Cùm à saporibus progredimur ad facultates, est aliqua differentia. In quibus est sapor aliquis insignis, ea sunt partium homogenearum: contrà, in quibus remissus, heterogenearum. In illis rectè argumentamur, Est acidum, ergò est frigidum. In his minùs rectè, Est amarum, ergò est calidum. Opium v. g. cum insigni amarore tam est frigidum, vt refrigerando occidat. Hinc intelligimus, Galenum non omnia velle tradere experientiæ: sed aliquid relinquere rationi. Hoc obseruandum est propterea, ne æquè ab omnibus saporibus argumentemur.

§. 4. III. Cùm idem effectus sit à contrariis causis, oportet vti διορισμῷ. V.g. à frigidis saporibus fit mordicatio & dolor: sed non oportet simpliciter ἀντιστρέφειν, Ergò dolor omnis est à frigore. Quin quidam fit à calore: sed non eodem modo. Calor id facit separatione partium, fundendo & impingendo humores calidos. Frigus constringendo & corrugando. Nec est, quod disputes, In corpore viuo non dari tale & tantum frigus. Galenus enim 2. Loc. aff. 5. expresse ait, Pituitam vitream in dolore Colico excerni cum sensu frigoris. Et ne tu putes heic tantùm fieri, Habui in Italiâ συμφοιτητήν, qui catarrhum actu frigidum sentiebat labi per collum. Tu verò hoc quoque tibi habeto, Non fieri à quouis calore, frigoréve: sed oportere valdè insignes esse qualitates. Atque hæc seponere oportet ad disputationem de causis doloris. Reuerà & Philosophicè est vnica causa tantùm doloris, solutio continui: sed cùm Gal. agnoscit etiam intemperiem, Medicè loquitur. Quidam enim solis cedit alterantibus. Vbi hoc quoque notandum est, solutio continui non est causa, sed conditio, quam nos sæpe pro causâ accipimus.

§. 5. IV. Huic διορισμῷ vicinus est alter, Frigida quò sunt tenuiorum partium, eò sunt penetrantiora & violentiora: Calida quò sunt crassiorum partium, eò pigriora. Sed quomodo tenuiorum & crassiorum? Respectu nostri. Interim in calidis quoque differentia est. Quæ enim sunt valdè calida, indigent comminutione, vt actuari possint: quæ valdè frigida, non indigent.



CAPVT XLVIII.

De Saporibus frigidis.

§. 1. Mirificè anxius est Galen. vt primorum trium generationem deducat ex fructibus, quos primùm vult esse acerbos: deinde austeros: tandem acidos. Primùm omnium displicet, quòd ita circumscribit humiditates, in quibus dicti sapores consistunt, q. vidisset Naturam operantem! Satis enim est nobis scire, quid factum sit: quo modo fiat, nihil opus est. Deinde, non respondet ordo hic rerum Naturæ, & fit modò hoc, modò illud, prout rei forma est. Et est in omnibus ista *Aqua*, iam crudior, iam coctior, iam ita elaboratur, vt videatur aërium quid nacta esse. Et ita eximo Galen. à criminatione Vallesii. aióque, Acerbitas in plerisque est primus coctionis gradus: austeritas secundus: aciditas tertius. Omnia sunt frigida & sicca: sed secundùm magis & minùs. Itaque acida quodammodo dici possunt aëria, tenuiúmque partium. Quo loco id addere oportet, Aristotelem velle, omnes illos sapores, qui sunt in fructibus. esse etiam in terrâ, sed hac differentiâ, Illos quidem vinci posse à calore nostro, hos non posse.

§. 2. Et ita quidem de aciditate se habet in progressu naturali: sed fit illa quoque in non naturali, V. g. Cùm vinum acescit, iam non est vinum, sed cadauer vini. Id verò quo modo accidit? Meo iudicio, nemo meliùs docuit quàm Zabarella lib. de Misti gener. vbi videri potest. Quod nostri propositi est, Vinum acescit 1. si paucum sit, & in calore externo post fornacem hyeme. Tum enim putrescit. 2. si autumnus sit pluuiosus, vt multum aquæ misceatur musto. His lumen præbet differentia inter agrestam & acetum. Illa naturaliter fit ex imminutâ coctione: hoc ex corrupto calore natiuo vini. Hoc respicit vsum Medicum, Agresta est crassarum partium, & locum habet in exterioribus: acetum tenuium, & datur in interioribus.

§. 3. Sed quid fit de argumentis aduersantibus? 1. Vina æstate potiùs acescunt quàm hyeme. 2. Austrinis potiùs ventis quàm Borealibus. 3. In motu potiùs quàm in quiete. Respondet Gal. vno verbo, Omnia hæc per accidens fiunt, non per se, & in vinis debilibus tantùm. Iam igitur contra Galen. non est, aciditatem quandam esse à calore. Non enim simpliciter calor est, sed calor minor, qui habet rationem frigoris.

§. 4. De facultatibus saporis acerbi & austeri ita est habendum, Vterque adstringit, sed hac differentiâ. Acerba faciunt id magis, quia terrestriora sunt: austera minùs, quia iam humore aliquo diluta sunt.


Vtraque sint frigida & sicca, acerba quidem frigida in 2.gr.sicca in 5. austera autem minùs, sed in magnâ latitudine. Quædam enim sunt frigida in 3.sicca in 1. Hinc pendent facultates secundæ, quæ sunt condensare, indurare, corrugare, comprimere, quibus fit fluxionum repulsio, sanguinis cohibitio, amissi viscerum toni restitutio, &c.

§. 5. Hæc præstant etiam *metallica* quædam, propter magnam siccandi vim, alumen, chalcitis, chalcanthum, &c. Præstant autem propter partium crassitiem in superficie potiùs, quàm in profundo. Ideò cicatrices inducunt. Inter hæc, quæ tenuitatem sunt adepta, vt oleum succini, in sputo sanguinis insignem præbent vtilitatem. Verùm distinguere oportet. Quæ enim mordacitatem quandam coniunctam habent, vt oleum sulfuris, vitrioli, non quadrant. Interim, si eò progressa sit, vt iam sordida sint vlcera, absumunt mordacitate suâ partes corruptas, & adstrictione suâ contrahunt partes sanas.

§. 6. De *acidis* in specie ait Gal. experimento constare, in primis qualitatibus frigida & sicca esse, sed non vltra 2.gr. aut certè principium tertij. Frigiditas inest illis duplici nomine, partim humiditatis aqueæ, partim exhalationis siccæ debilioris, propter quam ipsam opera heic quædam sunt caliditatis. Siccitas dat illis facultatem repulsoriam maiorem, quàm in prioribus duobus, ob penetrantiam, quam habent à partium tenuitate. Hac ipsâ, vt & frigiditate, nauseam pellunt, & appetentiam cient, sicubi à bile sit.

§. 7. In febribus intermittentibus duplici nomine prosunt, & quia refrigerant, & quia deobstruunt: in continuis vno tantùm, quia refrigerant. In his (vt obiter dicam) qui vendunt pulueres suos febrifugos, quosdam ægros in phthisin præcipitant. Quid enim opus heic deobstructione? Interim calida illa augent causam morbificam.

§. 8. De aceto in specie hoc moneo, Quod dicitur esse ὑστεραλγὲς, & consequenter partibus neruosis noxium, verum esse tantùm de potentibus Græcorum vinis, non de debilibus nostris. Multò minùs de aceto ex cereuisiâ.



CAPVT XLIX.

De Sapore insipido.


§. 1. Restat inter frigidos, ὁ ἄποιος, quem *Insipidum* vertunt. Huius, pro diuersitate materiæ, duo statuuntur genera, *Terreum* & *Aqueum*. Hæc enim duo elementa, nisi passa sint aliquid à calore, & inter se mista, nihil sapiunt.

§. 2. Quod ad *terreum*, refertur id ad siccitatem & frigiditatem, quorum

quorum vtrumque multò potentiùs faciunt quàm vlli ſapores. Et eſt in terris omnis generis, Cimoliâ, Eretriâ, Lemniâ, Sileſiacâ, Noricâ noſtrâ, quæ in vicino oppido *Hersbruck* fit, cretâ, calce lotâ, &c. Itèm in metallicis, cerusſâ, tutiâ, pompholyge, margaritis, fragmentis pretioſis præpar. &c. Hæc enim omnia, liquore aliquo ſubacta, aut cum vehiculo, ſiccant ſine morſu tam foris, quàm intus, præcipuè in partibus ſenſibilibus. Ita in febribus putridis malignis, quia ſunt cum inſigni putredine, vi ſuâ ſiccatoriâ, & ſubſtantiâ calori noſtro inuincibili, impugnant putredinem, nec vincuntur à putredine, quod aliquando fit in Epicerasticis.

§. 3. Verùm cautione opus eſt, ne vel peccemus in doſi, vel nimis frequenter illis vtamur. Alterutrum enim ſi fiat, poſſunt intercludere ſpirituum meatus, Emplaſtica quippe. Quin & alia difficultas eſt, poſſunt h.m. vſurpari tantùm, quæ addito liquore non concreſcunt iterum, vt Ceruſſa, lithargyrus, calx, gypſum, alabaſtrum, quæ interiori vſu venena ſunt, obſtruendo ſcil. vias. An huc pertinent gemmæ quoque, aurum, argentum, &c. Nec refert, quòd Ariſt. accenſet aqueis, quia fundi poſſint. Inſpicimus enim heic conſiſtentiam. Tu de auro, quamuis potabile fiat, hoc tibi habeto, Calori noſtro inuincibile eſſe.

§. 4. Quod ad *aqueum*, eſt illud longè frigidius & humidius ipsâ aquâ, & inuenitur in omni gradu, à primo vſque ad quartum. V.g. lactuca eſt aquea, & refrigerat inſigniter, ſiquidem in ventriculo conficiatur: ſuccus interficit non minùs quàm Cicuta Athenienſis. Eadem lactuca humidiſſima eſt, licèt ad 4. gradum non perueniat. Et quia, præcipuè capitata noſtra, ſuccum habet album, & colore & odore papaueraceum, ſæpe miror, Practicos noſtros tam liberales eſſe in vſu quotidiano, etiam in frigidioribus, qui concoquere non poſſunt! Corrumpitur autem in viride quid aqueum, quod in deiectionibus viſum, ſæpe fruſtrà illos terret. Horum quædam glutinoſa ſunt, & ſeruiunt incraſſandis catarrhis tenuibus & acribus, vt gummi Arabicum, tragacantha, viola, plantago, portulaca, liguſtrum, &c. Amylum etiam huc facit, ſed aliâ ratione. Opium, & ſoporifera alia, ſubſtantiâ quidem huius generis ſunt: ſed vapor, quem emittunt, eſt à totâ ſubſtantiâ.



CAPVT L.

De Sapore dulci.

§. 1. AB initio hoc moneo, *Dulce* & *pingue* eſſe heic idem. Et hoc reſpondeo iis, qui quærunt, An pingue & vnctuoſum faciat peculiarē ſaporem? De dulcibus verū eſt, quod Gal. ait homini temperato

esse talia. Interim nec illud falsum est, quædam illorum vergere ad caliditatem obscurè, quædam manifestè, propter latitudinem temperamenti. Mel v. g. & Saccarum eò calidiora sunt, quò defæcatiora. Lac, butyrum, prout ex animali tali vel tali, hac vel illâ ætate, hoc illóve pabulo, &c. Quæ inferiùs stant, habent ferè admistos alios sapores: quæ superiùs, solam dulcedinem.


§. 2. Vtrisque vtimur, vel cum præparatione, vel sine illâ. Præparatio est duplex, vel ad ignem, vel additis condimentis. Condimentorum alia sunt simpliciter talia, & dant cibis, quæ ipsa non habent, vt sal: alia simul habent dulcoris quid, & consequenter alimenti, vt mel & congenera.

§. 3. Sed quæ sunt illa, quæ præparatione opus habent? Quæ longiùs absunt à similitudine corporis nostri, & à calore nostro vinci non possunt. Atqui caro suilla est simillima carni humanæ? Tu intellige, non actu, sed potestate. Vbi cocta ad ignem fuerit, vt calor noster conficere possit; vbi confecta in sanguinem conuersa fuerit; vbi conuersa substantificè in carnem nostram mutata fuerit: tum demum est similis actu. Alimentum enim ab initio dissimile est: posteà fit simile. Contrà, præparatione opus non habent, quæ sunt simillima nobis, vt mel, lac, &c.

§. 4. Sed est agendum pressiùs. Dulcia, seu pinguia quid faciendo nutriunt? Linguam quidem grato suo sapore veluti inungunt & deliniunt: conuersa autem in sanguinem dulcem, partes ipsas exhaustas, & q. exasperatas leniunt, iterúmque restituunt, quod deperditum est. Hoc adeò fit, quia temperamentum dulcium & pinguium non longè abest à temperato, seu mediocri, quatenus substantiam habent, nec crassam, nec grauem, nec asperam, qualis in acerbis & austeris est, itémque metallicis: nec adeò tenuem & mordacem, qualis in acribus, salsis & amaris. Hæc enim quantum distant à moderatâ dulcedine, tantùm distant à temperamento humano, hoc est, vel minùs nutriunt, vel plurima excrementa procreant.

§. 5. In hac latitudine, In cucumere v. g. est dulcedo, sed quæ propendet ad insipidum seu frigidum: in melonibus est eadem, sed vergit iam ad calorem ad 1. gr. Interuallum, quod interiacet, vastum est. Et hæc quidem de actiuis: in passiuis quædam aquea sunt, vt fraga, lactuca, endiuia, cichorium, & hortensia omnia, quæ humectant, & vrinas mouent, aluúmque: quædam terrea, vt panis, carnes, legumina, quæ siccant, siue, vt propriè loquar, minùs humectant. Eadem vim habent abstersoriam, quale mel est, vel ideò quia facilè amarescit. Tales etiam sunt leguminum farinæ, vt faba, pisum, &c.

CAPVT



CAPVT LI.

De Sapore amaro, acríque.

§. 1. EST quidem inter ſapores calidos, (ratione maioris, aut minoris caloris) dulci proximus ſalſus: verùm, quia dulci oppoſitus eſt amarus & acris; contraria autem iuxta ſe poſita magis eluceſcunt: libuit mihi mutare ordinem. Libuit & ideò, quia ſalſus eſt infra amarum,acrémque: faciliùs autem intelligitur minus ex maiori,quàm contrà.

§. 2. Mutatio dulcis in amarum quia valdè euidens eſt in melle, videamus age modum generandi. Mel amareſcit à duobus caloribus, interno & externo. Caliditas mellis habet *vim paſſiuam* ad amaritudinem, ideò quamuis aëri calido non exponatur, tamen amareſcit, exhalantibus ſubinde partibus aëriis. Rurſus, Aër calidus, præcipuè ſi igneus etiam accedat, tribuit melli exhalationes terreſtres ſiccas, vnde amaritudo. An vis illa paſſiua interna collineat ad *occultas proprietates*, velum illud ignorantiæ? Reuerà,à ſolo externo fit,qui affectum dat tantò celeriorem, quò calor eſt maior.

§. 3. Quod ad primas qualitates, *Amara* quidem ſunt calida & ſicca in 3. gr. *acria* autem in 4. cum modo ſubſtantiæ igneo & terreo, craſſiore quidem in amaris, tenuiore autem in acribus. Quod ad ſecundas, vtraque abſtergunt, ſed amara intra modum, acria extrà. Quod ita intelligas, *Amara*, vſu externo mundificant: interno, penetrant, incídunt, vias expediunt ſeu deobſtruunt. *Acria* vtroque modo vtrumque agunt, ſed cum magnâ vi, corrumpendo & putrefaciendo. Et poſſunt horum quædam ita mitigari admiſto liquore, vt benigna fiant, adeóque alimentum,v.g. allium,porrum, aliáque vegetabilia. Contrâ,quædam metallica non poſſunt, vt miſy, ſory, &c. ſed medicamenta fiunt tantùm extrinſeca. Quædam prorſus ſunt venena, vt auripigmentum, arſenicum, riſagallum, cobaltus, &c. An conſultius eſt dare his peculiare nomen diſtinctum à medicamento, *venenum* vocantes aut *deleterium*?

§. 4. Antequam hinc abeam,duo moneo. 1. τὸ *Acre* aut latè accipi, aut preſsè. In illâ ſignificatione dici & de acidis & de amaris: in hac, de propriè dictis acribus, quorum definitionem ingreditur τὸ θερμαίνειν. 2. Galenum 4.Simpl.18. diligenter diſtinguere amara & acria. Inde repetat, qui volet.

CAPVT



CAPVT LII.

De Sapore salso seu nitroso.

§. 1. ITa loquor: quia nitrum est sal quidam, sed in gradu inferiori. Ita compono controuersias quasdam. Salsa quædam cùm dicuntur nutrire, est locutio metaphorica. Nitrosa enim potiùs sunt, vt brassica, siquidem proprietatem sermonis amamus.

§. 2. Rursus, salsum pono post amarum: quia ex salso plus vsto fit amarum. Hinc cùm dicitur amara nutrire, intelligendum id est de salsis nitrosis.

§. 3. Hinc, quemadmodum amara certò sunt calida & sicca: ita salsa quoque, verùm cum leui adstrictione & abstersione, sed non indifferenter. Quò enim vnusquisque sal est crassior, eò magis abstergit, eò minùs adstringit: & contrà, quò tenuior.

§. 4. Quæstio est, quomodo in mari, quod modò salsum, modò amarum dicitur, viuere possint pisces? Imò, in mari sunt plura & maiora animalia, eadémque fœcundiora. Quidam dicunt, mare in superficie tantùm est salsum, ob vstionem à Sole: at in profundo est potabile, propter aquas dulces, quæ influunt. Incertum valdè. An dicere licet, Pisces marini sunt alius naturæ à nostrâ? Quemadmodum enim capris salices sunt dulces: ita mare piscibus marinis potest esse dulce. An potiùs ita? Vnà cum salso illo-sicco, inest mari multùm dulcis & humidi, quo separato viuunt, non autem salso, quod pro excremento illis est. Hinc in mediterraneis, vbi aquæ salsæ (*das vvildte vvasser*) decoquuntur, & per colum traiiciuntur, manet salsum seu sal in sportis istis colatoriis. Sed neque omnia maria sunt eiusdem salsedinis. Fœcundiora enim sunt illa, quæ verè salsa sunt, hoc est, in inferiori gradu: at quæ amara sunt & crassa, in iis nihil viuit, vt neque in Mari mortuo.

§. 5. Sed eamus ad vtiliora, Salsedinem in corpore humano quid causatur? quæ, inquam, intemperies facit salsos catarrhos, vnde phthisis quædam? quæ causos nothos, apud Hippoc. in de Acutis? Memini l. de Humor cap. 48. multa congessisse de hoc negotio, nunc rem in pauca confero, h. m. Duplicem salsedinis causam, quæ ex 2. Diff. feb. 6. ex Platonis Timæo affertur, redigendam quidem esse ad vnam σῆψιν, quæ sit *putredo impropriè dicta, σύγκαυσις, vstio:* verba autem sic explicanda esse, Pituitam fieri salsam, vel ob vniuersalem in toto corpore seri vstionem, vnde causi: vel ob particularem, in cerebro v. g. cùm serum vstum descendens miscetur aliis humoribus, qui exulcerant.

§. 6. Sed quomodo fit illa vstio? Doceo φαινομένῳ ex culinâ petito. Quemadmo

Quemadmodum iurulenta, sæpius igni reddita, salsiora fiunt, etiamsi sal non addatur: ita serum, vbi iam leuiter à suâ natura recessit, (acre factum est, quod erat ἄποιον) si ampliùs vratur, fit salsum. Rursus, quemadmodum coqui medentur huic salsedini affusâ aquâ dulci: ita si leuis illa seri corruptio diluatur nouo & miti sero, redit ad naturam suam. Sin, accedit subinde maior vstio; vnde maior salsedo.

§. 7. Cupis scire, vnde sit prima illa origo salsedinis in brodiis, vt ita dicam? Præterquam quòd in pane, in carnibus, in aliis, sal iam est: ab igne culinario plurimæ exhalationes siccæ immiscentur, vnde salsedo.

§. 8. Tale quid fieri in corpore humano quoque experimento mihi constat. Vidi in incipientibus ab hac causâ phthisicis, quoties liberiùs se inuitâssent vino, aut propter quamcunque causam vigilassent, & saliuam manifestè fuisse salsam, & sensisse rosionem quandam in pulmonibus. Hi instituto victu meliùs habuerunt.

§. 9. Ad hæc vbi responderint mihi ij, qui intemperiem frigidam cerebri causantur, aut, quod peius, modò frigidam, modò calidam: paratus sum παλινῳδεῖν. Et quæ omninò verisimilitudo est, humorem tam acrem, & qui vix cedit vllis medicamentis, ab ignauo frigore esse? Sed & vtplurimùm actuale non est, sed minor calor.



CAPVT LIII.

De Odore, & Colore.

§. 1. Post sapores, fine l.4. Simpl. agit Gal. de his, An, quemadmodum ex saporibus documenta capi possunt qualitatum in simplicibus, ita capi etiam possint ex odore & colore?

§. 2. Quod ad *odorem*, sciendum est duplicem esse, Alterum dici *Vaporem*, qui aqueus & humidus est: alterum *Exhalationem*, quæ aëria, calida, siccáque, Odor, qui cum vapore fertur, est alimentalis, & communis omnibus animalibus, nihilque aliud quàm sapor attenuatus. Odor qui cum exhalatione, non pertinet huc, proprius quidem, & eximiè, homini: verùm ad alimentum nihil facit.

§. 3. Alimentum cùm vel odoratum sit, vel non sit, ex illo quidem aliquid capimus, ex hoc autem nihil. *Aliquid* illud valdè exile est, quia odoratus homini infirmissimus est. Interim tot sunt eius species, licèt innominatæ, quot sunt alimenta odorata. Eodem modo, exhalationum multæ sunt differentiæ, sed quæ non nisi duo habent nomina. Aut enim gratæ sunt, vt ambræ & moschi: aut ingratæ, vt sagapeni & bituminis.

§. 4. Quod ad colorem, dicit Gal. nihil ex eo capi posse, nisi in eodem genere, v. g. si conferas Rhab. cum Rhab. vinum cum vino, panem cum pane.



CAPVT LIV.

De Qualitatibus secundis, tertiis, & quartis.

§. 1. MEminisse potest lector eorum, quæ suprà sunt dicta cap. 5. Ea paucis diducere est animus. Magni momenti est distinctio inter alterationem à primis qualitatibus, & à totâ substantia. Expedit enim nos à tricis occultarum qualitatum, quas Recentiores nexuerunt. Vulgatissima quidem est altera manifestarum qualitatum in 4. gr. sed non ab omnibus æquè lucidè proposita. Quam subiiciunt alij subdistinctionem singulorum graduum in tres mansiones, subtilior est quàm arti conuenire possit. Horum catalogum iam petere iussi à Sennerto nostro.

§. 2. Secundæ qualitates dictæ sunt illæ esse, quæ à primis, quatenus iunctum habent hunc substantiæ modum, immediatè pendent, & vno ferè nomine efferuntur. Dicuntur enim vel μαλακτικὰ, *emollientia*, vel σκληρωτικὰ, *indurantia*: vel στυπτικὰ, *adstringentia*, vel χαλαστικὰ, *relaxantia*: vel ἀραιωτικὰ, *rarefacientia*, vel πυκνωτικὰ, *densantia*: vel ἀναστομωτικὰ, *aperientia*: vel στεγνωτικὰ, *occludentia*: vel ῥυπτικὰ, *abstergentia*, vel ἐμπλαστικὰ, *opplentia*: vel ἀποκρουστικὰ, *repellentia*, vel ἐπισπαστικὰ, *attrahentia*, & si quæ sunt alia.

§. 3. Tertiæ qualitates, quæ iam integram actionem edunt, siue ad cibos pertineant, siue ad excrementorum pulsionem, siue ad morborum curationes. Ad cibos pertinent τὰ πεπτικὰ, *concoctionem iuuantia*, quibus ad latus adhærent τὰ πεπαντικὰ, *humores morbificos maturantia*. Ad excrementa, vtilia primùm, σπέρματος γεννητικὰ, ἢ σβεστικὰ, in viris, quò & ἐντατικὰ ἢ στυπτικὰ respiciunt, *semen vel generantia vel exstinguentia*, *libidinem augentia*: καταμήνια, γάλακτος, γεννητικὰ, ἢ σβεστικὰ in fœminis, *menses ducentia, seu sistentia*, quæ peculiare nomen non habent, *lac augentia, aut minuentia*. Deinde inutilia, ἐκκοπρωτικὰ, ὑπαγωγὰ, *lenientia*, quæ primas vias purgant tantùm: ἐμετικὰ καὶ καθαρτικὰ, *purgantia propriè dicta vel per vomitum, vel per aluum*: & rursus, vel φλεγμαγωγὰ, vel χολαγωγὰ, vel μελανογωγὰ, vel ὑδραγωγὰ, *pituitam, bilem, melancholiam, serum ducentia*: διουρητικὰ, *vrinas prouocantia*: διαφορητικὰ, *insensilem transpirationem iuuantia*: ἱδρωτικὰ, *sudorifera*. In partibus, speciatim in cerebro, ἔρρινα καὶ

ἀποφλεγματισμοὶ,

ἀποφλεγματισμοὶ, caput per nares & palatum vacuantia: πταρμικὰ, *sternutatoria*: in pectore, βηχικὰ, *expectorantia per tussim*: in renibus λιθονθρυπτικὰ, *calculum frangentia*: in vtero ἐκβόλια, *fœtum mortuum expellentia.* ὠκυτόκια, *partum accelerantia*, ἀτόκια, *conceptum prohibentia.* In morbis, παρηγορικὰ, ἀνόδυνα ἢ ἀνώδυνα, *dolorem sedantia*, ναρκωτικὰ, *stuporem inducentia*, ὑπνωτικὰ, *somnum conciliantia.* In iisdem *malignitatem obtundentia*, θηριακὰ, ἀλεξητήρια, ἀλεξιφάρμακα, Bezoardica hodie dicta. In vlceribus & vulneribus, ἐκπυητικὰ, *pus mouentia*: ἐσχαρωτικὰ, ἢ σηπτικὰ, *crustam molientia*: καθαιρετικὰ, *carnem superfluam tollentia*: σαρκωτικὰ, *in cauis vlceribus sanguinem allicientia, & carnem generantia*: ἐπουλωτικὰ, *cicatricem inducentia.*

§. 4. Quartæ denique qualitates respiciunt partes singulares, κεφαλικὰ *caput*, ὀφθαλμικὰ *oculos*, ὠτικὰ *aures*, στοματικὰ *os*, θωρακικὰ *pectus*, ἀρτηριακὰ *asperam-arteriam*, καρδιακὰ tam *cor*, quàm *os ventriculi*, quæ tamen nomen speciale habent στομαχικὰ, ad *ventriculum* ipsum se extendens, ἡπατικὰ *hepar*, σπληνικὰ *lienem*, νεφριτικὰ *renes*, κυστικὰ *vesicam-vrinariam*, ὑστερικὰ *vterum*, ἀρθριτικὰ *articulos.* Horum verborum vberiorem explicationem qui vult, petat ex Sennerto, aliisve.



PARS PRIOR.

De Compositis.

CAPVT LV.

Cur Medici componere cœperint medicamenta?

§. 1. HEic primùm disserendum est de illo, An compositio sit de necessitate? Certè in medio est Villanouani illud, *Qui vult medicari compositis, cùm possit simplicibus, aut facit per imperitiam, aut per ambitionem.* Sunt etiam contra compositionem argumenta.

§. 2. I. Quid opus est, cùm medicamenta habeamus ex simplicibus, tam primis omnium graduum, quàm compositis ab ipsâ Naturâ, in secundis, tertiis, quartis? Nec videtur vllus esse affectus, qui non curari possit simplicibus. Explico. Cùm vnum medicamentum sufficere debeat scopis contrariis, siue in vnâ parte, siue in duabus, habemus hoc quoque in simplicibus, v. g. absinthium & adstringit & abstergit. Cichorium refrigerat & deobstruit. Brassica calefacit, &

& ita de multis se habet res. Et hæc est responsio ad excusationem, quæ ait, Si semper laboraremus simplicibus affectibus, possemus contenti esse simplicibus. Dico, quemadmodum miscuit sapores: ita etiam facultates, quas iudicamus ex saporibus. Omnia sunt creata propter hominem, & Natura non deficit in necessariis. Quin herbarij ex simplicibus pourrigunt nobis medicamenta ad omnes morbos, adeóque herbæ (de animalibus non dico) sunt infinitæ, cùm morbi sint finiti. A brassicâ quid non petiuit Cato? Et adstipulatur illi partium heterogeneitas, vt loquimur. A betonicâ quid non Antonius Musa, Augusti Imp. Medicus? Hunc iuuit, quod inter temperata est, quæ πολύχρηστα sunt.

§. 3. II. Vsus compositorum non videtur esse melior vsu simplicium: quin deterior. Quæ enim miscentur, aut fermentantur ante vsum, aut non. Si illud, tolerari fortè potest, quia est æmulatio naturæ componentis. Si hoc, aut inutilia sunt, aut etiam noxia. Nondum enim in vnam q. naturam coaluerunt, nondum in vnam actionem conspirârunt. Et quàm sinister est mos noster miscendi omnia, quæ prosunt? V.g. quia carnem gignunt thus, iris, opopanax: ergò miscebo. Rustici & mulieres sæpe in ruborem dant tales Medicos, cùm simplici aliquo curant, quod toto suo aceruo non potuerunt illi.

§. 4. Ex alterâ parte est autoritas grauissimorum Medicorum omnibus sæculis, qui compositis feliciter vsi sunt. Videatur Gal. in lib. κ. γέν. κ. τόπ. de Antidotis. An hoc interest? Illi sunt vsi fermentatis, nec miscuerunt composita cõpositis. Nos nimis properamus, & damus, cùm etiamnum fermentantur, à quibus quid boni exspectari possit? Vidi receptam, vt vocamus, pilularum, in quibus ex sex magnis compositionibus conficiebatur dosis vna, scil. 31. an. ℈ ß. Heic quot sunt ingredientia? necdum fermentata? Vidi Confect. in rotulis, in qua erant vltra 12. compositiones magnæ, Diapœonias, diacinnamomu, diatrag. cal. & frig. dialacca, diacurcuma, summa, vltra 100. ingredientia: è quibus quid tandem fit? vel ideò, quia fermentatio heic locum non habet? Indecoctis longis dictis quid non deliratur?

§. 5. Sed tempero mihi: non enim huc veni declamaturus. Propono bonis hæc consideranda. 1. In arte nostra accuratè considerandum est, Mistióne fit an compositio? Compositio est rerum à se inuicem non alteratarum, quo modo confunditur hordeum cum tritico. Mistio est rerum à se inuicem, temporis morâ, alteratarum. Hæc vt secura est, & neutiquam improbanda: ita illa periculosa. Qui nolunt meracum bibere, non debent aquam affundere in mensâ, quod ferè fit: imò debet κρᾶσις fieri horâ integrâ ante cœnam. An ne hoc quidem satis tutum est? Aqua enim, præsertim grauis & cruda, qualis Altorfina nostra, subsidet, & fit vltimus haustus totus aqueus. A pincernâ olim nostro Academico, D.M. Georgio Liechtentalero, viro honesto, hospite meo, audiui, contigisse

contigiſſe ſibi ex inſperato, vt quidam, qui ex fundo acceperant, remiſerint cum pipulo, Quid mihi aquam mittis? Hos ſe deduxiſſe ad dolium ipſum, & comperiſſe, dolum inde pendere. Quare, qui vinum adaquatum volunt, affundant vuis, & ſinant vnà ebullire, & vera miſtio fiat. Theriaca noua qualis eſt, collata cum veteri? Nimirum, quod Ars facit, non eſt idem cum eo, quod Natura. Præthereà, Natura id facit ex ſimplicibus elementis, quæ nata ſunt in ſe inuicem coïre: nos ex iam compoſitis componimus, ignari quid hoc poſſit in illud. Sed rectè fiat hoc, Vtimur non fermentatis, in quibus vnumquodque agit res ſuas, nec dum omnia componentia conſpirant in vnam actionem. Ipſa etiam fermentatio non fit æquali temporis ſpatio in omnibus. Liquida cum liquidis facilè miſcentur: liquida cum aridis non facilè. Eſt & alia, quæ ſoli aëri externo tribuitur, vt in Theriacâ: alia fit ad Solem: alia ad ignem, vt cùm decoctum facimus, infuſum, &c.

§. 2. II. Multùm refert, ſi vel ſimilia ſimilibus iungantur, ſiue contraria contrariis. Quod ad ſimilia, propterea miſtionem illorum inſtituerunt antiqui, vt medicamentum haberent multis indiuiduis accommodatum, puero, adoleſcenti, viro, fœminæ. Sic multa diuretica iungo, ſic multa ſoporifera. Deinde, vt alterum iuuet alterum, v. g. quod tenuium eſt partium, iuuat id, quod craſſarum, & contrà. Tum verò, vt alterum huic loco affecto ſuccurrat, alterum illi. V. g. in obſtructionibus hepatis & lienis, vtor & agrimoniâ, & ſcolopendrio. Quod ad cõtraria, iungo illa propter ſcopos diuerſos, v. g. cùm ratione materiæ affluentis vtor repellentibus: cùm iam affluxæ, digerentibus. Addo, non rarò in viſceribus læſis adſtringentia copulo, vt ſeruem tonum partis.

§. 7. III. Quidam ita vtuntur diſtinctione primâ, Aut fit vera miſtio: aut fit compoſitio ſeu confuſio tantùm. Si miſtio, non ſeruatur actio ſingulorum componentium: quia refringuntur in ſe, & ita ſcopum non attingis, hoc eſt, non mederis aduerſis affectibus. Si compoſitio tantùm, obiicitur vetus illud apud Gal. 1. κ. γέν. 1. ex Euripide,

Abi tu quidem ad flumen Inachi,
Tu autem ad Thebas Cadmeïas.

Medicamenta enim, inquiunt, non vtuntur ratione, neque audiunt imperium Medici, Tu eas portas hepatis, tu ad lienem, tu ad renes, tu aliò. Quid ſi contingat, vt, quod tu ad hepar deſtinâras, eat ad lienem, & ſic porrò, & fiat confuſio totius negotij? Nam quod adſtringit, facit id, quocunque venerit. Quid ſi perturbatio ordinis fiat, vt id, quod purgat, & primo loco agere debebat, negligentius ſit: quod poſterius, adſtringere, ſtatim ſe accingat operi?

§. 8. IV. Antequàm ad hæc reſpondeã, inſpicere oportet, Quæ & quot ſint illa, quæ cogunt nos compoſitionẽ aggredi? Sex ſunt in vniuerſum. 1. Exceſſus facultatis, quẽ corrigimus addito contrario. V. g. volumus abſtergere vlcus ſordidũ, & pro materiâ accipere æruginẽ. Illa verò acrior eſt, ideo addo cerã & oleum. Scammonij vim purgantẽ acrẽ obtundimus

succo cydoniorum. Opij frigiditatem domamus castorio. Sed sciendum est, non fieri ante fermentationem, quâ neglectâ, sæpè nocemus ægris. Hoc quoque negligendũ non est, Quod corrigitur, basis dicitur. Id verò non semper est vnicum medicamentum, sed sæpè plura. 2. Imbecillitas medicamenti, quod opus habet robore alterius, 1. κ. γϛ 3. Hæc res non semper consistit in eodem genere. V. g. purgantia non semper accipiunt stimulum ab aliis purgantibus, sed sæpe ab acribus, vt Agaricus à Zingib. galangâ, helenio. Ita aloë in hiera simpl. ab aromatis fortior fit. Ita hermodactyli roborantur per succum raphani aut scillæ. Vbi iterum noto, Non fieri hoc æquè in compositione nudâ, qualis est in hierâ, in confect. aromaticis, in tragematis, &c. ac in mistione ac fermentatione, quæ accidit, si plures syrupi, plura electuaria misceantur. 3. Mala qualitas, huic, illive parti aduersa, quam exstinguere necesse est. V. g. scammonio, quod acredine suâ excoriat, opponimus muccaginem psyllij. Sic aliis purgantibus addimus aromata, & modicè adstringentia. 4. Insuauitas quorundam indicibilis iubet nos addere grata quædam. Hoc fine Theriacæ miscemus vinum dulce, vt gustatui inseruiamus. 5. Quibusdam conciliamus penetrantiam addito vehiculo. Sic in oxyrodino est acetum. Sic sudoriferis siccis opus est vehiculo multo, quò possint penetrare in habitum. Contrà, quibusdam moram conciliamus, v. g. cùm oleis ceram addimus pro linimento, ne statim diffluant. Eadem ratio est glutinosorum in emplastris & cerotis, vt adhæreant, 1. κ. γϛ. 3. Tandem est conseruatio. Hac ratione syrupos, electuaria, eclegmata, &c. paramus cum saccaro & melle, & ne succi putrescant.

§. 9. Iam respondeo ad I. Fatendum quidem est, compositionem priuatim dictam, quæ fit ex similibus, non valdè artificiosam esse: tamen, quia vsu conualuit, sinendam esse. Ad II. Fatendum pariter est mistioni rectè obiici, quòd vires quorundam simplicium, maximè, si contraria misceantur, refringantur: compensari tamen incommodum aliis commodis, v. g. cùm excessum corrigimus, cùm imbecillitatem permutamus cum robore, &c. Ad III. siquidem diuersum est, Galenum principio lib. κ. γϛ. σκῶμμα vocare, quod natum sit ex imperitiâ Medicinæ, quæ docet nos, Certa medicamenta actuari in certis partibus.



CAPVT LVI.

Quotuplex sit compositio?

§. 1. Accipio ego heic compositionem latè, quatenus comprehendit subsequentem mistionem, in quibus locum habet,

&

& dico, duplex est. Aut enim pertinet ad medicamenta omnia, quæ in Dispensatoriis vulgò dictis sunt, syrupos, electuaria, pulueres, pilulas, looch, &c. aut pertinet ad simplicia tantùm quædam, quorum partes separantur, aut cum, aut sine manifestâ alteratione. Sine manifestâ fit ablutio, infusio, nutritio: cum illâ fit decoctio, destillatio, sublimatio, vstio.

§. 2. Quod ad illam, nolo initiandum nostrum in Offic. pharmaceuticâ laborare; multò minùs ciniflonem fieri, nisi locus, vbi versatur, aliud suadeat: volo autem crebrò obire Officinas, & inspicere tam libros Medicorum practicantium, quàm operas ipsas Pharmacopœorum. Iubeo verò præmittere nō superficialem lectionem Syluæ medicamentorum compositorum vsualium dictæ ab autore suo, quam, ex bibliothecâ incomparabilis Scherbij mihi cōmunicatam, Lipsiæ publicaui 1617.

§. 3. Quod ad hanc, quia ille intermisit, perstringam paucis.

§. 4. *Ablutio* nobis imponitur in medicamentis metallicis vstis. cùm enim ἐμπύρευμα concipiant, eluimus illa non secus ac in lixiuio fit, vt separatis partibus acrioribus, maneat pars terrea, frigida & sicca. Eadem necessitas imponitur nobis in pinguedinibus & oleis rancidis, vt acrimonia vetustate contracta abscedat. Hoc fit toties, quoties opus est, vtplurimùm nouies. Lotio quædam est Terebinthinæ coctio nobis vsitata.

§. 5. *Infusio* ablutioni opposita est. Quemadmodum enim ibi partes calidas elicimus & abiicimus: ita heic pro vsu quærimus illas. V. g. Rhab. Agaricum, senam, troch. alhand. imponimus liquori, vt deponatur in eum vis purgatoria. Quod superest magma, est inutile.

§. 6. *Nutritio* est, cùm solidum aliquod medicamentum sinimus imbibere succum aliquem, v.g. cùm aloæ superfundimus succum rosatum nouies, & fit Aloë rosata nobilis Aquapendentis. Succo ros. cùm adduntur succi borraginis, buglossæ, agrimoniæ, &c. fiunt pil. Francof. dictæ.

§. 7. *Decoctio* aut *Elixatio* fit cum manifestâ alteratione, vt cùm brassicam vel lentes decoquimus, & primo decocto pro purgante vtimur, substantiâ pro cibo. Partes enim nitrosæ iam abierunt. Ita pro extractione succorum, quos syrupis destinamus, opus est concisione, contusione, coctione, expressione, præsertim in iis, quæ succum habent glutinosum, quibus acetum affundere oportet. Talia sunt semperuiuum, althæa, portulaca. Ita extractiones muccaginum fiunt ope calidæ aquæ. Ita olea ex seminibus pinguibus, præcedente contusione, non sine igne extrahimus.

§. 8. Notandum, pro varietate rerum decoquendarum, ignem requiri vel validum, vel lenem. Quæ enim crassa & terrestria sunt, vi opus habent: hanc si adhibeas tenuibus, euanescet pars melior. Hoc præcipuè accidit syr. refrigerantibus, qui posteà in febribus nihil possunt. Quidam horum ob saccarum bilescunt. Huic malo non semper

satis

satis est decoctio in balneo Mariæ. Si enim diuturnior sit exsoluit, vt in floribus.

§. 3. *Destillatio* fit, quando materia super ignem, aut in Sole flagrante euaporat in suprà positum alembicum, vbi refrigeratus vapor in aquam resoluitur, & descendit in vas subiectum.

§. 10. *Sublimatio* est, cùm materia exhalans adhæret alembico, instar fuliginis camino. Faciunt hoc illa tantùm, quæ fumum siccum habent, qui medicamentum reddit siccantius. Ita Cadmia fit in fornacibus metallicis. Ita fuligines ex pinguibus & oleosis.

§. 11. *Vstio* apud Gal. duo præstat, 1. Latentem quorundam medicamentorum vim in apertum ducit, vt lapis in calcem vstus acquirit vim vrendi, quam lotione iterum deponit. 2. Minuit quorundam facultatem, vt Rhab. tostum minùs purgat. Est autem differentia hac in parte. Quædam enim in carbones vruntur, quædam leuiter tantùm contingimus, quod fit in seminibus, quibus volumus ademtum humiditatis aliquid excrementitiæ.



CAPVT LVII.

De dosi medicamentorum tam simplicium, quàm compositorum.

§. 1. HEic ante omnia habere oportet supremam distinctionem in Alterantia & Purgantia. In vtrisque summa cautela est, maximè in purgantibus, vt Medicus bene nôrit indiuiduum suum. Est autem non æqualis necessitas in omnibus partibus. De externis nõ loquor. In affectibus pectoris vix vllâ opus est curâ. Omnia enim vel lingimus, & quidem erectâ ceruice: vel sorbemus sensim, eodem modo: vel sinimus liquescere in ore, vt cum saliuâ lentè descendant. Ita in capite, quæ purgant illud, siue per nares fiat effluuium, siue per palatum, dosis parum attenditur, nisi quod commodior vsus vult. Quæ deglutiuntur capitis gratiâ, post prandium & cœnam sumi debent, vt halitus eorum cum benignis alimenti vaporibus ascendat. In solis soporiferis & narcoticis maximâ est opus cautione, ne pro medicamento demus venenum, quâ de re agendi locus heic non est.

§. 2. In alterantibus imi ventris ferè securi sunt Medici: sed profectò non sine periculo ægri, præsertim, si vnà affectus sit ventriculus. Hic enim cum debeat esse ταμίας *dispensator*, si vel nauseet ad copiam, vel vomat etiam, non potest sperari bonus exitus. Sed & si nimis parcus sis, facilè voti compos eris, præsertim, si longiùs proficisci debeat. Hoc inprimis verum est de digestiuis vocatis, siue in latitudine sanitatis, siue in

in febribus. In Electuariis alterantibus media dosis est ʒ. 1. à quâ ad 6. ascendi potest. In pulueribus lithontrypticis requiritur, pulueris quidem eadem dosis, liquoris autem ℥ 3. Debet enim magnum iter emetiri. Maius quia in sudorificis, non oportet stare in ℥ 1.ß. sed ad 3. imò 6. peruenire, maximè si vastum sit corpus. Hoc fecisse sæpe mihi fraudi fuit. Impeditur sudor, clamant. Imò promouetur, propter causam dictam. Quâ persuasi præceptores mei opt. max. fecerunt, quod imitatione illorum facio, nec pœnituit vnquam. Idem dictum volo de decocto ligni, sassafras, sarzæ parigliæ, chinæ, &c.

§. 3. De purgantibus hoc ab initio habendum est, Requiri exactam vniuscuiusque purgantis simplicis cognitionem. Vt enim non omnia sunt paria in agendo: ita non possunt dari in eâdem dosi. Constituuntur à quibusdam quatuor illorum ordines. In primo sunt Lenientia dicta, quæ abluunt tantùm primas vias, clysterum instar: in secundo Polypodium, semen Cnici, aloë, fortassis & Rhab. In his non solemus excedere ʒ 1.ß. in tertio Helleborus niger, turbith, &c. in quibus ad ʒ 1. qui accedere audent, audaces nimiùm sunt: in quarto est Scammonium, Elaterium, Colocynthis, Euphorbium, &c. in quibus ℈ 1. transcendi non potest. Solenander, vir grauiss. vocat hæc vltima *Teüfelskœpf*, quibus sine certâ experientiâ (si modò vlla certa esse potest) fidere non oportet. Multùm etiam situm est in diligenti præparatione. Plurimùm in perito & honesto Pharmacopœo. Dodonæus comperit, Aconitum fuisse vsurpatum pro Helleboro nigro. Cùm huc venirem, pro Helleboro nigro vendebatur (extractum etiam inde fiebat) Damasonium & Alisma Matth. hac solâ ratione, quòd rustici vocarent *Christvvurtz*, & vterentur in peste pecorum, transfixis & immissis radiculis in auriculas. Sed caput rei est, nôsse morem ægri. Tanta enim est latitudo heic, vt quidam ventres prorsus contemnant omnia medicamenta purgantia, quidam solo odore moueantur. In horum medio qui sunt, infiniti reuerà sunt, & nihil tutius in his, quàm dosin mediam accipere, relictis extremis. Ita extra culpam fuerit Medicus.

§. 4. De purgantibus compositis aiebat siccissimus (hoc nomine honestabât illum Scherbius) Hollerius, esse vsurpanda illa, quæ vsitatissima. Nisi enim essent bona, iamdiu ab vsu deposita essent. Ita de Chymicis dicendum esset, si eodem modo fierent. Nunc (quod Libanius etiam conqueritur) omnes diuersimodè conficiunt, & tamen eandem dosin habent. Accedit, quòd validissima sunt omnia, & vel egregiè iuuent, vel insigniter noceant.

§. 5. Hæc in quinque genera referuntur, ratione substantiæ. Sunt enim Pilulæ, Electuaria, Potiones, Pulueres & Tabellæ. Hæc mirificè inter se alternant, prout vnum ex hoc, illóve fit, siue hoc in aliud transmutatur. Efficacissimum ferè est quod in forma solida, in pilulis, datur. Nam ʒ 1. illarum plus facit, quàm Elect. vel Tabell. ℥ ß. Causa est, quòd in pilulis sola sunt purgantia cum suis corrigentibus: in his multùm

saccari, mellisve. Propter eandem soliditarem fit, quod Electuaria felicius purgent potionibus. Diutius enim hærent, nec tam citò effluunt. Videndum autem est, ne vel massæ pilul. vel Elect. nimis vetustæ sint & duræ substantiæ. Sed nec sufficit semper malaxatio cum Syrup. aut aquâ conuenienti: sed oportet supersorbere etiam brodium aliquod. Alia heic non cumulo.



SECTIO III.

CAPVT LVIII.

Chirurgia quatenus sit affinis & Diætetica, & Pharmaceutica?

§. 1. ITerum, quatenus quædam facit, tam in ὑγιεινῇ, quàm in θεραπευτικῇ, quæ manuum operâ indigent. Vnde intelligitur, non consistere tantùm in obligatione vulnerum, in fracturis, & luxationibus artuum, in extractione calculorum, in sectione apostematum, herniarum, summa, in externis affectibus, quos indistinctè ad se trahunt, quamuis ab internis pendeant: sed in omni ministerio, quod desiderat Medicus rationalis.

§. 2. Quo loco nullam instituet querelam ille; qui ex superioribus intellexerit, τὸ ὑγιεινὸν curare excessus paruos, sed qui magni euadere possunt, nisi præuenias. Hoc docuerit solus habitus athleticus, 1. Aph. 3. Multo minùs quiritabit aliquis introduci morbum fientem. Verum est, vt alibi docui, in Therapeuticis morbum esse quid factum & permanens: sed non propterea falsum est in Salubribus, morbum esse quid in fieri. Hoc tacitè dicunt ij, qui concedunt, Venæ sectionem indicare morbum magnum cum viribus constantibus, non præsentem tantùm, sed & futurum, Nec quidquam valet, quod argutantur quidam, Morbum futurum tum dici eum, qui reuerà iam sit, habeat inquam, factum quid: sed possit fieri maior vsque ad ἀκμὴν. Refutat enim hoc praxis quotidiana, quæ venam secat, purgat, licèt nihil dum morbi adsit.

§. 3. Quòd cùm nesciret (vt obiter hoc moneam) B. Montanus, qui Iuntis postulantibus, dispositionem operum Latinorum Galeni classicam, quâ Basilienses etiam vsi sunt posteà, aliique, parauit: instituit classem sextam τῶν ὀργάνων τῆς κλινικῆς. Quasi verò Venæ sectio, scarificatio, hirudines, &c. non æquè sint τῆς ὑγιεινῆς, quàm τῆς κλινικῆς ἢ θεραπευτικῆς! Quamobrem ego, in futurâ, si Deus volet, Græco-Latinâ editione, coniunxi τὰ ὑγιεινὰ τοῖς θεραπευτικοῖς, quibus subiunxi τὰ θερα-

πευτικὰ

πελυτικὰ περὶ τῆς φλεβοτομίας, vt vnâ operâ duobus iſtis habitibus ſummis ſeruiant.

§. 4. Quidquid ſit, Vt olim indiuiſa erant opera Medici: ita hodie quibuſdam locis omnia ſunt reiecta in Chirurgos dictos, quibuſdam quædam tantùm, quibuſdam alij faciunt, alij non. Galenus Romæ ipſe ſecabat venam, vulnera obligabat, fracturas dirigebat, quod Æſculapium ipſum cum filiis, totáque poſteritate vſque ad Hippocratem feciſſe conſtat. Aquapendens Patauij per miniſtrum quidem ſecabat venam, ſed ipſe obligabat vulnera & abſceſſus, dirigebat oſſa. Saxonia nihil horum faciebat, ſed erat architecton, vt noſtris quoque moribus eſt. Quamobrem meum initiandum non iuſſerim ſe huc demittere, vt χειρωνακτικὸν quid moliatur: ita velim Chirurgis noſtris familiarem eſſe, vt poſſit iudicare de operibus illorum.





INSTITVTIONVM MEDICARVM LIBER VI.

In quo Methodus vtraque, ὑγιεινὴ καὶ θεραπευτική.

CAPVT I.

Connexionis ratio.

§. 1. SÆPE' dixi, *Medicinam* doceri & diſci debere, ordiendo ab iis, quæ ſunt *ad finem*, hoc eſt, à *Nobis notis*: progrediensto ad *finem ipſum*, qui eſt *Naturâ-notus*. Illud cùm præſtiterim hactenus, reſtat iam hoc. Et hic eſt nexus vniuerſalis.

§. 2. Quo ſtatim loco repeto votum meum, quod alibi voui, Vtinam perſuadere poſſim Galeniſtis noſtris, vti coniungerent duo Galeni opera, τῶν ὑγιεινῶν λόγους, καὶ Μέθοδον θεραπευτικὴν, quemadmodum in Græcis noſtris vulgatis, ita in Latinis quoque Claſſibus, à Montano introductis!

§. 3. Huius conſequens foret, vt inſcriptio fieret talis, qualem feci, Nimirum *Methodus*, hinc quidem *ſanitatem conſeruandi*: illinc autem *eandem reddendi*, ſiue, vnò verbo, medendi.

§. 4. Hinc etiam (& eſt nexus particularis) conſpectior fieret limes agro poſitus, vt cum Marone loquar, agro (inquam) Medico, inter duas ſummas Medicinæ partes dictas, quem alibi ex Hipp. poſui, τὸ ὀρθοστάδην ἢ ὀρθοστάδιον,

ἡ ὀρθοστάδιον. Hoc enim voluerunt Veteres, à paucis cognitum, ὁ ὑγιεινὸς tractat hominem ſanum, ſed acceptâ voce latiſſimè, pro omni illo, qui poteſt etiamnum præeſſe rebus ſuis, nec Clinicus eſt: ὁ θεραπευτὴς ægrum qui iam decumbit. Nempe enim, quod vulgo etiam incognitum eſt, Etiam in eo, qui vel lethaliter decumbit, ſupereſt aliquid ſanitatis, aliquid dico, *Calidi-natiui*, quod nî eſſet, mortuus eſſet. Et ſunt alioqui apud Gal. quod tu fortaſſis pro ridiculo habes, & oppoſitum in adiecto vocas, *Intemperies naturales*, *Intemperies ſanitatis*, &c. in latitudine videl. ſanitatis, reſpectu corporis temperati, quod canon ſeu regula eſt intemperatorum. Et hoc eſt, quod in Phyſiologicis agitur, non tantùm de temperamento æquali ſeu optimo: ſed & de octo intemperantiis, quæ videntur eſſe p.n. cùm non ſint, quatenus videl. latitudo ſanitatis datur.

§. 5. Traheretur etiam in lucem, quod tantumnon Cimmeriis iacet inuolutum tenebris, quo ſenſu Galen. ſæpiculè dicat, Medicum agere partim *ſimilibus*, partim *contrariis*? quâ de re ſuprà quoque. Dico paucis, Vnus Medicus, vtroque (vt ſic dicam) habitu inſtructus, & *Similibus* vtitur, & *contrariis*. Illis, quatenus Diætetica vtitur: his, quatenus Pharmaceuticâ. Nondum intelligo, inquis. Non miror. ὁ ὑγιεινὸς vtitur *Similibus*, & ſimpliciter ratione vitæ, & κατά τι, in hoc indiuiduo. In temperato vtitur temperatis: in intemperatis intemperatis. Cupit enim conſeruare vnumquemque in eâ conſtitutione, in quâ Natura illum poſuit. Idem ὑγιεινὸς vtitur *Contrariis*, quatenus Intemperies illæ naturales vel nimis deuiant, vel deuiaturæ mox videntur. Vnus Medicus, eâdem conſideratione, *Contrariis* vtitur, quatenus Indicationes habet, ille quidem ſalubres, vt ſic dicam, hic autem Therapeuticas, ſeu curatorias, vt ſæpè loquitur Gal.

§. 6. Quæ hæc confuſio eſt? inquis. Imò eſt expeditiſſima ratio, tam conciliandi Galenum ſibi ipſi, quàm docendi, quomodo *Indicationes* apud veros Methodicos petantur ex ipsâ rei naturâ, vt loquitur 6.Meth.2.K. Medetur, & habet indicationes ὁ ὑγιεινὸς, quatenus curat intemperies naturales: ſed non dicitur, propter latitudinem ſanitatis. Pariter, conſeruat, habétque indicationes ὁ θεραπευτὴς: ſed non dicitur, quia τὸ *Mederi* eſt euidentius. Omninò, *Ex ſenſu vulgi & loquitur & agit Gal.*

§. 7. Verùm cauto opus eſt. Gal. enim ſæpe indefinitè loquens, *Indicationum* à contrario tantùm meminit: à ſimili non meminit. Rectè indefinitè: propterea opus habet interprete, qui erudiat legentem, Galenum aliquando cum aliis loqui, vt, cum 9.Meth.14. ſimile petit à *Temperamento*: cùm 11.Meth.3. à *Viribus* ſeu *Virtute ægri*: cùm eodem 9. Meth. ab *Affectu ſ.n.* cui opponitur *Morbus*, qui eſt *Affectus p.n.* Quis enim, vel mediocriter attentus ad rem, non videt, & Temperamentum eſſe *Animam Medicam*, quæ ſui conſeruationem vult per ſimilia: & *Vires* conſiſtere in Temperamento, tanquam animâ: & διάθεσιν ſ.n. eſſe id, quod 1. In 6. Epid. 30.2. in 6. Epid. 1.

seruari debet, cùm διάθεσις p.n. sit destruenda, illa per simile, hæc per contrarium?

§. 8. Vt tandem eò res redeat, Si Medicè & propriè loquaris, *Indicationes* à contrario sunt propriæ τῆς θεραπείας: *Indicationes* à simili τῆς ὑγιεινῆς. Interim secundariò vterque agit hoc, vt ne contraria sint vel vltra, vel citra indiuiduum, quod curandum est: sed analoga siue similia huic, vt, deuicto etiam morbo, sit in eo sanitatis gradu, in quo erat ante morbum. Partium singularum eadem est ratio. Hæc ex seq. lumen accipient.



CAPVT II.

Quid sit Indicatio?

§. 1. APud Græcos duo sunt vocabula, ἔνδειξις καὶ σκοπός, quæ differunt apud accuratè loquentes. *Indicatio* duo significat, Et transitum ad scopum, seu id, quod indicatum est: & scopum ipsum, seu indicatum. Nos, sine μικρολογίᾳ, vtemur vtroque.

§. 2. Et quia nostri homines tantoperè delectantur definitionibus: & verò Gal. videtur illos heic exemplo præire: videamus age, quid rei sit. Verba sunt 2. Meth. 7. A. Τὴν ἔνδειξιν οἷον ἔμφασιν τῆς ἀκολουθίας. Heic controuersia est de sensu verbali. Obscura enim sunt vel propter τὸ οἷον. Ego primùm hoc præsuppono, τὸ ἔμφασιν, compositum esse idem cum simplici φάσιν. Deinde, ἔμφασιν esse, quod apud Arist. in sensibus externis est ἰδέα, εἶδος, καὶ εἴδωλον, hoc est, id, quod à re externâ recipitur v.g. in oculo. Vnde mirum non est, Galenum vsurpâsse τὸ οἷον. Docet enim per analogiam, vt Arist. sæpe. Vt libenter credam Pacio in Com. definitionē non esse, sed descriptionem, vno verbo, *definitionem nominis*. Hoc Gal. ipse innuit primis cap. verbis. Proinde ita verto, *Indicationem dicimus esse id in intellectu, quod in sensu est videre, audire, &c.* Hoc est, Indicare tum dicimus aliquid, cùm intellectus ex eo, quod percipit, colligit aliud quid, immediatè illi cohærens, v.g. bis quatuor sunt, ergò octo sunt: fumus est, ergò ignis adest, vel adfuit. Sic, si hic est morbus, oportet fiat hoc pro depulsione ipsius: si febris est, oportet refrigerare & humectare: si talis febris, oportet vti his refrigerantibus, his humectantibus. Vnde intelligere est, ex duobus inuentionis κριτηρίοις, solam rationem heic locum habere, exclusâ experientiâ, vt mox se explicabit.

§. 3. Mox enim addit, Ἐνδείξει τὴν εὕρεσιν ἔστι πεποιῆσθαι ἐξ αὐτῆς τῆς τοῦ πράγματος φύσεως, ἄνευ πείρας ὁρμώμενον, τὸ ἀκόλουθον ἐξευρίσκειν. Heic τὸ ἐνδείξει Ald. bene habet, vel teste codice Veneto anni 1500. Pro καὶ legendum esse τὴν iubet idem codex. Verborum transpositiones ego molitus sum, quòd

quòd Atticiſmi illi ad obſcuritatem inclinent,& iam ita verto, *Indicatione inuentum eſſe remedium dicitur, cùm,ſepoſitâ experientiâ,inuenimus remedium, quod ex ipsâ rei naturâ profluit.* Sed quid heic eſt *Rei natura*? Cùm, ceu dictum eſt, duo tantùm ſint omnis inquiſitionis organa, *Ratio & Experientia*; hæc autem ablegetur, neceſſariò oportet ſit *Ratio.* Hæc enim facit τὸ ἀκόλουθον,*conſequentiam illam*, Si hoc eſt, ergò illud eſt. Vbi quæro,quid heic eſt definitione eſſentiali dignum? Sed & obſcura ſunt, & κακῶς ἑρμηνευόμενα, cùm ita debuerit loqui, *Cùm duo ſint inuentionis omnis inſtrumenta, Indicatio eſt illa, quæ à ratione proficiſcitur,* Quâ oratione ſatisfit illis,qui *Rationem* ab *Indicatione* ſeparant.Hoc enim vult Gal. Quemadmodum inter receptionem ſpecierum viſilium, & inter viſionem nihil intercedit: ita inter indicationem & rationem, cur aliquid fieri debeat,nihil intereſt: συμπεριπίπτει γὰρ, *ſimul incidunt*,inquit autor l. de Opt.ſectâ,de quo iam.An igitur diſtinctio verbalis tantùm eſt,& dici poteſt,*Indicatio eſt ratio,cur hoc vel illud agam*?

§. 4. Definitio d.libri cap.11.multùm negotij faceſſit Capiuaccianis. Ait, ἔνδειξις ἐστὶν ἡ συμπεριπίπτουσα κατάληψις τοῦ ὠφελοῦντος, ἅμα τῇ τοῦ βλάπτοντος καταλήψει, ἄνευ τῆς τηρήσεως καὶ λογισμοῦ. Quaſi id vellet. *Cùm dicitur indicari quid à quo, remedium à morbo, ſimul atque cognoui morbum, cogneſco remedium, vt non opus ſit vel experientiâ, vel ratiocinio.* Heic valdè pugnant illi, quomodo *Indicatio* ſit abſque *Ratione*? Nunquam & nuſpiam eſt, dico ego: immò eſt ipſa ratio. Proptereà cum illis ſum, qui legunt ἀναλογισμοῦ, cùm vox ſignificat tranſitum ad ſimile, v.g.Meſpilus adſtringit, quia acerba eſt, ergò cydonium quoque adſtringit. Aliud eſt Analogiſmus,ſeu ratio analogiſtica,cùm opponitur illi Epilogiſmus & ratio epilogiſtica.

§. 5. Hic ſenſus ſi admittatur, cadet opera illorum, qui dicunt, Galenum nunquam ab indicatione ſecluſit rationem, Ergò liber de Opt.ſectâ,non eſt Galeni. Quomodo excludere potuit,cùm *Indicatio* ſit idem cum *Ratione*? Neque enim indicatio Medica eſt quæuis indicatio, vt, ſi aliquem indicem digito, ſi nunciem literas veniſſe Româ: ſed eſt talis indicatio, quæ ſecum in ſinu geſtat rationem agendi. Subitò enim ac ſcio, Socratem febricitare, ſubitò ſcio, quid mihi ſit agendum pro liberando Socrate à febri. Et hic ipſe ſenſus eſt in altera (vt putatur) definitione,2.Meth.7. Hinc 4. Loc.aff.2. & præfat.in 2. de Natura hum. ἐνδεικτικῶς καὶ λογικῶς curare, (addo ego μεθοδικῶς) eſt vnum & idem. His opponitur τὸ ἀσκόπως. Quo de cùm loqueretur Scherbius, ὁ δαιμόνιος, aiebat, Examinate, cùm ad praxin veneritis, cubitales τῶν προσδοκώντων ſcidas, & interrogate,Quo ſcopo hoc vel illud? Inuenietis illos ſæpe nudos.

CAPVT



CAPVT III.

Quotuplex ſit?

§. 1. MIhi ſub initium hoc libet explicare illud Gal. principio 1. San.tu.1. cùm ait, τὴν ὑγιεινὴν καὶ τὴν θεραπευτικὴν, ἔμπαλιν πρὸς ἄλληλα ἔχειν τὰς ἐνεργείας. Semper enim obſcurum fuit. Scio, quid alibi dixerim ex 3.Meth.3.E.7. Meth.12. extr. τὰς ἔμπαλιν ἐνεργείας conſiſtere in eo, vt curatio quidẽ, vlceris v.g. fiat per contraria: pro differentiâ autem partis affectæ, humidioris ſcil. vel ſiccioris, fiat per contraria talia, quæ temperamento partis gradu ſint ſimilia. Pars enim affecta vult talia contraria, quæ non ſint, vel ſupra temperamentum ſuum, vel infra, & humidius, ſicciúſve faciãt vlcus, quàm erat, & conſequenter corrumpant. Ita in viſceribus Spleneticus aliquis in latitudine ſanitatis, ſi periclitetur de hydrope, non debet duci ad gradum caloris vlteriorem, ſed conſiſtere in eo, in quo erat, antequàm in periculo hoc erat.

§. 2. Nunc, nihil quidem muto: ſed lucidioris doctrinæ gratiâ, hoc ſuperaddo, ex 8.Meth.9.A.9.Meth.13. A.4. κ. ϛϑ. 6. ad Meth. ſe referens, Indicationem omnem eſſe duplicem, quarum altera *Contrarium* vult, & reſpicit *Morbum*: altera *Simile*, & reſpicit *Vires*. Ita loquor. Iam enim dixi, Galenum vtroque modo loqui, imò etiam *Temperamentum* vocare, & *Affectum ſ.n.* quòd illa omnia recidant in vnum. Quare, quod *Simile* heic dicitur, reuera eſt *Contrarium*: ſed dicitur *Simile*, quòd ſit in eodem v.g. caloris gradu, in quo vel *Totum* vel *Pars* eſt, tu puta, in latitudine ſanitatis. Quod enim indiuiduum, quæ pars non eſt exactè ſana, non debet ad exactam ſanitatem reduci, tum, inquam, cùm laborat: ſed ad ſuam ſanitatem. Quòd ſi mutandum quid videatur, id alio fiat tempore. Ratio eſt manifeſta. Si tu frigidum, iam febricitantem, in ſecundo, vis curare calidis in quarto gradu, exſtingues calorem, non præternaturalem tantùm, ſed & naturalem. Ita, ſi calidum in quarto vis refrigerare remediis in ſecundo, nihil ages, ſed ægrum ad maraſmum duces. Eadem eſt ratio partium. Hoc ipſum in cauſâ eſſe, cur noſtræ curationes ſæpe tam infelices ſint plane credo, Quei enim fieri poteſt, vt calidiſſimus iuuenis, & frigidiſſimus ſenex febricitantes, tractentur iiſdem remediis? Quæ enim iſtius calorem febrilem extinguent, huius animam periment. Propterea de 2. Aph.34. dico, Senex v.g. febricitans, non tam periclitatur propter exceſſum magnum, quàm propter refrigerantia validiora.

CAPVT



CAPVT IV.

Iterum de Indicatione à Simili.

§. 1. NE quid heic desideretur luminis, desudo quantum humanitùs possum. Ita est, Indicatio à Simili est illa, quæ sumitur à Temperamento, ab Affectu s.n. à parte affectâ, à viribus seu Virtute, quot modis Galenus loquitur, tu puta, vt in suo & natiuo vigore sit, siue inculpatus sit status, siue culpabilis, in latitudine quippe sanitatis, & hoc fit beneficio, tam φαρμακευτικῆς, quàm διαιτητικῆς: sed opus est prolixiori sermone.

§. 2. Cùm enim sex res non-naturales singulæ, & seorsim aliquid huc conferant, dicere oportet, quid & quantum id sit. Id verò est, Gal. docente, 9. Meth. 14 B. Res non-naturales docere nos, quousque sit alterandum, siue, quando ab alteratione desistendum. Tu verò rectè intelligas oportet, ceu dixi. Non debes ex subiecto quocumque Polycleti canonem facere: sed restituere in eum statum, in quo fuit ante morbum, licèt reprehensibilis sit. Huius rei causa latissimè explicatur, eodem 9. Meth. sed cap. 5 B. hoc ferè sensu, Planè necessarium est, vt sciat Medicus, in quo gradu calidus, frigidus, &c. sit æger, quem curat. Si enim nesciat, & infrà subsistat, morbum non percurabit: aut suprà, morbum contrarium inducet,

§. 3. Heic illud quæro, quei dicere possit Gal. 14. illo cap. *Temperamentum constare ex Naturâ, consuetudine, ætate & aëre*? Ex alimentis enim θρύπτεται, quod verbi habet ipsus, quæ constans ipsius doctrina est. Et quæ est illa φύσις, contra distincta à κράσει? Dicere igitur oportet, Temperamentum ex elementis factum, conseruatur, non his tantùm, sed omnibus sex dictis rebus, quippe, quæ necessariò nos alterant.

§. 4. Rursus, cùm *aër* sit in numero harum rerum, quâ fronte audet adeò illum extollere, vt collocet iuxta duas summas indicationes, à simili & contrario? maximè, si tantùm causa est sine quâ non? Et huius ordinis sunt reliqua quoque non-naturalia, de quibus rectè dicas id, quod dicit ipsemet, *Siquidem conspirent cum Indicationibus contrariis, bene esse: sin, corrigenda esse.* Aër v.g. frigidus, in febribus (cæteris paribus) conspirat cum Medico, ideò optabilis est: contrà calidus dissentit à nobis, ideò corrigendus. Porrò, de aëre hoc obseruatione dignum est, quod ait, constare illum ex tribus, *Regione, anni tempore, & cœli statu.* Hoc dico propter eos, qui de tribus his seorsim agunt.

§. 5. Heic aliquis, Quei capiam, quod solum *Temperamentum* nobis porrigit, quasi solum id morbos creet? Rectè facit. Reliquorum enim

morborum nullus occidit,nisi vitiato temperamento, præcipuè cordis, seu temperamento communi, 5.Loc.aff.1.

§. 6. Quei verò pro æquipollentibus habere potest *Temperamentum*, quod causa est, & *Vires*, quæ effectus sunt? Loquitur cum aliis, minùs circumspectè. Eâdem excusatione vtar, si quis vrgeat illa c.10. de tribus viribus, seu facultatibus, animalibus, naturalibus, & vitalibus. Reuerà longiùs hæc absunt. Eâdem, si quis ex 9. Meth.15.& 16. item (sed corruptè) 12.Meth.5. in medium proferat alium ternarium. Est enim triplex partium ordo Hipp.qui longissimè hinc abest. Eâdem, si quis διάθεσιν κατὰ φύσιν, seu Sanitatem. Æquitate opus est, quâ non admissâ, in immensum vagari nos necesse est.

§. 7. Sit igitur *Indicationum similium* prima, quæ respicit factum quid, *Temperamentum*, seu quomodocunque appellare velis. Hæc duplex est. Aut enim respicit *totum corpus*, aut *certam partem* affectam. De corpore iam dictum est satis, Contraria illa, quæ in vsum veniunt, debere gradu similia esse gradui temperamenti, quod curandum est: de parte supersunt nonnulla. Dubia res cùm esset apud Veteres, Gal.9.Meth.7.fecit,quod magni viri solent, Refutauit contrariam sententiam, ne officeret veræ. Ait autem, argumenta Methodicorum (hos enim producit 5.Meth.10.) Logica esse & Sophistica, ideò occupari in illis nolo. Pariter non faciam mea, quæ 4.Meth.7. item 7.Method.13. dilucidè proponit de hoc negotio.

§. 8. Altera est, *Quid fieri debeat*? Quemadmodum in vitâ communi conseruatio siue Temperamenti, siue Virium, siue Sanitatis, consistit in dextro vsu sex rerum-non-naturalium: ita tota similium indicationum ratio consistit in eo, vt fiat recta earundem applicatio. Quanta igitur difficultas est in dignotione temperamenti illius, siue naturalis, siue adscititij, quod præfuit, 9. Meth.15. C. tam difficilis inuentu est materia heic adhibenda. Tanto magis, quòd Indicatio hæc prima & communis ita sit implexa alteri illi, itidem primæ & communi, Contraria contrariis, vt Galeno ipsi visum fuerit, aliquando vnam esse. Nunquam est, sed semper duplex, altera quidem contrarij simpliciter: altera autem contrarij similis, vt sic loquar. Illam subitò capio, Febris est, ergò refrigerandum & humectandum est: hanc non possum antè, quàm de temperamento sit deliberatum, & conclusum, Tale est, ergò contrarium simile hoc est, quod præstabit mihi mensuram, quam quæro. Et hoc in exemplo febris putridæ docet Gal.11.Meth.1.

§. 9. Temperamento vicina est *Indicatio ab ætate*. Certè, non potest eodem modo tractari adolescens floridus, & senex macilentus, neque vires sunt eædem. Quin, si seni in eodem gradu medicamenta dederis, suffocabis illum. 8. Method.9. B. 9.Method vlt. Huic iterum *genus vitæ*. Neque enim eadem vult laboriosus aliquis, v. g. rusticus, faber lignarius, ferrarius, &c. & homo scholaris, temperans & intemperatus, &c.

§. 10.De

§. 10. De *Aëre* iam dictum est, si consentiat rebus nostris, in lucro esse: sin, v.g. si calidus sit, nos autem frigidum velimus: omni ingenio ad frigiditatem trahendus est.

§. 11. In *cibo* & *potu* omnis solicitudo nostra sit, vt calidos calidis, sustentemus, frigidos (minùs calidos) frigidis, 8. Meth. 9. B. In acutis res perquàm difficilis est, nostris præsertim moribus, quibus mulieres imperium habent. Harum votum omne tendit eò, ne fame moriatur æger: at Medicus suffocationem potiùs exspectat. Sed & crisis omnis impeditur in tali victu, vt omnes boni sciunt. In longis non minor difficultas est. Cùm enim ob ἀσθένειαν calor sit debilis, facilè peccatur, tam in copiâ, quàm in qualitate. Qualitas hæc consistit in secundis potiùs facultatibus, quàm in primis. Hunc in finem habemus lib. Galen. planè aureum *de Victu atten.* in quo tamē etiam peccare possumus, si nimis intendamus vires, si non iusto tempore desistamus. In obstructionibus hic ferè error committitur, quòd omnes ex frigidis humoribus deducimus. At verò sunt non rarò ex calidis, quod vel ex solâ Melancholiâ hypochondriacâ demonstrâro. Committitur & hîc, quòd à siccis nunquam nos expedimus, cùm humida valdè heic locum habeant, v. g. decoctum raparum, quod, à Cratone edoctus, sæpè monebat Scherbius. Et hic, quòd deobstruentibus non suo tempore interponimus purgantia. Quod enim solutum est, exigi debet.

§. 12. In *somno* quia Natura præcipuum coctionis momentum posuit, profectò diligenter illi studendum est. Neque verò bonis vox est Hipp. 2. Aph. 1. *Somnus laborem faciens*, &c. neque etiam de solis febribus capi debet: sed in vniuersum de longis quoque. Signum enim est stabulare in hypochondriis humores vitiosos, præsertim calidos, qui malum denunciant. Hoc enim mihi h. l. est τὸ θανάσιμον. Quâ explicatione mitigatur ἀλήθεια, quam quidam subodorati sunt. Illa enim ὕπνῳ ὠφελέει, promittunt nobis securitatem quandam, fore, vt morbus minùs longus sit, quoniam malignorum humorum minor copia. Hinc discimus, quam infida sint narcotica nostra! Cùm enim ex vigiliis, aut certè ex somno turbulento & interciso augurium capiamus malignitatis; opium autem ipsum quoque malignum sit: noxam potiùs exspectare oportet, quàm commodum vllum.

§. 13. Coctionis sequela quia est *excrementorum generatio*, quiuis videt, quantoperè necessaria sit obseruatio, vt singulis diebus excretio fiat. Tantò magis, quò intemperantiores sumus. Maior sequela est, quoniam intemperantia nostra in vasis Mesaraicis est, vtendum nobis esse clysteribus acrioribus, non tantùm ex hierâ simplici, diaphœn. diacathol. &c. sed & hierâ diacolocynth. confect. Hamech. Irritata enim hoc modo Natura acriusculè, paulatim ad aluum deponere discit excrementa totius corporis, quod magno cum ægrorum cōmodo expertus sum. Nec hylum me mouet iurgium τῆς δεῖνα, Non toties opus

est purgatione, quoties clysteribus? Hui verò, vllúsne clyster eò ascendere potest, vt locum occupet purgantis vniuersalis? Tantum est sapere!

§. 14. *In acutis* quantò nocentior est *Motus* omnis: tantò magis est necessarius in longis. Ibi enim turbat: heic moderatè ventilat calorem. *In longis* contrà, quò deterior est ἀκινησία: eò *quies* suo tempore requiritur.

§. 15. Tandem, vt in certis morbis prodest *Affectus* ciere, vt in melancholicis quibusdam iram: ita in quibusdam aliis prohibere oportet, vt in febribus, in defluxionibus. In aliis moderari oportet, vt in gaudio, quod quibusdam fatale fuisse scimus. Metus & tristitia omnis in malo est.

§. 16. His superaddere par est *Consuetudinem*, quæ, vt suo loco dixi, extendit se super omnes res non naturales, dicitúrque altera Natura, 7. Meth. 6. Z. 9. Meth. 16. 10. Meth. 16.

§. 17. Corollarij loco cape hoc tibi, *Indicationem vitalem* Capiuaccij, petitam ex 9. Meth. 13. C. quàm facile est mihi ex eo ipso loco pro monstro in Naturâ declarare: tam facile est videre illis, qui non planè Tiresiæ sunt, λογομαχίαν esse merè merissimam. Cùm enim Gal. somniâsset alicubi in Parnasso *Vitalem* suam facultatem, ne quid deesset ambitioni, Indicationem à simili priscis, ipsomet teste, dictam, obscurauit nouâ nomenclaturâ. Tu, quisquis es Quintilianorum, dic colorem! Hæc culpa ipsius tantò latiùs patet, quò verius est, ipsum hoc ipso cap. docere *Vitalem* suam indicationem esse primam illam generalem & inutilem, quæ in ordine Similium stet primo loco, vt iam dicam.



CAPVT V.

Indicatio à contrario.

§. 1. QVàm pulcer est consensus hactenus à nobis dictorum, tam pulcrum est videre, sequentia etiam se mutuò aspicere. Scribit Gal. 3. Meth. 1. B. & alibi, primam, generalissimam, & communissimam à contrario indicationem esse Medico inutilem. Non enim magnæ rei est, vult dicere, scire in febri esse refrigerandum & humectandum, in vitiatâ organisatione operam dandam esse, vt restituatur naturalis organisatio, in vnitatis solutione consolidandum esse: quin est ὁρμητήριον, *carcer*, tantùm, vnde ordienda est indicationum summa. Cur? inquis. Quia quiuis è plebe nouit, hoc esse agendum: at solus Medicus nouit, quibus mediis id fiat. Quamuis igitur indicatio hæc sit ex rei naturâ, ex substantiâ, vt Gal. loqui solet: non est tamen satis. Sunt enim indicationes plures, certum habentes inter se nexum, quo non cognito, curatio Methodica nulla

fit.

fit. Ideò inquit Gal. 2. Meth 7. Qui methodum medendi condere volet, huic auſpicandum eſt à primis (generali illo, & iam abiecto ſcopo) & hinc ad eos, qui deinceps ſunt, tranſeundum eſt, rursúſque ad proximos, nec deſiſtendum, vſque dum ad vltimum ſit peruentum. Tum verò (ſubiicere velle videtur) curationem ordiri oportet, non à primo & generali, quod in culmine ſtetit, deſcendendo: ſed contrà, ab vltimo & ſpecifico, adſcendendo. Hoc ipſum clariſſimis verbis docetur 11. Meth. 10.

§. 2. Verum enim verò, non poteſt nexus ille cuiquam inſtillari, niſi hoc ſciat, Indicationem hanc à contrario triplicem eſſe, pro triplicitate rerum præternaturalium. Aut enim à *Morbo* ſumitur: aut à *Causâ morbi*: aut à *Symptomate*. *Morbus* eſt ἔργον noſtrum. Hic vel pendet à ſuâ causâ, vel non pendet. Intelligo cauſam, non primitiuam ſeu externam, vt Gal. loquitur 4. Meth. 3. A. F. ſed proximè præcedentem, ſeu internam. Hæc vbi non eſt, ſimplex eſt curatio illius, quod factum eſt, quod morbus eſt: vbi eſt, eſt miſtum quid ex curatione & præſeruatione. Cauſæ enim debetur ἡ προφυλακή. Cuius ſermonis occaſione explicare oportet ea, quæ l. c. deinceps dicuntur. Vulgaris querela eſt, confundi opera τῆς θεραπευτικῆς, καὶ τῆς ὑγιεινῆς. Nulla eſt confuſio, ſi rectè inſtitutus ſis. Rectè ait Gal. heic, *A nullo eorum, quæ nondum permanentiam habent, vtilis indicatio ſumi poteſt*: ſed loquitur de Therapeuticâ ſolâ. Quare ſubiungit, *Niſi etiam faciat*. Tum enim (addit) ſimul, quod factum eſt, curabimus: ſimul, quod adhuc fit, ne fiat, inhibebimus. Hoc opus manifeſtè eſt miſtum ex opere curatorio & præſeruatorio, & eſt impropriè dicta curatio, 11. Meth. 2. B. Dicit enim, *Rei præſentis curatio eſt: eius quæ futura eſt, prouidentia*. Quod verò nec nunc læſit, (addit) nec læſurum eſt, ab vtroque artis munere alienum eſt. Hoc nego ſimpliciter eſſe verum. Quod nunc læſit, manifeſtè ad Therapeuticam pertinet: quod læſurum eſt (præſupponuntur enim eius rei ſigna) ad Hygienam, & lapſus eſt ille paruus, qui in latitudine ſanitatis debetur huic parti. Et hinc ego exſtruo *Morbum fientem* ſeu *futurum*, propter quem, & olim Gal. & nos hodiéque & venam ſecamus, & purgamus. Quare ſalis grano indiget, *Quod non eſt, à præſeruatione etiam alienum eſt*. Negatio enim nuda in latitudine ſanitatis locum non habet. Semper enim fomes aliquis eſt in talibus, qui vel per diſplicentiam, vel per laſſitudines, vel per alia, ſe oſtendit, & facilè erumpit in flammam. De fomite illo dici non poteſt, quòd ſimpliciter non ſit. Morbus quidem non eſt: ſed erit, niſi vigiles. Et hæc de causâ: Symptoma nihil indicat prorſus, niſi rationem cauſæ ſubeat.

§. 3. Sed ne ſic quidem ſatis eſt ad intelligendum verum & eſſentialem Indicationum nexum. Quod enim videbitur quibuſdam inſolens, *Indicatio à ſimili miſcetur aliquando indicationi à contrario*. Reuerà enim ita eſt, ſi proprietatem ſermonis amamus, ſolum *contrarium* indicat: *ſimile* permittit. At verò quia in arte ſubtilitas hæc inutilis eſt, ſimpliciter vocamus *Indicationes* omnia illa, quæ vtrinque ſunt. Res fiat clara exemplo venæ ſectionis & purgationis. Reuerà, vnus *morbus magnus* indicat vnum

magnum remedium, vel venæ ſectionem, vel purgationem; vires autem permittunt vel alterutrum, vel vtrumque. Nos verò abſque ambagibus dicimus, *Morbus magnus*, *cum virium conſtantiâ*, indicant hæc duo remedia. *Ætas* enim ad vires pertinet, vt alibi docetur.

§. 4. Hoc ne nouum alicui videatur, hem tibi ex 1. ad Glauc. 1. hæc. Cùm præfatus eſſet, cur Medici errent in praxi, Prima & præcipua cauſa eſt, inquit, quòd non rectè diuidant indicationes. Quidam enim in ſolis generalibus & communibus conſiſtunt: quidam deſcendunt quidem ad inferiores ſpecies quaſdam, ſed ad finem non perueniunt: quidam vitioſis vtuntur diuiſionibus. Qui verò (addit tandem) omnia tam ſ. quàm p. n. in methodum coëgerit, & ab omnibus ſufficientes ſumſerit indicationes: is demum, quantum humanitùs licet, in curando non errabit. Heic quid eſt ſ. & p. n. quàm *Indicatio à ſimili & contrario*? primò quidem Temperamentum, & quibus id conſeruatur ſex rebus-non-naturalibus: ſecundariò autem Morbus cum dependentibus? Quamobrem, ſi Gal. l. c. quædam interſpergit de cognitione temperamenti, ſi aliis locis de cognoſcendis morbis: benignè potiùs interpretandus eſt, quàm accuſandus.

§. 5. Fortaſſis duo poſſis deſiderare in loco illo 9. Meth. 14. Alterum, quòd θεραπευτικοὺς σκοποὺς tantùm nobis offert, cùm non minùs ὑγιεινοὶ ſint, tum videlicet cùm curamus lapſus paruos, ſiue, vt loqui ſoleo, morbos fientes, & nondum factos, cùm præſeruamus, vt loqui nos volunt. Alterum, quod Aërem tantoperè extollit, vt iuxta duos primarios ſcopos collocet, cùm reliqua non naturalia idem valeant, quatenus temperamentum & vires conſeruant.



CAPVT VI.

Indicatio à morbo, eiúſque differentiâ.

§. 1. QVALIS *morbus*, *talis indicatio*, inquit Gal. 9. Meth. 12. Vnus enim & ſimplex vnam & ſimplicem habet indicationem, calidus indicat remedium frigidum, frigidus calidum: at calidus & ſiccus duplicem habet indicationem. Ita morbus, qui iunctam ſibi habet differentiam aliquam, præbet etiam duplicem indicationem. Rurſus, prima & generalis indicatio duplex eſt, pro duplicitate ſummarum artis partium, Therapeuticæ & Hygienæ. Illa ſimpliciter *contrarium* vult, hæc tale, ſecundùm differentiam corporis affecti, & *ſimile* dicitur, gradu ſcilicet, vt dixi.

§. 2. I. Morbus alius *Acutus* eſt, ſeu breuis: alius *Chronicus* ſeu longus.

longus. *Acuti* iterum ſubdiuiduntur in eos, qui ſimpliciter ita vocantur, & intra 14. dies finiuntur: & eos, qui cum additione, *ex decidentiâ*, & finiuntur intra 40. diem, 2. Aph. 23. *Longi*, qui non æſtimantur diebus, ſed menſibus, 2. de Dieb. Crit. 10.

§. 3. In acutis maximè verſatur Indicatio ſimilium, præcipuè in cibo & potu, ne vel infra mediocritatem ſubſiſtamus, vel vltra eam eamus, 10. Meth. 5. F. Ibi enim igniculus reſiduus periclitatur à *μαραίνει à defectu*: hîc à *σβέσει, à ſuffocatione*. Sed & contrariorum vſus in ambiguo eſt, cùm facile ſit deerrare, vltra vires eundo.

§. 4. In longis maximè quidem valet Indicatio ſimilium: ſed niſi conſentiat altera, nihil actum fuerit. Quò maior enim in omni vitâ neceſſitas eſt rerum non naturalium: eò magis in his morbis deſiderantur. Tantò iterum magis, quò vires ſunt afflictiores. Rurſus, quò victus eſt accuratior, eò minùs opus eſt medicamentis. Victus cùm ſit attenuans, diuturnitate temporis plus facit, quàm medicamenta ipſa attenuantia, quia non facilè perrumpere poſſunt. Sed & nimis valida, inducunt aliquando affectum contrarium.

§. 5. II. Morbus alius eſt *magnus*, alius *paruus*. *Magnus* tribus de cauſis dicitur, aut ratione propriæ eſſentiæ, vt febris intenſiſſima, Cauſus dicta: aut ratione loci affecti, cum hepar inflammatum eſt: aut ratione malignitatis, 4. Method. 6. G. ex 4. Acut. 19. In quibus trium horum nihil eſt, ij parui vocandi ſunt, ſeu minùs periculoſi.

§. 6. *Magnus morbus* quia indicat *magnum remedium*; Id verò duplex eſt, Venæ ſectio, & Purgatio: de illis h. l. agendum eſt. De his, certis de cauſis, præfanda eſſe quædam viſum eſt mihi. Cùm anno 1597. D. M. Erneſtus Sonerus, Collega poſteà meus, ſub præſidio Scherbij, de Venæ ſectione depugnâſſet tam feliciter, vt à Scherbio, viro magni iudicij, abſtulerit hanc ſolidam laudem, *Tu poſthac abſque Præſide diſputabis*: incenſus ego honeſtâ quadam æmulatione, altero anno volui tentare idem de Purgatione. Et quemadmodum ibi placuerat Scherbio defendere ſententiam Alex. Maſſariæ, Patauij 1588. de ſcopis mittendi ſanguinem: ita volebat obtinere, ex altero eiuſdem tract. de Purgatione principio morborum, purgationis eſſe eoſdem ſcopos.

§. 7. Verùm longè aliter cecidit. Cùm enim D. Henricus Nagel, Vratiſlau. ex Valleſio 7. Controu. 2. argueret, *Vnum nonniſi vnum indicat*, 9. Method. 12. At morbus magnus conſideratur vt vnum, magnum ſcilicet remedium, & per conſequens indicat vel Venæ ſectionem, vel Purgationem. Ibi cùm diu fluctuarem ego, neque tamen aduerſario par eſſem: tandem Scherbius ad me, *Petiiſti anteà, vt tibi pro ſcuto eſſem, iam ego pateo.*

§. 8. Hæc ego refero, non aliam ob cauſam, quàm vt exemplum dem illius, quod apud Celſum eſt lib. 8. cap. 4. de Hipp. fatente à ſuturis ſe-

ſe deceptum eſſe, *more* ſcil. *magnorum virorum*, inquit Celſus, *& fiduciam magnarum rerum habentium. Nam leuia ingenia quia nihil habent, nihil ſibi detrahunt*,&c.

§. 9. Equidem, quo modo ſe tum expedierit ille, neſcio: mihi ex Italiâ reduci, cum Sonero conuenit, Non poſſe vnum morbum magnum indicare & Venæ ſectionem & Purgationem: ſed indicare directè magnum remedium, indirectè ſeu obliquè alterutrum. An autem dici hoc poſſit per ſe & per accidens, ignoro ſanè. Non enim accidit Venæ ſectioni eſſe magnum remedium, ſed eſt ei eſſentiale Cæterùm, quatenus cum magno morbo cohæreant vires, iam dixi. Si accuratè loqui vellemus, diſtinguendum eſſet inter indicare & permittere.

§. 10. Dicis, Quid igitur tandem eſt illud, quod determinat, vtro remedio ſit opus? Reuerà, *humores* in corpore ſuppoſito. Si enim *plethora* ſit, ſiue illa ſimpliciter dicta, ſiue cum adiectione biliosa, pituitoſa, melancholica, venæ ſectio planè neceſſaria eſt. In ſtatu hoc poſteriori, poſt venæ ſectionem licet etiam purgationem adminiſtrare. Sed in *cacochymiâ*? Heic cauto opus eſt. Non enim ſubitò cacochymia eſt, cùm vel bilis alterutra, vel melancholia abundat: ſed eſt, vti dixi, plethora ſpuria. In cacochymiâ veteribus dictâ, quæ iam διαφθορὰ eſt, vereor vt neutrum hoc remedium habeat locum, idque propter vires.

§. 11. Ergóne *plethora* eſt *adæquatum indicans venæ ſectionis*? Affirmanti poſt tergum inſtabit Gal. 4. Meth. 6. A. Atqui venam ſecamus etiam illi, qui ex alto cecidit, qui vulnus accepit luculentum, licèt plethoræ indicium nullum ſit? Reſpondeo per diſtinctionem. Venæ ſectionis ſcopus non eſt vnus. Aut enim vacuationis gratiâ ſecamus: aut deriuationis, reuulſioníſve. Poſteriori caſu non exſpectamus vllam plethoram, ſed, metu magni morbi, ſubitò ſecamus. Fieri enim ſolet, vt ad afflictam partem accurrat ſanguis, qui magnam faciat inflammationem, ſiue ratione eſſentiæ, ſiue ratione partis principis. Tu verò vide mihi obiter τὸ *Metu magni morbi*. Nondum enim eſt, & tamen indicat. Et non ſit *Morbus fiens*? Ita cùm laſſitudines accidunt, vel ſpontaneæ, vel poſt motum leuem; in habitu athletico: quis non ſecat venam? Sed hæc aliena ſunt. Priori caſu oportet ſemper adſit plethora, ſiue illa ſimpliciter dicta, ſiue cum adiectione. Non tantùm enim, cùm copiâ moleſtatur Natura, abiicit onus: ſed & cùm qualitate. Propterea febricitant quidam, aut alio p. n. affectu laborant ſingulis annis, niſi præueniant. Solet verò Natura indicium facere eius rei, grauitate artuum, vt quotidiè videmus. Et licèt hæc curatio non ſit, ſed præſeruatio: non mutat tamen id quidquam in re. Et hæc de V.S.

§. 12. De Purgatione ita habeto, Morbus magnus indicat etiam purgationem, ſed tum, cùm ſanguis manifeſtè declinauit, & iam non eſt Plethora ſimpliciter, ſed Plethora biliosa, &c. Atqui Gal. in cacochymiâ etiam ſecabat venam, licèt quò impuriorem offenderet ſanguinem, eò citiùs ſupprimeret. Hoc ipſum planè pro me eſt. Tentabat, quouſque

quousque progressum esset vitium sanguinis. Si enim stabat intra limites plethoræ vitiosæ, securè secabat: sin iam pulsaret fores Cacochymiæ propriè dictæ, quæ corruptio est, vt dixi, claudebat. Et hoc suggero Practicis nostris, & iubeo cautiores esse. In iam dictâ enim cacochymiâ multum sanguinis emittere, est ægrum iugulare. Cur? Vires non permittunt.

§. 13. Heic lumen accipit quæstio, Si opus sit vtroque remedio, ab vtro sit faciendum principium? Dico primùm, si studiosiores essemus veteris prudentiæ, ne proponeremus quidem hoc, tanquam dubium. Illi enim alterutro ferè solo vtebantur. Interim hoc negandum non est, præmisisse illos Venæ sectioni, vel clysterem, vel lenius aliquod, quale nos hodie, ex cassiâ, tamarindis, &c. Hoc postquam in desuetudinem venit, locum illius occupârunt electiuè purgantia, contra quæ seriò disputat Massar. d. tract. Rem ita determino, Aut moram fert, præsertim si aluus sit siccior, & præmittere oportet lene quid, ne quæ stagnant in primis viis excrementa rapiantur in viscera: aut non fert, & statim secanda est vena, præcipuè in febribus putridis, de quibus præceptum exstat Gal. 11. Meth. 15. cui Massar. penè totum ædificium inædificat. Accedit ratio, quòd venæ sectio sit vacuatio vniuersalior, quam validè stabilit sententia hodiè plausibilis, Putridas febres omnes (exclusis Symptomaticis dictis) esse in vasis.

§. 14. III. Morbus alius benignus est, alius malignus. Et natant hæc duo verba in ore plerorumque: sed pauciores sciunt, quid rei sit. Expedio me breuiter. Benignum est id, quod intra terminos manifestarum qualitatum est, & curatur methodo, siue per indicationes: Malignum est, quod in *Totâ substantiâ*, vt cum Gal. loqui velim, & inueniuntur remedia, Alexiteria seu Alexipharmaca vocata, solâ experientiâ, vt Gal. scribit 13. Meth, 6. G. & 3. Progn. 39.



CAPVT VII.

Praxis Indicationum.

§. 1. AVreum est Gal. dictum 9. Meth. 6. fine, Nullam artem rectè vel constitui, vel exerceri posse, nisi duo præstentur, alterum, Methodus vniuersalis tradatur: alterum, exercitium circa particularia obeatur.

§. 2. Non diffiteor ego, Galenum in lib. Methodi fecisse vtrumque sedulò, sed est profectò totum negotium ita implicitum, vt tantum non exhorrescam, cùm inspicio. Difficultatem auget, quòd in Asiatico illo docendi genere, plerisque locis, nec fidelis satis sit, nec constans.

§. 3. Ego, qui in vniuerſalibus feci, quod potui, quandoquidem ad opera Galeni, tanquam in metallum aliquod, damnatus ſum, faciam heic quoque officium *καδδυνάμιν*.

§. 4. Vt intelligar, proponam ab initio diſpoſitionem librorum 14. Methodi. Poſtquàm lib. 1. & 2. ſatis multa dixit de morbi definitione & differentiâ, lib. 3. incipit curare *Continui ſolutionem* (ordinis huius rationem reddit lib. 7. c. 2. A.) & pertexit libb. tribus ſeq. Eodem lib. 7. incipit docere curationem *Intemperierum ſimplicium*, ſeu *nudarum*, idque exemplo ventriculi. His lib. 8. vſque ad finem lib. 12. ſubiungit *febres*, primo loco *Ephemeras* habens, ſecundo *Hecticas*, tertio *Putridas*. Tandem libb. duobus extremis tractat *Intemperies cum affluxu ſubſtantiæ*. Vnde ego plane conuinco, Febres (exceptis ſymptomaticis) eſſe Intemperies nudas, quod tamen negant pertinaces. De his agit iterum libb. duobus ad Glauconem, quos ideò quidam de *Febribus* inſcribunt. Ego hoc queror, Cur nullibi ſit actum de *Organicis morbis* tam numeroſis? in ſuperficie? in viis? in figurâ? in numero? in ſitu?

§. 5. Heic denuò inculcare oportet illud, quod ſup. cap. §. 3. dixi, hinc orſus. Nihil ad naturam ſuam redire poteſt, niſi per contraria, 5. Meth. 1. D. *Contrarium* hoc duplex eſt, alterum ſimpliciter dictum, de quo cap. 5. alterum cum additione, *Contrarium ſimile*, vt locutus ſum hactenus, de quo cap. 4. Ex his ortæ indicationes, modò plures ſunt, modò ad pauciores rediguntur, 9. Meth. 14. A. Ex quo loco notandum venit illud, Diligenter eſſe diſtinguendum inter illa, quæ amouenda ſunt, quæ, inquam, à *Contrario ſimpliciter dicto* ſunt: & illa, quæ ſeruanda, quæ ſunt à *Contrario ſimili*. Ideò ait 9. Meth. 15. B. *Non eſt ſatis, calido affectui admouiſſe frigida*, (ſiue in toto, ſiue in parte) *niſi id fiat in debitâ quantitate. Quantitatem illam definit notitia corporis*, (temperamenti) *quod fuit ante morbum*. Et cognitio & applicatio quàm difficilis ſit, æſtimare licet ex illis, 3. Meth. 7. extr. vbi ad temperamentum v.g. humidum, proponit 15. medicamenta, ad ſiccum itidem 15. & addit, *Eum demum rectè vſurum remediis, qui ſingulis gradibus ſingulos gradus accommodârit*. Tam inſignis varietas vnde pendet? Hoc explicat 8. Meth. 9. Aliquando omnes indicationes conſpirant, v.g. Calidiſſimâ febri laborat calidiſſimus aliquis, qui calidis etiam aſſueuit, eſt in aëre calido, vſus eſt exercitiis validis, vigilauit, &c. ibi frigidiſſimis eſt vtendum. Contrà, cùm febris quidem intenſa eſt, ſed res non naturales omnes inclinant alìorſum, diligenter animaduertendum eſt, ne ſuffocemus ægrum. Iam, quæ in medio ſunt, tantum non infinita ſunt, quæ tamen niſi ponderes diligenter, culpâ non carebis. Et hoc eſt illud ſuperius, *Modò plures paucioréſve indicationes eſſe*. Atque huc facit diſtinctio, quæ eſt in eodem 8. Meth. Vna & ſola eſt indicatio generalis, *Aufer, quod p.n. eſt*: reliquæ
14. Meth. 13. omnes ſunt propriæ huius indiuidui. Hoc facit, vt indicatio à viribus aliquando præſtet reliquas, aliquando inferior ſit, 9. Method. 11. B. Prout enim morbus maior, minórve eſt, contra vires firmiores, debilioréſve,

eò

eò magis huc vel illuc inclinare oportet. Hanc in rem illustris est locus 11.Meth.3.extr. quem vide sis; necnon 3. Meth.8.extr.

§. 6. Et hæc quidem contrarietas est à temperamento totius & partium: altera contrarietas est *in causis*. Vbi enim causa efficiens superest, & vult peculiarem curam, ibi videre diligenter oportet, Consentiátne indicatio à causa, cum indicatione à morbo, annon? 10.Meth.1. Siquidem, inquit Medicus, consentiant, & quæ febrim exstinguunt, & quæ causam oppugnant, quod ab vtrisque indicatur cùm vnum sit, sine cunctatione agendum est. Sin febris curatio causam auctura sit; aut contrà causæ curatio febrim: diligenter considerandæ sunt remediorum species, &c. quæ vide.

§. 7. Heic quæras fortassis, Cur nulla fiat à me mentio *Contra indicantium*, & *Conindicantium*? De illis respondeo cum Gal.9.Meth.7.sunt vanitates de nominibus, quales sunt etiam *Communitates Methodicorum* sibi ipsis dictorum: de his ego assero idem. Si enim nihil aliud sunt quàm Res-non-naturales, vt Gal. affirmat 11. Meth.16. quid opus est nouo nomine? Quemadmodum igitur, qui habet Indicationem generalem seu communem *Contrariorum*, ad opus progredi non potest, nisi habeat etiam *Similium*, quæ pendent à Rebus-non naturalibus: ita ille qui habet vtrumque horum, potest inchoare curationem, sine impedimento. Vires enim quas aliquando contraindicare dicunt, sunt illud, ex Similibus, quod permittit, vt suprà locutus sum.



CAPVT VIII.

In Continui solutione.

§. 1. DIstinguimus hanc vulgò in Vulnus, Vlcus, Fracturam & Cariem, quorum duo priora carnosis partibus debentur, posteriora ossibus. Porrò, vlcus fit per Erosionem solam: vulnus per Cæsionem, Contusionem, Puncturam, & Rupturam.

§. 2. Vulneris, vlcerísve simplicis (hoc est, cui nihil carnis demtum est, quod nec inflammatum est, nec inflammationem metuit, nec intemperie aliquâ laborat, nec sordidum est) curationem esse simplicem, docet Gal.3.Meth.4. In hoc quoque simplex indicatio est, agglutinandi, seu labra coniungendi. Hoc fit vel immediatè, cùm sola adductio, quæ digitis fit, satis est: vel mediatè, per deligaturam simplicem, aut suturam, aut gluten, cum fibulis, plagulísque. Rursus, coit hoc vlcus, vel non intercedente corpore alio diuerso, quod est κατὰ πρῶτον σκοπὸν, vt alibi Gal. loquitur: vel intercedente, quod callum vocant, quod κατὰ δεύτερον. Illud in carne fit: hoc in cute, vasis, ossibus, &c.

 §. 3. Vulne

§. 3. Vulneris, vlcerísve compositi (hoc est cui superiùs dictorum vnum, alterúmve, vti & malignitas copulata sit) curationem quoque compositam esse, docet Gal.3.Meth.2.& seq. Enumerat autem cap.3.E. quatuor, quæ heic spectanda sunt, & certo ordine in curatione collocanda. Quatuor illa sunt, Vlcus ipsum, cauitas, sordes, & intemperies vel simplex, vel composita, eáque vel benigna, vel maligna. Primo igitur loco sananda fuerit intemperies, qualis,qualis etiam illa sit: secundo sordes erunt auferendæ: tertio cauitas implenda: tandem vlcus ipsum sanandum. Intemperies enim est id, quod vrget: sordes & cauitas sunt causæ sine quibus non: vlcus est morbus ipse. Nec me mouet, quod ait Gal. nihil esse heic, quod vrgeat. Quidni enim intemperies sit idipsum? Quippe, ex sanâ, non intemperatâ carne fit cicatrix? Tale inprimis vlcus est, quod perpetuum habet humoris influxum, vnde siccatio nulla satis est, ob causam durantem. Et hæc pauca indicâsse sufficiat.



CAPVT IX.

De Intemperie.

§. 1. DVplex cùm sit, *nuda* & *cum affluxu substantiæ*, de illâ quidem agit toto lib. 7. de hac autem libb. duobus finalibus. Quo loco illud aspergo, in quo probando alibi operosè solicitus fui, *Nudam intemperiem* priscis dictam fuisse, non eam tantùm, quæ simpliciter est sine humore: sed eam quoque, quæ cum aliquo, modò non faciat vel inflammationem, vel erysipelas, vel œdema, vel scirrhum. Hoc libro cùm exemplo ventriculi explicare vellet intemperies illas, primo loco exponit indicationes intemperierum nudarum,tam simplicium, quàm compositarum, vsque ad cap.10. quod continet epilogum totius negotij. Secundo. Nouum prorsus cap.11. faciens exordium, inquit, *πολλάκις ἐν αὐτῷ τῷ κύτει τῆς κοιλίας περιέχεται τὸ ὑγρὸν, ἤτοι*, &c. *ἐνίοτε δὲ εἰς αὐτοὺς τοὺς χιτῶνας ἀναπεπωμένον, ἢ ἐμπεπλασμένον ἐργάζεται τὴν δυσκρασίαν*. Tu ante omnia vide, quàm studiosè declinet, & Inflammationis, & cæterorum p.n.tumorum nomina! Vide & hoc,quàm clarè dicat,vel natare humores calefacientes, &c. in ipsâ ventriculi capacitate, vel imbibi, & veluti impingi in tunicas ipsius! Et hoc indicationes huius intemperiei, ab indicationibus tumorum p.n.diuersissimæ, tam clarè docent, quàm quod clarissimè.

§. 2. Ex posteriori *Intemperierum nudarum* ordine cùm procul dubio sint Febres illæ, quæ sine Inflammatione sunt, (considera, sodes, oppositionem) agit de illis, vt nuper deduxi, libb.quatuor proximis. Orsus igitur

igitur lib. 8. ab *Ephemeris*, tam dilucidè exponit diuersas illarum causas, & inde pendentes indicationes, vt nemo post illum meliùs. Causæ sunt 1. στέγνωσις, *constipatio pororum cutis*, quam curat balneo aquæ dulcis, egregia interim historiâ illustrans curationem. Quo modo verò tractandi sunt ita affecti, ne febris putrida superueniat, docet cap. 4. 2. causa cap. 5. est ἔγκαυσις, *vstio sub Sole.* 3. θυμὸς, *ira.* 4. ψύξις, *frigus.* 5. ἀγρυπνία, *vigiliæ.* 6. λῦπαι καὶ φροντίδες, *tristitia, & curæ.* 7. κόποι, *labores.* Ita enim malo heic, quàm *Lassitudines.* 8. ἀπεψίαι, *cruditates.* 9. βουβών, *bubo sub alis, in inguine, &c.* Ab his omnibus causis distinctas elicit indicationes, quas videat, qui volet. Tum superaddit cap. 7. quæ Naturæ faciliùs afficiantur his febribus? cap. 8. in quibus soleant, aut in *Synochos* abire, aut in *Putridas*? hoc repetitur lib. 10. cap. 2. & 6. & adduntur *Hecticæ.* Cap. 9. cùm frequenter in his indicationes sint contrariæ, quid agendum?

§. 3. Ab *Ephemeris* simpliciter dictis transit lib. 9. ad πολυημέρας vocatas, sub quibus etiam *Synochi* sunt, (*Continentes* Interpretib.) tam sine, quàm cum putredine; de quibus binas cap. 4. historias memorat, vel ideò commendabiles, quòd cibauit adolescentes illos in ipso paroxysmo, vt sic dicam. Hac de re vide ampliùs lib. 10. cap. 4. Nota etiam venæ sectionem ad animi vsque deliquium, vt & frigidæ potum.

§. 4. Ephemeris subiungit *Hecticas* l. 10. diligenter explicatis auxiliorum materiis, quibus frigiditas & humiditas introducitur.

§. 5. Post Hecticas lib. 11. de *Putridis* agit, vt ego loqui soleo. Vbi ante omnia meminero illius, quod sup. libri cap. 6. Gal. dixit, Putredinem esse duplicem, alteram in vasis, alteram extra vasa. Illa est in *Putridis* sic dictis, in quibus nulla vllius partis inflammatio est: hæc in iis, quæ ab inflammatione partis pendent, quas vulgus *Symptomaticas* vocat, haud scio quàm rectè. Ab hoc pendet alterum, Cùm Gal. 11. Meth. 7. 5. Meth. 1. in *Putridis* considerandum ab initio iubet, durétne causa, quæ *Putredo* est, an sopita sit? loqui illum de Putridis propriè dictis. In inflammationibus enim distinctio hæc locum non habet, siquidem verum est, febrem habere rationem symptomatis. Pendet & tertium, quod hoc lib. 11. cap. 2. dicit, Ephemerarum & Hecticarum esse curationem propriè dictam: Putridarum impropriè, quòd sit mistum quid ex curatione & præseruatione. Addo ego quartum, *Synochos*, seu *Continentes* heic cap. 4. 5. & 13. non pertinere huc, ceu comprehensum est, nisi quatenus synochus quidam est putris.

§. 6. Heic instituere oportet exercitium istud, quod Gal. habet 9. Meth. 14. C. Intemperierum, vult dicere, calidarum vna est Febris, tum videlicet cùm calor p. n. diffusus per totum corpus adeò est auctus, vt lædat actiones. Non fit autem hoc, nisi cor occupârit, quippe è quo solo in vniuersum corpus via est. Hæc febris, quà febris, quà in-

 temperies

temperies calida & sicca, indicat frigida & humida. Hæc indicatio licèt communis & generalis sit, non est tamen inutilis: sed est contraria illa, quæ limitat similem quatenus definit quantitatem refrigerandi & humectandi. Si enim calori respondeant reliqua, h.e. si temperamentum etiam sit calidum & siccum, si aër, si reliquæ res-non-naturales eodem tendant:tum oportet validissimè refrigerare & humectare. Sin febris ipsa sit mitis,res etiam non-naturales sint in mediocritate, mitiùs est agendum,vt suprà dixi. Magnum calorem febrilem ostendit magnus ad tactum calor, sitis intensa, deiecta appetentia, pulsus & respiratio valdè inæqualis, vrina rubra, &c. Hæc omnia præcipuè fiunt à bile flauâ,æruginosâ,&c.Minùs à sanguine,minùs à melancholiâ iterum minùs à pituitâ.Hinc fiunt febres vel *Continuæ*,(continentes huc non pertinent) vel *Intermittentes*. Intermittentes vel *Tertianæ*,vel *Quartanæ*, vel *Quotidianæ*. Hæ vbi à se inuicem distinctæ fuerint, non tam ex numero dierum,quàm ex propriis cuiusque humoris signis: iam ventum est ad speciem specialiss. quam Gal. ait, & à quâ inchoare oportet curationem.

§. 7. Verumenimverò quia febris inuenta vel pendet adhuc à suâ causâ,vel non ampliùs pendet:heic quidem persequi oportet febrim;ibi autem persequi oportet causam, *Obstructionem* & *Putredinem*; hanc vt proximam, illam vt remotam. Hæc enim, vt est 11. Meth. 8. est πρῶτος σκοπὸς, *primus scopus*,tu intellige,ratione executionis,non inuentionis.

§. 8. Quid est tibi heic *Putredo*? dicat aliquis. Gal.quidem, l.iam citato,ita definit,vt coincidat cum definitione Arist.4.Meteor.1.sed reuerà sine distinctione res transigi non potest. *Putredo*, quam in febribus putridis benignis consideramus,non nisi impropriè est putredo,propriè autem loquendo,est σύγκαυσις,*combustio*.At illa,quæ in malignis,est eadem cum verâ putredine,quæ Aristotelis quoque est,vt alibi fusè demonstraui.

§. 9. Quidquid sit, Curatio, vt ita loquar, putredinis Medicæ fit, partim euacuando id,quod iam putruit,per vrinas, per deiectiones,per vomitus,per sudores:partim alterando, κινήσεσι μετρίαις, ἅμα τῇ τοῦ περιέχοντος εὐκρασίᾳ, inquit Gal. Quæ licèt explicet per præcedentes αἰωρήσεις μετρίας, καὶ διαπνοὰς εὐψυχεῖς: non satis tamen video, quid velit. An in vniuersum quidem victum frigidum & siccum intelligit: in specie autem exercitia leuiora, in aëre frigidiusculo?

§. 10. Porrò putredinis causa, per sua contraria tollenda, κώλυσις τῆς διαπνοῆς est, *cohibita transpiratio*, cuius iterum causæ sunt, πύκνωσις τῶν πόρων, ἢ διὰ πλῆθος, ἢ πάχος, ἢ γλισχρότητα τῶν χυμῶν ἐμφραττομένων, *cùm humores obstruunt vasa vel copiâ suâ, vel crassitie, vel lentore*, de quibus nihil ampliùs dico. Ablatâ enim hac causâ, & exstincto calore illo, quem corpori impressit, finis curationis est. Et hæc quidem de intemperiebus nudis.

§.11. De

§. 11 De reliquis, quatenus cum febre sunt, sufficiat mihi vnicus locus, 11. Meth. 16. proposito in exemplo hepate. Ab initio, vult dicere, vtendum est repellentibus, ratione scilicet causæ, humoris affluentis. In statu, agendum est discutientibus. Tandem, seu in declinatione, vtendum corroborantibus. His adde, quæ sequuntur cap. 17. 18. & 19. de diuersitate cataplasmatum pro diuersitate locorum affectorum. Vnde intelligis, de *Topicis* illum tantùm agere h. l. Plura vide lib. seq. Mihi heic libet ab inquisitione quiescere: qui plura & vtiliora corraserit, is laurum capiat.



CAPVT X.

Sordes quædam Capiuaccianæ euersæ.

§. 1. IPsum Capiuaccium, alterum Apollinem Loxiam, non attingam: apprehendam clientum principem, qui hodiè regnat in campo Medico. Agam autem verbis quàm possum lenissimis, ne vel mali suspicari possint aut odium in personam, aut ambitionem in re ipsâ. Scio enim humanitatem non deserere hominem, quamdiu homo est.

§. 2. Primùm omnium miror, nescire illum velle τῆς μεθόδου ὑγιεινῆς καὶ θεραπευτικῆς, vel differentiam veram, vel affinitatem! Ab initio enim tantùm iuxta se collocat, illi quidem sanitatem commendans, huic autem morbum. Ampliùs miror, quòd doctrinam sex rerum non-naturalium τῇ ὑγιεινῇ propriam facit, cùm æquè ad θεραπευτικὴν pertineat! Quòd ab hac doctrinâ dirimat Methodum tuendæ sanitatis, & in solâ Diætetica collocet! Quòd non meminerit vspiam *Indicationum*, quæ sunt in ὑγιεινῇ, quando curat lapsus à sanitate paruos, siue morbos fientes, vti ego appello! Tandem, quòd in Therapeuticâ quærat Indicationem præseruatoriam, quæ fortassis cum *Vitali* eadem est! Sed transeant hæc.

§. 3. Placet, quòd ex Arist. 1. Part. laudat *Methodum Gal.* illam, inquam, quam Frisimelica olim promisit, cuius ego hoc ipso anno 1640. ἐκμαγεῖον quoddam dedi sub titulo *Pathologiæ-paruæ*: displicet, quòd non stat promissis. Quæ enim ille generalia vocat, de Indicationibus, nullatenus perficiunt rem: quin debebat quoque in genere egisse de *Intemperiebus*, de *Morbis organicis*, de *Continui-solutionibus*: & subdidisse species singulorum, vt ego feci. Sed transeat hoc quoque.

§. 4. Placet pariter, quod de Capiuaccio ait, dubitante, an quisquam

quam hucvſque Gal. intellexerit : ſed diſplicet, quòd ſubitò, & re non præmeditatâ, coniicit ſe totum in Capiuaccium. Nam ne hunc quidem intellexiſſe, probo per partes.

§. 5. *Methodi* definitione opus eſſe, Logicorum nemo dicet. Quia enim Medicina ipſa eſt Methodus, vocis explicatio aliunde petenda eſt, ex Logicis ſcilicet. *Explicatio*, dico, Definitio enim eſſentialis exſulat hinc.

§. 6. *Indicatio* pariter explicatore opus habet, non definitore. Et hunc (explicatorem) ſe præbet Gal. tribus illis locis. Hoc enim vult, vt ſuprà expoſui mentem ipſius, *Cùm tria ſint rerum criteria, Indicatio, vox Medicis propria, eſt id, quod à Ratione proficiſcitur.* Propterea rectè dicit, Indicationem ad intellectum pertinere, & quidem operationem eam, quæ aliud ex alio colligit. Quamobrem rectè inclinat ad Maſſariæ ſenſum, lib. de Scopis, Indicationem eſſe ſyllogiſmum, licèt repugnet Augenius in Epiſtol. Cùm enim nocens & auxilium ſint duo diuerſa, intellectus (ſunt hæc ipſius verba) eodem planè momento comprehendit indicans & indicatum, non autem (longo) diſcurſu ſeu ratiocinatione. In hac *comprehenſione* (addo) reuerà eſt ἕτερον τι, reuerà eſt ſyllogiſmus perfectus, non minùs atque in hoc, Vbicunque ſunt bis tria, ibi ſex ſunt, Heic ſunt, Ergò. Quæ autem dicuntur, ἄνευ τηρήσεως καὶ λογισμοῦ, (ἢ ἀναλογισμοῦ) non excludunt illa penitus, ſed ſeorſim collocant, vt diſtinctè ſciat lector. Vbi illud noto, Rectè dici ab eo, Definitionem indicationis eſſe communem tam τῇ ὑγιεινῇ, quam τῇ θεραπευτικῇ: verùm non conſtanter.

§. 7. Quàm fluctuat in illo, *Contraria contrariis*? Ignoſcant mihi manes boni viri! Nunquam intellexit, quo reſpectu Contrarium dici poſſit *Simile*, licet Gal. dilucidè explicârit. *Omnis morbus tollitur contrario:* ſed *contrarium* hoc eſt duplex. Alterum ſimpliciter dictum, quatenus morbum reſpicit: alterum cum additione, *Simile* ſeu *proprium*, quatenus Socrates, Plato, Coriſcus laborat. Illud eſt, Vt febris fugetur, vtere contrariis: hoc eſt, vt tutò fugetur, & in hoc indiuiduo, vtere contrariis ſimilibus, talibus, quæ propria ſunt temperamento illi, quod erat ante febrim. Hoc ita intelligas, vt dixi ſuprà. Febricitent in eâdem domo, & iuuenis plethoricus, & ſenex ſeptuagenarius. Vterque eſt refrigerandus, ratione morbi: ſed diuerſimodè, h.e. non in eodem gradu frigidis. Quæ enim proderunt iuueni contraria, frigida in 3. vel 4. gr. illa interficient ſenem, quippe non analoga calori ſeu temperamento illius.

§. 8. Hoc modo ſi intelligatur *prima & generaliſſima Indicationum* differentia, in portu ſumus: ſin, in altum obſcuritatis pelagus proiecti ſumus. Quæ enim ſunt illa ſ. & p.n.

§. 9. *Altera* differentia, quòd Indicatio alia ſit generica, alia ſubalterna, alia ſpecifica, verè Capiuacciana eſt. Gal. quidem propoſuit ita,

ita, In indicationibus ordinandis incipiendum esse à summis seu generalibus, & descendendum ad imas seu speciales, qui sermo est clarus perspicuúsque: sed heic subtilitates Heracliteæ sunt. Accipiamus exemplum propositum, In calidâ hepatis intemperie contentus est Gal. duabus his indicationibus. 1. Hepar est refrigerandum. 2. Hepar, quia est pars calida, desiderat refrigerantia fortiora, sed tamen non vltra temperiem suam naturalẽ. Noster in quatuor dispescit. Rursus, Gal. est contentus hac rationali viâ: sed hic additam vult experientiam, contra Galeni voluntatem. Non quòd ille contemnat experientiam, aut respuat Medicum exercitatum: sed quòd huius loci non sit.

§. 10. *Tertia* simpliciter περίεργος est. Non enim si *Indicatio* deobstruendi non habet medicamentum vno verbo sic dictum, propterea est inutilis. Satis est, si fiat per incidentia, attenuantia, & abstergentia, vt ipsemet determinat. Eiusdem sortis est *quarta*. Non enim si inartificiosa est prima & generaliss. illa, 3. Meth. 1. ideò inutilis est: imò verò est *contrarium illud simpliciter dictum*, à quo deuenio ad *contrarium-simile*, seu *proprium*.

§. 11. Denique (ait) Indicatio alia est curatoria, alia præseruatoria. Debebat dixisse, Alia est τῆ θεραπευτικῆ, alia τῆ ὑγιεινῆ, alia est mista ex vtrâque. *Vitalis* verò planè est figmento similis, nisi concedat, eandem esse cum Therapeuticâ & Hygienâ illâ, quæ à *Simili* pendet.

§. 12. Huc cùm appulissem, & *Indicantia* offendissem, diu sedi quasi attonitus, si possim videre causam, cur noua heic instituatur doctrina? Si enim verum est, Indicationem esse syllogismum practicum, qui ostendat Medico, quid agendum sit: vtique, post conclusionem constitutam, nihil supererit, quàm vt ad opus se accingat. Tantò magis, quòd Gal. 3. Meth. 1. disertè dicat, Non esse aliud, quod curandi rationem præscribit, aliud, quod curatur. Legi tamen, & relegi, si fortè discere quid boni possem: sed ἄνθρακες ὁ θησαυρός!

§. 13. Quod ne frustrà dixisse videar, age, dispiciamus, Annon omnia Indicationibus applicari possint?. 1. *Indicans*, ait, *oportet sit agens aliquod.* Mirum, nî dupondij nostri rident, *Non entis*, dicentes, *nulla est actio*! Fortassis hoc etiam desiderabunt, Quo modo is, qui agit de actionibus p.n. potest in pari loco habere actiones s.n. Sed latet heic aliquid, quod pauci hactenus apud Gal. obseruârunt, duplex, inquam, contrarium, quorum illud est, à quo reuerà Indicationes petuntur: hoc, à quo tales, in hoc gradu, qui similis dici potest temperamento corporis laborantis. Heic quid noui?

§. 14. 2. *Indicans oportet sit aliquid in corpore permanens.* Ita, si rectè intelligas. Duplex est permanentia, vt sic dicam, secundùm duas summas indicationes, altera morbi, in Therapeuticis: altera causæ, in ὑγιεινοῖς. Ne mireris, Habitum athleticum Hippocrates iubet sol-

uere. Atqui ſani ſunt athletæ? Propter morbum futurum ſoluit, & eſt προφυλακὴ potiùs, quàm θεράπεια, ſi argutari tibi libeat. Heic igitur cauſa indicationem dat venæ ſectionis, & quidem propter morbum magnum futurum: Quid noui?

§. 15. 3. *Indicans oportet notum ſit intellectui.* Quidni verò? Hoc ipſum eſt *Indicatio*, quæ ſyllogiſmus eſt, etiam demonſtratio. Et quàm parum ſcitè abiicitur heic experientia ex l. de opt. ſectâ, 8. 12. Meth. 5. 13. Meth. 6.

§. 16. 4. *Vnum indicans non niſi vnum indicat.* Ita, quamuis in morbo ſimplici tantùm, 9. Meth. 12. Pax!

§. 17. Numerum venari Indicantium haud magni momenti res eſt, præſertim ſi à duplici illo fine petas. Re enim verâ pendet numerus ab externo potiùs quàm ab interno, ſi modò rectè ſecta eſt ars noſtra in θεραπευτικὴν καὶ ὑγιεινήν. Quâ ſectione admiſsâ, non niſi duo ſunt vera *Indicantia*, vt ipſe loquitur, *Curatorium* & *Præſeruatorium*. *Vitale* enim ex ſe, & ſuâ naturâ monſtrum eſt: tamen, ſi παραμυθίαν admittas, eſt idem cum *Præſeruatorio*. Debeo enim vnumquodque indiuiduum conſeruare in eo ſtatu, in quo inueni.

§. 18. Quàm rectè igitur concludit, Indicantia eſſe eadem cum Indicationum diuiſione: tam ſiniſtrè ablegat Temperamentum, ætatem, ſexum, vires, &c. Sunt enim ipſiſſima ea, quæ determinant nobis *Contrarium-ſimile*. Quamobrem nihil obſtat, ſi cum notis & conditionibus ab ipſo propoſitis nihil commune habent. Sunt enim hæc ἀντιδιῃρημένα, *Contrarium ſimpliciter dictum*, quod propriè indicat: & *Contrarium-ſimile*, quod limitat & determinat illud, ne vnum calopodium induatur omnibus.

§. 19. Non dubito vidiſſe hæc: ideò nouam inchoat diſſertationem, in quâ vult nos inſtruere, quomodo ſit defendendus Gal. ſicubi in numerum Indicationum admittat Temperamentum, ætatem, ſexum, conſuetudinem, vitæ genus, ἰδιοσυγκρασίαν; *Per accidens*, inquit, *& interueniente alio indicant.* Nihil minùs, ô bone! Indicant per ſe, quatenus limitant & determinant contrarium, vt dixi.

§. 20. Nauſeat etiam ad Indicationes à parte affectâ ſumtas. Ah, mi vir, fruſtrà multiplicas entia! Non minùs enim quàm totum, partes ad *Contrarium-ſimile* pertinent, videndúmque diligenter, ne quouis modo lædamus temperamentum ipſarum. Eadem ratio eſt nobilitatis vel ignobilitatis, ſenſus exquiſiti aut torpidi, conformationis, figuræ, ſitûs. Aër, tempus morbi, doſis medicamentorum, malè heic conglutinantur.

§. 21. De *Indicantium* conſenſu & diſſenſu arguties eſt non neceſſaria, dico cum Valleſ. 1. Meth. ſuæ, 5. vbi etiam addit, *Non placet ingenium eorum, qui immutantes verba, gloriantur ſe aliquid arti vtile adieciſſe!* Vno verbo, Tota illa cohors Contraindicantium, correpugnantium,

&c.

& nescio quorum aliorum prodigiorum, sunt mutæ in fabulâ personæ. Pendent enim à *Contrario-simili.* V. g. éstne vena secanda? éstne purgandum? Non. Licèt enim morbus magnus adsit: vires tamen, quæ sitæ sunt in temperamento iuxtà, & dextro sex rerum-non-naturalium vsu, non permittunt. Et hoc est, quod ipsemet ait, *Indicationes vitales semper præferendas esse reliquis.* Et heic quidem ego pedem sisto.

Vide supr. cap. 7.

FINIS.



Iusserat Iatricen HOFMANNVM scribere Phœbus,
Scripsit, & hunc plausum protinus inde tulit:
Vincat, iò, vincat sacro in certamine VERVM,
Sed FALSVM æternis fluctuet in tenebris!

Huc Musas profanans f.

INDEX



INDEX

Rerum & Verborum memorabilium, quæ hoc Institut. Medic. Volumine continentur, in sex partitus.

Prior numerus caput; posterior §. notat.

LIBER PRIMVS.

A

B

C

D

Non

LIBER SECVNDVS.

Emulgentes

Colli

D

E

Quod

H

F

G Γ

H

I

Glandula

Generatio

Superfi

T

Distinctio

Θ

V

Vena

Ψόας

Notabit studiosus Lector, in huius Libri secundi Indice numeros non quadrare, quia nouum caput inseruit author, sed optimè quadrabunt, si pro numero cap. appositi, seq. caput intelligas.

LIBER TERTIVS.

Alui

Δῖνος

E

H

Θ

Θύμον,

Cur

Fungi

I

Quibus

N

Colicæ

Σπᾶν,

Y

ὕδρον-

LIBER QVARTVS.

D

E

F

G

Habitus

H

I

Narium

N

O

P Π

Passio

R

Iam

T

 turo

LIBER QVINTVS.

Aëris

A prugna

D

E

Galeni

Qualita -

Simpli

LIBER SEXTVS.

Indicatio

I

M

N

O

P

R

S

T

FINIS.

6oo6